Digitized by Google

Digitized by Google

9 . h . 21

Digitized by Google

Digitized by Google

9 · 4 · 21

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES
HISTORICÆ, CRITICÆ, POLEMICÆ,
DE CHRISTO,
EJUSQUE VIRGINE MATRE.

Quibus Judæorum errores, de promiſſo ſibi Liberatore, nova methodo refelluntur: Chriſtianæ Religionis Myſteria omnia, ad certam Hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur.

Habitæ in Academia Patavina,

A F. JACOBO HYACINTHO SERRY
Primario ibidem S. Theologiæ Profeſſore, Doctore Sorbonico, Ordinis Prædicatorum.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. AURELIO MARIÆ REZZONICO

J. U. D. S. Offitii Conſultori, Patriæ Cathedralis Propœnitentiario, & aliàs Publico Juris interpreti.

VENETIIS, ET MEDIOLANI, MDCCXIX.

E Prælo Dominici Bellagattæ.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILL.ME DOMINE.

CUm multa libri alicujus auſpicem deligenti providenda ſunt, atque in omnes partes intentis oculis diligentiſsimè circumſpicienda; tum illud præcipuè curandum eſt, ut auſpicis ipſius eximiam literaturam, egregiamque in excipiendis tuendiſque literatorum laboribus voluntatem, perſpectam habeat, atque exploratam. Hæcque cogitanti mihi in mentem venit doctrinæ Tuæ Ill.me Domine, cujus famà totam adeo Inſubriam impleviſti, ut mirum non ſit, ſi ad aures quoque meas pervenerit. Illa verò ſumma in omnes humanitas Tua, ita me rapuit, atque etiam animos fecit, ut iſtas, quas typis mandare ſtatuiſſem Exercitationes, Chriſtianæ veritati ſummopere, ut ſpero profuturas, Tuum in patrocinium, & clientelam tradere auderem. Neque verò mihi tantum etiam tribuo, ut quamquam laudi Tuæ maximè ſervio, eam tamen hac obſervantiæ erga Te meæ ſignificatione ullatenus augere, atque ampliorem reddere exiſtimem: id agam ſolummodo, ut quod vulgò de Te loquuntur omnes recolam, & tot tantiſque laudum tuarum præconibus accinam. Nihil tamen dicam niſi præclarum, ac ſingulare, & quod iis ipſis propè novum videatur, qui Te jamdiù noverint.

Refugit equidem imbecillitas mea oneris magnitudinem, verum plus, quam virilis pars poſtulat, pro exiſtimatione Tuà ponderis, ac muneris libenter ſuſcipio. Igitur in ipſa pueritià, tanta ſtatim emicuit ingenii tui vis, vix ut ullam deſideraveris diſciplinam, & penè puer diſcipulos prius habere cæperis, quam magiſtros. In hac tamen bonitate naturæ, atque ingenii abundantià, tantà ſemper uſus es animi contentione, quantà utendum eſt homini, qui quò minus ingenio poteſt, ſubſidio ſibi comparat diligentiam, ut & eximià præditos naturæ vi, induſtria vinceres, & navos, ac ſtrenuvos quoſque, egregiis naturæ præſidiis ſuperares. Punctum temporis nullum unquam vacuum literarià aliquà exercitatione præterire paſſus es: ad univerſas fermè optimas artes, quæ vel ad animum tuum excolendum, atque ad veritatis, & ſummi boni cognitionem traducendum, vel ad eundem relaxandum, atque hilaritate honeſtiſſimà perfundendum magnum momentum haberent ſtudia Tua omnia contuliſti, ut nihil jam ſit in re literarià poſitum, quod Tuam aliquà ex parte ſcientiam fugere poſſit. Et quoniam inter alias habet ars poetica dignitatem, quandoquidem in eà latent arcana philoſophiæ, quæ prophanis oculis non patent; habet eadem ſuavitatem, quia vocibus aptè conſtructa oratio, miram infundit auribus animiſque jucunditatem eam amas, eam ornas, & quamvis ſummis magnarum rerum occupationibus diſtrictus ſcribis ſæpe verſus Calliope dictante, & à graviſ-

ſimis

ſimis curis, tanquam in amœniſſimos muſarum hortos animi cauſa divertis. Sed neſcio, quo pacto Te magis Oratoria delectat, quo in genere (cum ita ingenio abundes, ut ad quamcumq; artem libero homine dignam adjeceris animum excellas) id aſſecutus es, ut fermè ſuperiorem neminem, immò vix parem habeas. Quæ Orationis tuæ dignitas? quæ vis? quæ ſuavitas? Porro cum primum vocem Tuam Ethruſca audivit Eloquentia, propè in ſpem venit Principem ſuum revixiſſe, adeo in ore tuo ſpirare videbatur. Cum ſextum adhuc ageres ætatis tuæ luſtrum ter jam D. Philippi Nerii virtutes diſertiſſimè exornaveras. In hac florentiſsimà urbe, in frequentiſsimo ſapientiſſimorum hominum Conuentu Deiparæ Sponſum Joſephum, ita laudaviſti, ut ipſe interim in medià omnium laudatione verſareris. Cum vero ad dicendum facultatis tantum in Te fuit, quantum viro eruditiſsimo, ex diuturno uſu propè quotidiana exercitatio potuit afferre; referant Novocomenſes, quod nemini eſt obſcurum, nec meum ulla ex parte teſtimonium requirit, referant inquam quantam apud illos eloquentiæ laudem, & gratiam comparaveris; quid dicendo ab ipſis ſis conſecutus. Ubi Quadrageſimæ temporæ Divinum humani generis Reparatorem, laboribus vigiliis, atque inopià rerum omnium confectum, ac perditum; ubi ſcelerum noſtrorum pœnas corpore ſuo ſuſtinentem, eloquentiæ Tuæ coloribus graphicè depinxiſti, quos animorum motus excitaviſti? quam gratum Chri-

ſti

ſti cruciatibus ſolatium auditorum tuorum lacrymis peperiſti? Neminem unum, ex universà concione, licet durum, ac planè ferreum hominem non emolliit orationis Tuæ vis; licet flagitiorum omnium maculis notatiſſimum ab ſcelere aliquam ad pietatis partem non revocavit. Verſabatur ante illorum oculos indignitas ſupplicii: acerbiſſimus innocentis agni cruciatus, & mœror univerſos pari doloris ſenſu afficiebat. Quid cum octo dierum ſpatio nimis multa hominum vitia, ſuaviſſimà acerrimàq; cenſurà perſtringeres? Quam amplum laboris tui fructum tuliſti. Vixdum civibus tuis palam feciſti, Chriſtianos homines, non modo communi voluntate virtutis, atque officii, ſed etiam quadam magis neceſſaria ratione, rectè, honeſtèque vivere oportere, ſubitò converſa ratio eſt, unuſquiſque præcidit libertatem licentiamq; vivendi, quin immo ſibi ipſi quandam innocentiæ continentiæ, virtutumque omnium legem indixit. At unde nam tibi tanta dicendi vis, ut quamcumque in partem volentes plerumque auditores ducas, invitos ſæpe trahas? Ex ſingulari ſcilicet morum integritate, ac ſanctimonia tanquam ex fonte manat tua illa victrix, ac triumphatrix eloquentia, & bene dicis, quod optimè vivis. Cum primum ſacris initiatus es, & illud vitæ genus es complexus, quod eſt totum in laudabili ratione, totum in præclaris cogitationibus, & factis conſtitutum, eodem die pietas Te Tua ſuis præceptis erudiit, atq; informavit, nihil ut ageres, quod ab ho-

neſto

neſto diffideret, nihil ut in omni vità, pręter decus, & antiqua majorum tuorum inſtituta cogitares, itaque tam bonus Orator es, quam bonus vir; ingenium enim probitas commendat, nec magis movet eorum, quæ dicis veritas, quam propoſitum dicentis exemplum. Tamdiù Te Oratorem mirata Patria Tua, jam Juriſconſultum admirabitur. Cum enim aliquandiu Novocomi fuiſſes, magnique Tui in omni literarum humaniorum genere progreſſus, omnium famà, atque oratione celebrarentur, ad ſcientiarum domicilium, & quoddam veluti Orbis terræ Muſæum Ticinum profectus es, ubi cum itidem explicares divitias ingenii tui (ecquò enim in loco pedem poſuiſti, ubi non plura doctrinæ, quam adventus tui veſtigia reliqueris) facilè ad Te omnium ſtudia convertiſti. Inibi poſt ſtrenuiſſimas concertationes, poſt innumerabiles relatas victorias, tibi nobili, ac veteri athletæ ſuo lauream detulit Juriſprudentia, inde reverſus in patriam, juris ſcientiam multos annos publicè docuiſti, quam ſcitè, quam doctè? Quanta hominum frequentià gymnaſium illud celebrabatur, loca omnia certatim occupabantur, aditus complebantur omnes, penè præ maxima audientium multitudine, ubi pedem doctor ipſe poneres non relinquebatur. Qua igitur voluntatis ſignificatione literatiſsimus ipſe, opus hoc multarum vigiliarum ab literato viro conſcriptum excipies? benigne abs Te habitum iri volumen hoc ſpem facit ingens voluminum copia, quibus domeſticam Biblio-

thecam

thecam Tuam quotidiè auges, atque illuſtras, locus erit exercitationibus hiſce penes virum in omnibus ſcientiis exercitatiſſimum: Te, quem Chriſtianę veritatis ſtudium tenet liber hic qui Judæorum tenebris lucem affert, mira quadam voluptate perfundet: Tibi, qui Deiparæ Sponſum laudibus exornaviſti, utriuſque laudes volumen hoc exhibet: licet jam in hiſce paginis Deum intueri demittentem ſemet ex Auguſtiſsimo illo Majeſtatis ſuæ faſtigio, ſe ſeque accommodantem ad humanæ conditionis humilitatem; infinitis ſe laboribus, ærumnis, cruciatibus, morti teterrimæ, atque acerbiſsimæ offerentem deflere: denique iiſdem omnibus defunctum, domitiſque inferis, inter angelorum, hominumque acclamationes glorioſè triumphantem, valviſque ſuo ſanguine recluſis iter nobis omnibus ad Cœlum aperientem adorare. Quamobrem literatura Tua à pietate profecta, egregia voluntas propenſo in literas ſtudio confirmata, nota mihi cum ſit, atque comperta, munuſculum hoc à me habe; quamquam quod Tibi magnificentius offerre munus poſsim, quam Sacroſanctum Incarnationis myſterium ab Judæorum injuriis acerrimè vindicatum? quid mihi optatius, atque præſtantius poteſt contingere, quam ut idem Tibi ſit, & Divinæ in nos charitatis, & obſervantiæ erga Te meæ teſtimonium? Vale.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs.

Humilimus, & Addictiſs. Servus
Dominicus Bellagatta.

NOI RIFORMATORI
Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed approvazione del P. Frà Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Exercitationes hiſtoricæ, criticæ, polemicæ, de Chriſto, ejuſque Virgine Matre &c.* Compoſto dal P. M. Giacomo Giacinto Serry pubblico Profeſſore, non eſſer coſa alcuna, contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per atteſtato del Segretario noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo licenza a Giovanni Malachini Stampatore in Venezia, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe; e preſentando le ſolite copie alle pubbliche librerie di Venezia, e di Padova. Dat. li 28. Gennaro 1718. *More Veneto.*

(Alviſe Piſani Caval. Proc. Riſor.
(Gio: Pietro Paſqualigo Riſor.
(Michel Moroſini Riſor. *Agoſtino Gadaldini Segr.*

FACULTAS
Rev.[mi] Patris Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

Nos Fr. Antoninus Cloche, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, & ſervus.

CUm, uti Nobis exponitur, Adm. Rev. Pater Magiſter *F. Jacobus Hyacinthus Serry* Doctor Pariſien ſis, & in Univerſitate Patavina publicus Profeſſor Sacræ Theologiæ, Opus compoſuerit, cui titulus: *Exercitationes hiſtoricæ, criticæ, polemicæ, de Chriſto, ejuſque Virgine Matre &c.* illudque prelo ſubiicere deſideret: Nos, harum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliis de jure ſervandis, paternè indulgemus: dummodò ab Adm. RR. PP. Magiſtris, Fr. *Antonio Boninchi*, & Fr. *Dominico Donato Savoldelli*, Provinciæ noſtræ S. Dominici Venetiarum, luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. In quorum Fidem &c. Datum Romæ, in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, Die 24. Septembris 1718.

F. Antoninus Cloche
Magiſter Ordinis.

Locus ✠ Sigilli. Reg. Fol. 24.

F. Thomas Ripoll. Magiſter,
Provincialis Terræ S. & Socius.

* * AP-

APPROBATIO

Theologorum Ordinis Prædicatorum.

REverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis juſſis obſecuti legimus, qua debuimus ac potuimus diligentia, *Exercitationes hiſtoricas, criticas, polemicas, de Chriſto, ejuſque Virgine Matre*, habitas in Academia Patavina, a R. P. M. Jacobo Hyacintho Serry, primario ibidem Sacræ Theologiæ Profeſſore. Nihilque in iis deprehendimus, quod aut ſacris Fidei Canonibus, aut purioribus morum regulis adverſetur. Imo multa ubique paſſim obſervavimus, ad frangendam Judæorum perfidiam apprimè valitura: plurima verò ad planam, rectamque Myſteriorum omnium, quibus humanæ ſalutis opus Chriſtus abſolvit, notitiam ſtudioſis lectoribus tradendam, opportuna. Quare opus abſolutiſſimum, preloque digniſſimum judicamus: totique Eccleſiæ ſpondemus non mediocriter profuturum.

Datum Venetiis, in Conventu noſtro SS. Joannis & Pauli, die 25. Aprilis 1719.

F. Antonius Boninchi Magiſter.

F. Joannes Dominicus Donatus Savoldelli Magiſter.

Pridie nonas Julias MDCCXIX.

REIMPRIMATUR.

F. Joſeph Maria Fælix Ferrarini Ordin. Prædicat. Sac. Theologiæ Magiſter, ac Commiſs. S. Officii Mediolani.

Carolus Franciſcus Curionus pro Eminentiſs., & Reverendiſs. D.D. Card. Archiep.

Ceſatus pro Excellentiſs. Senatu.

IN-

INDEX
EXERCITATIONUM
DE CHRISTO,
EJUSQUE VIRGINE MATRE,

EXERCITATIO I.

De improba Judæorum cæcitate, in definiendis Chriſti promiſſi notis, ad quarum normam illius veritas exigatur. pag. 1.

EXERCITATIO II.

De prima prænunciati Chriſti nota; Gentilium ſcilicet vocatione, & abolitione Idololatriæ. pag. 9.

EXERCITATIO III.

De altera prænunciati Chriſti nota; ſublato ſcilicet levitico Sacerdotio, novoque inducto. pag. 16.

EXERCITATIO IV.

De tertia prænunciati Chriſti nota; ſublata nimirum Lege Moſaica, novaque ſancita. pag. 23.

EXERCITATIO V.

De quarta prænunciati Chriſti nota; Templo ſcilicet, ac Jeroſolyma nunquam inſtaurandis, deque Judaico populo minimè colligendo. pag. 31.

EXERCITATIO VI.

De quinta prænunciati Chriſti nota: nempe fore illum Virum humilem atque pacificum, non manu fortem, ac bellatorem. pag. 39.

EXERCITATIO VII.

De ſexta prænunciati Chriſti nota: moriturum ſcilicet illum morte

Digitized by Google

turpiſſima, ſuoque ſanguine humanum genus expiaturum. pag. 45.

EXERCITATIO VIII.

De ſeptima prænunciati Chriſti nota: non purum hominem futurum, ſed hominem Deum, cum hominibus converſantem. pag. 52.

EXERCITATIO IX.

Judæorum promiſſi Chriſti Divinitatem negantium momenta refelluntur. pag. 59.

EXERCITATIO X.

De poſtrema promiſſi Meſſiæ nota; ſeu de partu Virgineo, quo in lucem edendus erat. pag. 67.

EXERCITATIO XI.

De Chriſto, ſtante ſecundo Templo, mortalibus orituro. pag. 74.

EXERCITATIO XII.

De Chriſto intra ſeptuaginta hebdomades, ac florente adhuc Romanorum Imperio, in lucem proditurо. pag. 81.

EXERCITATIO XIII.

De Chriſto, ablato Judæ ſceptro, Judæis ac Gentibus orituro. pag. 89.

EXERCITATIO XIV.

Continuatio ejuſdem argumenti: de Judææ Regno, circa Chriſti D. ortum everſo, ac prorsùs extincto. pag. 95.

EXERCITATIO XV.

Præcluduntur Judæorum effugia, de virga tribulationis, deque promiſſis conditionatis. pag. 101,

EXERCITATIO XVI.

De Judæ ſceptro: privatæ-ne Tribus fuerit, an totius Judaicæ gentis? pag. 109.

EXERCITATIO XVII.

Quo diſtinctè tempore, Judæ ſceptrum exciderit; impletumque fuerit Jacobi morientis oraculum. pag. 117.

EXER-

EXERCITATIO XVIII.

De Virginis ortu, deque prima illius educatione, & oblatione in Templo facta. pag. 125.

EXERCITATIO XIX.

Proſecutio ejuſdem Argumenti: de Virginis oblatione in Templo facta. pag. 132.

EXERCITATIO XX.

De voto Virginitatis. Quandonam primum à Deipara ſit emiſſum? pag. 137.

EXERCITATIO XXI.

De natura & conditione Voti Virginitatis, à Deipara emiſſi. pag. 143.

EXERCITATIO XXII.

De Matrimonio Deiparæ cum Joſepho. Sit-ne re ipſa inter illos initum? pag. 149.

EXERCITATIO XXIII.

De concordia Matrimonii cum Voto Virginitatis in anteceſſum emiſſo. pag. 155.

EXERCITATIO XXIV.

Quandonam Mariam Inter, & Joſephum verum Matrimonium ſit initum? pag. 160.

EXERCITATIO XXV.

Quoto quiſque anno vitæ Matrimonium inierint? Quove titulo Joſeph Chriſti Domini pater ſit? pag. 165.

EXERCITATIO XXVI.

De Chriſti conceptu Virgini nunciato. pag. 171.

EXERCITATIO XXVII.

De Chriſti conceptu peracto in utero Virginis. pag. 179.

EXERCITATIO XXVIII.

De Virginis peregrinatione in montanam Judææ regionem ſuſcepta; ejuſque ad cognatam Elizabetham officio aditu. pag. 187

EXER-

INDEX

EXERCITATIO XXIX.

De Chiſto nato. pag. 198.

EXERCITATIO XXX.

De loco Chriſti naſcentis. pag. 205.

EXERCITATIO XXXI

De tempore Chriſti naſcentis; deque Paſtoribus ejuſdem adoratoribus. pag. 213.

EXERCITATIO XXXII.

De fictis prodigiis, quæ Chriſto naſcente patrata dicuntur: ac maximè de ſilentio priſcis Gentilium oraculis indicto. pag. 219.

EXERCITATIO XXXIII.

De Chriſto circumciſo. pag. 227.

EXERCITATIO XXXIV.

De Magis Chriſti naſcentis adoratoribus. pag. 233.

EXERCITATIO XXXV.

De tempore adventus Magorum. pag. 239.

EXERCITATIO XXXVI.

De Virgine poſt dies quadraginta, in Templo purificata; deque Chriſto Domino ibidem oblato. pag. 245.

EXERCITATIO XXXVII.

Superioris argumenti proſecutio: ubi etiam de Simeone Chriſtum in ulnas ſuas excipiente. pag. 251.

EXERCITATIO XXXVIII.

De fuga in Ægyptum. pag. 258.

EXERCITATIO XXXIX.

De puerorum cæde ab Herode imperata. pag. 265.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXX.

An, Chriſto in lucem edito, Joſeph ex matrimonio cum Deipara inito, aliquos ſuſceperit filios, qui idcircò fratres Domini dicti ſint? pag. 270

EXERCITATIO XXXXI.

De ſtirpe Chriſti Domini: ſit ne Chriſtus ortus è Tribu Juda, per Davidem, an autem ex Tribu Levi? pag. 276.

EXERCITATIO XXXXII.

De gemina Chriſti genealogia, à Matthæo, & Luca deſcripta: quo pacto ſecum invicem concilientur. pag. 282.

EXERCITATIO XXXXIII.

Quo pacto ambæ Chriſti genealogiæ, cum Hiſtoria veteris Teſtamenti concilientur. pag. 288.

EXERCITATIO XXXXIV.

De infantia, & adoleſcentia Salvatoris. pag. 294.

EXERCITATIO XXXXV.

De Chriſti Baptiſmate. pag. 300

EXERCITATIO XXXXVI.

De Fama ingentium Chriſti virtutum, ac prodigiorum in Syriam propagata; deque mutuis Abgari Edeſſę Regis ad Chriſtum Epiſtolis, Chriſtique ad Abgarum datis. pag. 308.

EXERCITATIO XXXXVII.

De humana oris, corporiſque forma Chriſti Domini, ejuſque Virginis Matris. pag. 316.

EXERCITATIO XXXXVIII.

De Chriſti Domini Transfiguratione. pag. 327

EXERCITATIO XXXXIX.

De Chriſto triumphatore Jeroſolymam ingreſſo. pag. 333.

INDEX EXERCITATIONUM.

EXERCITATIO L.

De ultimæ Cœnæ celebratione. pag. 341.

EXERCITATIO LI.

De eadem ultimæ Cœnæ celebratione. pag. 351.

EXERCITATIO LII.

De Chriſti Paſſione: ac primùm de Judæ traditione, de pœna Verberum, de Coronæ ſpineæ impoſitione. pag. 360.

EXERCITATIO LIII.

De mortis ſententia in Chriſtum lata; de Crucis geſtatione, deque illius forma, & altitudine, necnon de Veronica vulgò dicta. pag. 367.

EXERCITATIO LIV.

De ligno Crucis, & Chriſti in ea ſuffixione, cæteriſque nonullis Crucifixionis adjunctis. pag. 375.

EXERCITATIO LV.

De latronibus unà cum Chriſto Cruci affixis. pag. 383.

EXERCITATIO LVI.

De tempore, & loco crucifixionis: nec non de lictoribus, atque tortoribus. pag. 387.

EXERCITATIO LVII.

De prodigiis, Chriſto de Cruce pendente, patratis. pag. 393.

EXERCITATIO LVIII.

De Chriſti ſepultura, ejuſque deſcenſus ad inferos. pag. 403.

EXERCITATIO LIX.

De Chriſti Domini Reſurrectione. pag. 411.

EXERCITATIO LX.

Ejuſdem argumenti proſecutio. De variis Chriſti Reſurrectionis adjunctis. pag. 419.

EXERCITATIO LXI.

De Chriſti in Cœlos aſcenſu. pag. 427.

EXERCITATIO LXII.

De Miſſione Spiritus Sancti in Diſcipulos. pag. 434.

EXERCITATIO LXIII.

De effectibus à Spiritu Sancto productis; maximè de dono linguarum. pag. 441.

EXERCITATIO LXIV.

De Chriſti Virtutum & prodigiorum narratione, à Pilato ad Tiberium Cæſarem miſſa; deque ejuſdem Apotheoſi, apud Senatum Romanum tentata. pag. 447.

EXERCITATIO LXV.

De morte Deiparæ Virginis. pag. 455.

EXERCITATIO LXVI.

De corporea Deiparæ Virginis in Cœlos Aſſumptione. pag. 463.

EXER-

EXERCITATIONES
DE CHRISTO,
EJUSQUE VIRGINE MATRE.

PROLOGUS.

ALter ſupra viceſimum annus oritur, ex quo me ſacris litteris operantem, ſtudioſæ Juventutis inſtitutioni, Veneta Majeſtas admovit. Per id ego tempus Theologicam Diſciplinam univerſam, quintùm diverſis Auditoribus tradidi; ut penè tædeat pigeatque, eamdem quarto quoque anno telam retexere, novoque opere redordiri. Quare de Deo homine facto ſextùm etiam dicere juſſus; ne idem etiam diversè ingererem, relictis, ut vocant, Scholæ quæſtionibus, diu aliàs ac fusè admodùm pertractatis, ad quæſtiones hiſtoricas, criticas, polemicas diverti, iiſque agitandis, anno integro litterario me totum dedi. Placuit inuſitatum Italiæ Scholis Theologicæ diſputationis argumentum; non diſcipulis modò, ſed & ſummis ac etiam Principibus viris, qui pro ſua humanitate, bonoque in litteras noſtras genio, Auditorium frequentabant. (Rarus alibi bonarum artium Profeſſoribus datus honos, Patavii frequentiſſimus.) Id mihi incitamentum fuit, quo integrum opus, etſi jam tunc non ingratum, ſecundis curis recognoſcerem, perpolirem, multaque rerum acceſſione illuſtrarem: ut mandatum typis, ſecuriùs ac tutiùs publicam lucem ferre poſſet, quod viva voce ex Cathedra recitatum, tantorum Virorum judicium ſubiiſſet. Periculoſioris enim eſt aleæ, oculorum cenſuram ſubire, quam aurium: cùm, quæ tranſvolare audientem poſſunt ea ex intervallo revocare legenti liceat. In eo duplex mihi conſilium ſtetit: primum quidem, Judęorum errores, falſaque de promiſſo

Digitized by Google

ſibi Chriſto præjudicia refellere: Alterum, illudque præcipuum, certam Myſteriorum omnium, quibus humanæ ſalutis opus Chriſtus abſolvit, notitiam tradere: refutatis ubique paſſim commentis, næniis, & fabellis, nimia quorumdam, ſive licentia, ſive ſuperſtitione inductis, ac publicatis. Si enim, ut ajebat Tullius, *Nihil debet eſſe in Philoſophia commentitiis fabellis loci*; quis tantùm hodie in quorumdam Theologia dari non lugeat: ut paris fermè ſit operæ, Sacrorum Myſteriorum dignitatem, majeſtatemque adversùs inconſultam quorumdam pietatem ſuſtinere; ac veritatem ipſam, fidemque adversùs impiorum blaſphemias tueri, atque defendere. Grande illud malum pietati, ac religioni exitiale obſervavit ſummus ævi ſui cenſor, àc ſcriptor Melchior Canus, idemque depelli vehementer optavit, lib. 11. de Locis Theologicis cap. 6. *Nec Sanctæ Virgini*, inquit, *nec Chriſto Domino, hominum impudentia pepercit, quin quod in aliis Divis factitavit, idem quoque in Chriſti, & Matris ejus hiſtoria ſcribenda faceret; & pro humani ingenii levitate, multa vana & ridicula comminiſceretur*. At qui tanto mederetur malo, virum voluit probum, integrum, incorruptum; ut ne quid falſi auderet dicere, nè quid veri non auderet, ne qua ſuſpicio gratiæ in dicendo foret, ne qua ſimultatis. Num is ego ſim, recteque mihi præſens ceſſerit alea publicum judicium erit: cui ſi conatus iſte meus non ingratus acciderit, alia quæ teneo prælo matura, ad cæteras Theologiæ partes ſpectantia impoſterum dabo.

EXER-

EXERCITATIONUM DE CHRISTO, EJUSQUE VIRGINE MATRE,

PARS PRIMA.

In qua Judæorum errores, falſaque de promiſſo ſibi Chriſto præjudicia refelluntur.

EXERCITATIO PRIMA.

De improba Judæorum cæcitate, in definiendis Chriſti promiſſi notis, ad quarum normam illius veritas exigatur.

1. SÆpè mecum tacitus cogitavi, quid demum cauſæ ſit, quod, cùm tam multæ in dies prodeant, de ſalutari Chriſti adventu, eruditæ lucubrationes, & vulgatæ typis, & è ſacro ſuggeſtu pronunciatæ; tam pauci tamen Judæorum ad Chriſtianam fidem traducantur: ut jam ceſſerit in proverbium, facilius eſſe Æthiopem dealbare, quàm Hebræum ab errore divellere. Donec id venit in mentem, ortum id maximè ex anticipatis, vetuſtiſque opinionibus, quas de promiſſi ſibi Chriſti dotibus, & officiis animo imbiberunt; in quibus evellendis, refellendiſque, prima Virorum eruditorum deſudare debet induſtria: quod ni fiat, omnis in cæteris quibuſque probandis, demonſtrandiſque, perit labor, luditur opera.

Ecquid enim, ſi percontemur ab eis, qualem ſacris in Litteris prænunciatum ſibi Chriſtum exiſtiment, qualem etiamnum hodiè præſtolentur? Sine cunctatione reponunt, quod à majoribus acceperunt: Virum bellatorem ac manu fortem, Gentium domitorem, qui obliteratam Moſaicam legem reſtituat, Leviticum Sacerdotium inſtauret, Salomo-

 nis

nis Templum, ac Jeroſolymam à fundamentis erigat; ac demum Judaicum genus toto orbe diſperſum, ac profugum, relictis, ſpretiſque Gentilibus, in unum cogat, fortunet, ac beet. Ea ſibi promiſſi Chriſti criteria fingunt cœci homines, his ſpebus crudas mentes alunt, atque interim hianti ore candidiores ſoles expectant. Falſa autem ea cùm ſint, falſa quoque illorum de Chriſti adventu judicia derivari neceſſe eſt. Hinc ingens illa frangendæ Judaicæ perfidiæ difficultas, & auferendi velaminis labor propemodum infinitus. Cùm enim ſiniſtram illam, de Meſſiæ dotibus, & officiis opinionem ebiberint, illùc perpetuò vota vertunt: ac licèt Eccleſiaſtici Tractatores magno argumentorum apparatu perſpicuum faciant, præfinita optati adventus tempora ſucceſſiſſe jampridem, fluxiſſe Danielis hebdomades, ablatum Judææ ſceptrum: illi ex adverſo omnes ingenii nervos intendant; ut eliquatiſſimis Oraculis nebulas offundant; quòd needum talem Meſſiam viderint, qualem ſibi ſtultè, inaniterque finxerunt.

Idem ſcilicet illis uſu venit, quod olim Theophraſto Philoſopho, in ruſticano ſeceſſu degenti contigiſſe legimus: quem cùm Alexander Macedo, de ſuo in ejus caſam adventu, ſubmiſſis nunciis monuiſſet; numquam tamen adduci potuit, ut ſtata die, ac dicta hora advenientem agnoſceret, coleretque pro dignitate; quòd alium ſibi finxiſſet Macedonem, proceritate ſcilicet corporis magnum arbitratus, qui contrà, ſtatura humili, ſola rerum geſtarum gloria, ubique magnus celebrabatur.

II. Quid plura? Non pauca Scripturarum vaticinia, quæ myſticum in ſenſum ſumenda veniunt, mortiferam ſecuti litteram præpoſterè accipiunt, ut needum Prophetias omnes impletas obtendant. Hinc cùm de beatis Chriſti temporibus, ab Iſaia ſcriptum legerint, Cap. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; puer parvulus minabit eos; Leo quaſi bos comedet paleas*: (quo ſymbolo diſſonas gentes, moribus ac patriis legibus diverſas, ſub unius Chriſti domum imperium cogendas vaticinatus eſt ſacer Vates:) ii continuò, quaſi ridente Minerva, hujuſce Oraculi corticem in Chriſtianorum faciem illidunt, ut Jeſu Nazareno Chriſti dignitatem eripiant, quòd illo in terris agente, nec lupus habitarit cum agno, nec pardus cum hædo accubuerit; nec ulla demùm aureæ hujus ætatis ab Iſaia deſcriptæ veſtigia, in hanc uſque diem mortalibus apparuerint. O cœcas mentes! Quidni ergo, ſi ſuperis placet, complanatum iri terræ ſola adventante Meſſia fabulantur, ut & nunc montes ipſi ſubſidant, ſurgantque valles? Nam & hoc ipſum, ſi litteræ corticem æmulemur, vaticinatus eſt Iſaias Cap. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur; omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Quidni quoque plaudentia manibus flumina, montes feſto ſaltatu choreas agentes, adoriente Meſſia, comminiſcuntur? Namque & hoc alterum, ſi nudis verbis hæreamus, futurum ominatus eſt Regius Vates, Pſalmo 97. v. 8. *flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt á conſpectu Domini*. Quæ ſanè, præterquàm ſunt abſurdiſſima, repugnant etiam inter ſeſe: cùm & montes exultare à conſpectu Domini, quod ait Regius Vates, impoſſibile ſit; ſi nulli

tunc,

-li tunc, ut loquitur Iſaias, futuri ſunt montes, ſed ſolo æquandi.

III. Quid ergo nobis facto eſt opus, ſi quo felici exitu Judaicam perfidiam frangere volumus; & oppanſum cœcis mentibus velum educere: Evellenda illis ex animo funeſta illa, infauſtaque præjudicia: figenda promiſſi Meſſiæ criteria: definiendæ notæ, ad quarum normam certam veri Meſſiæ agnitionem exigamus: revelandus Propheticorum oraculorum ſenſus, ne omni interpretationum vento circumferantur. Ita fiet, ut longè alium Liberatorem Mundo promiſſum Judæi videant, quàm ſibi ex præconceptis opinionibus finxerint; & in unum, quem nolunt, Jeſum Nazarenum vaticinia collineare fateantur. Quocirca octo iſta doctrinæ capita totidem Exercitationibus oſtendere, firmiſque momentis evincere aggredimur, antequam expleta ſalutaris adventus tempora demonſtremus.

Primum: Chriſtum ſacris Prophetarum oraculis prænunciatum, non Judæos modò, quæ cœca illorum gloriatio eſt, verùm etiam Gentiles, atque illos maximè vocaturum fuiſſe, & Idololatriam toto orbe deleturum.

Secundum: Chriſtum divinis promiſſum Oraculis, novum Sacerdotii genus inſtituturum fuiſſe, Levitico conſummato, atque ſublato. Qua parte deluſos maximè Judæos nemo neſcit.

Tertium: Chriſtum à Moyſe Synagogæ prædictum, Legem novam conſummata veteri; fœdus novum impleto veteri ſanciturum: Ritusque Moſaicos, inductis aliis, ablegaturum. Quo capite Judæorum animi potiſſimùm obduruerunt, Moſaicæ Legis perennitatem arbitrati.

Quartum: Chriſtum veteris Teſtamenti figuris ac typis adumbratum à Deo, non Salomonicum Templum, ut putant, non Jeroſolymam inſtauraturum; ut illic veteri ritu Judæi ſacrificia offerant, & in terra patrum ſuorum ſecundùm carnem feliciter, beatèque vivant: ſed Templum Spiritale toto orbe diffuſum, Eccleſiam dico, ubi ſpiritu, & veritate colitur Deus.

Quintum: Chriſtum fatidicis Codicibus expreſſum, non Virum bellatorem, copiarumque ductorem futurum, ut ajunt, qui miſeram gentem armata manu, ac ſtricto gladio vindicet: ſed Virum humilem, atque pacificum; ſacra dumtaxat, in vitia, non in homines, bella geſturum; nec niſi arma myſtica tractaturum.

Sextum: Chriſti ſacris Vaticiniis prænunciatum, hominem non prorsùs immortalem fore, quod ajunt; ſed morti, & quidem turpiſſimæ à perfidis addicendum: ut hominum noxas expiaret ſanguine ſuo.

Septimum: Chriſtum Vatum penicillo delineatum, ac tanquàm ad vivum expreſſum, non purum, ac merum hominem fore; ſed hominem Deum, cum hominibus converſantem.

Octavum: Chriſtum Deum, & hominem à ſacris Vatibus dictum, non communi fatu, cæterorum hominum forte proditurum in lucem; ſed partu Virgineo, qui Deum factum hominem deceat.

In quibus omnibus probandis, demonſtrandiſque, ne qua fortè nubecula Judæorum mentibus hæreat; neve ſecum pugnare ſacri Codices videan-

Digitized by Google

videantur; illud ſimul aperiemus: quo pacto, quave ratione Chriſtus mortalibus oriturus, alio & alio ſenſu pacificus, & bellator à Divinis Vatibus dictus ſit, ſervus & Dominus, rejectus & approbatus, contemptus & honore habitus, ignotus & cognitus, pauper ac dives, æternus & morte damnandus.

IV. Hæc ubi ſemel in aperto fuerint, ſemotis jam præjudiciis, reductoque velo, promiſſum ſibi Chriſtum, velut ex facie Judæi noſcent. Atque dum illis ſubinde, impleta ſalutaris adventus tempora, revolutas annorum periodos, expletas Danielis hebdomadas, ablatum Judææ ſceptrum, ereptam Prophetiam, Templum everſum, Sacerdotium antiquatum demonſtrabimus; quæ omnia naſcituri Chriſti epocham figunt, totque prænunciatas à ſacris Vatibus notas, in uno Jeſu noſtro conſentientes referemus; Chriſtum ex facie jam notus, Judæi, ſi rectè ſapiunt, amplectentur: ſin minùs, quid niſi cœcam obſtinationem incuſabimus? Hoc igitur nobis conſilium: hæc inſtitutæ de Chriſti adventu diſputationis, quæ primum hìc locum obtinet, idea atque conceptus.

V. Id unum in votis eſt, ut qui è Judæorum grege bonarum artium ſtudiis delectantur, quales in Italia plurimos novi, hujuſce argumenti tractatione nequaquam abſterreantur, ſed invitentur multò magis. Ego quidem pro ea, quæ Chriſtianis ineſſe debet, humanitate, tela ipſa, quæ feram, melle ſubliniam, pietate non minùs, quam doctrina pugnabo: ut vel ex ipſa tuendæ Chriſtianæ cauſæ ratione, Judæi facilè colligant, penes illos veram ſtare religionem, qui ita modeſtè norunt de religione diſputare.

Nos verò quotquot Chriſtiana perfeſſione ac nomine ſumus; *genus electum, gens ſancta, filii promiſſionis*, hanc ipſam Judæorum in Chriſto negando pertinaciam, ac cœcitatem lucro vertamus. Hæc nobis, hæc primariæ demonſtrationis loco ſit, qua Chriſti jamdudum nobis oborti veritatem aſtruamus, cæteris omnibus demonſtrationibus anteponenda. Et verò, (ut hoc ſaltem velitari argumento in præſentia proludam) cùm hanc ipſam Judæorum obſtinationem, & cœcam in Chriſto negando pertinaciam præcinuerint ſacri Vates; tum maximè Jeſum à Nazareth Chriſtum verum eſſe Judæi probant, dum pertinaciter negant; ipſaſque Prophetias implent, dum impletas inficiantur.

VI. Quid enim ſacris in Litteris luculentiùs expreſſum, quàm futura Judæorum in Chriſtum perfidia, obſtinatio, pertinacia, ob quam à Deo rejici, ac reprobari meruerunt? Iſaiæ Cap. 1. v. 2. *filios enutrivi, & exaltavi, ipſi verò ſpreverunt me: cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis; dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum* [Iſ]*rael, abalienati ſunt retrorſum.* Oſee Cap. 9. v. 17. *Abjiciet eos Deus meus, q*[ui]*a non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Jeremiæ Cap. 5. v. 21. *Audi popule ſtulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis.* Et poſt pauca v. 23. *Populo huic factum eſt cor incredulū, & exaſperans; receſſerunt & abierunt.* Tum Cap. 8. v. 5. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti. Attendi & auſcul-*

ſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur ..... Milvus in Cœlo cognovit tempus ſuum; turtur & irundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.

Quid diſertiùs divinis Oraculis prænunciatum, quàm Chriſtum, in ſalutem quidem Iſraelis, mittendum à Deo; eidem tamen, ſua ipſius culpa, in ruinam ceſſurum & ſcandalum? Iſaiæ Cap. 8. v. 14. *Erit vobis in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent: & conterentur, & irretientur, & capientur.*

Quid frequentiùs inculcatum, quam Judæorum in ſacris Litteris intelligendis, exponendiſque improba cœcitas, mentiſque ſtupor & cordis? Iſaiæ Cap. 29. v. 10. *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros; prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras, dicentque, lege iſtum; reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti litteras, diceturque ei, lege; & reſpondebit, neſcio litteras...... Ideo ecce ego addam, dicit Dominus, & admirationem addam populo huic, miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſcientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentū ejus abſcondetur.* Iſaiæ Cap. 6. v. 9. *Vado, & dices populo huic; audite audientes, & nolite intelligere: videte viſionē, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne fortè videat, oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Jeremiæ Cap. 8. v. 9. *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt; Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis.* Ezechielis Cap. 12. v. 2. *Fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt: quia Domus exaſperans eſt.* Et alia id genus pene ſexcenta, quæ commemorare longum eſſet.

Illum ergo, colligo ego, Chriſtum verum eſſe fatendum eſt, quem Judæi pertinaciter diffitentur; cùm & id à ſacris Vatibus fuerit prænunciatum, futurum ut venienti Chriſto pertinacitèr repugnarent. Fatendum: verum illum eſſe liberatorem à Deo miſſum, in quo ſcandalum paſſi ſunt cœci homines; cùm & id prædixerit Iſaias, fore ut in eum, tanquam in offenſionis petram impingerent. Fatendum, præpoſteras eſſe ac ſpurias, quas è ſacris Litteris eruere ſibi videntur, promiſſi Chriſti Domini notas, & characteres; cùm & id Prophetæ veteres præmonuerint, fore ut in Scripturarum intelligentia cœcutirent. Fatendum, uno verbo dixerim, nunc maximè Prophetias impletas eſſe, dum negant; quandoquidem hæc ipſa illorum negatio propheticis Oraculis prænunciata eſt.

VII. Atque hic certè divinorum judiciorum altitudinem demirari licet; dum gentem integram, nuſpiam licèt imperitantem, ubique tamen incolam, Chriſtiano nomini præ cæteris inimicam conſpicimus; ſervandis illis ipſis, quos minus intelligit, veteris Teſtamenti Codicibus excubantem; ſignatoſque ſibi libros: nobis apertos, ac reſeratos, toto

orbe

orbe circumferentem, ut inimicos noſtros, quemadmodum loquitur Auguſtinus, librorum noſtrorum cuſtodes, ac bajulos habeamus, qui & fidei noſtræ, & perfidiæ ſuæ chyrographum geſtent. Ita providente ſupremo Numine, ne ulla de nobis oriri ſuſpicio poſſit, num fortè ſacros illos libros, quibus prænunciatus eſt Chriſtus noſter, ſuppoſuerimus: quod de nobis ſuſpicari Gentiles facilè poſſent, niſi Judæos præ cæteris nobis infenſos, fidejuſſores haberemus. Auguſtini obſervatio eſt, Enarratione 1. in Pſal. 58. *Per omnes gentes*, inquit, *diſperſi ſunt Judæi, teſtes iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ. Ipſi codices habent, in quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum. Et ſi quando fortè aliquis Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit, & admirans putaverit à nobis eſſe conſcriptas: de Codicibus Judæorum probamus, quia hoc totum prædictum eſt. Videte quemadmodum de inimicis noſtris alios confundimus inimicos.* Quod ut feliciùs cederet, Judaicam gentem, Romanorum licèt armis devictam, ſubjugatamque, deleri tamen omnino noluit Deus, ſed ſervari; conſtanſque legis ſuæ ſignum in omne ævum tenaciſſimè cuſtodire; ut objecta ſemper oculis noſtris reprobatæ nationis imagine, ſummam Dei in nos, quos ſibi in gentem elegit, miſericordiam agnoſceremus. Quod piè perinde, ac eruditè proſequitur ſanctiſſimus Doctor, ita Chriſtum Dominum, Romanos Judæorum domitores alloquentem inducens: *Iſtos inimicos meos, ipſoſque, qui me occiderunt, noli occidere. Maneat gens Judæorum. Certè victa eſt à Romanis, certè deleta eſt Civitas eorum; non admittuntur ad Civitatem ſuam Judæi, & tamen Judæi ſunt. Nam omnes iſtæ provinciæ à Romanis ſunt ſubjugatæ; Judæi tamen manent cum ſigno ſuo: nec ſic victi ſunt ut à victoribus abſorberentur. Non ſine cauſa Judæus Cain ille eſt, qui cum fratrem ſuum occidiſſet, poſuit in eo Deus ſignum, ne quis eum occideret. Hoc eſt ſignum, quod habent Judæi: tenent omninò reliquias legis ſuæ, circumciduntur, Sabbatha obſervant, Paſcha immolant,* * *azyma comedunt. Sunt ergo Judæi, non ſunt occiſi, neceſſarii ſunt credentibus gentibus. Quare hoc? Ut demonſtraret nobis Deus in inimicis noſtris miſericordiam ſuam. In ramis ſuperbia præciſis, inſerto miſericordiam ſuam demonſtravit oleaſtro. Ecce ubi jacent, qui ſuperbi erant: ecce ubi inſertus es, qui tunc jacebas. Et tu noli ſuperbire, ne præcidi merearis.*

At ſentio, me plus juſto hærere in limine. Quod igitur hactenùs delineavi; aggrediundum eſt opus: reſque ipſa tota diſtinctè, ac per partes faciunda. Quarè proxima Exercitatione primam notam, ad quam promiſſi Meſſiæ agnitionem exigere Judæi ſolent, diſtinctè refellemus, oppoſitamque ſtatuemus; qua non modò Judæos, verùm etiam exteras Gentes, Meſſiæ miniſterio, vocatum iri demonſtrabimus.

EXER-

* *Stante adhuc Templo Paſcha immolabant; non ſic tamen everſo Templo.*

EXERCITATIO II.

De prima prænunciati Chriſti nota; Gentium, ſcilicet, vocatione, & abolitione Idololatriæ.

I. NOta eſt illa Judæorum, cùm recentium, tùm veterum aberratio, unde prima fluxit cæcitatis ac perfidiæ labes, Aud. Orn., Chriſtum Prophetarum vaticiniis prænunciatum, Judæos dumtaxat, quibus ſingulariter promiſſus eſt, vocaturum, liberaturum, beaturum: reliquas verò gentes, tanquàm electi populi inimicas, deſpecturum, & cæcis Idololatriæ tenebris demerſas, ſacro furore deleturum. Hoc ſibi primum venturi Chriſti criterium fabricati ſunt miſeri homines, hanc primam promiſſi liberatoris notam poſuere, ad cujus normam ejuſdem agnitionem pertinaciter exigunt. Eoque jacto fundamento, Jeſum noſtrum, eo maximè titulo, Chriſtum eſſe diffitentur; nec niſi impoſtorem, ac ſeductorem fuiſſe putant, quòd Gentiles, non ſecùs ac Judęos, vocandos ſibi ſumpſerit; Eccleſiamque promiſcua Judæorum, atque Gentilium ſocietate conflatam inſtituerit.

Hoc primum Judaicæ perfidiæ caput oppugnandum aggredimur, eoque maximè titulo Jeſum noſtrum verum eſſe Meſſiam, ſeu Chriſtum oſtendimus, unde illi pertinaciter negant. Quo circa adverſis omninò veſtigiis inceſſuri duo hæc, præſenti exercitatione demonſtranda ſumimus: primum, Chriſtum ſacris oraculis prænunciatum, non Judæos tantùm, verùm etiam Gentiles, atque illos maximè fuiſſe advocaturum: Alterum, quod præcedentis conſectarium erit, Jeſum Mariæ filium primas illas veri Meſſiæ partes fœlicitèr impleviſſe, nec alium idcircò expectari meritò poſſe.

II. Et certè, quod ad primum caput attinet, tam crebris, tamque dilucidis ſacrarum ſcripturarum oraculis, gentium vocatio prænunciata eſt, tanquàm primarius venturi Chriſti character, notaque potiſſima, ut mirari omninò ſubeat, Judæos eo in capitę cæcutiiſſe. Enim verò promiſſi Meſſiæ imperium, non uno privato Judææ tractu concludunt ſacri Vates, non uno Cananææ ſinu definiunt; ſed toto, qua latè patet, orbe diffundendum conteſtantur: eumque non modò Jeroſolymis, totaque Judæa, verùm etiam in Gentilibus regnaturum diſertiſſimè profitentur. Id porrò qua ratione verum eſſet, ſi ſoli Judæi, ſpretis, contemptis, ac reprobatis Gentibus, Chriſti fidem, & clientelam vocandi erant? Scripturarum elenchum, & indicem texendum aggrediar, ſi cuncta ad id evincendum opportuna Oracula referre velim: pauca ſeligam, unde cætera noſſe liceat.

Geneſis Cap. 12. v. 3. ubi Chriſtus ex ſemine Abrahæ naſciturus prænunciatur: *In te*, inquit Deus, *benedicentur univerſæ cognationes terræ*. Tum ſubinde Cap. 22. v. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Ac de-

mum Cap. 49. v. 10. ubi mittendus Meſſias promittitur de Tribu Juda, *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſa erit expectatio gentium.* Ut hinc videamus, prima Dei oracula, quibus prænunciatus eſt Chriſtus, non Judæorum dumtaxat, ſed univerſarum cognationum, atque gentium benedictionem, [illegible]erationemque promiſiſſe.

Sed & longè diſertiùs Propheta Regius, Pſalmo 2. v. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal. 17. v. 44. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.* Pſal. 21. v. 28. *Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur.* Pſal. 71. v. 8. ubi venturi Meſſiæ imperium deſcribitur, *Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum..... Et benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Pſal. 85. v. 9. *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

Regio Vati mirè concinit Iſaias, venturi Meſſiæ officium deſcribens Cap. 49. v. 6. *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob, & faces Iſrael convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Et Cap. 55. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Quaſi venturi Meſſiæ miniſterii pars maxima in Gentilium converſione, inſtitutione, atque ſalute procuranda poſita eſſet.

Faceſſat ergo vana illa Judæorum gloriatio, qua promiſſi Meſſiæ imperiſum, religionem, ac fidem, in uno Judeæ tractu concludunt: Gentileſque procul à Dei cognitione, atque benedictione perpetuò fore, ambitioſiùs ariolantur. Imo verò hanc præ cæteris adorientis Meſſiæ notam deſignavit Iſaias, quòd eius ætate exteræ gentes in domum Dei Jacob venturæ eſſent, legemque de Sion exeuntem fidelitèr amplexuræ: *Et erit,* inquit ille Cap. 2. v. 2., *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite, & aſcendamus ab montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias ſuas, ambulabimus in ſemitis ejus: quia Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Cui & ſuffragatur Zacharias Cap. 2. v. 11. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.*

III. Quid plura? Minus ſacris Vatibus viſum eſt, venturi Meſſiæ imperium, religionem, ac fidem ad omnes terræ tractus, atque ad ipſos quoque Gentiles protendiſſe: Ne quis fortè hac in re falleretur, nevè totum id de Judæis per varias Mundi Nationes, ac gentes diſperſis dictum acciperet, quos Chriſtus collecturus eſſet, atque ad ſe vocaturus; non de gentilibus ipſis, Idololatris, ignotiſque Deo populis, Deumque neſcientibus ab eodem vocandis, atque ad veri Dei cultum traducendis: illos ipſos à Deo vero alienos populos perinde vocandos, convertendoſque prænunciarunt Sacri Vates. Oſeæ Cap. 2. v. 24. *Dicam non populo meo populus meus es tu: & ipſe dicet, Deus meus es tu.* Iſaiæ Cap. 55. v. 5. *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis; & gentes, quæ te non noverunt,*

ad te

ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificavit te. Cap. 18. v. 7. *In tempore illa deferetur munus Domino exercituum a populo divulſo, & dilacerato, à populo terribili, poſt quem non fuit alius; à gente expectante, expectante, & conculcata.* Cap. 65. v. 1. *Quaeſierunt me, qui ante non interrogabant; invenerunt, qui non quaeſierunt me. Dixi ecce ego, ecce ego ad gentem quae non invocabat nomen meum.* Cap. 31. v. 7. *In die ille abiiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quae fecerunt vobis manus veſtrae.* Cap. 17. v. 7. *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum: & oculi ejus ad ſanctum Iſrael reſpicient: & non inclinabitur ad altaria, quae fecerunt manus ejus: & quae operati ſunt digiti ejus non reſpiciet, lucos & delubra.* Quibus paria leguntur Cap. 2. v. 17. 18. 19. 20. & Pſalmo 17. v. 45.

IV. Quin etiam, quod notandum magis, eas quoque ſpeciatim Gentilium nationes ad veri Dei cultum convertendas ſignificarunt, quae denſioribus ignorantiae idololatriae tenebris involvebantur; quaeque Judaicum populum odio prae coeteris implacabili proſequebantur: ut fatuam illam gloriationem, atque iactantiam Judaei deponant, qua caeteros veluti canes, & à vero Deo ſegreges deſpicantur. Ecquae enim gens Idololatriç tenebris immerſa magis, quae Natio Judaeis magis infenſa, quàm Ægyptus? Et hanc tamen, depulſa Idololatria, verum Deum agnituram, & adoraturam vaticinatus eſt Iſaias Cap. 19. v. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terrae Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, erit in ſignum, & in teſtimonium Domini exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis: & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoſcetur Dominus ab Ægypti, & cognoſcent Ægypti Dominum in die illa; & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Vaticinatus perinde eſt Ezechiel Cap. 30. v. 13. *Haec dicit Dominus Deus; diſperdam ſimulachra, & ceſſare faciam idola de Memphis: & dux de terra Ægypti non erit ampliùs, & dabo terrorem in terra Ægypti.* Non abſimiliter Zacharias Cap. 13. v. 2. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituũ, diſperdam nomina idolorum in terra* (Ægypti,) *& non memorabuntur ultra: & pſeudo prophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra.* Quae gens idololatriae tenebris immerſa magis, aut quae Judçis magis infeſta quàm Aſſirii? Et hoc tamen verum Deum, depulſa idololatria, adoraturos praenunciavit Iſaias idem, Cap. 27. v. 13. *Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui ejecti erant de terra Ægypti: & adorabunt in monte ſancto in Jeruſalem.* Quae gens idololatriae tenebris immerſa magis, aut quae Judaeis magis infeſta, quàm Babylonii, Æthiopes, Tyrii, Sabbaei, Madianitae, Ephaei, aliaeque id genus? Et hos tamen ad veri Dei cultum acceſſuros Sacri Codices atteſtantur. Pſal 86. v. 4. *Memor ero Rahab, & Babylonis, ſcientium me: ecce alienigenae, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic:* Nimirum in Sion civitate Sancta, de qua illic ſermo venit. Pſalm. 41. v. 9. *Coram illo,* Chriſto ſcilicet venturo, *procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis, & Inſulae munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes ſervient ei.* Iſaiç 60. v. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leva in*

B 2 *circuitu*

circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & fil a tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues: mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, & Epha. Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Quæ gens tandem Judaico populo magis infeſta, quàm quæ Jeroſolymam devaſtavit? Et hanc tamen verum Deum adoraturam vaticinatus eſt Zacharias Cap. 14. v. 16. *Et omnes, qui reliqui fuerunt de univerſis gentibus, quæ venerunt contra Jeruſalem, aſcendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum.*

Alia id genus penè ſexcenta miſſa facio Scripturarum oracula; quibus Gentium vocatio, atque ad veri Dei cultum religioſa converſio, uti primarius venturi Meſſiæ Character denunciatur. Legat, qui volet, integrum Iſaiam, maximè verò Capite 42. ad 66. Jeremiam Capitibus 3. 4. 16 & 31. Oſeam Capitibus 1. & 2. Joelem Cap. 2. Amos Cap. 9. Michæam Cap. 4. Sophoniam Capitibus 2. & 3. Aggæum Cap. 2. Zachariam Capitibus 2. 8. 9. 13. & 14. Malachiam Cap. 1.

V. Jam verò, ut ad alterum poſitæ aſſertionis Caput accedam, Jeſum noſtrum primas illas promiſſi Meſſiæ partes fœliciter impleviſſe; gentesque idololatras ad veri Dei cultum, partim ſe ipſo, partim diſcipulorum miniſterio revocaſſe, adeo notum eſt, ut negari a nemine poſſit. Ex quo enim generale mandatum Apoſtolis à Chriſto Domino datum eſt, Matthæi Cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes*: Marci Cap. 16. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*: jam tunc deſtinatione, atque mandato abolita eſt idololatria, peracta converſio gentium: Cùm contrà, ſtante Moſaica lege, utpote quæ non erat univerſis gentibus prædicanda, ne mandato quidem, atque deſtinatione gentium converſio peragenda eſſet, aut abolenda illarum idololatria. Progreſſu verò temporis ita promotum eſt ſacrum opus, ut vix ulla jam toto orbe natio ſit, gens ulla, quæ ſaltem uni vero Deo non ſerviat. Omnes, tametſi ſacris, ac ritibus diſſidentes, Deo vivo, ac vero, fugata idololatria, thus adolent. Ac ſi quis fortè eſt Orbis angulus, ubi etiamnum idola colantur; is, novis in dies miſſis Evangelii præconibus, eruditur, paulatim vocatur ad fidem; & à prophanis ſuis ritibus ad puram, caſtamque fidei profeſſionem, repetitis decretis Pontificiis, avocantur. Sic ut ea vocandarum gentium, & eliminanda idololatriæ prophetia, quæ prima Chriſti venturi nota data fuerat, & impleta jamdudum ſit, & in dies cumulatiùs impleatur, donec in ſæculi fine ex integro perficiatur, & conſummetur: Juxta Apoſtoli dictum 1. Corinth. Cap. 15. v. 28. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.*

VI. Nunc quid ad hæc Judæi? Nonnulli generis ſui gloria tumidi, quique gentiles non ſecus ac canes miſeros deſpicantur, frigidè reponunt, promiſſiones de Chriſto venturo Judæis ſolis factas eſſe, non gentibus. Sit ita porrò, ut volunt, non idobeſt, quominùs Chriſtus ille ſolis Judæis promiſſus gentibus etiam ſalutem eſſet allaturus; id quippe

pe laudata jam oracula diſtinctè ſignificant. Abrahæ E. G. promiſſus eſt Chriſtus: at non qui ſolos Abrahæ poſteros liberaret, ſed univerſas terræ gentes, & cognationes; ut loca Geneſeos à me laudata diſertè teſtantur. Judæ promiſſus eſt Chriſtus ex ejus fæmore naſciturus: at non Judęis ſolis profuturus, ſed gentibus, à quibus etiam expectabatur; ut indigitatus à me locus oſtendit. Atque ita de reliquis promiſſionibus. Solis ergo Judæis promiſſus eſt Chriſtus, quia apud eos ſolos & Moyſes, & Prophetæ verſabantur, iiſque ſolis eloquia ſua crediderat Deus: at non pro ſolis Judæis promiſſus eſt, ſed pro his omnibus, qui invocant nomen ejus. *An Judæorum Deus tantùm, nonne & Gentium? Imò & Gentium*. Rom. Cap. 3. v. 19.

Quamquam & id inficiari omninò poſſumus, ſolis Judæis promiſſum fuiſſe Chriſtum, tametſi ſpecialiori ſanè modo fuerit illis prænunciatus. Annon enim inter Moabitas venturum Chriſtum prænunciavit Balaamus, Deo ita volente, ut inter barbaras etiam gentes Chriſtus utcumque agnoſci poſſet? Prophetiam refert Moyſes ipſe, Num. Cap. 27. v. 7. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque filios ſeth.* Quo oraculo excitatos Magos, obſervant Eccleſiæ Patres, ad Chriſtum natum requirendum. Annon inter Idumæos venturum liberatorem vaticinatus eſt Job, cuius liber à Judęis ut ſacer agnoſcitur? Annon inter Ninivitas Prophetæ munus auſpicatus eſt Jonas? Non uni ergo Judaico populo, verùm etiam gentili, à ſacris Vatibus promiſſus eſt Chriſtus. Primas itaque ſibi, arrogent Judæi, quantùm libuerit, Roman. 7. v. 2. quòd *credita illis fuerint eloquia Dei*: quòd prima, nobilioraque venturi Meſſię vaticinia exceperint; per me licet: *Non enim fecit* (Deus) *taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*, Pſal. 147. v. 20. At primas alio ex capite, potiorique iure ſibi gentiles arrogabunt, quòd priores venienti Chriſto ſint obſecuti, ipſiſque Judęis pręlati fuerint. Deo ita futurum prænunciante ad Judæorum ſuperbiam retundendam: Deuteron. Cap. 28. v. 43. *Advena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior: ipſe fænerabit tibi, & tu non fænerabis ei: ipſe erit in caput, & tu eris in caudam*. Et Ezechielis Cap. 17. v. 24. *Ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile, & ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum*. Quod de Judęis, ac gentilibus dictum nemo neſcit.

Illud enim verò prima Dei deſtinatione fuerat conſtitutum, ut Judęis primùm ſalutis via panderetur. Hinc Chriſtus Dominus, Matthæi 15. mulierem Chananæam de finibus Tyri egreſſam repulit ut indignam, *non eſſe bonum*, inquiens, *panem filiorum dare canibus*: ſeque miſſum dumtaxat profeſſus eſt, *ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Actum Apoſtolos fidei ſatores mittens, Matth. Cap. 10. v. 5. *In viam Gentium*, inquit, *ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Verùm Judęis Evangelium ſalutis repellentibus, in eorum ſortem gentiles ingreſſi ſunt. Quod in Actibus Apoſtolicis diſertè ſignificarunt Paulus, & Barnabas Cap. 13. v. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*.

VII. Repu-

VII. Reponunt alii hebraicæ legis doctores, quos de more Rabbinos dicunt, fruſtra jactitare Chriſtianos, Gentes ad veri Dei cultum converſas eſſe, Ieſu Nazareno adoriente, ejuſque Diſcipulis prædicantibus; cum inter Chriſtianos ex Gentilibus majori ex parte coaleſcentes tot hęreſes, tot ſectæ, tot ſchiſmata reperiantur; à quibus nos ipſi, qui Catholici dicimur, abhorremus. Non ergo, inquiunt, veri Dei cultus toto orbe diffuſus eſt; quandoquidem nec una toto orbe Chriſtiana religio viget.

Mirari profectò ſubit, Judæos eo nos telo petere, quod non hebetare modò, ſed & in illos regerere facilè fuerit. Imprimis enim, in quacumque tandem Chriſtianorum ſecta, quocumque in ſchiſmate, unus verus, depulſa idolatria, colitur Deus: quod adoriente Chriſto futurum, Prophetæ veteres prænunciarunt: Stat ergo vel ex hoc ſolo capite, quod hactenus argumentum proſecuti ſumus. Dicant tamen amabo, (quandoquidem de Chriſtianæ religionis veritate cavillantur) numquid vera inter Judæos Religio fuit olim? Non id profectò Judæi negabunt, qui veram etiamnùm religionem apud ſuos extare contendunt. At nonne quo tempore apud Judęos religio florebat maximè; ſectis, & ſchiſmatibus ſcindebantur? Numerabantur enim Samaritani, Saducæi, Phariſęi, Hemerobaptiſtæ, Herodiani, aliique non pauci, doctrina, & ritibus inter ſe ſe, non minùs diſſidentes, quàm inter Chriſtianos Ariani, Manichæi, Neſtoriani, Eutychiani, Pelagiani, Calviniſtę, Lutherani. Quorſum verò tot inter ſectas vera nihilominus ſtabat Judæorum religio? Cauſas aſſignant Hebræi numero plures, nobis perinde ad ſolvendum nondum iſtum accomodas. Primam, quia, inquiunt, omnes & Samaritani, & Saducæi, & Herodiani, & Phariſæi verum, & unicum Deum adorabant. Bene eſt: at adoramus & nos unicum, quotquot Chriſtiani nominamur, tametſi ſectis, & hæreſibus diſcindamur. Secundam afferunt rationem, quia omnes Moyſem, uti legiſlatorem agnoſcebant, ejuſque libros amplectebantur; tametſi à nonnullis à falſis interpretationibus inquinatos. Et id bene: At agnoſcimus & nos omnes Jeſum, ut Chriſtum Cœlo demiſſum, ejuſque Evangelium, tametſi à nonnullis ſiniſtra interpretatione vitiatum, excipimus. Tertiam rationem addunt, quia religionis Judaicæ orthodoxia, & puritas in primo ſtipite, unde cœteri omnes ſpurii palmites pullularunt, innoxia ſtabat, nihilque primæ originis ſanctitati officiebant cœnoſi rivuli deriuati. Hoc & nos uſurpamus: Chriſtianæ religionis orthodoxia, & puritas, nobis Catholicis & Romanis, uti primo ſtipiti, unde tot illæ ſectę derivarunt, integra hæret: nec quidquam Chriſtiani nominis ſanctitati efficiunt tot illæ peſtes, ac ſectæ, quibus quotidiè ſcindimur. Aut ergo nullam apud ſe ſe religionem fuiſſe Judæi dicant, quo tempore tot illis ſchiſmatibus ſcindebantur; aut veram apud Chriſtianos tot inter hæreſes religionem florere poſſe fateantur.

VIII. Quæret fortaſſe nonnemo, qui Chriſtus *expectatio Gentium* dicatur, Geneſis Cap. 49. v. 10. uti & *deſideratus cunctis Gentibus*, Aggæi Cap. 2. v. 8. cúm nec deſiderari, nec expectari ab iis poſſet, qui nullam, aut

aut certè leviſſimam futuri illius adventus notitiam habebant? Reſpondeo, potuiſſe planè in eum ſanè modum, quo res etiam inanimes ea deſiderare, atque expectare dicuntur figuratè, quæ ſunt illis maximè neceſſaria, etſi nullam illorum notitiam habeant: *ut terra de cælo pluviam expectare* dicitur, Deuteronomii Cap. 11. v. 11. *Frumentum deſiderare nubes*, Job Cap. 37. v. 11. *Area ſitire imbrem*, Ioelis Cap. 2. v. 20. Sic itaque Gentes, ad quarum ſalutem Chriſti adventus neceſſarius omninò erat, eumdem expectare, ac deſiderare ſunt dictæ, quamquàm illis eſſet ignotus. Aut certè id dictum, non de deſiderio, atque expectatione, Chriſti adventum, ejuſque fidem præcedente, ſed de deſiderio ſalutis obtinendæ per Chriſtum poſt cognitionem, ac fidem de illo habitam, ex quo demum advenerit, illiſque nunciatus fuerit. Ut ſileam, non omnibus omninò Gentibus fuiſſe prorſus ignotum, promiſſum Judæis liberatorem & Chriſtum: quod ex Balaami, & Jobi hiſtoria perſpectum eſt.

EXER-

EXERCITATIO III.

De altera prænunciati Chriſti nota; ſublato, ſcilicet, Levitico Sacerdotio, novoque inducto.

I. QUam ante dies aliquot inſtituimus viam, eamdem hodiè tenere pergimus, Aud. Ornat., alteram Judaicæ cæcitatis aberrationem, qua in diſiudicandis Chriſti promiſſi characteribus hallucinantur, hodierna Exercitatione confutamus. Ea, ſcilicet, Judæorum animos jamdudum occupavit opinio, leviticum legis veteris Sacerdotium, utpote à Deo Optimo Maximo ſolenniter inſtitutum, perennitèr fuiſſe duraturum; tantùmque abeſſe, ut à promiſſo Chriſto reſcindi, abolerique poſſit; ut potius ab illo inſtaurandum omninò ſit, novaque ſolennitate celebrandum. Quo ſemel jacto perfidiæ fundamento, neceſſaria conſecutione ſubindè colligunt, Jeſum noſtrum falſum prorſus Meſſiam eſſe, imò veriùs hominum ſeductorem, divinæque inſtitutioni prorsùs injurium, qui ſublato levitico Sacerdotio, novum apud ſuos inſtituit, falſaque religione populos informavit. Quid ergo nos in præſentià agere oporteat, ut Judaicam hallucinationem refellamus; Jeſumque Mariæ filium ex hoc ipſo principio, verum eſſe Meſſiam, demonſtremus, unde illi pertinaciter negant? Hoc unum ex oppoſito demonſtrandum incumbit: leviticum legis veteris Sacerdotium, tametſi divinitùs inſtitutum, certo dumtaxat tempore fuiſſe duraturum, finemque ſub Meſſiæ temporibus habiturum. Ita fiet, ut oppoſita conſecutione colligamus, Jeſum noſtrum idcircò maximè veri Meſſiæ nomine dignum eſſe, quòd leviticum Sacerdotium ablegarit, novumque Sacerdotii, ac Sacrificii genus induxerit.

II. Tria maximè in levitico legis veteris Sacerdotio Scripturæ notant, quibus & illud ex integro conſtat: victimas videlicet offerendas, Sacerdotes offerentes, locum, vbi eſſet Sacrificium offerendum. Victimas offerendas deſignauerat Deus certa animantium genera, boves, agnos, arietes, aliaque id genus, quæ in libris Moſaicis adnotantur. Sacerdotes oblaturos elegerat, non quovis ex ordine, ſed ex unica Tribu Levi; imo intra Leviticam Tribum, ex ſola Aaronis familia oriundos. Locum demum, ubi eſſet Sacrificium offerendum, definierat, non qualemcumque, & pro arbitrio ſeligendum; ſed Tabernaculum Domini, ac tum poſtea Salomonicum Templum, extra quod Sacrificium omne prophanum erat. Porrò tria hæc, tametſi Divinitùs inſtituta, victimas, Sacerdotes, & locum immutanda fore, adeo dilucidè prænunciarunt ſacri Vates, ut ſtipites, ac plumbeos eſſe opporteat, quotquot id pertinaciter negent.

III. De ſingulis dicam ex ordine. Ac primò quidem, quod attinet

ad

ad victimas offerendas, eas tandem aliquando reiiciendas fore, diſertè pronunciat Iſaias Cap. 1. v. 3. idque ob horrenda Judæorum ſcelera, atque ob illud maximè, quo Deum ſuum ignorarunt, manuſque effuſo Chriſti ſanguine inquinarunt. *Cognovit bos*, inquit Profeta, *poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum..... v. 11. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veneritis ante conſpectum meum, quis quæſivit hæc de manibus veſtris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odivit anima mea: Facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras; avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plena ſunt*. Nec minùs apertè Jeremias Cap. 6. v. 20. *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuave olentem de terra longinqua? Holocautomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi*. Amos non abſimiliter Cap. 5. v. 21. *Odi, & projeci feſtivitates veſtras: non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quod ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam*. Ac demùm Michæas Cap. 6. v. 6. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelſo? Numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, & in multis millibus hircorum pinguium?*

IV. Reponent fortè Judæi, nihil aliud hæc oracula ſibi velle, quàm tot illa victimarum genera, totumque illum ſolennitatum Judaicarum apparatum Deo minimè probari; non quòd re ipſa exoleverint, aut ultrà offerri, celebrarique non poſſint: ſed quòd impuris fortè mentibus ac manibus offerrentur. Quo caſu etiam florente Moſaica Lege, ingrata nonnumquam erant ſacrificia.

Verùm quantùm illos ea interpretatio fallat, oſtendit Regius Vates, dignus cœterorum Prophetarum interpres. Is enim Chriſti adventum prænuncians Pſalmo 49. Judæorum ſacrificia improbatum iri ſignificat; non quòd holocautomata, & ſacrificia per ſe ſe ſpectata Deo diſpliceant; ſed quòd ille offerendorum animalium ritus ſit abrogandus, novumque Sacrificii genus inſtituendum. Clariora verba ſunt, quàm ut cavillari quis poſſit: v. 7. *Audi populus meus, & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi. Deus Deus tuus ego ſum: non in Sacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos..... Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*. Ubi Deus paratum ſe quidem, promptumque ſignificat ad ſacrificia, & holocauſta ſuſcipienda; ſed aliud jam velle Sacrificii genus innuit, quàm quod Aaronico ritu celebratur, vitulorũ ac pecudũ mactatione. Quocirca Pſalmo 109. quem integrũ Chriſto promiſſo accommodant Hebræo-

Digitized by Google

bræorum doctiſſimi, Chriſti mittendi Sacerdotium, non ſecundùm Ordinem Aaronis, ſed ſecundùm Ordinem Melchiſedech, futurum aſſeritur, v. 4 *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Malchiſedech*. Nempe ut intelligamus, non jam ſub Meſſiæ imperio pecudes Aaronico ritu mactari in Sacrificiis oportere; ſed inſtar Melchiſedecis, panis, & vini Sacrificium offerendum eſſe. Is etenim, uti noſtis, panem, & vinum obtulit Domino, Geneſis Cap. 14. v. 18.

Accedit alterum obſervatione digniſſimum: non modò à ſacris Vatibus prænunciatum eſſe, fore ut Deus Judæorum Sacrificia reprobaret; verùm etiam veteres Hoſtias, & Sacrificia penitus ceſſatura occiſo Chriſto: ne ultra cavillari Judæi poſſint. Danielis Cap. 9. v. 26. *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus...... & in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium*. En primum de victimis, & Hoſtiis offerendis.

V. Jam verò, ſi Sacerdotis offerendo Aaronico Sacrificio deſtinatos perpendamus, Judæi multò faciliùs cauſa cadent. Tantùm enim abeſt, ut viros de Tribu Levi, ac de familia Aaronis perpetuò ſeligendos voluerit Deus, qui etiam poſt Meſſiæ tempora, Aaronicum Sacrificium offerant: quin contra potiùs Judæis omnibus in ſceleris pœnam interdictum à Deo legimus, ne ultrà Sacerdotale munus obirent. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi. Et oblitus es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum, & ego*. Ezechielis Cap. 34. v. 10. *Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, & paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam*.

Quid plura? Non modò Judæis interdicendum Sacerdotale munus, conteſtatus eſt Deus; ſed etiam è numero Gentium (quòd notandum maximè) Sacerdotes, & Levitas electurum ſe declaravit; ex Africanis, & Lydis, ex Græcis, & Italis, exteriſque Nationibus Dei nomen antea ignorantibus, ut Sacris Altaribus adminiſtrent. Sic ut nulla jam ſuboriri dubitatio poſſit, quin Aaronicum Sacerdotium temporarium eſſet, & adventante Chriſto penitùs abrogandum, *Ecce ego*, inquit Deus, Iſaiæ Cap. 66. v. 18. *venio ut congregem ex omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam; in Italiam, & Græciam, ad Inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam..... Et aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus*. Volente itaque Domino antiquatum eſt Aaronicum Sacerdotium, ex quo ad Gentiles translatum eſt. Illud enim ita Leviticæ Tribui aſſertum erat, ut ſi quis fortè alia ſtirpe ſatus thuribulo manum admoveret, capite plecteretur. Numer. Cap. 16. v. 40. *Ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino; ne patiatur, ſicut paſſus eſt Core, & omnis Congregatio ejus loquente Domino ad Moyſem*.

VI. Sed quid tandem, ſi locum offerendo Aaronico Sacrificio deſtinatum

tum perpendamus? Compendio confecta res erit. Enim verò, in ſolo Tabernaculo Domini, ac tandem in ſolo Salomonis Templo, offerendum erat Aaronicum veteris Teſtamenti Sacrificium, ut in confeſſo eſt apud Hebræos, & tamen ſpopondit Deus, futurum aliquando, ut grata, & propitia Sacrificia ubivis gentium extra Salomonicum Templum, extra Judæam, ac in ipſo exterarum Nationum ſinu offerentur. Malachiæ Cap. 1. v. 10. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen in gentibus, in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meũ in gentibus, dicit Dominus exercituum:* Apertiùs verò Iſaiæ Cap. 19. v. 19. ubi venturi Meſſiæ beata tempora deſcribuntur: in ipſa etiam Ægypto, & ab ipſis Ægiptiis offerendum tunc Sacrificium declaratur: *In die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum eius erit in ſignum, & teſtimonium Domino Exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægypti Dominum in die illa, & colent eum in beſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Et Cap. 18. v. 7. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo divulſo, & dilacerato; à populo terribili, poſt quem non fuit alius; à gente expectante, expectante, & conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum, montem Syon.* Ubi eſt ergo illa Aaronici Sacrificii jactata perennitas, ab ipſomet Chriſto in Salomonico Templo religiosè retinenda? Cùm potiùs adoriente Chriſto, quovis in loco, ac in ipſa etiam Ægypto, atque ab ipſis Ægyptiis, offerri Sacrificia poſſint.

Et certè, cùm illud promiſſi Meſſiæ munus potiſſimum eſſe debuerit, ut non Judæos tantùm, verùm etiam Gentiles toto orbe diffuſos advocaret, atque in unius religionis, & fidei profeſſionem colligeret; quemadmodum in ſuperiori Exercitatione locupletiſſimis Sacrarum Scripturarum oraculis demonſtravimus; qui quæſo fieri poſſet; ut eo Sacrificio ſtaret Meſſiæ Religio, quod in uno Jeroſolymorum Templo; atq; à ſolis Judæis offerendum erat? Qua lege, qua ſorte, ſtata die in hoc unum Orbis Templum ex toto terrarum Orbe convenirent? Aliud igitur inſtituit Sacrificium opus erat, quod, & ubivis, & quavis die, & ab omnibus gentibus offerri commodè poſſet. Meſſiæ igitur debitas partes implevit Jeſus à Nazareth, dum Sacrificium typicum: ac temporarium abrogavit, novumque conſtituit. Sic enim erat à Sacris Vatibus prænunciatum.

VII. At fuit, inquiunt Judæi, ab ipſo Deo Sacrificii, & Sacerdotis Levitici promiſſa perennitas, Jeremiæ Cap. 33. v. 17. *Hæc dicit Dominus. Non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper Thronum Domus Iſrael. Et de Sacerdotibus, & de Levitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat Sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. Et factũ eſt verbum Domini ad Jeremiam dicens: hæc dicit Dominus: ſi irritum poteſt fieri pactũ meum cum die, & pactum meum cum nocte; ut non ſit dies, & non in tempore ſuo; & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo*

filius, qui regnet in Throno ejus, & Levitæ, & Sacerdotes miniſtri mei. Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris; ſic multiplicabo ſemen ſervi mei, & Levitas miniſtros meos. Qui ergo fieri potuit, ut & ſacrificii & Sacerdotii Levitici abolitio certa Chriſti venturi nota eſſet? Quove jure, tituloque utrumque ſuſtulit Jeſus noſter, ut alterum Sacerdotii, & ſacrificii genus induceret?

Nodum hunc à Judæis perindè ſolvi neceſſe eſt: Quod ſi fecerint, erunt illi mihi magni Apollines. Si enim, inquam, Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promiſſa à Deo perennitas eſt, quid illi ab annis ampliùs mille ſexcentis utroque perindè ſunt deſtituti? Nec ſatisfacient, ſi fortè reponant, utrumque à ſuo illo, quem præſtolantur, Meſſia reſtitutum iri. Quamquàm enim res ita foret, ex quo tamen per annos ampliùs mille ſexcentos utrumque ceſſauit, ac deſiit; abſolutum, quod illi fingunt, Dei promiſſum falſum eſt; quo nimirum ſpopondit futurum eſſe, ut de Sacerdotibus & Levitis non interiret vir à facie ejus, qui offerret holocautomata, & incenderet ſacrificium, & cæderet victimas omnibus diebus. At quem ſolvere nodum Judæi nequeunt, ſolvimus longè facillimè, ac novum inde ſtatuti dogmatis argumentum petimus. Reponimus itaque duo ſimul, eodemque planè modo promiſiſſe Deum, laudato Jeremiæ oraculo: non interiturum de David virum, qui ſedeat ſuper Thronum Iſrael; & non interiturum de Sacerdotibus, & Levitis virum, qui offerat holocautomata, & incendat ſacrificium: ſeu non defuturum Iſraeliticum Sceptrum de Domo David, & Sacerdotium de Domo Levi. Porrò ex aliis Scripturæ locis, quibus perindè promiſſa eſt Judaici Sceptri perennitas, liquet apertè, non eſſe promiſſam Judaici ſceptri abſolutam perennitatem, ſed certis terminis circumſcriptam; donec, ſcilicet, promiſſus Judæis Chriſtus Mundo illuceſceret: Geneſ. Cap. 49. v. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de ſamore ejus, donec veniat qui mittendus eſt.* Itaque pari modo, non abſoluta Sacrificii, & Sacerdotii perennitas Synagogæ à Deo promiſſa eſt, ſed iiſdem planè circumſcripta limitibus; donec, videlicet, Chriſtus Dominus oriretur. Quare cùm ſublatum jam, & ſacrificium, & Sacerdotium Leviticum nemo non videat; ipſique etiam Judæi, velint, nolint, plus ſatis experiantur, promiſſum Judæis Meſſiam, & Chriſtum Mundo illuxiſſe neceſſe eſt. Addiderim, ſi quis fortè abſolutam prorsùs Sacrificii, & Sacerdotii Levitici perennitatem Synagogæ promiſſam velit; non alio ſenſu id verum eſſe, quàm quo abſolutam quoque Judaici ſceptri perennitatem promiſſam aliqui putant: Nempè, uti temporale Judæę ſceptrum in ſpirituale tranſmutatum perennat in Chriſto, de quo Angelus ad Mariam dixit Lucæ Cap. 1. v. 31. *Dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*: ita typicum, & temporarium Levi Sacerdotium in amplius, perfectius, ſanctiusque tranſmutatum æternum in Chriſto manet; de quo Apoſtolus in Epiſtola ad Hebręos Cap. 7. v. 23. *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

VIII. Cæte-

VIII. Cæterùm qui nobis tam audactèr litem intentant miſeri Judæi de ſublato Aaronico Sacerdotio, ſine quo veram religionem ſtare non poſſe putant; videant ipſi quo pacto ſtare nunc apud ſe ſe veram religionem nobis oſtendent: Videant, num ipſi ſuo ſe gladio jugulent. Si etenim, ut veritas habet, nulla ſine Sacrificio, ſine Sacerdotio ſtare vera religio poteſt; oſtendant quæſo nobis, quodnam ipſi nunc Sacerdotium, quod Sacrificium penès ſe habeant. Sacrificia certè nec offerunt Judæi, nec offerre nunc poſſunt, juxta Ordinem Aaronis, quem unicum jactant, & profitentur. Deſtructo ſiquidem Tabernaculo, & Salomonis Templo ſolo æquato nullus illis ſuppetit locus, ubi offerre nunc liceat. Sacerdotes nec habent, nec habere nunc poſſunt: cùm ſuas Tribus uſque adeo permixtas, & confuſas habeant, ut Leviticam, ex qua ſola Sacerdotes ſeligere fas illis eſt, ſecernere nequeant. Quam ergo Religionem profitentur? Dicent fortè, quod mihi non ita pridem illorum unus obtrudebat, qui Synagogæ ſuæ cymbalum audit: ſtare ſinè iis poſſe Judaicam Religionem, imò & ſtetiſſe re ipſa toto tempore captivitatis Babylonicæ, dum everſo primùm Jeroſolimæ Templo, in Babylonem a Rege Nabucodonozor deportati fuere. Verùm hallucinantur, qui ea ſuffugia comminiſcuntur. Nam & tempore captivitatis Babylonicæ, Judæi non pauci ſubſtiterant Jeroſolymis; iique nomine fratrum ſuorum in Babylonem deportatorum hoſtias offerebant ad aram Domini, quæ quidem etiam everſo Templo reſidua manſerat: aut nova illic levi opere extructa fuerat. Patet id ex Epiſtola Judæorum in Babylone captivorum ad alios Jeroſolymis reſiduos, quæ extat in libro Baruch Cap. 1. v. 10. *Miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei noſtri.* Sacrificium igitur retinebant in illis rerum ſuarum anguſtiis. Habebant etiam hac ipſa tempeſtate Pontificem Joſedechum, ut videre eſt lib. 1. Paralipomenon Cap. 2. v. 15. Certa etiam ſpe inſtaurandi Templi fovebantur: Deo ſcilicet per Jeremiam atteſtante, futurum tandem, ut intrà annos ſeptuaginta Templum inſtauraretur, Cap. 25. v. 12. & Cap. 29. v. 10. Nunc verò, poſt ſecundam Jeroſolymorum ruinam à Romanis illatam, permixtis confuſiſque Tribubus, Sacerdotes nec habent, nec habere ullo modo poſſunt: Templum una cum Ara Domini a Tito, & Veſpaſiano ita ſolo æquatum eſt ab annis mille ſexcentis, & quod excurrit, ut omnis offerendi Sacrificii, & inſtaurandi Templi ſpes ſit adempta; quod cumulatiùs demonſtrabimus loco ſuo. Perperam ergo eo Babylonicæ captivitatis exemplo ſe muniunt, ut argumentum elidant.

IX. Reponent fortè Judæi, ſi quam rerum noſtrarum notitiam habent: Magnam Chriſtianorum partem, nec Sacerdotes habere, nec Sacrificium: potiſſimè verò Calvinianos; apud quos nec Sacrificium altaris offertur, nec Sacerdotes ad Sacrum miniſterium obeundum inunguntur: qui tamen veram penes ſe Religionem extare gloriantur.

Optandum, ut argumento ſatisfacerent Calviniani Miniſtri: neque enim is ego ſum, qui cauſam illorum orare debeam. Dicam tamen interim,

hunc

hunc ipſum Calvinianorum errorem, quo Miſſæ Sacrificium explodunt; nihil Judæis in hacce præſenti Controverſia ſuffragari. Non habent illi quidem quotidianum, & incruentum Miſſæ Sacrificium, quod à nobis ad cruenti Sacrificii memoriam offertur in dies; nec temporarios Sacerdotes ad id muneris deſtinatos inungunt; habent tamen illi, quemadmodum inquiunt, Chriſtum novi Teſtamenti Sacerdotem æternum, cruentumque mortis illius Sacrificium, ſemel quidem cruento modo oblatum in terris, ſed quod itidem incruento modo perennitèr offertur in Cęlis, ubi Chriſtus perennis hoſtia ſemetipſum jugiter offert Deo Patri. Quare non ſunt illi ſinè Sacerdote, & ſinè Sacrificio; qui, & Sacerdotem æternum, & æternam hoſtiam Deo perennitèr oblatam agnoſcunt. Quare nil mirum, ſi ex hoc ſaltem capite veram penes ſe ſe Religionem extare glorientur. Verùm non ità Judæi de Sacerdotii, & Sacrificii Aaronici perennitate gloriari poſſunt. Neque enim ſui illi dudum è vivis ſublati Aaronici Sacerdotes ſuo in Cœlis officio defunguntur, uti defungitur Chriſtus: nec perennant, quę ab iis fuerunt olim oblatæ victimæ; uti profectò perrennat victima illa grandis, & ſalutaris in ara Crucis olim oblata. Diſpar itaque Judæorum, & Calviniſtarum eſt ratio. Quæ tamen non ideo ſunt a me dicta, quaſi Calvinianos ab errore tueri velim; abſit: ſed ut Judæorum argumento reponam quidquid minus mali Calviniani reponerent, ſi eo fortè ad hominem, ut vulgò dicitur, urgerentur.

X. Mitto ineptam, inſulſamque quorumdam Judęorum argutationem, qui, ut Levitici Sacerdotii abolitionem non eſſe apud ſuos extinctæ, & antiquatæ Religionis argumentum, oſtendant, id demum clarigationis veluti jure nobis opponunt: Chriſtianos etiam ſummo Sacerdote ſuo quandoque deſtitui, ut tempore Schiſmatis, ac toto pſeudo-Pontificatu Joannæ Papiſſæ. Quaſi verò deficiente apud nos Pontifice Summo deficiat Sacerdotium; ac non potiùs multa Epiſcoporum, ac ſecundi Ordinis Sacerdotum millia ſuperſint ad Chriſtianæ Religionis Sacra peragenda? Aut fortè ſublato Pontifice non ſtet penes Eccleſiam Catholicam alterius eligendi, initiandique poteſtas? Cum contra apud Judæos, non modò Pontifex Summus, ſed & totus Sacerdotum, ac Levitarum Ordo deſierit; nullaque aliorum eligendorum, initiandorumq; facultas extet penès Synagogam. Quæ porrò de Joanna Papiſſa vulgò jactantur, tametſi dictis nihil officiunt, anilia commenta ſunt, ab ipſis etiam Proteſtantibus, quibus aliquid pudoris eſt, falſi convicta: De quibus prolixiùs diſputare, non eſt loci hujus, & inſtituti.

EXER-

EXERCITATIO IV.

De tertia prænunciati Chriſti nota, Sublata nimirùm Lege Moſaica, novaque ſancita.

I Tertiam Judęorum in Chriſtum noſtrum criminationem attigimus, Aud. Orn., qua illum veri Meſſiæ partibus defuiſſe, imò & ſe ſe nefario ſacrilegio polluiſſe, audaciſſimè criminantur. Moſaicam Legem tanta ſolemnitate divinitùs inſtitutam, tot miraculis, ac prodigiis confirmatam, tanta religione à viris Spiritu S. afflatis cuſtoditam, tot ſæculorum tractu florentem, à Chriſto noſtro reſciſſam, eliminatam, antiquatam non ſine ſtomacho conqueruntur. Si mala lex Moyſis, inquiunt, cur à Deo ſancita? Si bona, cur à Jeſu noſtro reſciſſa? Neque ſatis intelligi poſſe ajunt, qua ſorte, quo fato, inſtituta Dei, Deo ipſo volente atque jubente, reſcindi aliquando debuerint, quaſi is inſtabilium, ac levium hominum more conſilia mutet. Hinc colligunt Viri miſeri, Jeſum noſtrum nequaquam uti Meſſiam habendum, ſed uti fædifragum, Deo injurium, Sacrorum inſtitutorum conculcatorem morte damnandum: Aliumque idcircò Meſſiam, à Sacris Vatibus pręnunciatum expectari à fidelibus oportere; qui neglectam, & obliteratam ab hominum cordibus Moyſis Legem inſtauret, majoremque in lucem, & ſolennitatem inducat.

Nos aliam longè viam inimus: utque Judaicam perfidiam hoc ipſo, quo nobis jugulum petunt, gladio feriamus; hoc unum præſenti Exercitatione demonſtrandum aggredimur: Moſaicam Legem, tametſi divinitùs inſtitutam, adventante Chriſto obliterari, antiquari, in novam, uno verbo dicam, commutari debuiſſe. Ita fiet, ut oppoſita conſecutione colligamus, Jeſum noſtrum idcircò maximè veri Meſſiæ nomine dignum eſſe, quòd Legem veterem conſummarit, novamque condiderit.

II. In qua quidem obeunda provincia, media ſubeundi oneris parte levati ſumus. Ea enim Superioribus Exercitationibus fundamenta poſuimus, uberrimaque veterum Prophetarum teſtificatione confirmavimus; unde Legem Moſaicam adoriente Chriſto reſcindi, atque in novam commutari, debuiſſe, neceſſariò colligamus. Si enim, uti iam demonſtravimus Chriſtus ſacris oraculis prænunciatus, non Judæos tantùm, ut ipſi putant, verùm etiam exteras gentes toto orbe diffuſas, & Judaico nomini inimicas vocaturus erat, & in fidei, religioniſque ſocietatem adducturus; novam profectò legem, ablegata Moſaica, ſuccedere opus erat. Ecquo enim pacto Lex unico Judaico populo data, cujus promiſſa uni dumtaxat Abrahæ ſtirpi ſervabantur, univerſis latè Gentibus accomodari potuiſſet? Quo pacto, toto orbe diffuſi populi unicam Chananæam terram lacte, ac mele fluentem inhabitaſſent, quod reli-

giosis

gioſis legis ſuæ obſervatoribus Moyſes promittebat ? Qua ſorte univerſæ gentes carnali Circumciſione initiandæ fuiſſent, cùm hæc ad Judęos à cœteris gentibus diſtinguendos fuerit primitùs inſtituta. Quod enim Judæos diſtinguit à gentibus, commune eſſe non poteſt Judæis, & gentibus. Quo tandem portento univerſi orbis populi in unum Jeroſolymæ Templum conveniſſent, ſtatiſque temporibus confluxiſſent ad Legis Moſaycæ Sacra peragenda, quæ alio in loco ſinè ſacrilegio celebrari non poterant? Alteram itaque legem ſuccedere opus erat, non Judęis utique peculiarem, ſed quæ ſervari ab omnibus gentibus poſſet.

Rursùs, ſi Meſſias, Prophetarum vaticiniis nunciatus novum Sacerdotium ſublato Levitico conditurus erat, quod pariter dedimus manifeſtum; quis non videat, novam quoque legem ſublata veteri ſanciturum fuiſſe? Stat quippe inconcuſſum illud D. Pauli principium, quo Hebræos olim exagitabat; principium, inquam, naturali lumine notum, *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Regis tranſlatio fiat*, Ad Hebręos Cap. 7. v. 12. Quomodo enim ſublato Levitico Sacerdotio ſtare ea lex poſſet, cujus pars maxima in Levitici Sacerdotii cultu, ac religione verſatur? Jam ergo in anteceſſum ex poſitis, probatiſque fundamentis contra Judęos præjudicata res eſt.

Non ita tamen moroſi ſumus, nec in aſſerenda veritate adeo parci, quin illos novis momentis, iiſque nil minus validis refellamus. Et ſanè, fædus novum, pactum novum adventante Meſſia à Deo cum hominibus ineundum, illudque non temporarium, ſed æternum tam ſæpè Sacris in litteris prænunciatur, ut planè mirari mihi ſubeat, Judęos eo in capite cæcutiiſſe. Iſaiæ Cap. 55. v. 3. *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me; audite, & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus*. Tum poſtea Cap. 61. v. 8. *Dabo opus eorum in veritate, & fædus perpetuum feriam eis, & ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum*. Jeremiæ Cap. 32. v. 40. *Et feriam eis pactum ſempiternum, non deſinam eis bene facere, & timorem meum dabo in corde eorum, & non recedent à me*. Ezechielis Cap. 16. v. 62. *Suſcitabo ego pactum meum tecum, & ſcies quia ego Dominus*. Oſee Cap. 2. v. 18. *Percutiam cum eis fædus, in die illa..... & ſponſabo te mihi in ſempiternum*. Et alia id genus non pauca Prophetarum vaticinia; quæ Dei Fędus, non qualecumque, & cum ſolis Judæis, ſed æternum, atque cum univerſis gentibus ineundum, prænunciarunt.

III. Quid modò Judæi, ut laqueum iſtum effugiant? legem, ſeu fœdus, adveniente Meſſia ſanciendùm ultrò concedunt, non tamen novum, & ab eo diſtinctum, atque diverſum, quod cum Iſraelitico populo jampridem ſequeſtro Moyſe Deus inierat. Verùm os illis occludit Propheta Baruch Cap. 2. v. 35. *Et ſtatuam illis Teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*. Os illis verberat Jeremias Cap. 31. v. 31. atque adeo apertè, adeo dilucidè, ut omnem prorſus cavillationem elidat. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fædus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educeram eos de*

terra

Digitized by Google

terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam illam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. En itaque Legem novam, Meſſiæ temporibus ſanciendam; Legem à Moſaica Iſraelitico populo ex Ægypto egreſſo data longè diſtinctam; Legem non in tabulis lapideis ſcriptam, ſed cordibus inſculptam, Legem non ſervitutis, ſed amoris.

Ecquis etiam neſciat, Moſaicam Legem, & in monte Sina ſancitam à Deo, & unico Judaico populo datam eſſe? Porrò Legem alteram Meſſiæ temporibus orituram vaticinatus eſt Iſaias Gentibus quoque communem à Jeroſolymis, & monte Sion prodeuntem. Quibus notis quid, niſi Euangelium intelligamus à Chriſto noſtro Jeroſolymis datum, à Spiritu S. in Monte Sion ſuper diſcipulos effuſo confirmatum, ut univerſis gentibus nunciaretur? *De Sion exibit Lex*, inquit Iſaias Cap. 2. v. 3. *& verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos.* Quæ iiſdem fermè verbis legere eſt Michææ Cap. 4. v. 2. *Et properabunt gentes multæ, & dicent, venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos de viis ſuis; & ibimus in ſemitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Et judicabit inter populos multos; & corripiet gentes fortes uſque in longinquum* Et v. 6. *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam, quam ejeceram, colligam, & quam afflixeram. Et ponam claudicantē in reliquias, & eam, quę laboraverat, in gentem robuſtam. Et regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion ex hoc nunc, & uſque in æternum.*

IV. Notum, quantùm ſe Judæi hoc loco torqueant, ut ab iis Jeremiæ, Iſaiæ, & Michææ vaticiniis expediant ſeſe. Jeremiam de novo fædere, ſeu pacto locutum reſpondent, non de Lege nova ſancienda: quam ob cauſam hebraico vocabulo *Berith*, non vocabulo *Tora* ſit uſus. Aut certè, ſi de Lege nova ſancienda fortaſſe dixit, novam dumtaxat intelligi voluiſſe, quoad modum ſcribendi, ac denunciandi; non novam quoad ſubſtantiam mandatorum etiam cæremonialium. Hoc eſt, eamdem ſemper futuram Moſaicam Legem, & ſi quæ priùs in tabulis lapideis ſcripta erat, atque ita minùs religioſè ſervabatur; poſtmodum Judæorum cordibus, ac viſceribus ad plenam eiuſdem obſervantiam inſcribenda ſit. Iſaiam verò, & Michæam, legem de Sion, ſeu de Jeroſolymis prodituram dixiſſe volunt; quatenùs in monte Sina à Deo primùm Moyſi data, tum Jeroſolymam perlata, inde tandem velut è publica ſchola propagata ſit.

Quàm ſint reſponſa illa futilia, nemo non videt. Norunt enim verò quotquot hebraicè ſciunt, idem planè ſonare *Tora*, quòd *Berith*: uti planè Sacrarum Scripturarum uſu idem lex ſonat, ac fædus, & pactum: propterea quòd data, receptaque Lege, Deus, & homo mutuò paciſcantur, iſte quidem obſervantiam ſpondens, ille remunerationem promittens. Maximè cùm in antitheſi poſita illic ab Jeremia inter pactum novum, & pactum vetus utrobique vocabulum *Berith* uſurpetur; certoque certius ſit, nomine pacti veteris nonniſi veterem Legem intelligi.

Digitized by Google

Unde etiam Exodi Cap. 34. v. 27. & Deuteronomii Cap. 29. v. 1., ubi de Moſaica Lege ſub nomine fœderis in Latina verſione ſermo fit, vocabulum *Berith* in textu Hebraico reperitur. Jam verò ex quo lex nova à Deo ſancienda promittitur, mandata quædam nova complecti illam neceſſe eſt, non cordibus dumtaxat inſcribi priora mandata ad illorum obſervantiam obtinendam. Nec enim Princeps Legem novam condere dicitur, dum Legem diu antea latam procurat executioni demandari. Quare utrumque per Jeremiam promiſit Deus, & Legem novam ſe daturum, & hanc ipſam populi ſui cordibus, ac viſceribus inſcripturum. Alterum, quod de Moſaica Lege ſubjungitur in Sina primum data, tum Jeroſolymam perlata, inde tandem velut è publica ſchola propagata, futilitatis plenum eſt. Moſaica quippe lex in Sina data eſt toto præſente populo, ac Tribubus univerſis, quæ eamdem in ſuas quæque domos detulere: Quare illam à Jeroſolymis velut è publica ſchola emendicare, neceſſe illis non fuit. Michæas etiam, & Iſaias, locis ante laudatis de futura legis ſanxione, & traditione loquuntur: *De Sion exibit lex ..... De Sion egredietur lex*: horum autem Prophetarum ætate jam dudum *exierat*, *egreſſaque* fuerat Moſaica lex: de ea itaque ſermonem illic eſſe, impoſſibile eſt. Quemquam enim Prophetæ res futuras ob certitudinem Prophetiæ quandoque narrent, uti præteritas; numquàm tamen res præteritas, uti futuras enunciant. Reſtat ergo, ut de Euangelica lege in Monte Sion Jeroſolymis lata ſermo fiat.

Et ſanè, novam illic, & alibi legem ſpondent laudati Prophetæ, ad cujus obſervantiam Gentes quoque obligarentur: repugnat autem Moſaicam Legem ab omnibus Gentibus obſervari: tum quòd multa illius præcepta, extra terram promiſſam obſervari nequeant: tum quòd præceptorum aliqua data ſint ad Judaicum populum à cæteris gentibus diſtinguendum, uti paulò antea demonſtravimus.

V. Quid, quòd Moſaicæ Legis ritus, Sabbatha, ſolennitates, Sacros apparatus tandem aliquando abolendos non ſemel vaticinati ſunt Sacri Vates? Iſaias Cap. 1. v. 13. *Neomeniam, & Sabbathum, & feſtivitates alias non feram. Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea*. Oſeas Cap. 3. v. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſinè Rege, & ſinè Principe, & ſinè Sacrificio, & ſinè Altari, & ſinè Ephod, & ſinè Theraphim*. Hoc eſt, ſinè Sacerdote, & ſinè Propheta: erat enim *Ephod* ſuperhumerale Sacerdotum indumentum; *Theraphim* autem imagines erant futura prænunciantes. Oſeas idem Cap. 2. v. 11. *Ceſſare faciam omne gaudium Iſraelis, & ſolemnitatem ejus, Neomeniam ejus, & omnia feſta tempora ejus*. Amos Cap. 5. v. 21. *Odi, & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cætuum veſtrorum. Quòd ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam*.

Dicent fortè viri miſeri, comminantis, & indignantis Dei verba eſſe, ut illos officii ſui admoneat; non Dei veteres inſtitutiones obliterantis. Verùm, & indignantis, & obliterantis verba eſſe, textus clamat: idque diſertè conteſtatus eſt Jeremias Cap. 31. ſupra laudato; ubi Idcircò pactum vetus à Deo reſcindendum monet, quòd illud jam pridem

ſem filii Iſrael nequitia ſua, ac ſceleribus irritaſſent. Hinc Iſaiæ Cap. 43. v. 18. monet Deus: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, & nunc orientur, tunc cognoſcetis ea*. Hujuſque rationem aſſignat v. 22. *Quia non me cognoviſti Jacob, nec laboraſti in me Iſrael*. Ut ſileam, Oſeæ ſaltem dictum merè propheticum eſſe, ac ſimpliciter denunciare, quid Judæis eventurum ſit, nullo comminantis, & indignantis Dei ſenſu inſinuato.

VI. Sed vultis rem totam minutatim, ac per partes expendamus? Præſtò ſum. Quid in veteri ritu ſanctius; quid auguſtius Arca ipſa Teſtamenti; in qua ſcilicèt Dei Majeſtas inhabitabat, Lexque Moyſis ſervabatur? Et hanc tamen adventante Chriſto obliterandam, ac nihili faciendam mandavit Deus, Jeremiæ 3. v. 16. *Cùm multiplicati fueritis, & creveritis in terra, in diebus illis, ait Dominus, non dicetis ultra Arca Teſtamenti Domini, neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius, neque viſitabitur, nec fiet ultra*. Quid ſanctius, ac ſolemnius ſolemnitate Paſchali in memoriam exitus de Ægypto celebranda? Et hanc tamen aliquando reſcindendam prædixit Jeremias Cap. 25. v. 7. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti*. Quid ſanctius inter Moſaicæ Legis Sacramenta carnali circumciſione Abrahamo primùm indicta, tum poſtea à Moyſe præcepta, ac demum à Joſue nouo ritu celebrata? Et hanc tamen carnalem Circumciſionem innovandam, & in ſpiritualem commutandam vaticinatus eſt Jeremias Cap. 4. v. 3. *Hæc dicit Dominus viro Juda, & Jeruſalem, novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas: Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, Viri Juda, & habitatores Jeruſalem*. Deuteronomii 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo*. Quid Sanctius Salomonico Templo, extra quod Sacrificium Moſaicæ Legis offerre ſacrilegum erat? Et hoc tamen ſolo æquandum vaticinatus eſt Iſaias Cap. 25. v. 2., omni futuræ inſtaurationis ſpe adempta; ne crudas ſpes ſuas Judæi inaniter alant, qui illud à Meſſia ſuo inſtauratum iri ariolantur. *Poſuiſti Civitatem in tumulum, urbem fortium in ruinam, domum alienorum, ut non ſit Civitas, & in ſempiternum non ædificetur*. Qua de re in ſequenti plura dicam.

Id ergo, velint, nolint, Judæi fateantur, Moſaicam Legem adveniente Meſſia reſcindi, & in novam commutari debuiſſe: fruſtraque Meſſiam alterum expectari, qui neglectam illam, & obliteratam inſtauret. Neque obeſt, quòd crambis inſtar recoctæ nobis obtrudunt: Si bona Lex Moyſis, cur tandem reſciſſa? Proh Deum immortalem! Bona quidem Lex illa fuit, ſed juſto tempore, donec nova ſuccederet. Bona, ſed inſtar pædagogie ad rudes animos informandos; atque ita accedente plenitudine temporum perficienda. Bona, ſed inſtar figuræ, atque ita revelata veritate abolenda. Bona, ſed inſtar Symboli Chriſtum præfigurantis, atque ita veniente Chriſto implenda, & conſummanda. Nec idcircò Deus, quo volente reſciſſa fuit, conſilia mutaſſe putandus eſt: quia & illam, ea mente, eoque conſilio condiderat primùm, ut juſto dumtaxat tempore perduraret, & conſummata demum, Meſſiæ tempore

pore

pore exoleſceret: adeoque non immutata eſt, ſed impleta Dei voluntas: Uti planè dum Deus Serpentem æneum, quem à Moyſe conflari juſſerat in deſerto, ab Ezechia Rege communi voluit, lib. 4. Regum Cap. 18. v. 4. Conſilia non mutavit; quia non ea mente Serpentem æneum conflari voluerit, ut perpetuò perduraret, ſed ut ea dumtaxat urgente neceſſitate laboranti populo mederetur.

VII. Neque magis nos anxios, & ſollicitos habet, quòd Judæorum aliqui curioſiùs obſervant: Malachiam Prophetarum ultimum Cap. ult. v. 4. Moſaicæ Legis obſervantiam inculcaſſe, uſque ad extremum Mundi diem: *Mementote Legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Iſrael præcepta, & judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet corda patrum ad filios, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Indeque effectum, ut Jeſus ipſe noſter, ne falſus Propheta, falſuſque Meſſias agnoſceretur, non ſemel proteſtatus ſit, non veniſſe ſe legem ſolvere, ſed adimplere. Matth. Cap. 5. v. 17. Quòd videlicet probè ſciret, Legem Moyſis *æternam* in Scripturis ſæpe dici; cui ut nihil addi, ita nihil ex ea detrahi poſſit: Deuteronomii Cap. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Adeo non erat Moſaica Lex ex integro abolenda.

Non inquam obſervationes iſtæ anxios nos, ac ſollicitos habent. Locus ſiquidem Malachiæ, de utroque Chriſti adventu exponi commodè poteſt: vel de primo, uti Matthæi Cap. 11. v. 14. & Lucæ Cap. 1. v. 17. exponitur: quo caſu, quemadmodum Eliæ nomine Joannes Baptiſta deſignatur: *Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*, (ante Jeſum noſtrum,) *ut convertat corda patrum in filios*: ita Moſaicæ Legis obſervantia ad Joannem uſque dicitur obligaſſe; quatenus ſcilicèt, *omnes prophetæ, & lex uſque ad Joannem prophetaverunt*, Ibidem v. 13. Secundùm quem Malachiæ Prophetæ ſenſum tantùm abeſt, ut Moſaicæ Legis perennitas colligi poſſit, ut potiùs ejuſdem abolitio, & ceſſatio Jeſu noſtro adoriente colligatur. Vel de ſecundo Chriſti adventu Malachiæ dictum accipitur, ut Matthæi 17. v. 11. ac ſic quidem ad eum uſque diem Moſaicæ Legis memoria recolenda indicitur: *Mementote Legis Moyſi ſervi mei*, non obſervantia mandatur: quæ duo Hebræi ſolent accuratè diſtinguere. Aut ſi eò uſque illius obſervantia mandatur, præceptorum dumtaxat moralium (quæ Legis etiam Evangelicæ communia ſunt) obſervantia præcipitur; non cæremonialium, & judicialium, quæ Moſaicæ Legis propria ſunt. Hanc Chriſtus noſter non ſolvit quidem, abſolvit tamen: hanc adimplevit, ſed adimplendo conſummavit, figurata ejuſdem præcepta ad exitum perducendo: eaque ratione illius nos jugo tandem abſolvit. Ad Galatas 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt, maledictus homo, qui pendet in ligno.* Sicubi autem *æterna* Lex ſacris in litteris dicta eſt, non utique ratione finis id nominis habuit: aut certè non ratione figuræ in ea contentæ dicta eſt *æterna*; ſed ratione figurati, & ratione antitypi. Niſi fortè Legem æternam ſe ipſa dicere malit aliquis quoad præcepta moralia, tametſi, quoad præcepta cæremo-

remonialia temporalem. Quod porrò in Deuteronomio latum eſt interdictum, ne quidquam verbo Dei addatur, aut detrahatur ex eo, privatos quidem Judæos, ac totam etiam Synagogam adſtringit; non Deum ipſum, qui ſublata Lege Moſaica Evangelicam ſubrogavit: maximè cum nec ſic quidem verbum, quod Moyſi locutus fuerat, re ipſa reſciderit, ſed impleverit; figuraſque præceptis cæremonialibus expreſſas allata demum veritate compleverit, conſummarit.

VIII. Nihilo fœliciùs argutantur Hebræi aliqui recentiores, ac veteres, qui, ut Circumciſionem potiſſimum Moſaicæ Legis ritum perpetuò duraturam, ac nunquam reſcindendam evincant, locum Geneſis Cap. 17. v. 12. ambitioſiùs oſtentant: ubi Deus Circumciſionis ritum Abrahamo præcipiens ita loquitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tàm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur; eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*. Hinc circumciſionis perennitatem avidè colligunt, quòd ab ipſo Deo æterna ſit dicta.

Næ illi ignari, & imprudentes, qui domeſtica neſciant, quæ nos ab illis, non illos à nobis oportuit didiciſſe. Notat ſiquidem Rabbi Chimchi in libro Radicum, Vocabulum illud *æternum* expreſſum Hebraica voce *Holam* (uti eſt in citato Geneſis loco) non ſemper ſignificare durationem omni fine carentem, ſed longum quandoque tempus; non ſemper ſtricti nominis æternitatem ſonare, ſed ſolam quandoque diuturnitatem: ut Geneſis 17. v. 8. de terra Chanaam dictum eſt, *dabo tibi, & ſemini tuo; terram peregrinationis tuæ; omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam* per verbum hebraicum *holam*: quæ tamen jam diu à Judæis non obtinetur. Et Deuteronomii 15. v. 17. De ſervo, qui anno ſeptimo egredi noluerit, dicitur, *aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & ſerviet tibi uſque in æternum*; per vocem *holam*: qui tamen recurrente anno Jubilæi à ſervitute ſolutus erat; ut habetur in Levitico Cap. 25. v. 10. Ac tunc tantùm vocem illam *æternum* durationem omni fine carentem neceſſariò ſignificare, dum vocabulo *Nezac*, vel *Sela*, vel, *Od* in Hebraico textu expreſſa eſt. Quòd idem, miſſa eruditione Rabbinica, obſervat D. Auguſtinus, quæſt. 13. in Geneſim, & quæſt. 43. in Exodium. Perperam itaque abſolutam Circumciſionis perennitatem ex laudato Teſtimonio Judæi colligunt.

Sit ita tamen, & abſolutam perennitatem, ſeu durationem omni fine carentem, eo vocabulo ſignificari concedamus: non advertunt imprudentes, duo longè diverſa adnotari hoc loco, ac latè diſtingui. Fœdus, ſcilicèt, Dei cum Abrahamo initum, ſeu contractam cum illo amicitiam; & ſignum initi fœderis. Circumciſio Abrahamo præcepta non eſt fœdus ipſum, ſed eſt fœderis ſignum, uti verſiculo ſuperiori declaratur, *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos*. Damus ergo Judæis, ultroque concedimus, fœdus Dei æternum eſſe contractam Dei cum Abrahamo amicitiam æternam eſſe; quod unum ſcriptura docet loco à Judæis toties decantato: *Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*: at contracti fœderis ſignum æternum eſſe

perna-

pernegamus: nullumque ſcripturæ locum proferri poſſe contendimus, quo ſignum hoc æternum, ac perenne vocitetur.

Inquient fortè, ſignum fœderis æternum eſſe opertere, ſi fœdus æternum eſt. At id ex proprio cerebro dicent, non ex ſacris litteris: tamque falſum eſt, quàm quòd maximè. Quis enim neſciat, amicitiam firmam, ac ſtabilem inſtabili plerumque, fluxo, ac fugitivo ſigno firmari? Quis neſciat E. G. plerumque perire annulum, qui unicum apud Hebræos fœderis matrimonialis ſignum eſt; nec tamen idcircò Matrimonium reſcindi, atque diſſolvi? Satis quippe eſt ad retinendam cujuſcumque amicitiæ, ac fœderis firmitatem, ſi ſignum, quo primùm ſancita eſt, memoria recolatur, quamquam illud re ipſa defierit. Id & nos agimus in præſentia, qui licèt exoletam Circumciſionem non uſurpemus, toties tamen divini fœderis cum Abrahamo initi recordamur, quoties Circumciſionem ſola mente recolimus.

IX. Sed reponent, (idque mihi non ſemel à Judæis objectum eſt:) fœdus Dei cum Abrahamo initum, cum ejus quoque ſemine initum fuit; ſtat igitur etiamnùm hodie cum Judaico populo Dei fœdus: quandoquidem ſecundùm nos fœdus illud æternum erat. O cæcos homines! Fœdus cum Abrahamo initum; cum ejus quoque ſemine initum eſt! Ita certè: ſed quo ſemine? Semine fideli, quod fidem Abrahæ ſectaretur: ſemine, quod ſtaret in pacto, quod ſtaret in fœdere; non quòd pactum, fœduſque iniquitate ſua reſcinderet. Mutua quippe fide pacta conſiſtunt. Si ergo tanta fide pactis initis ſtetiſſent Abrahæ poſteri, quanta fide ſtetit Abraham ipſe, nihil dubitandum quin & perpetuò cum poſteris perduraſſet. At quàm turpitèr pactum initum Judæi violarint, Prophetæ plus ſatis atteſtantur, ac lugent. Pſal. 77. v. 57. *Averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum: quemadmodum patres eorum converſi ſunt in arcum pravum*. Jeremias Cap. 11. v. 10. *Irritum fecerunt domus Iſrael, & domus Juda pactum meum, quòd pepigi cum patribus eorum*. Oſeas Cap. 6. v. 7. *Sicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi prævaricati ſunt in me*. Malachias Cap. 2. v. 8. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum*. A divino itaque fœdere ſua culpa, & iniquitate deciderunt. Sed volunt Abrahæ ſemen, cum quo fœdus initum, perenniter ſtet? Hoc ſumus nos, quotquot Chriſtiano nomine gloriamur. Semen Abrahæ ſumus, non carne, ſed ſpiritu; ſemen ex fide, non ex fœmore; ſemen circumciſum mente, non corpore. *Non enim*, ut ait Apoſtolus ad Romanos Cap. 2. v. 28. *Qui in manifeſto Judæus eſt; neque quæ in manifeſto eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Judæus eſt; & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt*.

Digitized by Google

EXERCITATIO V.

De quarta prænunciati Chriſti nota; Templo, ſcilicet, ac Jeroſolyma, numquam inſtaurandis; deque Judaico populo minimè colligendo.

I. NIhil in ore frequentiùs habent Judaicæ perfidiæ Doctores, atque magiſtri, quam Chriſtum Prophetarum vaticiniis prænunciatum, Urbem Jeroſolymam, ac ipſum maximè Salomonicum Templum excitaturum, ut illic veteri ritu Judęi ſacrificia offerant, & in terra Patrum ſuorum ſecundùm carnem beatè, ac fœlicitèr vivant. Hac eſca gregalium ſuorum ſpes crudas alunt; ſtolidæ plebi fortunata tempora, & ſoles candidos adpromittunt; ſtandum animis admonent, donec excuſſa, qua premuntur ubique gentium miſera ſervitute, bona pace, & avorum ſuorum hæreditate perfruantur. Hinc & Jeſum noſtrum veri Meſſiæ partibus defuiſſe audaciſſimè colligunt, quòd nihil ejuſmodi quidquam Judæi ejus ætate experti ſint: minùſque Servatoris officio functum effutiunt, à cujus tempore Judæi extorres, & profugi ubique gentium vagantur, & errant; quos tamen à promiſſo ſibi Servatore colligendos Prophetæ veteres prænunciarunt.

Quantùm illos ea fallat opinio, ex parte hactenùs demonſtravimus; dum Leviticum Sacerdotium, Legemque Moſaicam à promiſſo Meſſia antiquandam, ac reſcindendam probaremus. Hinc quippe nullam excitandi Salomonici Templi neceſſitatem ſupereſſe facilè colligas. Verùm, ne potiſſimum iſtud Judaicæ perfidiæ caput perfunctoriè tantùm attigiſſe videamur, id præſenti Exercitatione demonſtrabimus: Omnem prorſus inſtaurandæ Jeroſolymæ, & excitandi Salomonici Templi ſpem Judæis ademptam eſſe; fruſtraque illos Meſſiam alterum præſtolari, qui iſtud miſeræ, ac profugæ genti officium præſtet.

II. Et certè, divino quodam numine factum eſt, ut poſt annos mille ſexcentos, & quod excurrit, Salomonicum Templum à Tito, & Veſpaſiano ſolo æquatum, nequaquam excitaretur; tametſi Judæi molitionem attentarint ſæpè numerò. Verùm-enim-verò Templi, & Urbis inſtaurationem quotiès Judæi aggreſſi ſunt, totiès repreſſi, atque ſubmoti cæptum opus intermiſere. Primùm quidem ſub Hadriano Imperatore; tum ſub Conſtantino tentantes opus, à militibus longè ſubmoti, manum quantocitius retraxerunt: poſtremò ſub Juliano Apoſtata, qui Chriſtianæ Religionis odio magnas Judæis & opes, & operas ad Templum excitandum impenderat, opus rurſus aggreſſi, ingenti portento repreſſi conciderunt: igne ſcilicet è fundamentis erumpente, & intempeſtivos conatus reprimente; ut Dei numen in molitores iratum experirentur univerſi. Non hìc Chriſtianos Scriptores facti teſtes advocabo, à quibus portentum hoc memoriæ commendatum eſt, tametſi ſpectatiſſimos,

Digitized by Google

moſ, ac fide digniſſimos: Joannem Chriſoſtomum Serm. 2. in Judæos; & Homilia 4. in Matthæum, Gregorium Nazianzenum Orat. 4. Ambroſium Epiſt. 29. ad Theodoſium, Theodoretum lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 20. Socratem paritèr lib. 3. Cap. 20. Sozomenum lib. 5. Cap. 22. Caſſiodorum Hiſtoriæ tripartitæ lib. 6. Cap. 43. alioſque non paucos, in quos Judæi fortaſſis exceptionem facerent, uti Chriſtianorum partibus addictos. At teſtem dabo omni exceptione majorem, Ammianum Marcellinum, virum ethnicum, Chriſtiani nominis profeſſum hoſtem, quem nobis ad Judæorum invidiam gratificari voluiſſe, nemo dixerit. Is ergo lib. 23. *Rerum geſtarum* de Juliano Apoſtata ita ſcribit: *Imperii ſui memoriam magnitudine Operum geſtiens propagare: ambitioſum quondam apud Jeroſolyma Templum, quod poſt multa, & internecina certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito agrè eſt expugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro Præfectis. Cum itaque rei idem fortitèr inſtaret Alypius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquotiès operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatiùs repellente, ceſſavit inceptum.* Hæc ſcriptor ethnicus, Chriſtianorum adversùs Judæos cauſam agens.

Neque minùs divino numine factum æſtimare par eſt, ut in ejus tandem Principis poteſtatem cederet Jeroſolyma, magni quondam nominis umbra, qui Chriſtiano nomini præ cæteris infenſus eſt: ne fortè fatalis urbis inſtaurationem Chriſtianorum artibus impeditam Judæi dicant: ſed ultricem Dei manum in ſe concitatam experiantur. Neque enim, ne inſtauretur, obſiſtimus nos, aut repugnamus, qui nihil in eo terræ tractu poteſtatis obtinemus. Obſtat nominis noſtri profeſſus hoſtis Turcarum Imperator, nullo certè impendendi nobis officii ſtudio motus, ſed cæcus divinæ ultionis adminiſter. Imo obſtat ſecreto, atque occulto judicio Deus ipſe, qui pro ea, quam habet in flectendis, movendiſque hominum cordibus mirabili, atque ineffabili poteſtate, Judæos ipſos ab eo inſtaurandæ Jeroſolymæ audaci conſilio tandem aliquando procul avertit. Neque enim a multis ſæculis opus faciundum ſuſceperunt Judæi, aut etiam attentarunt.

III. Jam verò quam inaniter adventante Meſſia tentandum inſtaurationis opus ariolentur cæci homines, iis manifeſtum fore arbitror, qui ſacra Prophetarum oracula vel obiter lectitarint. Omnem enim, & inſtaurandæ Jeroſolymæ, & inſtaurandi Templi ſpem mortalibus adimunt. Iſaiæ Cap. 25. v. 2. *Poſuiſti Civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum; ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur.* Jeremiæ Cap. 19. v. 11. *Hæc dicit Dominus exercituum, ſic conteram populum iſtum, & Civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari.* Amos Cap. 5. v. 1. *Audite verbum iſtud, quod levo ſuper vos planctum: Domus Iſrael cecidit, & non adiiciet, ut reſurgat; Virgo Iſrael projecta eſt in terram, & non eſt qui ſuſcitet eam.* Danielis Cap. 9. v. 26. *Et Civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autē pactū multis hebdomada una: & in medio hebdomadis*

deficiet

deficiet hoſtia, & Sacrificium. Et erit in Templo abominatio deſolationis; & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio. Unde eſt ergo fatua illa Templi Salomonici tandem aliquando per Meſſiam inſtaurandi ſpes, ſtolidæ Judæorum plebi à Magiſtris ſuis, atque Doctoribus tam liberaliter facta? Sic ſanè ſimplicium credulitati illudendum, ut id demum inſtauratum iri jactitetur, quod *in ſempiternum non ædificandum* vaticinatus eſt Iſaias: *non ultra inſtaurandum* Jeremias: *non erigendum, nec ſuſcitandum* Amoſus: perpetua demum, atque *ad finem uſque* duraturæ *deſolatione* diſſipandum Daniel prænunciavit?

Accedit Oſee locupletiſſimum vaticinium Cap. 3. v. 4. miſerum Judæorum ſtatum, quo ſinè Rege, ſinè Templo, ſinè Sacerdote, ſinè laribus futura eſt perfida gens, ad extremum uſque mundi diem duraturum vaticinatur; quo demum tempore Chriſtum agnoſcent Judæi, ſed ſerò nimis. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſinè Rege, & ſinè Principe, & ſinè Sacrificio, & ſinè Altari, & ſinè Ephod, & Teraphin:* (hoc eſt ſinè Pontifice, & ſinè Propheta:) *Et poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in noviſſimo dierum.* Nulla ergo inſtaurandi Templi ſpes illis affulget, ſi ad noviſſimum uſque diem ſinè Sacrificio, ſinè Altari, ſinè Pontifice manſuri ſunt.

IV. Sed videamus nunc tandem, quid illorum ſpes potiſſimùm excitarit, ut ſtultam adeo fabulam venditarent. Amoſi Prophetæ luduntur oraculo perperam intellecto, Cap. 9. v. 11. ubi Deum ita loquentem inducit: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo illud, ſicut in diebus antiquis.* Et poſt pauca, v. 14. *Convertam captivitatem populi mei Iſrael: & ædificabunt Civitates deſertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non evellam eos ultra de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus.* Luduntur & aliis longè pluribus, quæ Judæos quaquaversùm diſperſos, & profugos in priſtinum ſtatum, & locum à Chriſto venturo reſtituendos vaticinantur. Iſaiæ Cap. 11. v. 12. *Levabit Dominus ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ.* Jeremiæ Cap. 29. v. 14. *Reducam captivitatem veſtram, & congregabo vos de univerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos: dicit Dominus, & reverti vos faciam de loco, ad quem tranſmigrare vos feci,* Cap. 30. v. 3. *Convertam converſionem populi mei Iſrael, & Juda, ait Dominus, & convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, & poſſidebunt eam.* Cap. 30. v. 37. *Ecce ego congregabo eos de univerſis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, & in indignatione grandi; & reducam eos ad locum iſtum, & habitare eos faciam confidenter.* Ezechielis Cap. 74. v. 12. *ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum, ſic viſitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerunt in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam: & paſcam eas in montibus Iſrael, in rivis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcam eas, in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum.*

Magna fateor, & larga promiſſa, quæ carnalium Judæorum oculos

ſtatim feriant; animoſque ad temporalia dumtaxat bona inhiantes rapiant, atque devinciant! Quæ tamen magna ex parte nonniſi figurato ſenſu accipi poſſunt; ut ad ſpiritualem Judæorum liberationem per fidem, necnon ad myſticam Jeroſolymorum inſtaurationem, Eccleſiam ſcilicet, à Chriſto inſtituendam, conſecrandamque referantur. Quod ni fiat, in ſexcenta abſurda impingitur: quorum duo hìc leviter notare ſatis erit in uno Amoſi vaticinio, quod Judæis præ cæteris fucum facit Tabernaculum, ſcilicèt, Domini reædificandum ominatur Amoſus ſicut in diebus antiquis, *ut poſſideant reliquias Idumaæ, & omnes nationes, eò quòd invocatum ſit nomem meum ſuper eos*, v. 12. Quis autem dicat, Zorobabelis ætate, ac etiam ſecutis inde temporibus Nationes omnes Judæorum imperio fuiſſe ſubditas: cùm ii potiùs exterarum deinceps Nationum dominatum, ac etiam tyrannidem paſſi ſint? Addit idem Amoſus v. 15 *Plantabo eos ſuper humum ſuam, & non evellam eos ultra de terra ſua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus*. Cùm tamen perſpectum ſit, totam Judaicam gentem ſuis ſubinde ſedibus fuiſſe depulſam, diſſipatam, perpetuoque exilio ad hæc uſque tempora damnatam. Non itaque ad temporalem Jeroſolymorum inſtaurationem, ſed ad ſpiritualem Judæorum liberationem per fidem, Eccleſiæque inſtitutionem referenda illa ſunt; uti in Actibus Apoſtolicis Cap. 15. v. 14. referuntur. Interea tamen quæ de materiali, ut ajunt, Jeroſolymorum inſtauratione, deque temporali Judæorum liberatione, & in priſtinum locum reſtitutione promittuntur, tot illis productis oraculis, ſtolidè prorſus expectantur etiamnum, quæ dudum deſtinatum exitum habuerunt: ſoluta nimirum ſub Cyro Perſarum Rege Captivitate Babylonica, inſtaurato ſecundis curis Salomonico Templo, Judaico populo in Judæam reducto, atque in integrum reſtituto annis ante Chriſtum noſtrum amplius quingentis, lib. 2. Paralipomenon Cap. 36. Eſdræ 1. Cap. 1. Cum enim durante Captivitate Babylonica Propheticum munus obirent Amos, Jeremias, Ezechiel; ad illam primam inſtaurationem, quæ ſoluta poſt annos ſeptuaginta Captivitate facta eſt, oculos intendebant; ut Judæorum captivorum animos erigerent, data illis ſpe bona futuræ propè diem liberationis, & Templi quantocitiùs excitandi. Idut dicamus, gemina ratio cogit prima quòd inſtaurandi Templi facultatem à Cyro Perſarum Rege datam, notet Eſdras, *ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ*. Secunda, quia ſi de altera Jeroſolymorum inſtauratione, qualis nunc ab Hebræis expectatur, poſt ſecundam cladem à Tito, & Veſpaſiano illatam Prophetas illos locutos diceremus, palam ſibi, apertèque repugnarent; quippe qui, & Jeroſolymam, & Templum numquam deinceps inſtaurandum locis paulò ante laudatis apertiſſimè conteſtantur.

V. Reponunt nihiloſecius Judæi, modicam, tenuemque admodùm fuiſſe eam Jeroſolymorum inſtaurationem, quæ ſub Cyro poſt primam everſionem tentata eſt: cum tamen futurum prænunciaverint Jeremias Cap. 31. v. 38., & Zacharias Cap. 14. v. 10. ut inſtaurata Jeroſolyma finitima circumquaque loca, colles, ac valles occuparet: atque hinc colligunt, Meſſiam expectandum eſſe, qui ſecunda inſtauratione facta, tan-

tam

Digitized by Google

tam Urbi amplitudinem tribuat, quantam Prophetæ laudati promiſerunt. Addunt, & hoc quoque Jeremiam ſpopondiſſe, fore ut inſtaurata Civitas, *non evellatur, & non deſtruatur ultra in perpetuum*. Et Zachariam Cap. 14. v. 11. perinde ſcripſiſſe, *Anathema non erit ampliùs, ſed ſedebit Jeruſalem ſecura*: Cum tamen poſt factam primam illam ſub Cyro inſtaurationem, ſub Tito deinde, ac Veſpaſiano deleta ſit. Ut ergo (ſubiungunt) ſua iis Oraculis veritas conſtet, nova emulatiſſimaque inſtauratio expectanda eſt, vltra quam nullus deinceps everſionis, ac vaſtationis metus eſſe poſſit: placidèque ad Dominum ſuum Judæi exules revertantur.

Sed in eo quoque deluduntur: nec ſatis intelligunt, Prophetas pro more ſuo à typo, ſeu figura ad veritatem greſſum facere; ab inſtauratione temporali Jeroſolymorum, quæ ſub Cyro peracta eſt poſt primam everſionem, ad ſpiritualem Eccleſiæ inſtitutionem; ut carnales Judæorum animos à temporalibus bonis ad ſpiritualia erigerent. Quæ ergo de inſtauratæ tunc primùm Jeroſolymæ amplitudine, ornatuſq; perennitate ſacris in litteris adnotantur; hæc de Eccleſię inſtitutione, de myſtica, & ſpirituali inſtauratione intelligenda omninò veniunt. Ne porrò Judęi mortiferæ litteræ tenaciùs hærentes nobis obtrudant, Chriſtianorum effugium iſtud eſſe, ac pro arbitrio confictum, ut obiectam illorum difficultatem declinemus potiùs, quàm ſolvamus; hujuſce dati reſponſi rationes prorſus invictas ſubiicimus, quæ Judaicarum interpretationum vanitatem in propatulo ponant; idque totum de ſpirituali inſtauratione accipiendum evincant.

Ratio prima hæc eſt: quòd non abſimilem inſtaurationem, liberationem, redintegrationem Sodomitis, & Samaritanis adpromiſerit Deus, ac laudatis ante Oraculis Judæis dicitur ſpopondiſſe. Ezechielis Cap. 16. v. 55. *Soror tua Sodoma, & filia ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & Samaria & filia ejus revertentur ad antiquitatem ſuam, & tu, & filia tua revertemini ad antiquitatem veſtram*: hoc eſt, ad antiquam ſedem, opes, & gloriam. At Samariam, Sodomam, vicinaſque urbes igne ſuccenſas nuſquam temporaliter reſtituendas Judæi conſentiunt: ſpiritualis igitur dumtaxat eis promittitur inſtauratio. Parem Moabitis, ac Judæi ipſis liberationem promiſit Jeremias Cap. 48. v. 47. *Convertam captivitatem Moab in noviſſimis diebus, ait Dominus*. Parem, & Ammonitis ſpopondit Cap. 49. v. 6. *Et poſt hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus*. Cum tamen nec Ammonitas, nec Moabitas è temporali captivitate rediiſſe, Judæi fateantur. Quæ ergo illis promittitur liberatio, ſpiritualis eſt, puta converſio ad Deum per Chriſtum. Quidni ergo pari jure laudatis Prophetarum vaticiniis ſpiritualem Iſraelis, ad Jeroſolymorum inſtaurationem intelligamus, Eccleſiæ ſcilicet inſtitutionem?

Ratio altera hæc eſt: quòd Dei domum, & Jeroſolymam inſtaurandam in eum modum, ac formam Prophetæ vaticinentur, quam ad litteram, & ſecundùm verborum ſuperficiem accipere, ineptiſſimum ſit. *Ecce ego*, inquit Deus Iſaiæ 54. v. 11. *Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua*: Quæ quis extra figuram dicta putet? *Et erit* inquit Iſaias Cap. 2. v. *præ-*

paratus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles: Quę quis ſecundùm nativum verborum ſenſum accipienda ſibi fingat; *Et erit*, ſubiungit idem Iſaias Cap. 66. v. 23. *menſis ex menſe, ſabbathum ex ſabbatho, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea in Jeruſalem*. Qua verò ſorte fieri poſſet, ut toto Orbe diffuſæ gentes quovis menſe, imò & quovis ſabbatho Jeroſolymam tandem inſtauratam adirent, verum illic Deum adoraturæ? Addit Zacharias Cap. 44. v. 16. 18. 19. convolaturas illuc gentes omnes *ad celebrandam feſtivitatem Tabernaculorum*: Rem utique, ſi nudam litteram ſpectes, penitus impoſſibilem. Sed & Iſaias toties jam appellatus inſtauratæ ſemel Jeroſolymæ, populique ad priſtinas ſedes reducis beata tempora deſcribens; ea de vallibus, ac montibus, de diebus, ac noctibus, de brutis demùm animantibus narrat, quæ ſi quis ſtricto ſenſu, ac citra allegoriam velit accipere, omnium cachinnis, ac ſibilis excipietur. Cap. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons, & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Cap. 24. v. 23. *Erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in Monte Sion, & in Jeruſalem*. Cap. 30. v. 26. *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit*. Cap. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & urſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo*. Hæc itaque ſpirituali, & allegorico ſenſu citra dubium intellecta nonniſi ad ſpiritualem Jeroſolymorum, & Judaicæ gentis inſtaurationem, liberationem, ſalutem, ac pacem referuntur.

Tertia demum ratio, quæ Judæis iugulum petit, iſta eſt: quòd ſua laudatis paulò ante Jeremiæ, & Zachariæ oraculis veritas minimè conſtaret, ſi de temporali Jeroſolymæ inſtauratione locuti dicantur. Hanc enim, ut primùm inſtauratata fuerit ſub Cyro Perſarum Rege, *non evellendam* ultra, *nec deſtruendam*; nec futuram deinceps *anathema*; ſed ſumma *ſecuritate* potituram affirmant. Quod certè, ſi de temporali ſecuritate, atque perennitate dictum velint, quis non videat eſſe falſiſſimum? Cùm toties ſubinde à Romanis oppugnata, capta tandem, incenſa, deletaque ſit. De myſtica itaque Jeroſolymorum inſtauratione, deque ſpirituali Judæorum reſtitutione locutos Prophetas oportet; dum futuræ ſub Cyro Perſarum Rege reſtitutionis, atque inſtaurationis adiuncta, ac circumſtantias prænunciaverunt: ut à typis (quod Prophetis familiare eſt) ad antitypa greſſum facerent, à Templo, Iſaia 45. v. 1., ſcilicèt Salomonico ſub Cyro *Chriſto Domini* temporaliter inſtaurato, ad Spirituale Templum (Eccleſiam intellige) à Chriſto Jeſu excitandum, extruendum, & conſecrandum.

VI. Hinc depulſam arbitror alteram Judæorum hallucinationem, qua terram Chanaam, Abrahamo, & ſemini ejus à Deo datam glorientur, *in poſſeſ-*

Digitized by Google

in poſſeſſionem æternam, Geneſis Cap. 17. v. 8. Unde colligere ſibi putant, Terram hanc adveniente Meſſia ſibi fore reſtituendam, ut illam æternùm poſſideant, juxta Iſaiæ vaticinium Cap. 60. v. 21. *Populus autem tuus omnes juſti in perpetuum hæreditabunt Terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum*. Et Ezechielis Cap. 37. v. 25. *Et habitabunt ſuper Terram, quam dedi ſervo meo Jacob, in qua habitaverunt patres veſtri. Et habitabunt ſuper eam ipſi, & filii eorum, & filii filiorum eorum uſque in ſempiternum; & David ſervus meus princeps eorum in perpetuum, &c.* Ut enim omittam hìc, quod in ſuperiori exercitatione Hebræorum Magiſtrorum auctoritate probatum eſt; iis loquendi formulis, *in æternum, in perpetuum, in ſempiternum*, non ſemper durationem omni fine carentem intelligi, ſed prolixum quandoque tempus ſignificari dumtaxat; quis quæſo vel mediocriter ſapiens, prima fronte non videat, iſthæc per allegoriam dicta eſſe, & terræ Chananeæ ſymbolo, cęleſtem fælicitatem adumbrari in perpetuas æternitates à veris Abrahæ filiis poſſidendam? Nam ſi res ſecundùm carnem, & juxta litterę corticem penſare Judæi velint; dicant qua ratione fieri poſſet, ut Abrahæ ſemen quod toto terrarum Orbe diffundendum promiſerat Deus, Geneſis 13. v. 16. unico Chananeæ ſinu contineri poſſet? Dicant, qua ſorte, Terra Chanaam æternùm poſſidenda eſſet, quam ab annis mille ſexcentis, & eò ampliùs minimè poſſident? Dicant, qua digna mercede fidem Abrahæ Deus optimus compenſaſſet, ſi unicum illi, ejuſque ſemini terræ angulum in præmium conceſſiſſet? Mentem ergo erigere neceſſe eſt, ne & Abrahæ fidei, & Dei liberalitati injuriam irrogemus. Quare Chananeàm a poſteris Abrahæ re ipſa, ac longo annorum tractu poſſeſſam olim, ultrò concedimus: at inſinuatam illam poſſeſſionis perennitatem ad Celeſtem patriam, cujus hac ſymbolum erat, referendam judicamus. Alias ſua Dei oraculo veritas conſtare non poteſt.

VII. At erit fortè qui dicat, Jeſum noſtrum nec ſic quidem veri Meſſiæ officio functum eſſe; qui Judæos toto Orbe diſperſos, ac profugos, ne ſpiritualiter quidèm collegit, nec in unius Eccleſiæ ſocietatem adduxit: quòd tamen, fatentibus nobis, verus Meſſias ſacris oraculis prænunciatus facturus erat. Imò, inquio ego, Judæos in unius Eccleſiæ ſinum collegit Jeſus noſter, quotquot colligendos Prophetæ veteres prænunciarunt; veros Abrahæ filios: filios, inquam, non carne, ſed ſpiritu; filios non ex fæmore, ſed ex fide; filios non corpore circumciſos, ſed mente: *Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii*, inquit Apoſtolus ad Romanos 9. v. 7. Quin, & id obſervatione longè digniſſimum eſt, Judaicæ gentis partem plurimam Chriſto Domino adhęſiſſe, ac conſenſiſſe, partem alteram repugnaſſe; ut Prophetarum oracula omni ex parte implerentur. Cum etenim Prophetæ, Judæorum alios Meſſiæ conſenſuros, alios repugnaturos prænunciarint; vocandos alios, alios reiiciendos: minùs propheticæ veritati conſultum eſſet, ſi vel omnes, excepto nemine, Chriſto Domino conſenſiſſent; vel omnes, dempto nemine, repugnaſſent. Duplicem igitur Iſraelem ſecernere neceſſe eſt: ſpiritualem unum, carnalem alterum: fidelem illum,

Digitized by Google

lum, infidelem iſtum; hunc verum Abrahæ filium, iſtum ſpurium, ac degenerem: hunc promiſſis benedictionibus cumulatum in Chriſto Jeſu, cui credidit; illum reprobatum à Jeſu, quem tradidit: hunc in Eccleſiæ Catholicæ unitatem fidei profeſſione ſuſceptum; iſtum in effuſi ſanguinis pœnam toto orbe profugum, & extorrem. Sic ſanè Scripturas nullo negotio conciliamus; donec ad ſæculi finem, ac in ſecundo Chriſti adventu infælices illæ Iſraelis ***Reliquiæ convertantur: reliquiæ*** (inquam) ***Jacob, ad Deum fortem***: ut eſt apud Iſaiam Cap. 10. v. 21.

EXER-

EXERCITATIO VI.

De quinta prænunciati Chriſti nota; Nempe, fore illum virum humilem, atque pacificum, non manu fortem, ac bellatorem.

I. SUccedit ordine quinta prænunciati Meſſiæ nota, quæ uti carnalium Judæorum genio magis arridet, ita & ab iis majori animorum contentione defenditur. Horum una vox eſt, una ſententia, Meſſiam Prophetarum oraculis prænunciatum, virum manu fortem, ac bellatorem futurum, qui & ingentes ducat exercitus, & iis cum ſummo imperio præſit. Cùm enim in unam, qua toto Orbe premuntur, temporalem ſervitutem oculos intendant; eum tandem oriturum ſibi liberatorem opinantur, qui miſeram gentem armata manu, ac ſtricto gladio vindicet; denſaque gentibus exteris ſtrage illata, optatam diù ſuis libertatem reſtituat. Ea ſpe bona lactantur miſeri, ventura fælicia tempora præſtolantur; futurumque tandem exiſtimant, ut hoc ſuo Meſſia duce, ac vindice, quem ſibi ad arbitrium effingunt, Nationum, quibus hodiè ſerviliter parent, ſanguine ſaginentur.

Ludam operam, ſi quotquot in hanc rem Scripturarum oracula congerunt cæci homines, velim hìc minutatim, atque diſtinctè recenſere. Selectiora brevitèr dabo, quibus figmentum iſtud nituntur adſtruere. Numerorum Cap. 24. v. 17. ubi Chriſti adventus quàm diſertiſſimè prænunciatur: *Orietur ſtella ex Jacob, & ſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa poſſeſſio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis: Iſrael verò fortiter aget. De Jacob erit, qui dominetur, & perdet reliquias Civitatis.* Pſalmo 109. v. 6. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges. Judicabit in Nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* Iſaiæ Cap. 42. v. 13. *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.* Jeremiæ Cap. 12. v. 12. *Gladius Domini devorabit ab extremo terræ, uſque ad extremum ejus.* Joelis Cap. 2. v. 11. *Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra ejus, quia fortia, & facientia verbum ejus.* Habacuch. Cap. 3. v. 12. *In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes: egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Zachariæ Cap. 9. v. 13. *Extendi mihi Judam quaſi arcum, implevi Ephraim, & ſuſcitabo filios tuos Sion, Græcia; & ponam te quaſi gladium fortium.* Et alia id genus multa, quæ paſſim in Prophetis occurrunt: unde Meſſiæ bellatoris, Copiarumq; ductoris effingendi anſā Judęi recentiores, ac veteres arripuerunt.

Sed neque unico iſto actu Meſſiæ bellicoſi fabula luditur. Addunt liberales næniarum iſtarum venditores, Meſſiam poſt confecta bella, eam orbi pacem temporalem allaturum, quæ nullo deinceps bello, nul-

la

la inter ſe gentium diſſenſione turbetur. Ita quippè colligere ſibi videntur ex variis Profetarum oraculis. Pſalmo 45. v. 9. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella uſque ad finem terræ arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Pſalmo 75. v. 1. 1. *Notus in Judea Deus, in Iſrael magnum nomen ejus, & factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* Iſaiæ Cap. 2. v. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur ultra in prælium.* Michææ Cap. 4. v. 3. *Judicabit Dominus inter populos multos, & corripiet gentes fortes uſque in longinquum, & concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens adverſus gentem gladium, & non diſcent ultrà belligerare. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat, quia os Domini locutum eſt.* Aliaque non abſimilia Prophetarum oracula, quæ diſtinctiùs, & accuratiùs recenſere, longum eſſet.

Quid plura? Talem orbi pacem à Chriſto bellatore, ac domitore datum iri fabulantur, quæ bruta etiam animantia inter ſeſe conciliet, ſocietque mutuò; quæque ingenitam illis feritatem adimat, ne ultra deinceps hominibus noceant. Ut planè quod in effingenda aurea Saturni ætate à Poetis ingenioſè confictum eſt, totum id in effingendo Meſſiæ ſæculo ſomniaſſe Judæorum aliqui videantur. Nec deſunt, quæ in hujus commenti fidem oſtentent Prophetarum vaticinia. Iſaiæ Cap. 11. v. 6. *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & urſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident animalia in univerſo monte ſancto meo.* Quæ totidem fermè verbis inculcantur Cap. 65. v. 25. *Lupus, & agnus paſcentur ſimul, leo, & bos comedent paleas, & ſerpenti pulvis panis erit: non nocebunt, nec occident in omni monte ſancto meo, dicit Dominus.* Ezechielis Cap. 34. v. 25. *Faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra, & qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus.* v. 28. *Et non erunt ultra in rapinam in gentibus: neque beſtiæ terræ devorabunt eos; ſed habitabunt confidenter abſque ullo timore.* Oſeæ Cap. 2. v. 18. *Percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & cum volucre Cœli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.*

Quid autem, poſitis illis Judaicæ perfidiæ fundamentis, adversùs Jeſum noſtrum conſequatur, in apertò eſt: Illum nempè à nobis perperam uti Meſſiam agnoſci, & coli; quem nec virum bellatorem, nec manu fortem extitiſſe, ſatis ſcimus; nec ulla nobis hujuſce promiſſæ pacis, aureæque ætatis paulò antè narratæ beneficia contuliſſe profitemur.

Ut ergo pro more noſtro, & inſtituto inanes illas Judæorum argutias retundamus, duo hæc demonſtrare nobis eſt opus: primùm, Meſſiam illum bellatorem, tot illis vaticiniis prænunciatum, non temporalia, non carnalia bella geſturum fuiſſe, ut Judæi ſibi inanitèr blandiuntur; ſed ſpiritualia, quibus animæ hoſtes, & vitia pelleret: Alterum, pacem à Meſſia bellicoſo hominibus redonandam ſpiritus eſſe,

non

Digitized by Google

non carnis animæ, non corporis; piam mentis, & fidei ſecuritatem, non externam variarum gentium in ſervandis finibus conſenſionem. Sic certè Judæos cæcos Scripturarum interpretes oſtendemus, & Jeſum noſtrum verum Meſſiam in iis ipſis principiis demonſtrabimus, quibus illi pertinaciter negant.

II. Ut itaque promiſſum bellatorem, bellaque ab ipſo gerenda certiſſimè dignoſcamus; arma ipſa, quibus uſurus eſt, obſervare ſat erit. Ex armorum quippè genere belli quoque gerendi genus ſinè controverſia definiemus. Hæc porrò nobis indigitat Iſaias, cujus ſuffragio turpiter abutuntur, Cap. 11. v. 4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* Bellum igitur ſpirituale geſturus erat bellator, ille, ſpiritualia dumtaxat arma tractaturus, verba ſcilicèt, ſpiritum, juſtitiam, & fidem. Quæ totidem à fidelibus illius Diſcipulis tractanda monet Paulus, Apoſtolus ad Epheſios Cap. 6. v. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in malo die, et in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, et induti loricam juſtitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: et galeam ſalutis aſſumite, quod eſt verbum Dei.* Quibus in verbis, Chriſti Apoſtolum Prophetæ mirum in modum conſentientem habemus, ut unius interpretationem ex alio colligamus.

Idem belli genus, ſpirituale ſcilicèt, nil minùs egregiè, & luculentèr oſtendit Iſaias idem, Cap. 8. v. 3. ubi de Chriſto bellicoſo in ipſa quoque pueritia bella gerente ſic habet: *Et dixit Dominus ad me, voca nomen accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari: quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, et matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, et ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Jam ergo vagitu ad arma vocaturus erat bellator infantulus, ſigna belli, non tuba, ſed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro, ſed de Nutricis aut gerulæ ſuæ collo hoſtem aggreſſurus: atque ita Damaſcum, & Samariam pro mamillis ſubacturus. Quidni ergo figuratam hic locutionem, & ſpirituale bellum adumbratum intelligamus; quo nimirum præmatura profeſſione virtutis, internos animi hoſtes, Damaſci, & Samariæ ſymbolo deſignatos adhuc puer ſuperaret? Sed hæc eſt Judęorum improba cæcitas, ut non alios hominis hoſtes putent, præter Ægyptios, Aſsyrios, Babybilonios, alioſque id genus antiquos ſuæ gentis domitores: nec alia idcirco bella, ab eo, quem præſtolantur, liberatore gerenda norint, niſi quæ temporalem illis libertatem, ac pacem attulerint. Vah cæcas mentes! Verus hominis hoſtis peccatum eſt, quo uno læditur anima, & ſervituti addicitur. Legant ſuæ gentis Annales nuſquam Judæos ſervituti addictos invenient, niſi ob idololatriam, aut ſcelus aliquod ingens. Ita Ægyptiis, Moabitis, Ammonitis, Philiſtæis, Madianitis, Aſſiriis, Babyloniis, Perſis, Medis, Græcis, Romanis per varia temporum intervalla ob admiſſa identidem ſcelera ſervierunt. Ut hinc noverint, peccata veri nominis hoſtes eſſe, unde prima tot ſervitutum, totque malorum origo nata eſt: Ægyptios verò Moabitas Philiſtæos, alioſque id genus populos

non tam hoſtes, quàm Dei vindicis adminiſtros. Is ergo verus Meſſias, verus Liberator habendus erit, qui vitiis, non qui gentibus bellum indixerit; qui ſpiritualia, non qui carnalia arma tractari; qui mentis, non qui corporis libertatem attulerit. Hinc frequentes illæ Prophetarum voces: *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth, & præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei ſoli, & liberabit vos de manu Philiſtiim* Lib. 1. Reg. Cap. 8. v. 3.

Sed nihil æquè Judaicam hoc in capite vanitatem exſufflat, quàm decretorium Sapientis oraculum, Sapientiæ Cap. 5. v. 17. ubi venturi Liberatoris bellicum apparatum deſcribens, hoſteſque ab eo conterendos adumbrans nil, niſi ſpirituale bellum ab eo gerendum inſinuat. *Dextera ſua reget eos, & bracbio Sancto ſuo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum: Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum eo orbis terrarum contra inſenſatos*. En tibi promiſſi Bellatoris armaturam; juſtitiam, judicium, æquitatem, ac zelum: quæ illis inſtar thoracis, & galeæ, inſtar ſcuti, & lanceæ futura erant. Quò planè collineat Oſeæ dictum Cap. 1. v. 7. *Domui Juda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo. Et non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*. Næ ergo Judæi mente, & ſenſu capti, qui ſuæ gentis Liberatorem, Alexandri, ac Cæſaris apparatu prodit urum ariolantur: mortiferamque ſecuti litteram nil, niſi quæ carnis ſunt ſapiunt? Hunc longè alium nobis effingit Iſaias Cap. 42. v. 1. ut mitem potiùs, humilem, pacificum dignoſcamus. *Ecce* inquit, *ſervus meus, ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi Spiritum meum ſuper eum; judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium: non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat terra judicium, & Legem ejus inſulæ expectabunt.*

III. Nunc autem pacem à Meſſia domitore, ac bellatore hominibus redonandam ſpiritus eſſe, non carnis; (quod alterum præſentis inſtituti caput eſt) ex hoc primo ſponte ſua fluere, nemo non videt. Ut enim belli fructus pax eſt, ſpiritualem ab eo pacem donari neceſſum erit, qui non niſi ſpiritualia bella geſſerit, & ſpiritualia arma tractarit. Patet id nihiloſeciùs adhuc luculentiùs, & apertiùs ex Aggæi oraculo, Cap. 2. v. 8. ubi de Templo Salomonis poſt ſolutam Captivitatem Babylonicam reſtituto ſub Cyro Perſarum Rege ſermonem habens, loquitur in hæc verba: *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquàm primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum*. Quæram etenim à Judæis, num fortè pax temporalis Templo huic à Zorobabele reſtituto data fuerit, quod creberrimis bellis appetitum eſt ab Antiocho, Pompejo, Cajo, ac tandem poſt horrendas calamitates funditùs à Romanis exciſum eſt? Negabunt profectò, ſi ſapiunt, temporali pace donatum eſſe Templum illud ſpiritualem itaque pacem huic dumtaxat promiſſam fuiſſe fateantur neceſſe eſt. Quam ſcilicèt

licèt Jeſus noſter eo in Templo oblatus Æterno Patri hominibus quæſivit ſanguine ſuo, placato Deo, & hominibus reconciliato, ſedatiſque, conſcientiæ motibus, qui teterrimum peccatoribus bellum inferunt.

IV. Quod ergo Iſaiæ 2. de Meſſiæ temporibus legimus, undè Judæi præſidium petunt: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contrà gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium*: Uti & alterum Michææ 4. à Judæis proferri ſolitum, figuratæ loquendi formulæ ſunt à Prophetis uſurpari ſolitæ ſpiritualem animæ pacem iis ſymbolis deſignantes. Nempè deponendam ſignificavit avaritiam, ſuperbiam, cupiditatem, alioſque pravos animi motus, unde injuſta bella naſcuntur. Qualia ex dominandi libidine Nabucodonozor, Antiochus, Aſſirii, Chaldæi, Perſæ, Græci, Romani nondum nato Chriſto moverunt. Non quòd ſub Meſſiæ imperio injuſta etiam bella eſſe non poſſint, quot enim experimur in dies? Sed quòd iſtiuſmodi nulla à veris, piiſque Chriſti fidelibus excitentur; ad quos memoratæ Iſaiæ, & Michææ promiſſionis diriguntur. Ut enim bella hæc Chriſti Lege vetantur, ita qui ex dominandi cupiditate, atque libidine bella movent, non Chriſtiani verè ſunt, ſed Pagani.

V. Se verò longè magis deridendos propinant recentiores Hebræi, qui pacis temporalis, aureæque, quam fabulantur, ætatis ſub Meſſiæ imperio redituræ veſtigia in brutis etiam animantibus quærunt, Oſeæ, Iſaiæ, & Ezechielis oraculis abuſi turpiter. Quaſi verò adveniente Meſſia, ferocia animalia mitibus ſociari debuerint, eodem paſci pabulo, eademque caula concludi. Hæc ſanè uſque adeò inepta ſunt, ut nequidem in cucurbitæ caput venturum exiſtimaverim; niſi hæc ipſa à Synagogæ primoribus jactari propriis ipſe auribus audiviſſem. Has tamen gregalium ſuorum ineptias derident, qui aliquantò plus ſapiunt, Synagogæ Magiſtri: Rabbi Samuel, Rabbi David Kimchi, Rabbi Moyſes Benmaimon. Ecquis enim non videat, lupum, pardum, urſum, leonem, feraque id genus animantia uti impiarum gentium ſimulacra à Prophetis aſſumi; agnum verò, hædum, vitulum, manſuetas pecudes, fideles Iſraelitas adumbrare; quorum ſumma erit inter gentes pax, atque tranquillitas animi, ubi ſemel in unius Eccleſiæ ſocietatem coaluerint? Barbaras enim gentes brutorum animalium ſimulacris adumbrari, teſtis eſt Propheta Joel Cap. 1. v. 4. Ubi Judææ vaſtationem à Babyloniis, Perſis, Græcis Romanis inferendam prænuncians, erucæ, locuſtæ, bruchi, & rubiginis ſymbola mutuatur: *Reſiduum*, inquit, *erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo*: hoc eſt, ut ipſimet Judæi nobiſcum interpretantur, reliquias Imperii Babylonici vaſtavit Perſarum imperium, reliquias Perſidis vaſtavit Gręcia, reliquias Græcię vaſtavit Roma. Teſtis & Daniel, qui oblatum ſibi divinitùs *quatuor grandium beſtiarum* viſum enarrat Cap. 7. eadem illa quatuor Regna deſignantium:

Certè ſi nihil in Propheticis oraculis exponendis allegoriæ damus, ſed mortiferam ſecuti litteram, omnia *κατα'ῥῆζιν* ſumi volumus, ut auream Meſſię ætatem effingamus; non modò deponendam brutorum ani-

mantium feritatem effutiemus; ſed etiam comp[l]anatum iri terræ ſola fabulabimur; ut nulli tunc montes, nullæ valles exiſtant: dicent te ſcilicèt Iſaia Cap.40.v.4. *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons, et collis humiliabitur; et erunt prava indirecta, et aſpera in vias planas.* Quin etiam novo abſurditatis, ac repugnantiæ genere, flumina plaudentia manibus; montes, ſylvaſque caprarum more ſaltantes fabulabimur; Regio ſcilicèt Vate inclamante, Pſal.97. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini, quia venit ...... Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum à facie Domini, quia venit.* Quæ certè, ut alibi obſervavimus, præterquam ſunt abſurdiſſima, pugnant inſuper inter ſeſe: cùm & montes exultare à conſpectu Domini, quod ait Regius Vates, impoſſibile ſit; ſi nulli tunc montes, ut loquitur Iſaias, futuri ſunt, ſed ſolo æquandi.

Fateantur itaque, velint, nolint miſeri recutiti aureum illud promiſſi Meſſiæ ſæculum, nonniſi figuratè, ac ſpiritualitèr accipiendum eſſe: aliàs figmenta ſua jampridem ebibita novis iiſque turpioribus cumulabunt; quibus ſeſe non ſolùm mente, ſed & ſenſu captos magis, ac magis exhibebunt.

EXERCITATIO VII.

De ſexta prænunciati Chriſti nota; Moriturum ſcilicet illum morte turpiſſima, ſuoque Sanguine humanum genus expiaturum.

I. QUòd Chriſtum divinis oraculis prænunciatum virum bellatorem, copiarumque ductorem Judæi commenti ſint, parum illis viſum erat, niſi eumdem etiam immortalem effutirent. Ita ſe ſacris litteris edoctos ajunt, ubi tam ſæpè venturi Meſſiæ perennitas, eiuſque Regni æternitas commendatur. Pſalmo 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech* Pſal. 71. v. 5. *Permanebit cum ſole, & ante lunam, in generationem, & generationem*. Iſaiæ 9. v. 7. *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & iuſtitia amodò, & uſque in ſempiternum.* Ezechielis Cap. 37. v. 25. *David ſervus meus princeps eorum in æternum.* Danielis Cap. 7. v. 14. *Dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, Tribus, & linguæ ipſi ſervient. Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Michææ Cap. 4. v. 7. *Regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.* Et alibi ſæpiùs.

Hinc validiſſimum adversùs Jeſum noſtrum telum cudere arbitrantur; qui cùm morte, & quidem turpiſſima ſit affectus, Chriſtus à ſacris Vatibus prænunciatus eſſe non poſſit. Neque verò commentum iſtud ab iis recens excogitatum æſtimare par eſt: illo enim ipſo Jeſum quoque viventem, & cum hominibus converſantem impetierunt, teſte Joanne Cap. 12. Euangelii v. 24. Cum enim is Chriſtum ſeſe Iudæis daret, ac prædicaret, ſeque tamen Cruci ſuffigendum, & exaltandum innuerat, *Reſpondit ei turba, nos audivimus ex Lege, quia Chriſtus manet in æternum, quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis?* Nempè jam tunc Chriſtum à Lege promiſſum, nequaquam moriturum arbitrabantur. Quo fit, ut & fabulæ loco habeant delictorum noſtrorum expiationem Chriſti Sanguine faciendam: tametſi noxas hominum quodam ſenſu laturum Chriſtum illorum aliqui fateantur; quem idcirco *virum expiationis* appellant.

Quare ut hoc etiam oppanſum Judæorum oculis velum reducamus, ne eo fortè præjudicio occupentur, quominùs verum Chriſtum agnoſcant; duo hæc oſtendenda veniunt: Primum, Chriſtum divinis oraculis prænunciatum, mortem, & quidem turpiſſimam ſubiturum fuiſſe, impiorum circumventione, ac malis artibus: Alterum, eumdem illum noxas hominum effuſo ſanguine expiaturum. Age nunc rem agamus, & ad poſitæ aſſertionis probationes accedamus.

II. Meſſiam ab impiis morte plectendum adeò luculentèr Prophetæ veteres

teres præcinverunt, ut meridiana in luce cæcutiiſſe Judæos neceſſe ſit, qui inde contra Chriſtum noſtrum argumentum arripuerunt, quòd ſuſtinendæ mortis genus, Crucis ſcilicèt, obiter innuiſſet, *Ego*, inquiens *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, Joannis 12. v. 23.

Daniel in eo percelebri vaticinio, quo Meſſiam poſt certas hebdomades venturum vaticinatus eſt, Cap. 9. v. 26. Eum tandem occidendum diſertè ſignificat: *Poſt hebdomadas*, inquit, *ſexaginta duas occidetur Chriſtus*.

Sapiens Cap. 2. v. 18. impiorum adversùs Chriſtum conatus, & oblocutiones percenſens, ita illos eum blaſphemantes inducit, ut mortem ei turpiſſimam inferant: *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, & ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpiſſima condemnemus eum*. Quo nihil diſertius, nihil apertius.

Iſaias Chriſti in ſubeunda morte manſuetudinem commendans, eumdem profectò moriturum pro certò ponit, Cap. 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt, generationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*. Quo oraculo diſertiſſimo Eunucum Reginæ Candàcis ad Chriſti fidem vocatum ſcribit Lucas, dum eius illi ſenſum Philippus aperuit, Actorum Cap. 8.

Non abſimiliter Jeremias Cap. 11. v. 19. *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs*.

Omnibus verò explicatiùs Zacharias Cap. 12. v. 10. ubi Deum ita loquentem inducit: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum; ut doleri ſolet in morte primogeniti*.

Quis ergo Judęos ferat tam temerè, tamque audacter effutientes, Chriſtum à lege promiſſum nequaquam fuiſſe moriturum: eaque de cauſa Jeſum noſtrum pro vero Chriſto, atque Meſſia promiſſo haberi non poſſe, quòd is morte, eaque turpiſſima ſit affectus? Cum contrà, hoc ipſum Prophetæ veteres præcinverint, fore ut Chriſtus turpiſſimam mortem obiret.

III. At nec id ſatis. Nedum moriturum Meſſiam Sacri Vates cecinere, verùm etiam mortis genus, quo Nazarenus noſter affectus eſt omneſque oppetitæ mortis adiuncta, & circumſtantias adeo diſtinctè, & explicatè notarunt, ac retulerunt; ut illum ipſum exerto digito demonſtraſſe, nec tam prophetias, quàm Euangelium adornaſſe, videantur.

Quid

Quid etenim? Jeſu noſtro capiendo, tenendo, ducendoque ad mortem prælusit Principum Sacerdotum, ſeniorumque conſilium; de quo Matthæus Cap. 26. v. 3. *Tunc Congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent.* Et hoc ipſum David vaticinatus eſt, Pſal. 2. v. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Figuratè verò Pſal. 21. v. 12. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me; aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens..... Quoniam circumdederunt me canes multi: conſilium malignantium obſedit me.*

Jeſus noſter venditur tringinta argenteis, ejuſque venditionis pretio projecto ager figulinus emitur. Et hoc prænunciatum eſt à Zacharia, Cap. 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, proiicie illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos in domum Domini ad ſtatuarium.* Similiter ab Amos, Cap. 2. v. 6. *Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento Juſtum, & pauperem pro calceamentis.* Hoc eſt vili pretio, quod vix emendis detritis calceamentis ſuffeciſſet.

Jeſus à Judæis captus ducitur ad tribunal. Prædictum hoc etiam à Jeremia, Threnorum Cap. 4. v. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt, in peccatis noſtris.*

Jeſus noſter conſpuitur, & in faciem cæditur. Præcinverunt & id Prophetæ non pauci: Iſaias Cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Jeremias Threnorum Cap. 3. v. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobriis.* Michææ Cap. 5. v. 1. *In virga percutient maxillam Judicis Iſreal.* Quo titulo non alium niſi Chriſtum intellectum voluit: de quo Iſaiæ 33. v. 22. dicitur: *Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter; ipſe ſalvabit nos.*

Jeſus noſter flagellis cæditur. Et id a Davide prædictum Pſal. 34. v. 15. *Adverſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.* Pſalmo 37. v. 18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Pſalmo 72. *fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.*

Jeſus noſter iniquè à falſis teſtibus accuſatur. Prænunciavit & hoc Regius Vates, Pſal. 34. v. 11. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Pſalm. 37. v. 13. *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Pſalm. 26. v. 12. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.*

Jeſum ad montem Calvariæ procedentem, & Cruci, quam geſtabat, ſuffigendum, plangentium, & lamentantium turba comitatur. Præcinuit hoc Zacharias Cap. 12. v. 10. *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.*

Jeſus

Jeſus noſter ligno Crucis ſuſpenditur, pedibus, manibuſque confoſſis. Ita planè prædictum à multis. Ab Jeremia Cap. 11. v. 19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt ſupra me conſilia dicentes, mittamus lignũ in panem ejus, & eradamus eũ de terra viventium*. A Davide Pſal. 21. v. 17. *foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea*. A Zacharia Cap. 13. v. 6. *Quid ſunt plagæ iſtę in medio manuum tuarum? Et dices, his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me*.

Jeſus una cum latronibus Cruci ſuffigitur, & pro ſuis tortoribus Deum rogat. Sic ſanè Pſalmo 53. v. 12. *Cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit: & pro tranſgreſſoribus rogavit*.

Jeſu noſtri de Cruce pendentis veſtimenta partiuntur ſibi Milites; in tunicam inconſutilem mittunt ſortem. Ita planè Pſalmo 21. v. 19. *Ipſi verò conſideraverunt, & inſpexerunt in me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*.

Jeſus in Cruce ſitiens felle, & aceto potatur. Ita Pſalmo 68. v. 22. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Et Jeremiæ Threnorum Cap. 3. v. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio*. v. 19. *Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis meæ, abſinthii, & fellis*.

Jeſus Noſter in Cruce pendulus irridetur à prætereuntibus capita ſua moventibus, ac tolerata etiam ſupplicia exprobantibus. Eſt & id apud Davidem Pſalmo 21. v. 7. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt Caput: ſperavit in Domino, eripiat eum; ſalvum faciat eum, quoniam vult eum*. Quæ planè iiſdem fermè verbis, Chriſto probra jaciebant Principes Sacerdotum cum ſcribis, & ſenioribus: *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei: confidit in Deo liberet nunc ſi vult eum, dixit enim quia filius Dei ſum* Matth. Cap. 27. v. 42. Iterum Pſalm. 88. v. 52. *Exprobraverunt inimici tui Domine, exprobraverunt commutationem Chriſti tui*. Item Pſal. 108. v. 26. *Ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita ſua*. Quæ omnes impiorum in Chriſtum de Cruce pendentem deriſiones, & probra diſtinctiùs prænunciantur, laudato ſupra Sapientiæ loco, Cap. 2. v. 18.

Jeſu tandem moriente, ſol obſcuratur, tenebreſcit dies, terra movetur, in ſignum doloris, & luctus. Neque id a Prophetis ſilentio miſſum: Amos Cap. 8. v. 8. *Numquid ſuper iſto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus? .... Et erit in die illa, dixit Dominus Deus, occidet Sol in meridie: & tenebreſcere faciam terram in die luminis: & convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum*. Joel Cap. 2. v. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt Cęli: Sol, et Luna obtenebrati ſunt; ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*.

Cùm ergo, & Meſſiam moriturum Prophetæ dixerint; & mortis à Jeſu noſtro oppetitæ circumſtantias tam multas, tam ſingulares, quæque in alium neminem cadant, minutatim atque diſtinctè notarint; tantùm abeſt, ut ei Meſſiæ titulum propterea derogare Judæi poſſint, quòd mortem obierit, ut potiùs, non alium ab eo agnoſcere atque excipere cogantur, quem intento veluti digito, Prophetæ veteres præmonſtrarunt.

IV. Unam

IV. Unam fortè Judæi evadendi ſibi viam aperient, ſi dixerint: quæ hactenus magno numero prolata ſunt Prophetarum Oracula, queis Chriſtus patiens morienſque præſignatus eſt, de Chriſto illiuſque morte non eſſe propheticè dicta; etſi caſu dumtaxat atque fortuitò, in illo exitum habuiſſe videantur. At nec illa quidem evadent via, niſi duo hæc ſimul oſtenderint: primum, de quo alio propheticè dicta ſunt; alterum, in quo alio exitum obtinuerint: quæ tamen, quantumlibet ingenium torqueant, nuſquam oſtendent. Ac de Davide quidem plana res eſt, illum non de ſe ipſo, ſed de altero quopiam dixiſſe propheticè, quæ ex ipſius Pſalmis hactenùs recitavimus; etſi illatas ſibi injurias narraſſe videatur. Quandonam enim aut flagellis cæſus eſt David, aut ab iniquis teſtibus accuſatus, aut pedes manuſque confoſſus, aut cum ſceleratis reputatus, aut felle, & aceto potatus, aut ejus demum veſtimenta inter prædatores diviſa ſunt, aut ſortitione illis ſunt attributa? De Chriſto itaque certiſſimè dixit Propheta Regius, cujus & ipſe typus erat, cui & ipſum Davidis nomen ſacris in litteris ſæpiùs attribuitur. De Salomone, Iſaia, Jeremia, Zacharia, Michæa, & Amoſo, nil minus certum, illos de Chriſto perindè dixiſſe propheticè: ſeu quòd res narrent, quę in illos ipſos minimè cadant: ſeu quòd Chriſtum ipſum, cui eventura erant, ex ipſius nomine nonnumquam appellent: ſeu quòd Deum ipſum, qui hæc à Judæis in aſſumpta natura paſſurus eſſet, loquentem inducant. Neminem autem unquam inventum eſſe, in quo quæcumque ex laudatis Vatibus recitata ſunt, exitum habuerint; uſque adeo notum eſt, ut ne Judæos quidem, tametſi obſtinatè refractarios, inficiaturos putem.

V. Nonnulla potiùs, quantùm conjicio, ex prolatis vaticiniis cavillabuntur; quæ de Chriſto minimè dicta contendent, ac longè alio referenda volent. Et quidem, in Amoſi oraculo nodum quærunt illorum aliqui: *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor, non convertam eum pro eo quod vendiderit pro argento juſtum*. Cap. 2. v. 6. Quod de futura Chriſti venditione (cujus cauſa ſinè ulla ſpe veniæ Iſraelem repulerit Deus) propheticè dictum inficiantur, ſed de Joſephi venditione hiſtoriè dictum volunt. Ineptè tamen, & contrà facti notitiam. Non enim Joſephi venditio, quartum Iſraelis ſcelus numeratur, ſed primum: neque illius cauſa, abſque converſionis ſpe repulſus eſt Iſrael, ſed charus etiam Deo ſubinde fuit. Hoc etenim ordine, Iſraelis ſcelera recenſentur, juxta ſacrarum ſcripturarum fidem; ut primo loco Joſephi venditio ponatur; ſecundo adoratio vituli in Oreb; tertio occiſio Prophetarum: quibus tamen venia data eſt: quarto venturi Chriſti venditio, omni converſionis, & veniæ ſpe Iſraelitis prorſus adempta.

Vitiligant alii longè plures, verſionis vulgatæ lectionem, ad Pſalmum 21. v. 17. *foderunt manus meas, & pedes meos:* additiſque pro arbitrio punctis hebraicis, non utique *foderunt*, ex hebraico vocabulo *Charù*, legi volunt, ne tam patenti vaticinio convincantur; ſed *ſicut leo*, ex vocabulo *Chaari*, legi malunt: ex quo nullus planè ſenſus elicitur. Quid etenim ſibi vult, *ſicut leo manus meas, & pedes meos?* cum præſertim quæ ſequuntur minimè congruant, *& dinumeraverunt omnia oſſa mea*; quę tam bel-

Digitized by Google

lè cum priori vulgatæ lectionis parte conſentiunt. Sed & audacibus interpolatoribus ora verberant ſeptuaginta Interpretes, qui *Charù* non *Chaari* in hebraico textu legerunt; foderuntque, non *ſicut leo* verterunt: ita quippè adamuſſim reddidere *ὤρυξαν πόδας καὶ χεῖρας foderunt pedes meos, & manus*.

Cavillantur pari audacia, allatum ſupra Oraculum Jeremiæ, Thren. 4. v. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Quod non de Chriſto promiſſo, ſeu Meſſia, dictum exiſtimant, ſed de Joſia Rege, qui non pro ſuis, ſed pro populi peccatis à Nechaone Rege Ægypti, occiſus eſt. Verùm cavillatoribus refractariis genuinum infringit Paraphraſtes Caldæus, miſſis circuitionibus, & ambagibus vertens, *Rex Meſſias captus eſt*: infringit, & ipſe textus hebraicus; qui loco vocabuli *Dominus*, Dei nomen Tetragrammaton ponit, *Jehova* ſcilicet, nulli planè aut appropriatione aut accommodatione conveniens, ſed ei ſoli, qui natura ipſa ſua Deus eſt.

Nugantur demum in Regii vatis dicto, Pſal. 72. v. 14. *fui flagellatus tota die*: quaſi de Chriſto noſtro nequeat intelligi; qui non tota die, ſed media vix hora, de mane flagellatus eſt. At non advertunt, ſi nugis illis eſt locus, neminem omninò fore, in quem Regii Vatis verba cadere poſſint: cùm nemo unquam die tota, & integra flagellatus inveniatur. Horum ergo verborum duplex eſt ſenſus: primus, ut flagellorum nomine, non verbera dumtaxat intelligantur, ſed quæcumque tormenta, quæcumque ſupplicia, quæcumque pœnæ, per totam illam diem toleratæ, quæ à matutina caſtigatione, ſeu verberatione initium habuere: qua de cauſa ſit dictum, *fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*. Alter ſenſus eſt, ut Chriſtus flagellatus ſit tota die; quòd flagellorum verberumque dolorem ſenſerit totam diem; ob illorum nimirum acerbitatem, illataſque ſibi plagas atrociſſimas: tametſi mediam dumtaxat horam, de manè, flagellatio tenuiſſet.

Stant itaque undecumque, omnique ex capite invictæ probationes, quibus primam ſtatutæ aſſertionis partem oſtendimus: promiſſum ſacris Oraculis Chriſtum, mortem eamque turpiſſimam fuiſſe ſubiturum. De cætero, eumdem illum noxas hominum proprio ſanguine expiaturum fuiſſe, (quod membrum ſtatutæ aſſertionis eſt alterum) ex ſuperiori demonſtrato capite, conſectarium arbitror. Cùm id non ob aliud Judæi inficientur, quam quòd Meſſiam nequaquam moriturum exiſtiment. Unicum, ad cauſæ cumulum addam Iſaiæ oraculum Cap. 53. v. 4. Quòd aliorum benè plurium inſtar erit: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum .... Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*. Quod ad præſens inſtitutum ſatis ſuperque eſt.

VI. Nec quemquam movere poteſt decantata toties Judæorum cantilena, qua Chriſti Regni perennitatem oſtentant, ut eum nuſquam moriturum

turum evincant. Imò idcirco moriturum fuiſſe dicimus, ut Regnum æternum atque cæleſte adipiſceretur. Cùm etenim Meſſię Regnum toties à Prophetis deſcriptum, ac prænunciatum, non terrenum ſed ſpirituale omninò ſit, non hujus mundi ſed alterius; mori illum neceſſe fuit, ut obitæ mortis merito, Regnum æternum obtinere, hominibuſque ſanguine ſuo quęſitis atque redemptis, in omne ævum dominaretur. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & vivorum, & mortuorum dominetur.* Rom. 14. v. 19. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Lucæ 24. Cap. 26. Qua parte Judæi deluduntur turpiter, ſeque ſupinos, ac cæcos ſcripturarum Interpretes produnt: dum Meſſię Regnum, de quo toties mentionem ingerunt ſacri Codices, aut mundanum, hujuſque ſæculi, aut aliter quàm obitæ mortis merito, ei datum arbitrantur. Supinam cæcitatem caſtigant laudata Prophetarum Oracula. Hinc Iſajas Cap. 57. v. 12. Chriſto dominatum atque triumphum, nonniſi in meritum mortis oppetitæ, adjudicat: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradiderit in mortem animam ſuam.* Hinc idem ille Euangelicus Vates promiſſum Meſſiam, non præſentis, ſed futuri ſæculi patrem appellat; ejuſque principatum, nonniſi ex Cruce ipſa, quam humeris geſtaturus erat, derivaverit Cap. 9. v. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis; & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Hinc & Propheta Regius, Chriſtum gentium populorumque caput conſtitutum monet, non ob aliud, quàm ob toleratam contradictionem, & reprobationem ab impiis: Pſal. 17. v. 44. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.* Pſal. 117. v. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Sed eſt illa Judæorum denſa cæcitas, ut quoties de Regno æterno audiunt, nonniſi terrenum intelligant: quoties de Davidis ſolio in ævum poſſidendo, & inſtaurando legunt, nil niſi mundanum cogitent, externo mortiferæ litteræ ſenſui dumtaxat hærentes. Adeo ſcilicèt, juxtà Iſaiæ pronunciatum Cap. 6. *excæcatum eſt cor populi hujus;* boniſque terrenis, ac perituris dumtaxat inhiat, more pecudum, quibus nulla futuræ ſupernæque vitæ ſpes eſt. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt; ne fortè videant oculis, auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Actorum Cap. 28. v. 27.

EXERCITATIO VIII.

De ſeptima prænunciati Chriſti nota; Non purum hominem futurum, ſed hominem Deum, cum hominibus converſantem.

I. MIrum fortè videri queat Judæos, qui reddenda promiſſi ſibi liberatoris imagine, audaci adeò liberoque uſi ſunt penicillo, ut illum, contra quod veritas habet, gentium domitorem, bellicoſum, copiarum ductorem, ac prorſus immortalem effingerent; eumdem tamen (quod veriſſimum erat) Deum verum, factum hominem, & cum hominibus converſantem, ne leviter expreſſiſſe. Nihil tamen eſt quod miremur, ſi alterum, quo tenentur, errorem attendimus. Fecit hoc enim fatalis illa, qua jam dudum laborant, Myſterii Trinitatis ignoratio. Cùm enim promiſſum ſibi Meſſiam, liberatoremque, à Deo mittendum ubique legerint; Deum autem uti natura, ita & perſona unum, non trinum agnoſcant: neceſſaria conſecutione factum eſt, ut Meſſiam illum ſuum, non Deum, à quo mitti debuit, ſed alterum à Deo, ſibi fingerent. Cùm contrà, ſi Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, ut Catholica fides habet, genitum agnoviſſent; Deum à Deo in aſſumpta hominis natura, mitti poſſe, de facili comperiſſent. Ut igitur hunc illis ſcrupulum eximamus, nobiliſſimamque adumbrati Meſſiæ notam, ex qua maximè dignoſci debeat, præfigamus, ac definiamus; illud nunc, quod rei caput eſt, ex veteris Teſtamenti Oraculis, oſtendere aggredimur: Meſſiam, tametſi mittendum à Deo, Deum tamen, & ipſum eſſe debuiſſe, in aſſumpta hominis natura cum hominibus converſantem. Unde & hoc alterum Judæi ſimul intelligent: Deum tametſi individua natura, non ideò tamen perſona unum eſſe; ſed Deum de Deo, ex ipſa æternitate, mente genitum: ut & hoc pacto à genitore genitum mitti, in aſſumpta natura, ac etiam in tempore nihil vetet, nihil repugnet.

II. In eo ſacrorum Oraculorum genere limpidiſſimum, diſertiſſimumque illud mihi ſemper viſum eſt, quod legitur in libro Baruch; qui tametſi hebraicè modo non extat, hebraicam tamen originem refert: Cap. 3. v. 36. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſùs eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, et tradidit illam Jacob puero ſuo, et Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, et cum hominibus converſatus eſt.* De vero etenim illic Deo ſermonem fieri, ne Judæos quidem arbitror negaturos: de ſuo inquam Deo, quem coluerunt, & adorarunt, à quo & diſciplinę legem acceperunt. Is autem, ſi Barucho Jeremiæ ſcribæ, & amanuenſi fides eſt, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Quod ſanè aut nuſpiam, aut in Chriſti promiſſi perſona exitum habuit. Deus igitur ille fuit, & in terris viſus, & cum hominibus converſatus.

Repo-

Digitized by Google

Reponent illi fortè, Deum, ex Baruchi vaticinio, in terris videndum fuiſſe, & cum hominibus converſaturum, non perſona propria, naturæ noſtræ ſubſtantialiter unita, atque ita hominum oculis conſpicuus; ſed ſola miraculorum, & prodigiorum patratione, quæ in electi populi beneficium editurus erat. At ſi non alio pacto Deus videndus fuiſſet in terris, nihil ſingulare, ac peculiare in futurum tempus promiſiſſet Baruchus, ut diceret, *poſt hæc in terris viſus eſt*: cùm tot tantaque portenta atque prodigia, in tradenda diſciplinæ lege, diu ante edidiſſent. Ut ſileam, Deum, quòd in hominum beneficium prodigia patret, non idcircò cenſeri, cum hominibus converſari; niſi quamdam nobiſcum in natura communionem, & ſocietatem habeat. Accedit, quòd patrationem miraculorum Prophetę quandoque notent, tamquam quid conſectarium, ac veluti fructum Dei ipſius ad nos venientis. Iſaiæ Cap. 35. v. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et Cap. 25. v. 9. *Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvabit nos. Iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in ſalutari ejus. Requieſcet manus Domini in monte iſto: & triturabitur ſicut teruntur paleæ in plauſtro, & extendit manus ſuas ſub eo, ſicut extenditur natans ad natandum, & humiliabit gloriam ejus cum alliſione manuum ejus.* Non igitur eatenus ad nos *Deus ipſe* veniſſe cenſendus eſt, non eatenus à nobis eſt viſus, ac nobiſcum eſt converſatus, quòd ejus nomine atque virtute ingentia ſint patrata miracula; ſed quòd præſens ipſe, nobiſque in humana natura ſibi unita conſpicuus, miracula illa patrarit, noſtramque ſalutem ſit operatus.

III. Pari, ad præſens inſtitutum noſtrum, vi, ac poteſtate eſt Iſaiæ vaticinium Cap. 48. v. 12. & ſequentibus, ſi penitus expendatur, & primis ultima conferantur. *Audi me Jacob, & Iſrael, quem ego voco. Ego ipſe, ego primus, ego noviſſimus: manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea menſa eſt Cælos..... Accedite ad me, et audite hoc: non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret ibi eram: et nunc Dominus meus miſit me, et Spiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* En tibi Deum verum, finem utique atque principium rerum omnium, Cęli, & terræ conditorem, qui ſe à domino ſuo miſſum dicat in ſalutem, & redemptionem Iſraelis. Deum ergo de Deo fateri neceſſe eſt, Deum verum de Deo vero, ad ſalutem hominum miſſum, ut in aſſumpta natura Iſraelem redimeret. Quis ille porrò, niſi Meſſias Iſraeli, ac per Iſraelem mundo promiſſus?

In eundem planè ſenſum Cap. 45. v. 14. *Hæc dicit Dominus: labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt vincti manibus, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus: vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Et hic quoque qui loquitur, verus Deus eſt: *Hæc dicit Dominus*: neque enim alium ea formula loquentem inducunt Prophetæ. Is itidem quem alloquitur, perindè verus eſt Deus, in Iſraelis ſalutem miſſus:

Deus

Deus itaquam abſconditus, à nobis exorandus, & adorandus; abſque quo non eſt Deus, hoc eſt, qui ſolus eſt Deus, ex trita loquendi formula, ſuperiori capite uſurpata, *v. 6. Hæc dicit Dominus Rex Iſrael, & redemptor ejus, Dominus exercituum: ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus*. Qui igitur in ſalutem Iſraelis venturus erat Deus verus eſt à Deo vero miſſus; cum quo tamen unus, ac ſolus eſt Deus, unitate nempè naturæ, & ſi perſona ab eo diſtinctus.

Nec abſimiliter Zachariæ Cap. 2. v. 8. & ſequentibus, Dominus exercituum, ſeſe à Domino exercituum miſſum dicit, bis, ac etiam tertiò: miſſum autem etiam ad gentes, ut & illæ ad Deum converterentur, ejuſque tunc demum populus fierent. *Hæc dicit Dominus exercituum: poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his qui ſerviebant ſibi: & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me. Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habito in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me*. Quis non hìc Deum verum à Deo vero miſſum intelligat: Meſſiam Deum, à Deo patre; cum quo tamen natura unus eſt Deus, & ſi perſona diſtinctus ab eo? Obſervatio eſt Auguſtini lib. 20. de Civitate Dei Cap. 30. *Ecce dicit Dominus omnipotens, à Domino omnipotente ſe miſſum. Quis hìc audeat intelligere, niſi Chriſtum loquentem?* Quod idem ex altero paris formæ Oraculo intulerant Patres Concilij Sirmienſis; ex Geneſis ſcilicèt dicto, Cap. 19. v. 24. *Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham, ſulphur, & ignem à Domino de Cælo*. Ita quippè Anathemate 16. pronunciant laudati Patres, ut eſt apud Hilarium libro de Synodis: *Si quis*, pluit Dominus à Domino, *non de filio, & Patre intelligat, ſed ipſum à ſe dicat pluiſſe, anathema ſit. Pluit enim Dominus filius à Domino patre*.

IV. Confirmat iſta vel maximè, quòd promiſſo Meſſiæ tributas divinitatis prærogativas legamus, characteres, ac titulos iis ipſis ſcripturæ locis, quos de Meſſia ſcriptos, Judæorum vulgus agnoſcit; Ut perennitatem, Pſalmo 71. v. 5. *Permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem*. Totius mundi dominatum: *v. 8. Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum*. Adorationis cultum eidem à Regibus exhibendum; *v. 11. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. Miſerorum liberationem per ipſum afferendam: *v. 13. Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet: ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum*. Benedictionem gentibus omnibus largiendam: *v. 18. Benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum*. Nomen ejus in æternum benedicendum *v. 17. Sit nomen ejus benedictum in ſæcula, ante Solem permanet nomen ejus*, v. ult. *Benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra*. Æternitatem demum: Michææ Cap. 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Futile quippè eſt quod nonnulli Rabbini reponunt, Meſſiam ex æternitate eſſe oportere, in mente divina dumtaxat, non in ſe

ipſo,

ipſo. Nihil enim peculiare, ac ſingulare haberet eo ex capite; cum ex æternitate in mente divina ſint quæcumque creaturæ, ex ipſarum etiam conditione viliſſimæ.

Nec modò Divinitatis prærogativas, ac notas promiſſo Chriſto tributas legimus, ſed & diſtinctum Dei nomen eidem aſſertum: Iſaiæ Cap. 9. v. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus, admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Ingentis enim audaciæ eſt, Dei nomen in eo Iſaiæ Oraculo expunctum velle, quod & Textus hebraicus, & Caldaicæ paraphraſes, & verſiones Syriaca, & Arabica conſtantiſſimè retinent.

Sed nec qualecumque Dei nomen Meſſiæ tributum legimus; ſed ſacrum & ineffabile Tetragrammaton *Jehova*; quod nulli planè creaturæ quantumlibet præcellenti, per figuram, & translationem accomodari poteſt, ſed huic uni deſignando conſecratur, qui ſolus natura ſua verus eſt Deus. Videas id in Jeremia Cap. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet judicium, & juſtitiam in terra.* Quod certè de venturo Meſſia dictum, ne Judæi quidem inficiantur. Tum ſequitur è veſtigio: *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum Dominus juſtus noſter.* In hæbreo verò, pro *Dominus*, eſt nomen *Jehova*. Uti & Cap. 33. v. 14. & ſequentibus, ubi eadem ſententia paucis immutatis recitatur: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo verbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen juſtitiæ, & faciet judicium, & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Jeruſalem habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*: appoſito perindè nomine *Jehova*, loco *Domini*, in Textu hebraico, ut promiſſus Meſſias, venturuſque Salvator: veri propriique nominis Deus intelligatur.

V. Non me fugit, quantùm Judæorum oculos urat illa tam elegans tamque diſtincta *Dei* appellatio, promiſſo Meſſię tributa, ac per nomen etiam Tetragrammaton *Jehova*, quòd de nullo planè, niſi de vero Deo, figuratè dicitur. Idcircò illorum aliqui, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Semichriſtianos Judaizantes ſecuti, Dei titulum ex Iſaiæ oraculo audacter expungunt. At ut diximus, audaces interpolatores falſi convincunt, Textus hebraicus, Paraphraſtæ Chaldæi, verſiones Syriaca, & Arabica, Dei nomen, ac titulum referentes. Alii in geminum Jeremiæ Contextum petulantiùs graſſantur: iique duplici ordine diſtinguuntur. Alii enim legi nolunt, *hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*: quo ſignificatur, Chriſtum venturum à ſuis fidelibus vocatum iri, Dominum juſtum noſtrum, ſeu Dominum juſtificantem nos: ſed violato, pro nutu, ſacro Textu, legi malunt, *hoc eſt nomen quo vocabit eum Dominus, Juſtus noſter;* quaſi Meſſias vocandus ſit à Domino, *Juſtus noſter*: non ipſe tamen Dominus Deus ſit. Verùm reclamant Hebraici Codices, punctis, & apicibus Maſſoreticis illuſtrati, Paraphraſes Chaldaicæ, verſiones Syriaca, & Arabica, verbum plurali numero *vocabunt*,

cabunt,

cabunt, non ſingulari *vocabit* referentes, ut planè fideles vocaturos, non vocaturum Dominum notent. Ut mittam, Deum, ſi *juſti* nomine Meſſiam vocaturus erat, non utique dicturum, *Juſtus noſter*, ſeu juſtificans nos; ſed potiùs *Juſtus veſter*, ſeu juſtificans vos: cùm is non Deum, ſed populum juſtificaturus eſſet? Idircò cæteri, eo relicto ſuffugio, cùm Meſſiam Dominum juſtum noſtrum ipſo nomine *Jehova* nuncupatum, hoc loco videant, eò ſe recipiunt, ut dicant, ipſum quoque Tetragrammaton nomen *Jehova*, non per proprietatem quidem, ſed per translationem, creaturis quandoque tribui ſacris in litteris. Ut Geneſ. 22. v. 14. Mons ſuper quem Abraham ſacrificium obtulit, dictus eſt *Dominus videt*, uſurpato perindè nomine *Jehova*, loco τυ *Dominus*; quòd illic vidiſſet Deus, probaſſetque Abrahę obedientiam. Exodi 17. v. 15. altare conſtructum à Moyſe ab eodem dictum eſt *Dominus exaltatio mea*, uſurpato nomine *Jehova*; quòd ibi Deus Moyſem exaltaſſet, conceſſa illic victoria de Amalecho. Ezechielis Cap. 48. v. 35. Jeroſolyma dicitur *Dominus ibidem*, per vocabulum *Jehova*. Aberrant nihilominus iſti toto oſtio; nec ſuis illis exemplis quidquam evincunt. Nec enim mons, nec altare, nec Jeroſolyma, *Jehova*, ſeu Dominus abſolutè dicuntur; ſed addito ubique vocabulo aliquo, exercitam illic operationem ſignificante: nempè *Dominus videt*, *Dominus exaltatio mea*, *Dominus ibidem*. Quare non ipſam Dei eſſentiam atque naturam, illis rebus convenientem ſignificat nomen *Jehova*; ſed divinam tantùm operationem atque virtutem, iis in rebus elucentem. At in laudatis Jeremiæ locis, Meſſias *Jehova juſtus noſter* ſimpliciter dicitur: quoquidem Dei natura atque eſſentia, uti Meſſiæ propria denotatur. Maximè cùm Meſſias perſona quædam ſit, quæ hujus appellationis capax eſſe poteſt, cætera laudatis exemplis allata, inanimata prorſus, in quæ Dei nomen ſimpliciter, & abſolutè ſumptum, cadere non poſſe, nemo non videt. Quare non modò Deus in Chriſto, ac per Chriſtum juſtificat nos; ſed ipſemet Deus eſt, *Juſtitia noſtra*, ut habet textus hebraicus, hoc eſt, auctor juſtitiæ noſtræ.

Non eſt tamen diſſimulandum, non deeſſe eruditos Interpretes, ac ſummè Catholicos, qui ad ſecundum Jeremiæ locum mendum irreptitium putent in vulgata verſione: ac pro *vocabunt eum*, legi velint *vocabunt eam*, ut non ad Chriſtum promiſſum, ſed ad Jeroſolimam, cujus ibi mentio eſt, appellatio illa cadat, *Dominus juſtus noſter*. Et quidem generis fęminini pronomen referunt exemplaria nonnulla latina, ac ipſe quoque Textus hebraicus hodiernus. Septuaginta tamen Interpretes, Parafraſtæ Chaldæi, & verſio Syriaca habent generis maſculini pronomen. Quæ haud levem ſuſpicionem ingerunt, vitiatum ibi potius eſſe hodiernum Textum hebraicum, quàm vulgatam Eccleſiæ verſionem. Maximè cùm verſiculus ille decimus ſextus Capitis 33. nuda ſit repetitio verſiculi ſexti Capitis 23. ubi maſculini generis pronomen, ſinè controverſia poſitum eſt. Utcumque tamen ſe res habeat, quiſquis in poſtremo Jeremiæ loco, *cum* legerit, Chriſtum eo nomine inſignitum agnoſcet: *Dominus (Jehova) juſtus noſter*, ſeù *juſtitia noſtra*. Quicumque verò *eam* legi maluerit; Chriſtum nomen quoque ſuum, ſpirituali Jeroſolimæ, hoc eſt, Eccleſiæ communicaſſe, concedere compelletur. Quæ duo ad pręſentem, quam

quam hic agimus cauſam ex æquo referunt. Seu enim *Jehova juſtus noſter*, hoc eſt, *juſtitia noſtra* Chriſtus eſt appellatus, ſeu ſuum ipſius nomen *Jehova* Eccleſiæ ſponſæ ſuæ commune voluit eſſe, Deum-illum eſſe perindè oportet.

VI. Diſpendium operæ fuerit intactum, hic præterire celebratum Zachariæ vaticinium; quod uti in Jeſu noſtro impletum memorat dilectus Apoſtolus Cap. 19. Euangelii, v. 37., ita luculentum eſt divinitatis argumentum in Chriſto prænunciato. Extat illud Cap. 12. v. 10. his verbis expreſſum: *Effundam ſuper Domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Ex quo ita colligere licet: Qui illic loquitur, Deus verus profectò eſt; nec enim alius Spiritum gratiæ, & precum ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem effundere potuit, niſi Deus: is ille porrò futurum ſpondet, ut in ipſum aſpiciant Jeruſalem habitatores, ipſumque configant. Deum itaque in aſſumpta certè natura, & aſpecturi erant, & confixuri Jeroſolymorum habitatores: iſque viciſſim humanam naturam aſſumpturus erat, ut ab iis configi poſſet.

Non ſum inſcius, variare Hebræorum exempla, & expreſſas inde ab antiquo verſiones, græcam, ſyriacam, & arabicam, ac in nonnullis Hebræorum exemplis legi *dekaron*, *confixerunt*; in aliis *recadou*, *inſultaverunt*: nato nimirum errore ex duarum quamſimilium litterarum hebraicarum trajectione, ד daleth, & ר resh. At præterquàm melioris notæ codices, ac longè plures priorem lectionem referunt, eamque calculo ſuo probavit Joannes Euangeliſta hebræus ex hebræis, laudato jam Euangelii loco legens, *videbunt in quem transfixerunt*: utcumque tamen legere lubeat, perindè Jeſu noſtro patiente impletum jure dicitur vaticinium Zachariæ, cùm & illum Judæi confixerint, & illi cruci affixo Judæi petulantiùs inſultarint: De quibus narrat Matthæus Cap. 27. v. 39. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes: vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: Salva temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de Cruce.*

VII. Cæterùm, ne memorato ſub hujus diſputationis initium obice teneantur Hebræi, quominùs ſummum illud fidei caput agnoſcant: neve Deum factum hominem à Deo mitti poſſe inficientur; quòd plures in eo perſonas agnoſcere reformident, alteram ab altera ſpiritualiter genitam, Deum ſcilicet de Deo, Deum verum de Deo vero: (quamquam eſt hoc ex momentis ſecundo ordine poſitis abundè probatum) pleniùs tamen, ac luculentiùs, ex Pſalmo 2. & ex Pſalmo 109. demonſtratur. Prioris hæc verba ſunt v. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Alterius autem v. 1. & ſeq. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum: tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Quo ex loco Chriſtus noſter tam luculentam æternæ ſuæ ab æterno Patre generationis probationem eruit, ut Phariſæis ora præcluſerit: Ut eſt apud Matthæum

Cap. 22. v. 41. Dum enim inquit Regius Vates: ***Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*** : & rurſus, ***dixit Dominus Domino meo .....; in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te***, duas profectò perſonas ſecum veluti loquentes inducit, alteram ex altera genitam, & quidem ex æternitate: atque ita utramque divinam; cum nihil ex æternitate ſi præter Deum. Perſatuum enim eſt, quod recentiores Hebræi nonnulli contra Majorum ſuorum fidem commenti ſunt, verba hæc Davidis ipſius eſſe Salomonem alloquentis. Quis enim Salomonem, aut alium quemvis hominem in Splendoribus Sanctorum editum dicat? Quis ante Luciferum genitum fabuletur? Quis Salomonem, aliumve mortalem Sacerdotem æternum commentus eſt unquam, ac etiam ſecundum Ordinem Melchiſedech? Quis Davidem Salomonis hoſtes ad illius pedes proſtraviſſe ſibi fingat; gentes illi in hæreditatem dediſſe, totumque terrarum Orbem poſſidendum contuliſſe? Non alterius ergo, niſi Æterni Patris verba illa eſſe poſſunt æternum filium alloquentis, in quem unum cadere poſſunt; ut multis oſtendit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebręos Cap. 1. v. 5. & ſeq. & Cap. 7. v. 3.

Plura addere facile fuerit, ſed jam ſatis eſt probationum. Audiendi modò Judæi in oppoſitum adnitentes, Chriſtumque à Deo promiſſum purum hominem futurum oſtendere aggredientes. At ut multa ad ſuam illam perfidiam ſuſtinendam congerere ſolent, quæ intra breve ſpatium expediri a nobis, atque refelli omninò non poſſunt: idcircò iſtud operis in alteram Exercitationem polemicam mittimus, majori otio perficiendum.

EXER.

Digitized by Google

EXERCITATIO IX.

Judæorum promiſſi ſibi Chriſti divinitatem negantium, momenta refelluntur.

I. PRomiſſi Meſſiæ divinitate, quantùm ex veteris Teſtamenti oraculis licuit, bono in lumine collocata; id unum nobis in præſenti reliquum eſt, ut Judæorum conatus improbos, queis lucidiſſimæ veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorſus, atque irritos oſtendamus. Qua in re id unum dolet, quòd ab Arianis, ac Socinianis eodem errore implicitis vires accipiant quibus in oppugnanda fide catholica audaciores fiunt, ac valentiores. Hujus tamen, cujus hic cauſam agimus, præſidio tuti, fœderatorum Synagogæ militum tela eadem arte & opera retundemus.

Hoc itaque paralogiſmo Judæi primùm in aciem veniunt. Deus, inquiunt, venturum Chriſtum hiſce verbis promiſit Moyſi, Deuteronomii Cap. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui; & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quę pręcepero illi.* Non eſſet autem ſimilis Moyſi, ſed eo longè major, ſi Deus re ipſa foret. Qua ratione eum Moyſe digniorem facit Apoſtolus noſter, ad Hebr. Cap. 3. v. 3. *Amplioris gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* At quidni, quæſo, ex quo Deus factus eſt homo, ex conditione aſſumptæ naturæ Moyſi ſimilis eſſet, qui nobis omnibus ab eodem Apoſtolo ſimilis dicitur? Ad Philippenſes 2. v. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Tametſi ex divinæ naturæ conditione Moyſem infinitis titulis antecellat.

Urgent nihiloſecius: Adeo non erat Chriſtus noſter verus Deus, ut potiùs ſe à Deo derelictum faſſus ſit, de Cruce exclamans, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Nempè id neſciunt cæci homines, & in iſto argumenti genere minùs verſati, & eruditi, in extrema vitæ periodo Divinitatem Chriſtum Dominum deſeruiſſe foris, ut non eſſet illi ad defenſionem contra tortores, atque carnifices; quò acerbiùs pro nobis pati poſſet: non deſeruiſſe tamen intus quoad unionem hypoſtaticam, ut Deus, Deique filius ſemper eſſet. Qua de re pleniùs diſputabimus loco ſuo. Quamquam ſi quoad unionem hypoſtaticam in extrema vitæ periodo deſeruiſſe fateremur, Judæi vel ex hoc capite cauſa caderent. Inde quippè conſequens eſſet, Chriſti Domini humanitatem toto anteà vitæ decurſu ea unione hypoſtatica fuiſſe donatam.

II. At ecce inſurgit illorum unus, qui in rebus noſtris, atque in hiſtoria Euangelica præ cæteris Sodalibus verſatus videri amat: Uſque adeo conſcius ſibi erat Jeſus noſter, non eſſe ſe Deum, ac Dei filium, imò nec Chriſtum à lege promiſſum; ut quamquàm per circuitus, & ambages, cum ſeſe quandoque jactaret, numquam tamen apertè, diſtinctè,

conceptiſque verbis eum ſe præbuerit, ac venditarit, à Judæis quantumlibet provocatus: Joann. 10. v. 24. *Circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei, quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*: Quin etiam Matthæi 16. v. 20. *Tunc præcepit Diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*.

Quibuſnam, quæſo, hæc ediſſerit Recutitus? Chriſtianis non puto hiſtoriam Euangelicam probè callentibus: Turcis fortaſſe, aut Sinis, nonniſi Alcorani deliria, & Confucii ſomnia lectitantibus. Quotquot enim Euangelium evoluerunt, norunt ſanè, quàm ſæpè, quam clarè, atque diſtinctè Chriſtum ſeſe, Deique filium dixerit Jeſus noſter: Joannis Cap. 4. v. 25. *Dicit ei mulier Samaritana, ſcio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit ei Jeſus, ego ſum, qui loquor tecum*. Matthæi 26. v. 63. *Princeps Sacerdotum ait illi; Adjuro ter per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Dicit illi Jeſus, tu dixiſti*. Hoc eſt, ex Hebræorum loquendi formula, ita eſt, ut dixiſti. Marci Cap 14. v. 61. *Summus Sacerdos interrogavit eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Jeſus autem dixit illi, ego ſum*. Lucæ Cap. 22. v. 66. *Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum dicentes, ſi tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: ſi vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, tu ergo es filius Dei? Qui ait, vos dicitis, quia ego ſum*. Hoc eſt, ego ſum uti dicitis. Undè ſubiunxerunt. *Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus de ore ejus*; nempe eſſe ſe filium Dei. Joannis Cap. 10. v. 36. *Vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ego ſum*. Quin & hoc ipſo, qui nobis obiicitur, loco Joan. 10. v. 24. Cùm Jeſu noſtro dixiſſent Judæi: *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*: hoc ipſum, quod quærebatur, profeſſus eſt palam: ſubiungit enim Euangeliſta: *Reſpondit eis Jeſus, loquor vobis, & non creditis*: Nempè quod ex me quæritis, loquor vobis, nec tamen creditis: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ecce teſtimonium perhibent de me: ſed vos non creditis, quia non eſtis de ovibus meis*. Imò uſque adeo palam ſe, apertèque Dei filium præbuerat Jeſus noſter toto vitæ decurſu, ut hac ipſa de cauſa à Judæis ad mortem poſtulatus ſit. *Nos legem habemus*, ajebant illi, *& ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*: Joan. 19. v. 7. Quotquot etiam ſe illi primùm adiunxerant, eumdem uti Meſſiam, ſeu Chriſtum à Lege, & Prophetis promiſſum habebant: Joan. 1. v. 41. *Andreas invenit Simonem, & dicit ei, invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus*. Et v. 45. *Invenit Philippus Nathanaelem, & dicit ei, quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth*. Quod ergo Apoſtolis præceperit Jeſus, ne cui tunc dicerent, ipſum eſſe Chriſtum; non ideò fuit, quòd talem ſe ipſe non præberet, palamque non prædicaret: ſed quòd unius tunc Chriſti miſſionis tempus eſſet, non item Apoſtolorum: nec in hujus miniſterii partem ingredi poſſent ii, niſi poſt Chriſti mortem, & illapſum Spiritus S. Priùs enim pro tuenda veritate Jeſum mori neceſſe fuit, quàm cæteros pro eadem illa vitam profundere.

Sed

Sed neque ſe Deum eſſe tacuit Chriſtus, quamquàm ex ore ejus numquam vox illa prodierit, *Deus ego ſum*: quia eos ſibi titulos ſumpſit, qui uni Deo congruunt; undè & ipſi Judæi ſatis dignoſcerent, eum pro Deo prorsùs haberi velle. Hinc Joan. Cap. 5. v. 17. cum in Judæorum cœtu dixiſſet Chriſtus: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*; mortem illi ſtatim intentarunt, quòd ea loquendi ratione *Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Non abſimiliter Joan. 10. v. 30. Cùm alio in cœtu dixiſſet Chriſtus, *Ego, & Pater unum ſumus*; Divinitatem ſibi his verbis attributam intellexere Judæi; ſumptiſque, quibus illum obruerent, lapidibus dixere: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Rurſus Joan. 8. v. 58. cùm perindè dixiſſet Chriſtus, *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*: arrogatam ſibi eo verbo æternitatem, divinitatemque intellexere; eaque de cauſa, *tulerunt lapides, ut jacerent in eum*. Cur porrò non ita perindè diſtinctis, conceptiſque verbis Deum ſeſe dixerit Chriſtus toto mortalis vitæ tempore, ac ſubindè dixere, atque ſcripſere ejuſdem Diſcipuli, & Apoſtoli; ratio in promptu eſt: quòd necdum tunc Trinitatis Myſterium expreſsè, diſtinctèque revelatum eſſet; ſed ſuboſcurè tantùm, & in velamine Sacrificiorum, & figurarum: adeoque periculum eſſet, ne hac ipſa de cauſa Chriſti prædicationem Judæi rejicerent, ſi Deum à Deo, (quem perſona, non ſecùs ac natura unicum noverant) miſſum audirent: donec illapſu Spiritus S. plenioris, diſtinctioriſque revelationis recipiendæ capaces fierent. Neque enim æſtimare par eſt, Judæorum vulgus ullam tunc Myſterii Trinitatis notitiam habuiſſe, nomineque *filii Dei*, quod ſibi ſumebat Chriſtus, alteram Trinitatis perſonam intellexiſſe ejuſdem cum æterno Patre naturæ, atque ſubſtantiæ: ſed ſingularis dumtaxat ſanctitatis, & excellentiæ virum à Deo ad ſalutem Iſraelis ſpecialiter miſſum. Non eſt itaque cur ſilentium Chriſto noſtro objiciant recutiti.

III. Nova tamen hìc oritur difficultas, quæ, ut aliquos malè torquet, ita à nobis reſolvi poſtulat. Sit, ita, inquiunt aliqui, Chriſtus ſe filium Dei vocitarit, eoque illum ornarint titulo Apoſtoli ejus, atque Diſcipuli, attamen nonniſi filius Dei adoptativus erat, ea videlicet adoptione, quæ ex gratia, ſingularibuſque Spiritus S. donis ſoboleſcit; non filius naturalis ex ipſa Patris ſubſtantia genitus, ejuſdemque naturæ divinæ communione conſubſtantialis. Id ex duplici Scripturæ loco colligere ſibi videntur. Primus occurrit Joan. 10., ubi cùm Chriſtus adſtantibus Judæis ſe ipſum Dei filium nuncupaſſet; iique idcircò commoverentur, eumque lapidibus oppetere vellent, quaſi per ſummam blaſphemiam Dei titulos ſibi arrogaſſet; Chriſtus eorum impetum ſedavit his verbis, quibus emiſſum verbum interpretatus eſt, & emollivit, v. 34. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra*, (Pſal. 81.) *ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in Mundum, vos dicitis, quia blaſphemas quia dixi, filius Dei ſum?* Ex quibus ita colligunt: Idcircò probat Chriſtus Dominus, nullam ſe blaſphemiam admiſiſſe, Dei filii titulum ſibi arrogando, quia in Scripturis,

filii

filii Dei, ac etiam Dii appellantur ii, ad quos ſermo Dei factus eſt: at ii ad quos factus eſt ſermo Dei, Prophetæ nimirum, & Juſti veteris Teſtamenti non aliter Dii dicuntur, & filii Dei quàm ex gratia adoptionis: non itaque alio ſenſu Chriſtus ipſe filius Dei, ac Deus haberi voluit. Rurſus filiationem ſuam idcircò probat eo loci Chriſtus Dominus, quia à Patre ſanctificatus eſt: *quem Pater*, inquit, *ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum?* Non alia ergo filiatio illi eſt, quàm quæ ſanctificatione obtinetur: hæc porrò non niſi gratuita eſt, & adoptiva. Et quidem ſi Chriſtus naturalem ſe Dei filium, verumque Deum appellaſſet, nuſquam ſe contra Judæos ab ea, cujus accuſabatur blaſphemia liberaſſet allato Prophetarum, atque Juſtorum exemplo, quos Scriptura nonniſi improprio, & translatitio ſenſu Deos appellat. Hoc primum.

Alterum ex Lucæ Cap.1. petitur argumentum, ubi Angelus Chriſti Incarnationem Virgini pariturae prænuncians; cum illa adeo fælici Nuncio reſpondiſſet; *quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco?* Repoſuit v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Ideo ergo Chriſtus de Virgine natus vocatus eſt filius Dei, quia ſuperveniente Spiritu Sancto, obumbrante Altiſſimo conceptus eſt: At filiatio, quæ non aliter habetur, quàm merito puriſſimæ conceptionis temporalis, & ex ſuperveniente Spiritus Sancti gratia, accidentaria dumtaxat, eſt adoptiva, gratuita, non naturalis, ac ſubſtantialis, quæ ex æternitate, ac neceſſariò habetur: Chriſtus igitur filiationem divinam, ſubſtantialem, naturalem, æternam non habet; ſed ut maximè gratuitam, accidentariam, uno verbo dixerim, adoptivam. Hoc alterum quod aliquos malè torquet argumentum.

IV. Non eſt tamen difficile utrumque refellere. Ad id ergo, quod primo loco poſitum eſt, reponi in primis poteſt: Chriſtum, quoties ſe Dei filium turbas alloquens vocitavit, non illico id omne ab iis intelligi voluiſſe, quod illis ſuberat verbis; eſſe ſe nimirum Dei filium naturalem ex æterni Patris ſubſtantia genitum: quia necdum expreſsè, diſtinctèque revelato Trinitatis Myſterio, æterna illa ſecundùm ſubſtantiam generatio longiſſimè erat à Judæorum intelligentia, ſenſuque diſiuncta: ſed id unum tunc temporis intelligi voluiſſe, illum ſe eſſe ſingularis virtutis, ſanctitatis, & excellentiæ virum, quem venturum in ſalutem Iſraelis, Lex, & Prophetæ promiſerant. Adeoque nihil mirum, ſi eo ſe titulo in eum dumtaxat ſenſum intellecto dignum probarit, Prophetarum, ac Juſtorum exemplo, qui cum tantæ dignitatis, & excellentiæ non eſſent, Dii tamen, ac filii Dei ſunt appellati, Pſalmo 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*.

Quidni quoque reponamus: Chriſtum Dei filii titulum ſtricto prorſus ſenſu, (ut re vera erat) ſibi arrogantem; objectam ſibi à Judæis blaſphemiæ notam depuliſſe, non facta comparatione ſui ipſius cum Prophetis, & Juſtis; qui ideo tantùm dicti Dii, ac Dei filij; quia ad ipſos *ſermo Dei factus eſt*: ſed argumento, ut logici loquuntur, à minori ad majus: Quaſi diceret, ſi illos Scriptura Deos appellat, ad quos ſermo

Dei

Dei factus eſt, Prophetas ſcilicet, ac Juſtos veteris Teſtamenti; quantò magis citra blaſphemiam filius Dei appellari poteſt ille, qui ſubſtantialis Dei ſermo eſt? Si Juſti quilibet filii Dei nuncupatur vel hoc ſolo titulo, quòd per adventitiam, & accidentariam Spiritus S. gratiam ſanctificati ſunt; quantò magis eo titulo dignus erit ille, quem Pater ſanctificavit ea ſanctificatione ſubſtantiali, quam ex ipſa ſui æterna generatione ſortitur: de qua Paulus ad Romanos 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, nimirum æternæ.

Alterum ex verbis Angeli Virginem ſalutantis delibatum argumentum, mero laborat æquivoco; quod enodare, & expedire facile ſit. *Spiritus S.* inquiebat Nuncius ille cæleſtis, *ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Benè profectò: at perperam infertur: Chriſtus ergo habet, quòd filius Dei ſit appellatus, quia obumbrante Spiritu Sancto conceptus eſt. Minimè gentium: quia τὸ *naſcetur ex te* non applicat ſupra perſonam Chriſti abſolutè, & ſecundùm ſeſe ſpectatam, ſed ſupra perſonam, quatenus ſubſiſtit in natura aſſumpta. Nihil itaque aliud ſibi volunt Angelica verba, quàm obumbrationem Spiritus Sancti, qua deipara Virgo fæcundata eſt in causa fuiſſe, cur homo ille ex Virgine natus filius Dei vocetur, & ſit. Quatenus, ſcilicet, humana natura ex Spiritus Sancti obumbratione obtinuit, ut Dei filio hypoſtaticè iungeretur; eaque ratione vocaretur, & eſſet, quòd ex Virgine natum eſt. Non itaque abſolutè, ac ſinè modo inferendum eſt, Chriſtum ex ſua Conceptione temporali habuiſſe, quòd filius Dei nominetur: ſed reſtrictè Chriſtum ut hominem eam filii nomenclaturam obtinuiſſe ex ea conceptione puriſſima, qua humana natura hypoſtaticè Verbo Dei unita eſt.

Si cui fortè reſponſum iſtud videtur obſcurius, & impeditius, iſtud alterum ſibi habeat. Ideo Chriſtum Dei filium dictum eſſe, quòd obumbrante Spiritu Sancto de Virgine Matre conceptus ſit: quia vel ex hoc ſolo quaſi à poſteriori, & à ſigno externo, Chriſtum Deum eſſe, ac Dei filium naturalem certò colligimus: propterea quòd ſoli Deo temporaliter genito mira illa, ac prodigialis conceptio debeatur: juxta quod Eccleſia canit, *Miretur omne ſeculum, talis decet partus Deum*. Undè non ait Angelus, *Ideoque quod naſcetur ex te, erit filius Dei*: ſed *vocabitur filius Dei*: nimirum ab hominibus, eum ex hujuſmodi ſigno diſcentibus. De cætero enim ratio à priori, ac neceſſaria cur Chriſtus verus ſit, ac naturalis Dei filius, eſt, quia ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus eſt. En tibi enervatum illum, non Judæorum quidem, (nec enim ſolent illi adeò ſubſtantialiter diſputare) ſed Arianorum, & Socinianorum Achillem.

V. Quandoquidem autem in hanc aleam cum Arianis, ac Socinianis ingreſſi ſumus: juvat levi ſaltem manu reliqua momenta refellere, quibus Chriſti divinitatem pari perfidia aggrediuntur. Congerunt itaque illi ea omnia Euangelii loca, ubi Chriſtus ſuæ veluti conditionis, & ſortis oblitus Divinitatis titulos recuſare, atque à ſe amovere viſus eſt: ut præſcientiam rerum omnium, ac præſertim extremi judicii, quam ſibi ineſ-

Digitized by Google

ineſſe diffitetur, Marci Cap. 13. *De die illa nemo ſcit, neque filius hominis*: ſummam largiendi cui voluerit Regni Cœleſtis poteſtatem, quam ſe habere negat. Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*: omnipotentiam, qua ſe præditum negat Joan. 5. v. 23. *filius non poteſt à ſe facere quidquam*: æqualitatem cum Patre, quam ſibi fatetur indebitam Joan. 14. v. 28. *Pater major me eſt*: ſummam bonitatem, Marci Cap. 10. v. 18. *Cur me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Quo ultimo loco ſupremam bonitatem uti ſibi minùs debitam, non modò à ſe amovet, ſed ea maximè ratione, quòd Deo ſoli debeatur: ſatis profectò innuens ab eo ſe titulo longè eſſe. Ad reſtim funiculum addunt Apoſtoli dictum, ad Romanos Cap. 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*. Cum enim prædeſtinatio non ſit, niſi de rebus liberis, & futuris; eum nec ex æternitate, nec ex neceſſitate naturæ Dei filium eſſe colligunt, ſed ex tempore tantum, atque ex liberæ adoptionis gratia, qui divina prædeſtinatione factus eſt filius Dei.

Sed ſunt hæc planè ludicra, atque futilia. Utque ſingula diſtinctè percurram: Quis prudens diffiteri audeat, extremi judicij diem fuiſſe Chriſto perſpectam, ſi quæ de ipſo Scriptura narrat, pauliſper attenderit? *Conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum*: Ut ait D. Petrus Act. 10. v. 42. Quis porrò judex ignoret pronunciandæ ſententiæ, & ferendi judicii diem? Auctor illæ eſt ſeculorum, atque ita extremæ diei. *Per quem fecit, & ſæcula*, ad Hebræos Cap. 1. v. 1. Quis verò opifex ſuum opus ignoret? In illo *theſaur. ſcientiæ, & ſapientiæ* conditi erant: qua ergo fortè hoc illum divinæ ſapientiæ arcanum latuiſſet? Idcircò itaque extremum judicii diem ſe neſcire reſpondit ab Apoſtolis interrogatus, quia Dei Patris Legatus erat ad homines miſſus; atque ita Legatorum more reſpondit, qui ea ſe neſcire dicunt, quæ tenent ſub ſigillo: ea quippè re ipſa neſciunt ut Legati, quia eorum revelatio illis delegata non eſt. Nec propterea aut amphibologia, aut æquivocatione uſus eſt Chriſtus, ut nonnullis Chriſtianæ morum diſciplinæ corruptoribus viſum eſt, qui eo Chriſti exemplo abutuntur, ut æquivocationem, & amphibologiarum uſum fidelibus licitum faciant. Non inquam, iis uſus eſt Chriſtus, quia cùm verba ſignificandi vim ex publico uſu recipiant, quiſquis verbis juxta publicum uſum ſignificantibus utitur, ſinè æquivocatione, & amphibologia cenſendus eſt loqui: nec mentis, ut ajunt, reſtrictione opus habet, ne mendacii reus evadat ita loquens. Porrò verbum *neſcio* in ore Legati de ſecreto Regis interrogati ex publico uſu in quacumque Republica bene conſtituta recepto id ſonat unum, *neſcio ut revelem*; etſi aliunde noverit, ut occultet. Quare Legatus, qui ita ore rotundo ſe neſcire reſpondet, ubi de ſecreto principis interrogatur, tam non mentitur, nec æquivocatione utitur; quàm nec Confeſſarius, qui de rebus in ſacro Tribunali auditis interrogatus, ſimpliciter, & abſolutè reſpondet, *Neſcio*: quia nimirum ex publico Eccleſiæ uſu verbum *neſcio* id unum in ejus ore ſonat, neſcio ut homo, neſcio ut revelem: adeoque mentis reſtrictione non indiget, qui ſic loquitur, ut mendacium evitet; ſi tamen

nugaci

nugaci illa arte vitari poſſet. Cæterùm Chriſtum Dominum, aut etiam Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos æquivocis, aut amphibologiis uſos eſſe, commentum eſt inſulſum, erroneum, impium ab univerſo Clero Gallicano damnatum ſolemni Cenſura, anno 1700. die 4. Septembris pronunciata adverſus hæc, aliaque fætida ſordentium quarundam ſcholarum purgamenta. Propoſitio Epiſcoporum cenſuræ ſubjecta hęc erat: *Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti, & ſancti æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt*: Epiſcoporum verò cenſura his verbis expreſſa fuit: *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria; myſticè, propheticè, parabolicè, ſivè œconomicè, ad inſinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita cum vulgaribus geſtis confundit, Sanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam Angelis iniurioſa, erga Chriſtum contumelioſa, & impia*. Ita Religioſiſſimi, doctiſſimique Præſules Galliarum. Sed hæc obiter ad eam aſſertionem morum corruptricem refellendam. Alia jam Judæorum, & Arianorum obiecta paucis expedio.

VI. Quo titulo extremi judicii diem perſpectam habuit Chriſtus Dominus, ita & habuit conferendi cui liberet Regni Cœleſtis arbitrium, quod nobis ſanguine ſuo mercatus eſt. Annon enim Cœleſte Regnum pro ſumma poteſtate latroni pœnitenti largitus eſt? Tantùmque abeſt, ut hoc ineſſe ſibi negarit arbitrium filiorum Zebedæi Matrem alloquens, quin potiùs confirmavit. Non enim ait, *non eſt meum dare, ſed Patris*; verùm, *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre*. Quaſi dicat, non eſt æquum dare vobis titulo, quem obtenditis, conſanguinitatis: ſed jis dandum eſt quibus ob virtutis meritum à Deo Patre, & à me quoque paratum eſt. Uno verbo, non ineſſe ſibi negat conferendi poteſtatem, ſed iis ineſſe negat obtinendi meritum, qui à Deo Patre prædeſtinati non ſunt.

Quod ad Omnipotentiam attinet, plana res eſt, non poſſe filium *à ſe facere quidquam*, hoc ſenſu: quòd uti naturam habet à Patre, non à ſe ipſo; ita & agendi virtutem, quæ divinæ naturæ eſt indivulſa, non habet à ſe, ſed à Patre. Nec tamen idcircò minùs poteſt: imò, ut ait ipſemet, *quæcumque Pater fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, Joannis 5. v. 19. Id itaque non imbecillitatis, ſed ſuæ à Patre proceſſionis eſt argumentum.

Ruit mole ſua illud alterum de æqualitate cum Patre, quam Chriſtum his verbis negaſſe volunt, *Pater maior me eſt*. Per omnium quippè ora volitat trita reſponſio, Chriſtum uti hominem Patre quidem eſſe minorem, tametſi uti Deus ſit illi non æqualis modò, verum etiam omninò conſubſtantialis; juxta vulgatum illud Symboli Divo Athanaſio perperam adſcripti: *Æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*: quo vel uno, Chriſti Domini dictum Arianis eripitur. Quia tamen interpretationem illam minimè patiuntur quorumdam Patrum teſtimonia, Gregorii, ſcilicet, Nazianzeni, Baſilii, Cyrilli Alexandrini, Chryſoſtomi, Athanaſii, Tertulliani, Hilarii, qui Chriſtum etiam uti Deum, quodam dicendi modo, Patre minorem agnoſcunt; idcircò iſtud quoque ad ſolutionis cumulum addimus: Patrem

æternum in ratione principii proceſſionis quadam (ut Schola loquitur) relata dignitate, atque præſtantia gaudere, Filio, ac Spiritui Sancto minimè communi. Sic etenim Pater, & Filii, & Spiritus Sancti principium eſt, ut ii viciſſim Patris principium nequaquam ſint. Quæ tamen excellentia, atque præſtantia, cùm merè relata ſit, abſolutam in natura æqualitatem minimè lædit. Ne quis verò putet, quæſitum de Scholæ tribulis, ac vepreti ſuffugium illud eſſe, potiùs quàm genuinum Patrum illorum interpretamentum; S. Cyrilli verba dabo, quibus & ſuam, & aliorum Patrum ſententiam in eum planè modum exponit, lib. 11. Theſaurorum: *Cùm ſecundùm ſubſtantiæ rationem æqualis ſit Patri filius, & per omnia ſimilis, majorem tamen ipſum dicit, (Pater maior me eſt) tamquam principio carentem, cùm habeat ipſe principium; eo ipſo dumtaxat, quod ex Patre eſt, tametſi cum eo exiſtentiæ ratione conveniat.*

Quintum minùs urget, ſi Chriſti loquentis ſcopum attendimus. Dum enim cuipiam eum Magiſtrum bonum appellanti reſpondit, *cur me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus*, non ineſſe ſibi, aut bonitatem, aut Divinitatem inficiari voluit, ſed interrogantis incredulitatem retundere qui, cùm ipſum Deum nollet agnoſcere, bonum eum nihilominus appellabat. Quare argumento velut ad hominem uſus, dixit: cum me Deum abneges, quid me tamèn bonum appellas? Cum bonus verè nemo ſit, niſi ſolus Deus.

Poſtremi, quod Pauli eſt, teſtimonii explicandi duæ apparent viæ. Una eſt, ſi dicamus cum Doctore Angelico, in ea propoſitione, *Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei*, τὸ *filius* propoſitionis ſubjectum eſſe, non prædicatum: quò ſignificetur, filium Dei prædeſtinatum eſſe ut homo fieret, homineſque redimeret. Altera, ſi dixerimus τὸ *Chriſtus* non ſupponere pro perſona abſolutè ſumpta, ſed quatenùs in humana natura ſubſiſtit: ut ſit ſenſus, humanam naturam in Chriſto prædeſtinatam eſſe, ut aſſumeretur ad conditionem Filii Dei per unionem hypoſtaticam cum Verbo Dei. Qua duplici explicatione difficultas omnis eliſa eſt.

At interim, dum Arianos inſequor, à ſuſcepto munere, & inſtituta cum Hebræis diſputatione procul abſcedo. Dum enim promiſſum ſibi Chriſtum Deum fore diffitentur, ac etiam evincere fatigunt, a Sanctorum Patrum teſtimoniis, & à Scholæ noſtræ ſubtilitatibus procul abſtinent, in quibus fatentur, mediocriter ſe eſſe verſatos. Quare ab opere ſupervacuo abſtinendum, & progrediendum ad alia.

EXER-

EXERCITATIO X.

De poſtrema promiſſi Meſſiæ nota; Seu de partu Virgineo, quo in lucem edendus erat.

I. DE partu Virgineo, quo Chriſtus in lucem edendus erat, nulla nobis cum Judaica Synagoga lis eſſet, ſi Deum illum futurum (quod jam abundè probavimus) una nobiſcum agnoſcerent. Quid enim tam Deum deceat, hominem inter homines proditurum, quam de illibata Virgine naſci? At, ut illud perfractè negant, ita & iſtud pari audacia, atque perfidia diffitentur. Quare ut poſtremam iſtam promiſſi Meſſiæ notam ex ſuperiori jam ſponte fluentem paucis expediam, rem fermè totam ad unius Iſaiæ oraculi criterium revoco, cujus occaſione gravis Chriſtianos inter, atque Judæos controverſia dudum emerſit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, Iſaiæ Cap. 7. v. 14. Quod in Deiparæ partu impletum eſſe, teſtatur Matthæus Cap. 1. v. 22. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit filium &c.*

Utque id ab omnibus intelligi facilè poſſit, occaſionem, qua fuſum oraculum eſt, paucis exponam. Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael ſociatis viribus, & copiis Civitatem Jeruſalem obſidione cinxerant, eamque vehementèr urgebant, & Achazum Regem Juda ad extremas anguſtias adigebant: cum Deus, miſſo Iſaja Propheta, Regi Achazo periclitanti fecit animum, ſpoponditque brevi futurum, ut ab iis hoſtibus eximeretur. Is minùs integram fidem Prophetæ præſtitit; quòd in tam præcipiti rerum eventu promiſſam liberationem ab omni veri ſpecie remotiſſimam exiſtimaret. Quapropter, ut promiſſis fidem adderet Iſaias, ſpopondit, ſe miraculum quodcumque liberet in Achazi oculis editurum in editæ Prophetiæ confirmationem. Renuit impius Rex, nolle ſe, inquiens, tentare Dominum. Tunc deſpectum ſe ſentiens Iſaias, converſo ſermone ad domum David, cui duram in Deum cervicem exprobravit, futurum ſpopondit, ut Deus ſponté ſua portentum omnium maximum ederet, Virginis, ſcilicèt, parituræ, cujus filius *Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus vocandus eſſet: addiditque, terram duorum illorum Regum Jeruſalem obſidentium devaſtatum iri, antequam Virginis parituræ filius annos attingeret rationi proximos. *Propter hoc*, inquit Propheta, *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris, à facie duorum Regum ſuorum.*

Eo oraculo prænunciatum Meſſię ortum ſummo conſenſu contendimus, quotquot Chriſtiano nomine ſumus; favetque nativus Scripturæ ſenſus, ſi paulò

ſi paulò penitiùs perpendatur. Cum etenim impius Achaz fieri non poſſe crederet, ut Dei ope à duobus potentiſſimis hoſtibus liberaretur, ſignaque in promiſſæ liberationis confirmationem oblata reſpueret; ſignificare voluit Deus, in ipſius nutu eſſe poſitum, ut majora prodigia edat, & ab hoſtibus longè potentioribus homines liberet. Quare facturum ſe, inquit, ut etiam Virgo gravida gigneret, Deumque pareret, totumque humanum genus à diaboli tyrannide; cujus levem imaginem duo illi Reges Jeruſalem obſidentes præferebant, ſinè cunctatione liberaretur.

Judæi è contrario nihil, quod Meſſiam contingat, eo vaticinio prænunciari volunt; Chriſtianoſque emunctioris eſſe naris exiſtimant, qui magna inibi myſteria ſubodorentur, ubi nulla re ipſa ſunt. Quare tria ponunt hujuſce vaticinii occaſione: primùm, perperam in vulgata Eccleſiæ verſione legi, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; cùm hebraica vox *baalma*, quæ in primigenio textu legitur, non Virginem neceſſariò ſonet, ſed puellam adoleſcentulam, quæcumque ſit illa, ſivè virum experta, ſivè intacta, ſivè nupta, ſivè innupta. Secundò, nihil miraculi fore ajunt, tametſi neceſſariò legendum eſſet, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: Id enim, inquiunt, eo ſenſu dictum non eſſet, quaſi Virgo ſervata virginitate Deum conciperet: ſed quòd Virgo cum eſſet antea, filium deflorata virginitate parturiret. Eo planè modo, quo Chriſtus de miraculis a ſe patratis Joanni renunciari juſſit, *quia cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*, Matth. Cap. 11. v. 5. non quaſi in ipſa cæcitate, & ſurditate viderent, atque audirent, ſed quòd cæci, ſurdique cum eſſent antea, ſanata jam cæcitate, ac ſurditate, integris ſenſibus uterentur. Tertiò, prænunciatum eo vaticinio contendunt longè alium à Meſſia; Ezechiam, ſcilicèt, filium Achaz, ut aliquibus placet; ſeu etiam ipſius Iſaiæ filium naſciturum, ut alii magis probant: quo necdum ex ephebis egreſſo, Syriæ Regnum devaſtatum eſt.

II. Tria hæc æque falſa demonſtrare officii noſtri eſt, ſi quo fœlici exitu Judæos volumus exagitare, ac celeberrimum vaticinium, quo maximè Fides Catholica nititur, ab impuris cavillationibus vindicare. Agedum, noſtram advocationem domeſticæ cauſæ accomodemus. Hoc primum eſto hodiernæ exercitationis caput: Legendum omninò in Iſaiæ oraculo, *Ecce virgo concipiet*: nec vox illa hebraica *baalma* cum articulo emphatico *ha* ſcripta anceps habenda, quaſi in puellam, ſivè quæ virum paſſa ſit, ſivè quæ ejus fuerit expers, ex æquo congruat: ſed ei ſoli neceſſariò competit, quæ virginitatem adhibita cuſtodia ſervarit; quæque ad eam cuſtodiendam abſtinuerit publico, & intra parthenonos ſepta ſe continuerit.

Enimvero vox *baalma* ab hebraico themate *alam*, quod abſcondere propriè ſignificat, derivatur. Hincque ad denotandam Virginem integram deſumpta eſt; quòd olim in more poſitum eſſet, ut Virgines magna diligentia ſecluderentur, & ab omni virorum acceſſu ſemotæ cuſtodirentur: ut videre eſt lib. Eſther Cap. 2., & lib. 2. Machabæorum Cap. 7. v. 19. tum apud Joſephum lib. 7. Antiquitatum Judaicarum Cap. 7. ut Scriptores prophanos ſilentio mittam. Hinc Salomon Virginem deſcribens in Can-

in Canticis Cap. 4. v. 12. *Hortus concluſus*, inquit, *ſoror mea Sponſa*, *hortus concluſus*, *fons ſignatus*, quòd nempè Virgines clauſæ, obſeratę, obſignatæque eſſent, ut inviolatum Virginitatis ſuę ſigillum, & integra pudoris clauſtra cuſtodirent.

Hoc ipſum confirmant alia non pauca Scripturarum exempla, ubi eadem illa hebraica vox *haalma*, cujus occaſione cavillari Judæi ſolent, ad Virginem viro prorſus incognitam denotandam uſurpata eſt, præmiſſo articulo illo emphatico *ha*. Geneſis Cap. 24. v. 16. Ubi de Rebecca nondum certè deflorata verſio latina habet, *Puella decora nimis*, *Virgoque pulcherrima*, *& incognita viro*: textus hebraicus habet *haalma*. Idem Marię ſorori Moyſis attribuitur nomen, Exodi Cap. 2. v. 8., quo tempore necdum viro ſubacta fuerat. Uno verbo nullus in univerſa, qua latè patet Scriptura Sacra, contextus adnotari poteſt, ubi ea hebraica dictio uſurpata legatur ad juvenculam viro cognitam deſignandam. Nolim in his mihi fidem integram dari, quippè qui vix aliquid in hebraicis litteris balbutire audeo; Sed detur integra Hieronymo viro hebraicè longè doctiſſimo, qui hebraicos Codices non ſecus ac digitos ſuos, & ungues noverat. *Oſtendant itaque Judæi*, inquit ille, *in Scripturis alicubi poſitum haalma*, *ubi adoleſcentulam tantùm*, *non Virginem ſonet*: *& concedimus eis*, *illud*, *quod in Iſaiæ apud nos dicitur*, *Ecce Virgo concipiet*, *& pariet filium*, *non abſconditam Virginem*, *ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam*. Quo circa tria eſſe hebraica nomina obſervat Sanctiſſimus Doctor lib. 1. contra Jovinianum, quæ ſolent hac in materia ſacris in litteris uſurpari: 1. *Naara*, quod adoleſcentulam ſimpliciter ſonat, ſeu Virgo ſit, ſeu corrupta: eſtque propterea ætatis dumtaxat nomen: 2. *Betulah*, quod ex adverſo Virginem ſonat ſivè adoleſcentula ſit, ſivè ætate provecta: eſtque id circò dumtaxat integritatis nomen. 3. *Haalma*, quod utrumque ſimul ſignificat, Virginem, ſcilicèt, & adoleſcentulam ut integritatis ſimul, & ætatis teneræ nomen ſit. Eoque ultimo propterea uſum Iſaiam celebri illo, quod expendimus vaticinio, ut adoloſcentulam ſimul, & Virginem parituram deſignaret. Hinc & lingua punica, quæ ex hebræa nata eſt, *Haalma* Virginem ſonare, idem ille nobis eſt auctor in ſuis ad Iſaiam commentariis.

III. Accedit in hujuſce catholicæ veritatis confirmationem, ſeptuaginta Interpretum fides, quibus non ſtare, Judæis religio debet eſſe: ii quippè, & genere, & religione Judæi erant: Oraculum autem illud græcè vertentes, nulla circuitione uſi, Παρθένον reddiderunt, quod Virginem integram denotare nemo neſcit: ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει υἱόν, *Ecce Virgo in utero concipiet Filium*. Ita pariter habent Paraphraſes Chaldaicæ, Verſiones Syriaca, & Arabica, Virginem perindè vertentes. Quibus ex recentioribus adjungendus venit R. David Kimchi in libro Radicum, ubi eamdem illam ſignificationem ineſſe dictioni *haalma* diſertè docet. Quare ridendi omninò veniant recentiores Hebræi, qui verſiones Symmachi, Aquilę, Theodotionis nobis obtrudunt, ubi loco Virginis Juvenculam tranſtulerunt. Quis etenim neſciat, Symmachum Ebionitarum hęreſi fuiſſe infectum, quibus Jeſu Matris Virginitatem inficiari, ſolemne erat: Aquilam, & Theodotionem proſelitos

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe judaizantes, qui ſuas Scripturæ Sacræ verſiones ſuis erroribus accomodarunt. Egregij ſanè viri, qui in hacce eliquanda controverſia judices audiantur! Scilicet, qui adverſæ partis erroribus polluuntur. Certè conſule Atheos, negabis Deum. Quid ergo mirum, ſi profeſſi Marianæ Virginitatis oſores Semi-Judæi hoc illi oraculum, quo maximè nititur doloſis verſionibus eripuerint?

Ludunt pariter, illuduntque, qui vulgatum noſtrum Interpretem alia Scripturæ loca reddentem, *adoleſcentiam*, *& adoleſcentulas* quandoque vertiſſe, nobis opponunt, ubi vocabulum *haalma* in Hebræo textu poſitum erat: ut Proverbiorum Cap. 30. v. 18. *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro, viam Aquilæ in Cælo, viam colubri ſupra petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia ſua*. Et in Canticis Canticorum Cap. 2. v. 2. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*. Primam quippe adoleſcentiam intelligit Salomon in Proverbiis, qua quis adhuc deliteſcit, & abſconditus eſt; adeòque adoleſcentiam virginalem, idque ſibi vult unum, ignorari viam viri in prima adoleſcentia ſua, quia ex prima viri adoleſcentia dignoſci non poteſt, quis tandem futurus ſit. *Haalma* itaque adoleſcentiam ſonare non diffitemur: at non qualemcumque, ſed abſconditam, ignotamque; adeoque Virginalem, qualem profectò Salomon intelligi vult, ejuſdemque vulgatus Interpres. Nec minùs adoleſcentulas Virgines intelligit in Canticis Canticorum, quas, & à Reginis, & à concubinis, quæ virum, ſcilicèt, paſſæ fuerant, apertè diſtinguit, Cap. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*: quæ nondum viro ſubactæ fuerant.

IV. Jam, quod alterum Judaicę cavillationis caput attinet, id pari fide, atque conſtantia pronuncio: Virginem parituram eo Iſaię oraculo deſignari, quę ſervata virginitate filium edat. Conceptum etenim Virginis portendit eo loci divinus Vates uti ſignum ingens, hoc eſt, veluti rem novam, inuſitatam, prodigialem: *Pete tibi ſignum à Domino*, inquit ille; *ſivè in profundum inferni, ſivè in excelſum ſupra*: Quid verò novi, ac prodigii haberet, ſi puella more communi fœminarum poſt delibatam Virginitatem filium eſſet paritura? Unde Hebraicus textus ita periodum effert, ut planè virginitatem partui coniungat: Ita quippè, ſi voculas ipſas, ac ſyllabas religioſiùs æmulari velimus, legendum venit: *Ecce Virgo prægnans, & pariens filium*. Atque hæc ipſa novitas eſt omnibus retrò ſæculis ignorata, quam verbis paululum immutatis vaticinatus eſt Jeremias Cap. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*: cùm tamen ſi Judaicis interpretamentis aures accomodatum, nullam eſſe novitatem planè liqueat, totumque, quantum quantum eſt, conceptionis miraculum evaneſcat.

V. Tertium tandem, quod obtrudunt, ludricum prorſus eſt, ac deſperatæ cauſæ apertiſſimum argumentum: eo, ſcilicet, Iſaiæ oraculo portendi ortum Ezechiæ filii Regis Achazi, aut certè ortum filii ipſiuſmet Iſaiæ Prophetæ. Inſulſum planè commentum! Fac enim, Filium de Virgine naſciturum non prenunciari hoc loco: fac non promitti *Emmanuelis*, hoc eſt, pueri divini conceptum: fac, uno verbo dicam, nihil ni commu-

communem partum denunciari: necdum tamen ad Ezechiæ filii Achaz, aut etiam ad ipſius Iſaiæ filii nativitatem prænunciandam oraculum iſtud flecti poſſet, ut Judæi plus nimio imprudentes, nec ſatis in hiſtoria ſacra verſati fabulantur. Qua etenim amabò ſorte Ezechiæ ortum prænunciaſſet tunc temporis Iſaias, uti illorum aliqui volunt; cùm is diu antea natus eſſet, multoſque jam annos numeraret? Ita porrò rem eſſe, ex ſacris litteris liquet: Achaz enim, quo regnante vaticinium iſtud fuſum eſt, *ſexdecim annis regnavit*, ut habetur lib. 4. Regum Cap. 16. v. 2. Achaz autem Ezechiam filium ſuum *annos viginti quinque natum* hæredem Regni reliquit, uti Cap. 18. v. 2. legere eſt: annos ergo circiter decem numerabat Ezechias, dum Achaz pater ejus regnum obtinuit; atque adeò multò plures numerabat annos, dum Achazo regnum obtinente oraculum iſtud, quod expendimus, ab Iſaia pronunciatum eſt.

Sed neque fęlicioribus ventis mare iſtud enavigant, qui ipſius Iſaiæ filii ortum portendi eo vaticinio commenti ſunt. Illius etenim pueri ortus portenditur, quo necdum annos rationi proximos obtinente, Samaria devaſtanda erat: *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris à facie duorum Regum*. Seu, ut ſequenti Capite dicitur v. 4. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ*: At quo tempore Regnum Samariæ everſum eſt, annos facilè ſexdecim Iſaiæ filius numerabat; utpotè qui jam anno quarto Regni Achaz natus erat; adeoque diu ante bonum à malo ſecernere noverat: aut certè diu ante patrem, ac matrem ex nomine appellabat. Rursùs illius pueri ortus denunciatur, cujus mater, ſi minùs Virgo, at ſaltem juvencula erat; ita quippe Judæi volunt: at Iſaiæ uxor Juvencula tunc profectò non erat; ſed vetula potiùs: non itaque illius filii ortus deſcribitur eo loci. Suis itaque retibus implicantur Hebræi, dum iſta ſuffugia quærunt, ut eliquatiſſimæ veritati nebulas offundant, partumque virgineum ſingularem promiſſi Meſſiæ prærogativam inficientur.

VI. Quod opponunt nihilominùs, difficultatem non levem habet, multorumque torſit ingenia. Ajunt quippè, incredibile prorſus eſſe, ut Iſaias Achazo à duobus Regibus obſeſſo futuram liberationem promittens, in hujus promiſſæ liberationis fidem ſignum dederit partum illum Virgineum, & ortumque Meſſiæ, quem nos annis circiter octingentis poſt Achazi obitum contigiſſe exiſtimamus. Rei etenim promiſſæ ſignum, quo nobis promiſſionis veritas confirmatur, rei promiſſæ exitum antevertere neceſſe eſt: aliàs nullam nobis promiſſæ rei fidem faciet. Non ergo Jeſu noſtri ortus eo vaticinio portenditur.

Verùm non eſt ita, ut ajunt, non eſt ita. Neque etenim Iſaias virgineum partum uti prognoſticum ſignum futuræ liberationis Achazo dederat: ſed contrà potiùs, cùm prognoſticum ſignum, ſeu miraculum ab Iſaia edendum nollet Achaz, Prophetamque uti falſum ariolum deſpicaretur, nullam dictis ejus, & promiſſæ liberationi fidem adjungens: is, ut verum ſe Prophetam oſtenderet, Deumque majora præſtare poſſe, quàm quæ hac occaſione Achazo promittebat, ſignificaret; partum Virgineum

gineum miraculorum omnium maximum prænunciavit, totumque humanum genus Diaboli tyrannide liberandum viticinatus eſt. Non ergo partus virgineus, ortuſque Meſſiæ tanquàm prognoſticum liberationis Achazi ſignum datum eſt: imò potiùs tanquàm ſignum poſthumum, ac rememorativum, ut ita loquar, prophetiæ præcedenis: Ut videlicet homines à Diaboli tyrannide Meſſiæ miniſterio tandèm aliquandò liberati, anteactæ liberationis Achazi recordarentur.

Extant divinis in litteris iſtiuſmodi ſigna poſthuma, ſeu memniſtica longè multa. Exodi Cap. 3. v. 12. Deus Moyſem populi liberatorem mittens, *hoc habebis ſignum*, inquit, *quòd miſerim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum:* Hæc porrò immolatio populi exitum, Moyſiſque miſſionem diu ſubſecuta eſt. Primi Regum Cap. 10. v. 2. Samuel poſt inunctionem Saulis in Regem, *Et hoc tibi ſignum*, inquit, *quod unxerit te Deus in principem: cùm abieris bodie à me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel*; & alia, quæ nonniſi poſt Saulem inunctum geſta ſunt. Sunt igitur ſigna poſthuma, & memniſtica priorum, non prognoſtica futurorum. Neque refert, quòd in vivis futurus non eſſet Achaz; dum Virgo Chriſtum eſſet paritura, quia non Achazo ipſi prodigiale illud ſignum ab Iſaia datum eſt, ſed domui David: *Audite ergo domus David*: quæ ad id uſque temporis perennatura erat.

VII. Reponunt viri propoſiti tenaces, hujus pueri ortum portendi laudato Iſaiæ vaticinio, quo diſcretionis annos nondum aſſecuto, Regna Damaſci, & Samariæ devaſtanda erant: at non modò ante diſcretionis annos à Jeſu noſtro habitos, ſed & diu antequam oriretur in terris, utrumque Regnum fuerat devaſtatum; non itaque Prophetia illa refertur ad Jeſum. Verùm non advertunt viri carnales, & in uno litteræ cortice dumtaxat hærentes, Prophetam pro more ſuo à figura ad rem ipſam deſignatam tranſvolare; à temporalis liberatione Achazi, ab obſidione Raſin, & Phacee ac liberationem humani generis a diabolica ſervitute, cujus hæc nonniſi ſymbolum erat. Nihil ergo ſibi vult aliud Iſaias iis verbis, *antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum: antequam ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam*; quàm genus humanum precocibus venturi Meſſiæ virtutibus, ac laboribus à peccati tyrannide liberatum iri. Quare & ea parte figurata locutio eſt. Sexcenta Prophetarum exempla dare, facilè fuerit, uni eodem planè contextu à typis ad antitypa, à figuris ad Chriſtum tranſitum faciunt, niſi otioſi hominis eſſet, in re compertiſſima demonſtranda diutiùs immorari.

VIII. Quæ hactenus in explicando, tuendoque Iſaiæ vaticinio diximus, majorem ex aliis oraculis lucem accipiunt, quæ fœminam tandem aliquam abſque viri copia pariturам portendebant. Quamquàm enim quis eo partu in lucem edendus eſſet, non ita ut Iſaias adnotarint; hujus tamen ortus prærogativa, ſi res ita contingeret, præ cæteris dignum Meſſiam Judæos non arbitror negaturos. Et quidem Levitici Cap. 12. v. 2. ita Moyſem Deus alloquitur: *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, Mulier, ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies*

ſepara-

Digitized by Google

ſeparationis menſtruæ. Ut quid verò clauſula illa, *ſi ſuſcepto ſemine pepererit*: ſi nulla unquam mulier, niſi ſuſcepto ſemine, paritura erat? Certè aut ſupervacua planè circumſcriptio illa fuit, aut mulierem aliquam nullo ſuſcepto ſemine parituram ea loquendi formula ſignificavit. Pariter Exodi 13. v. 2. Numerorum 8. v. 16. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quàm de jumentis*. Quid hoc quoque, *quod aperit vulvam*; ſi nullus unquam futurus erat primogenitus, qui matris vulvam non aperiret, atque ex matre integra naſceretur? Sed de hoc alibi plura, dum de Virgine purificata diſſeremus. Non abſimiliter lib. 2. Regum Cap. 7. v. 12. ita Deus Davidem alloquitur: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus.* Et Pſalmo 131. v. 11. *Juravit Dominus David, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Quod non de Salomone diu antea nato, ſed de Chriſto ex Davidis genere orituro intelligere neceſſe eſt. Quid hic porrò Chriſtus ex Davidis *utero*, ſeu *ventre* eggreſſurus dicitur; cùm potiùs ex patrum lumbis, non ex patrum ventre, vel utero naſcantur filii? niſi quòd illic Virginis Matris uterus deſignetur, de quo ſolo Chriſtus Dominus, promiſſum Davidi ſemen, non de lumbis, & ſemine viri proditurus erat. Ingenioſa Tertulliani obſervatio eſt lib. 3. contra Marcionem, & S. Irenæi lib. 3. adverſus hæreſes Cap. 27.

IX. In hanc uſque diem, de variis prænunciati Chriſti notis, dotibus, characteribus diximus: ut falſa Judæorum præjudicia revelleremus quibus longè alium oriturum ſibi Chriſtum animo fingunt, quàm quem Sacra Scripturarum Oracula promiſerunt. Poſtulat in præſentia ſuſcepti operis ratio, ut de præfinito ſalutaris adventus tempore dicamus. Quod ubi ſemel Jeſu noſtro naſcente elapſum, impletumque probaverimus; certo jam, invictoque momento colligemus, talem dudum re ipſa veniſſe Chriſtum, qualem venturum Lex, & Prophetæ prænunciaverant.

EXERCITATIO IX.

De Chriſto, ſtante ſecundo Templo, mortalibus orituro.

I. ABſoluta de Chriſti promiſſi notis, dotibus, characteribus prolixiori tractatione, qua Judæorum ignotum Sacris Vatibus Liberatorem effingentium hallucinationes reteximus, confutavimus; alteram de præfinito optati adventus tempore commentationem aggredimur, ut Judaicam perfidiam, undecumque id fieri poterit, impetamus. Hactenus omnes veri Meſſiæ dotes ſacris in litteris præſignatas uni Jeſu Nazareno congruere, multis oſtendimus; nunc notatas ſalutaris adventus periodos, necnon definita ortus illius optatiſſimi tempora in ejuſdem Jeſu noſtri ætatem indicere, admotis veluti calculis, demonſtrabimus.

Cæterùm, ut eſt iſtud magnæ molis opus, nec una exercitatione conficiendum, rem totam per partes aggrediemur; hocque unum erit hodiernæ prælectionis argumentum: Meſſiam à ſacris Vatibus prænunciatum certiſſimè naſciturum fuiſſe, ſtante adhuc ſecundo Salomonis Templo; ſeu, ut clariùs dicam, ſtante Salomonis Templo, quale à Zorobabele poſt ſolutam captivitatem Babylonicam ſub Cyro Perſarum Rege inſtauratum erat: nec ultra poſt ſecundi Templi hujus excidium adventum Meſſiæ protrahi poſſe. Quare cum inſtauratum à Zorobabele Salomonis Templum, annis ſubindè poſt Chriſtum noſtrum in Cœlos elatum triginta ſeptem everſum, ſoloque æquatum fuerit ſub Veſpaſiano nimirum, & Tito; conſequens omninò eſt, Meſſiam ante Veſpaſiani, ac Titi imperium adventaſſe: rectèque idcircò ſalutaris illius adventus epocham in Jeſu Nazareni ætatem incidiſſe. Atque ita Judæos ignoranter, ac perperam ſuum etiamnum hodiè Liberatorem expectare, qui dudum advenit.

II. Amplam nobis probationum copiam ſubminiſtrat Aggæus Propheta Cap. 2. Prophetiæ ſuæ, ſi cum libro primo Eſdræ Cap. 3. conferatur. Rem paucis exponam, ut eruendi indè argumenti vis percipi faciliùs poſſit. Everſa primitùs Jeroſolyma, dirutoque Salomonis Templo, Judæos captivos in Babylonem deportaverat Nabuchodonozor Rex, anno ante Chriſtum noſtrum ſexcenteſimo ſexto. Annos ſeptuaginta perduravit ſæva captivitas, quibus demum exactis, Judæi à Cyro Perſarum Rege libertate donati ſunt, veniamque Templi inſtaurandi; ſuis tamen ſumptibus, impetrarunt. In hanc operam potiſſimùm intenderunt Zorobabel filius Salathiel, & Jeſus Filius Joſedech. Verùm, ut erant tunc temporis Judæorum acciſæ vires, exhauſtum ærarium, adeò inſtaurati Templi moles à prioris Templi pompa, majeſtate, & magnificentia procul aberat, ut quotquot inter Judæos levem aliquam priſtini Templi memo-

memoriam retinerent, in lacrymas ſolverentur. Lacrymantem populum ſolatus eſt Deus: inſtaurati Templi prærogativas, quibus priſtinum ſuperaret, commendando, ac celebrando hiſce verbis obſervatione digniſſimis; apud Aggæam Prophetam Cap. 2. v. 7. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cælum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum ..... Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Tot hic in Judæos decretoria argumenta, quot verba: tot effata, quot apices. En etenim deſideratum cunctis gentibus, qui Templum illud ſecundum à Zorobabele inſtauratum ſua gloria ſit repleturus: en pacem ſalutarem eo in Templo dandam hominibus: en Cœlum terramque, ac omnes etiam Orbis populos commovendos: en noviſſimi Templi gloriam priſtini Templi gloria ſuperiorem, majoremque. Stant porrò univerſa hæc in noſtra Chriſtianorum hypotheſi; qua ponimus, verum Meſſiam Templum iſtud ſecundum (antequam a Romanis ſecundum everteretur) præſentia ſua, miraculis, adhortamentis, orationibus illuſtraſſe, conſecraſſe. Meſſias enim deſideratus cunctis gentibus ſacris in litteris nuncupari ſolet: Is ſalutarem animorum pacem reconciliato hominibus Deo fidelibus dedit: Is novæ legis inſtitutione, omniumque gentium in unius Eccleſiæ fidem conſociatione Cœlum, terram, populoſque commovit univerſos: Is divina prorſus majeſtate, ac gloria, qua major Salomone fuit, Templum replevit, & illuſtravit: Ut planè tot illis titulis ſecundum hoc Templum priſtinum modis omnibus ſuperarit. Atque ita in Chriſtianorum hypotheſi, Aggææ prophetia plenam, & integram ſortita eſt veritatem. Verùm in hypotheſi Judæorum, qui Meſſiam ſecundum illud Salomonis Templum præſentia ſua illuſtraſſe diffitentur, eumque temporibus illis Mundo illuxiſſe inficiantur, quocumque ex capite Aggææ prophetia falſa eſt; nihil enim eorum, quæ ab Aggæa ſunt memorata, eo in Templo peractum eſſet; undè prioris Templi gloriam ſuperaſſe, dici poſſet.

III. Riſum tenere vix poſſum, dum Judæorum effugia recolo, quibus argumenti hujuſce vim eludere adnituntur. Jactant, ſcilicet, nonnulli ad hujuſce ſecundi Templi gloriam exaggerandam; Alexandrum Macedonum Regem ad illud aliquando ſupplicem acceſſiſſe: magnumque Herodem hoc idem munificentia planè regia exornaſſe. Sit ita porrò, per me licet; an ergo propterea priſtini Templi dignitatem, & gloriam ſuperaſſe dici poſſet, quaſi Alexandri, aut Herodis majeſtas plus illi dignitatis attuliſſet, & gloriæ, quàm vel unius Salomonis contulerat primo? Aut etiam, quod abſurdum magis, vel Herodes, vel Alexander *deſideratus cunctis gentibus* dici poſſet? Cùm tamen promiſerit Deus, futurum ut deſideratus cunctis gentibus hoc Templum ſubiturus eſſet. Reponunt alii, majorem ſecundi Templi gloriam dictam eſſe, ob majorem, ſcilicet, illius diuturnitatem: quòd primum annis dumtaxat quadringentis viginti duobus perduraſſet; facta nimirum computatione, ab an-

no Salomonis undecimo, quo perfectum eſt ſacrum opus, ad annum Sedeciæ undecimum, quo a Rege Nabuchodonozore igne abſumptum eſt: Alterum annis circiter quingentis ſeptuaginta perennarit, donec à Romanis unà cum Urbe ſuccenderetur. Perperam tamen, ac futiliter, cùm non ex novi operis diuturnitate aliquantò majori gloriam illam, & excellentiam petierit Deus, ſed ex Servatore è cunctis gentibus expetito Templum iſtud ſubituro; & ex pace illic ab eodem mortalibus concedenda, quod ex utroque laudato oraculo perſpectum eſt. Sunt denique qui reponant, in eo majorem ſecundi Templi gloriam fuiſſe poſitam, quòd repugnantibus Judaici nominis hoſtibus ſit extructum; primum verò ſumma, & integra pace. Cujus quoque reſponſi nugacitas, tametſi patet ipſa per ſeſe, alio adhuc ex capite ruit: quòd nimirum major illa ſecundi Templi gloria uti futura promitteretur à Deo; iſta, qualiſcumque à Judæis fingitur, præterita eſſet.

Quandoquidem autem de pace ſermo incidit, à Judæis ſcire velim, quo pacto, quave ratione in hoc ſecundo Templo datam nobis pacem, oſtendent, qui ſpiritualem pacem à Meſſia ibidem datam inficiantur? Enim verò, ſi de temporali pace, quam unicam Judæi norunt, interpretentur oraculum, vereor ne minùs ſecundo huic Templo pax fuerit, quàm alteri præcedenti. Ecquis enim neſciat, quàm impotenter furiis invectus Seleucus explicationem ejus attentarit, quàm fœdè prophanarit Antiochus, ac deindè Pompejus; quàm ſacrilegè idolis, ac ſuo præſertim ſimulachro dehoneſtare præſumpſerit Cajus; quàm ferocitèr in idem exarſerint Veſpaſianus, & Titus, illudque tandem ſolo æquarint? Vertant igitur ſeſe in omne latus miſeri homines, horum alterum admittere compelluntur; aut Meſſiam ſtante etiamnum Salomonis Templo à Zorobabele reſtituto, & inſtaurato adventaſſe, illudque præſentia ſua illuſtraſſe, conſecraſſe; aut nullam divino huic Aggæi Oraculo veritatem ineſſe.

IV. His robur addit, quod legimus apud Malachiam Prophetam. Fuit ille, ut notum eſt, Prophetarum ultimus, qui etiam inſtaurato per Zorobabelem Salomonis Templo prophetiam adornavit; eo maximè tempore, quo Judæi ſecundi ædificii mole inſpecta à lacrymis temperare non poterant, quòd prioris comparatione vilius videretur. Hos ille, non aliter quàm Aggæas, ſolari aggreſſus eſt, futurum ſpondens, ut ad ipſum Templum brevi Meſſias accederet: qui nomen ei ſuo adventu, dignitatem, & gloriam conciliaret. *Ecce ego*, inquit Deus Malachiæ 3. v. 1. *Mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum*. Certè Judæorum neminem fore puto, qui nomine Dominatoris, & Angeli, ſeu Nuncii Teſtamenti ab Hebræis tamdiù expetiti alium à Meſſia ſignificari contendat: maximè cùm illum aliis etiam notis ſubindè indigitet Malachias, quæ in unum Meſſiam referri valeant. Ad illud itaque Templum Meſſias venturus erat: atque adeò ante Veſpaſiani, ac Titi imperium, à quibus tandem everſum eſt Templum, Meſſias Mundo illuxit.

Creſcit

Creſcit autem in immenſum argumenti robur, ſi in noſtrorum temporum Judæos ſermonem convertamus. Enimverò Aggæas, & Malachias Meſſiam brevi tunc naſciturum portendebant; ac velut ſtaret in januis. *Adhuc unum modicum eſt*, inquit Aggæas, *& movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.....* *Ecce ego mitto Angelum meum*, inquit, Malachias, *& ſtatim veniet dominator: &c. Ecce venit &c.* Quibus etiam conſentit Habacuch Propheta Cap.2.v.3. *Veniens veniet, & non tardabit*. Prophetabant illi porrò annis antè Jeſum noſtrum quingentis circiter, ac viginti: quibus ſi addamus annos 1718., quos in præſentia à Jeſu noſtro numeramus, recurrent anni bis mille ducenti triginta & octo, quo ex tempore Prophetæ illi tres Meſſiam proximè, brevique venturum promiſerunt. Et tamen, ſi Judæis fidem adjungimus, nondum advenit. Quis, quæſo, cæcam obſtinationem non videat, lugeatque?

V. Sed audite, quæſo, quid illorum uni non ita pridem in mentem venerit, ut huiuſce argumenti vim elideret. Repoſuit ille, Prophetas ante laudatos Meſſiam intra modicum tempus oriturum dixiſſe, tametſi nequidem hodiè venerit poſt annos bis mille ducentos, & quod excurrit; quia apud Deum immenſa temporum ſpatia inſtar momenti reputantur, juxta illud Prophetæ Regis oraculum, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit*. Pſal.89.v.4. Sit ita verò, ut re ipſa eſt, immenſa temporum ſpatia inſtar momenti Deo reputentur: at ubi Deus alloquitur homines, ejuſque certas ad aliquid deſignandum temporum periodos definit, tales illas accipere neceſſe eſt, quales hominibus periodi fluunt, non quales Deo, cui nil effluit, ſed omnia ex æquo præſentia ſunt. Alias nihil ex Dei verbo certi colligeremus: ſicque temporum notæ divinis in litteris frequenter expreſſæ nihil unquam certi deſignarent: ſiquidem nulla apud Deum temporum intervalla, atque diſcrimina reperire licet, ſed & dicat magnus ille Judæorum Appollo, cur extremi dumtaxat Prophetæ Meſſiam intra breve tempus oriturum prædicarunt, non itidem antiquiores? Certè, ſi, quod ille reponebat, veritate conſtaret; quidni etiam Moyſes, quidni Abraham, quidni Adamus ipſe Meſſiam intra modicum tempus oriturum dixiſſent? Nam & totum tempus, quod ab Adam ad Chriſtum, imò ad diem uſque judicii fluit, Deo ipſi modicum, & momentaneum reputatur. Faceſſant ergo nugaces, & malenati Circulatores.

VI. Gravia ſunt hæc, ſed addam, quæ Judæis multò certiùs jugulum petant. Uſque adeò ex ſacrarum litterarum oraculis compertum eſt, Meſſiam eo ſæculo fuiſſe naſciturum, quo Jeſus noſter Mundo illuxit, ut hæc ipſa inter illius ætatis Judæos receptiſſima opinio eſſet, ac certa ſententia. Non hic ego Judæos illos numerabo, quos ea tunc perſuaſione fuiſſe imbutos, ſacrum memorat Evangelium: Simeonem, quem tunc *expectaſſe conſolationem Iſrael*, monet Lucas Cap.2.v.25. Annam propheriſſam filiam Phanuelis. *Redemptionem Iſraelis* pariter præſtolantem: v.38. Mulierem Samaritanam Chriſto noſtro dicentem, Joan.4.v.25. *Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*: Non hos, inquam, appellabo: ſed Judæos propriorum librorum auctoritate convincam: quòd antè me

eruditè

eruditè præſtitit Illuſtriſſimus Præſul Petrus Daniel Huetius in Demonſtratione Euangelica, è qua nonnihil hic delibare, nulla mihi invidia ſit.

Legimus igitur in Thalmude, maximè verò in libro Sanhedrin Capite ultimo, Scholam Eliæ, non quidem Prophetæ hujus celebris, ſed alterius Hebræi Doctoris inter ſuos præſtantiſſimi, Scholam, inquam, Eliæ, totum Mundi tempus ab Adam uſque ad finem ſæculorum ſex annorum millibus definiviſſe; quorum duo millia priora antè Circumciſionis legem Abrahæ datam fuerit *Thou*, id eſt inanitas: duo millia ſequentia Lex: poſtrema duo Meſſiæ Regnum. Meſſias ergo juxta eam Eliæ Scholam expleto quarto Mundi millenario Regnum ſuum auſpicaturus erat. Ac re ipſa quidem expleto quarto millenario natus eſt Jeſus noſter. Fertur & in libris Rabbinorum, confeſſos eſſe majores ſuos, qui temporibus Jeſu noſtro paulò ſuperioribus vixere, Meſſiæ adventum fuiſſe tunc imminentem. Fertur iiſdem in libris, Judæos, qui tempore ſecundi excidii Jeroſolymitani viverent, arbitratos jam tunc Meſſiam adventaſſe, ſed ignotum alicubi latitaſſe. Tradit Rabbi Salomon Jarchi, aſſeveraſſe priſcos gentis ſuæ Doctores, Meſſiam eo die natum, quo exciſa eſt Jeroſolyma. Sed & in eodem libro Sanhedrin, ubi varia Rabbinorum deliramenta de Meſſiæ adventu referuntur, notantur nonnulli Rabbini, qui dixerint, Meſſiam veniſſe quidem, antequam Templum Jeroſolymitanum ſecundò excideret, ſed inter horti Eden delicias ævum agitare cum Elia Propheta, à quo tandem aliquando ungendus ſit oleo lætitiæ, dùm ad muneris ſui adminiſtrationem prodibit. Notantur & alii Rabbini: qui finxerint, eum tunc re ipſa veniſſe, ſed Romæ inter ægros lepra laborantes latitaſſe; qua de cauſa ab Iſaja de illo dictum eſſet, *& nos reputavimus eum quaſi leproſum:* ratum verò tempus, quo ex his latebris emerſurus eſſet, non deſignarunt. Adeò, ſcilicet, perſuaſum Judæis erat, ſtante adhuc ſecundo Salomonis Templo, ac ſub Nazareni noſtri temporibus notatas Meſſiæ adventus periodos ſucceſſiſſe.

VII. Ex hac eadem pervulgata inter Judæos opinione, (quòd nempè eo tempore Meſſias venturus eſſet, quo Chriſtus noſter Mundo illuxit) pullulavit multorum ambitio; qui Meſſiæ nomen, & dignitatem uſurpare tunc auſi ſunt: cùm tamen antè id temporis quemquam hoc attentaſſe nulla prodat Hiſtoria. Primus, ut eruditè notat laudatus Præſul Huetius, hac impietate ſeſe illigavit Herodes magnus, qui ſectam de ſuo nomine celebrem fecit, à qua uti Meſſias agnoſcebatur. Chriſtos poſtea ſe ipſos profeſſi ſunt vecordes illi Samaritani Doſithæus, & Simon. Imperium deindè tenente Adriano, Meſſiam ſe dixit Bar-cocheba ſivè filius Stellæ, hoc inſignitus nomine, quòd ſibi nobile illud Balaami vaticinium accommodaret: *Orietur ſtella ex Jacob.*, Num. Cap. 24. v. 17. Deindè verò Bar-cuziba, hoc eſt, filius mendacii dictus eſt, poſtquam ejus impoſtura deprehenſa fuit. Bar-cochebæ veſaniam imitati ſunt Rufus ipſius filius, ac deindè Romulus nepos, ſed infælici prorſus exitu. Varii ſubindè exorti ſunt pſeudo-Chriſti velut inſignis ille David Elda-

vid,

vid, qui Perſidis Regem bello laceſſere auſus, veſaniæ tandem ſuæ pœnas capite luit: aliique plures, quos memorare hìc longum eſſet, in Epiſtola Maimonidæ ad Rabbinos Maſſilienſes, & in libro *Schebet Jehuda* recenſiti. Undè porrò, undè nata eſt tanta illa apud Judæos ſuffurandi Meſſiæ tituli ambitio, quo ex tempore Jeſus noſter Mundo illuxit, cùm nullus in anteceſſum id attentaſſet? Niſi quòd Judęorum animos ea jam tunc occupaſſet opinio, promiſſi Meſſiæ tempora ſucceſſiſſe, dum Chriſtus noſter obortus eſt.

Ac re ipſa quidem, tametſi Judæi, qui Jeſum noſtrum prædicantem, ſibique Meſſiæ titulum arrogantem audivere, litem illi quovis ex verbulo, ac motu intentarent, ut illum impoſturæ reum agerent; nemo tamen omnium inventus eſt unus, qui illi eo ex capite litem moverit, quòd ſe Meſſiam, Chriſtumque venditaret, quo tempore ſalutaris adventus periodi elapſæ non eſſent: nemo illi ex repugnantia temporum negotium faceſſivit. Ita nempè eo ex capite cauſa ejus erat in tuto: Meſſiæque promiſſi tempora jam tunc adveniſſe, Judæi fatebantur univerſi, tamquam rem ſacris litteris conteſtatam, ipſiſque etiam gentilibus non ignotam. Teſtis mihi ſit Flavius Joſephus ſcriptor inter Judæos celeberrimus, qui Apoſtolorum temporibus vixit, & Jeroſolymitano excidio præſens adfuit. Is libro 7. de Bello Judaico Cap. 12. difertè teſtatur, Judæos ſuos eo ſæculo ſub Nerone, Veſpaſiano, & Tito ad bella movenda fuiſſe maximè concitatos ob ſacrorum codicum vaticinia, quibus futurum ſpondebatur, ut hoc tempore aliquis è Judaica gente toti Orbi imperitaret: quamquàm is, ut erat vero lumine deſtitutus, vaticinia illa, ſivè adulatione, ſivè ex animi ſententia Veſpaſiano accommodarit, non utique Judæo, ſed Imperatori apud Judæos renunciato. *Quòd maximè eos ad bellum excitaverat, reſponſum erat ambiguum, itidem in ſacris libris inventum, quòd eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem planè reſponſo Veſpaſiani deſignabatur Imperium, qui apud Judæam creatus eſt Imperator.* Teſtis & mihi Cornelius Tacitus eò locupletior, quòd Ethnicus fuerit. Is libro 5. Hiſtoriarum, de Jeſu noſtri ſęculo ita ſcribit: *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur*: hoc eſt, Judæos ſupremum Orbis imperium occupaturos. Teſtis mihi Svetonius Ethnicus quoque in Veſpaſiano. *Percrebuerat Oriente toto vetus, & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Quod etiam Judæos *ad ſe traxiſſe* conteſtatur, indeque maximè rebellandi animum induiſſe. Adeò, ſcilicet, verùm eſt, Judæos divinis oraculis admonitos Meſſiam Regnum Judææ, totiuſque Orbis imperium occupaturum expectaſſe tunc temporis, quo Jeſus noſter Mundo illuxit: tametſi falſis Regiæ dignitatis imaginibus deluſi terrenum, ac temporalem, non cœleſtem, ac ſpiritualem Regem præſtolarentur.

VIII. Unum ſupereſt deſperatæ cauſæ præſidium, quo ſe Iudæi plerùmque recipere ſolent, dum eo à nobis telo petuntur. Nempè reponunt

nunt

nunt illorum aliqui, ſic ſanè fuiſſe primùm definita ſalutaris adventus tempora; at ob ingentia patrum ſuorum ſcelera in meliorem ſubindè tempeſtatem à Deo ipſo dilatum eſſe. Dignum Palæmone commentum! Scilicet, conſilia ſua mutarit Deus; quaſi quid eſſent Judæi peccaturi, non pervidiſſet, cùm primùm mittendum Chriſtum definivit? Quia tamen Reſponſum illud omnium inſaniſſimum, aliis etiam argumentis preſſi Judæi nobis ingeminant: hoc nos peculiari Exercitatione, data opera confutabimus, dum de promiſſis conditione ſuſpenſis agemus.

EXERCITATIO XII.

De Chriſto, intra ſeptuaginta hebdomades, ac florente adhuc Romanorum Imperio, in lucem prodituro.

I. BInas orituri Chriſti temporis notas definivit Daniel Propheta Sanctiſſimus, in quarum examine noſtra hodiè deſudabit induſtria: Chriſtum mortalibus oriturum portendens intra hebdomades ſeptuaginta, ac florente etiamnum Romanorum Imperio per ipſum evertendo, & conterendo. Ex quo certè duplici vaticinio geminum contra Judæos momentum delibabimus, quo promiſſum Liberatorem (quem etiamnum hodiè præſtolantur) multis retrò ſæculis adventaſſe, demonſtremus.

Illud porrò celeberrimum Danielis vaticinium de Chriſto intra ſeptuaginta hebdomades orituro, dum verſo ordine primo, ſolos mihi Judæos oppugnandos aggredior, miſſaque implexarum quæſtionum tractatione, quas ab inſtituto noſtro remotiſſimas novi, unicam, quæ Meſſiæ adventum intimè ſpectat, difficultatem attingo. Quid rei ſit, paucis aperio, ut primùm inde momentum contra Judæos invictum eliciam.

Soluta poſt annos ſeptuaginta Captivitate Babylonica, anno ante Chriſtum noſtrum quingenteſimo trigeſimo ſexto, Daniel Phropheta ſanctiſſimus prolixam ad Deum precationem habuit, qua Judæorum peccata confeſſus humillimè quibus iram Dei concitaverat miſera gens, divinam illis miſericordiam efflagitavit. Sub orationis ſuæ finem Angeli Gabrielis aſpectu, atque alloquio recreatus eſt, qui ei divina conſilia de Chriſto proximè mittendo reſeravit. Supplicantem Prophetam hiſce verbis affatus eſt Angelus: *Septuaginta hebdomades abbreviata ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duę erunt. Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eũ negaturus eſt. Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cũ Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia, & Sacrificium. Et erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.* Hæc Angelus Gabriel Danielem alloquens, uti legere eſt apud eumdem Prophetam Cap. 9. v. 24. & ſeq.

Ut ergo Judæos eo telo feriamus, Meſſiamque Mundo jamdudum illuxiſſe apertiſſimè colligamus, duo hæc demonſtrare nobis eſt opus. Primum non alium niſi Meſſiam ſacro illo Gabrielis oraculo fidelibus ad-

promitti: Alterum, definitum tempus, intra quòd venturus promiſſus eſt, Jeſu Nazareni ætate elapſum eſſe. Hinc neceſſaria conſecutione colligemus, fruſtra Judæos ſuum etiamnum hodiè Liberatorem præſtolari, qui Mundo dudum illuxit.

II. De primo capite nullum apud Rabbinos veteres dubium fuit; Meſſiam eo Gabrielis Oraculo portendi faſſi ſunt, Rabbi Barachia, in *Berechid Rabba*, R. Moyſis Ben-Nachman in Danielem, R. Samuel in Epiſtola ad R. Iſaac, aliique non pauci à Raymondo Martini in Pugione fidei memorati. Atque id evincit apertè Oraculi contextus integer, modò attentiùs perpendatur. Is etenim venturus promittitur, qui prævaricationem conſumeret, finem peccato imponeret, deleret iniquitatem, juſtitiam ſempiternam adduceret. Ecquis porrò, niſi Meſſias his Characteribus Sacris in litteris deſignatus eſt? Iterum is ille promittitur, qui viſiones, & prophetias impleret. Quis verò ille, niſi is ad quem ut ad finem Prophetiæ omnes diriguntur. Ille demùm promittitur, qui pactum Dei cum hominibus confirmaret: qua nota Meſſiam ſæpiùs indigitavit Iſajas, maximè verò capitibus 42. & 49.

Hinc primo veluti conſpectu cernitis, opinor, quàm cęca nonnullorum recentium Rabbinorum pertinacia fuerit; qui, vel Cyrum Perſarum Regem, vel Zorobabelem, vel Jeſum Joſedechum eo oraculo deſignari jactitarunt; cùm ii à ſacris illis titulis ab Angelo notatis tam longè abſint, quàm ortus ab occidente. Quamquàm & duplici aliunde capite revinci eorum Rabbinorum ceſpitatio poteſt. Primò, quòd nullus horum ſit occiſus; nec Cyrus, nec Zorobabel, nec Jeſus Joſedech, cùm tamen Chriſtus iſte, cujus adventum promittit Gabriel, occidendus eſſet: *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*. Secundò, quòd ii tres in vivis eſſent, quo tempore Danieli viſio iſta facta eſt: cùm contra is, cujus adventum portendit Angelus, nonniſi poſt certas hebdomadum periodos mittendus à Deo eſſet.

III. Jam verò tempus, intra quòd venturus promiſſus eſt Chriſtus ille, Jeſu Nazareni ætate elapſum eſſe, (quod alterum, potiſſimumque probationis caput eſt) bifariam evinco. Primò, ex adiunctis ſalutaris adventus circumſtantiis: ſecundò, diſtincta præſcriptarum hebdomadum computatione. Adiunctæ certè circumſtantiæ rem in propatulo ponunt. Is etenim prænunciatus eſt, cujus adventu ceſſabunt Viſiones, & Prophetiæ: at Prophetas ceſſaſſe in Synagoga ab ipſo Nazareni noſtri ſæculo Judæi ipſi vel inviti profitentur. Quoſnam enim Synagogæ ſuæ Prophetas ab eo tempore nobis obtrudent? Is rurſus prænunciatus eſt, quo occiſo, Civitas Jeruſalem, & Sanctuarium diſſipandum erat. At utrumque diſſipatum eſſe ſub Veſpaſiano, & Tito Judæi plus ſatis experiuntur, ac dolent. Is venturus prænunciatus eſt, in cujus adventu deficiet hoſtia, & Sacrificium: At utrumque defeciſſe Judæi norunt, qui nullas jam hoſtias, nulla Sacrificia offerunt; imò everſo Salomonis Templo, dirutoque Tabernaculo, nullum Sacrificium offerre jam poſſunt, ut aliàs me arbitror demonſtraſſe. Is demum prænunciatus eſt, quo tandem morte ſublato, futura erat in Templo abominatio deſolationis ad conſummationem,

mationem, & finem uſque duratura: At & id Judæi oculis uſurpant, ac manibus palpant: Deſolatum Templum experiuntur, fataliſque deſolationis reliquias circumquaque uti ſpirantia cadaveri etiamnum geſtant: abjecti, deſpecti, miſeri, extorres, ſinè patria, ſinè Principe, ſinè Sacerdote, ſinè Sacrificio, ſinè Templo: Ut planè in iis impletum videamus, quòd Chriſto ad mortem damnato, ſacrilego quidem, ſed tamen Prophetico ore protulerunt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Quid ergo in aliud tempus ſuſpiria trahunt?

Hoc idem præfinitum tempus elapſum eſſe, æquè evincit ſeptuaginta hebdomadum computatio, intra quas Chriſtus erat oriturus, eaque omnia eventura erant, quæ Gabriel Angelus Danieli prænunciavit. Quòd ut faciliùs innoteſcat, obſervare neceſſe eſt, Septuaginta hebdomades annorum, non dierum hoc loco intelligi: quarum ſingulæ annos ſeptem referant; omnes verò ſimul annos quadringentos nonaginta conficiant. In ſacris quippè litteris duplex tantùm invenitur hebdomadum acceptio, dierum, ſcilicet, & annorum: Dierum, inquam, ut Levitici. 23. v. 15. Ubi ſeptem dierum hebdomades à Paſchate ad Pentecoſtem numerantur: Annorum verò, ut Levitici. 25. v. 8., ubi ſeptem annorum hebdomades, ad Jubilæum definiendum, numerari præcipiuntur: *Numerabis*, inquit Deus, *ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem ... Sanctificabiſque annum quinquageſimum*. Porrò dierum hebdomadas in Danielis vaticinio nequaquam intelligi, ipſi quoque Judæi ſpontè conſentiunt: quandoquidem dierum hebdomades ſeptuaginta, dies dumtaxat quadringentos nonaginta conficerent, hoc eſt, menſes admodùm ſexdecim; quo tamen brevi temporis intervallo nihil contigit eorum, quæ intra ſeptuaginta hebdomades oritura prædixerat Gabriel Angelus. Reſtat ergo, ut de annorum hebdomadibus Sacrum Oraculum intelligatur.

Quamquàm autem in iis Danielis hebdomadibus variæ circumferantur Eruditorum opiniones, quandonam exordium duxerint: Aliis earum initium petentibus ab anno primo Darii Medi Perſarum Regis, quo creditur pronunciatum Oraculum, ſolutaque captivitas eſt anno ante Chriſtum noſtrum quingenteſimo trigeſimo ſexto: aliis initium hebdomadarum petentibus ab anno ſeptimo Artaxerſi Longimani, quo ab eo Principe dipolma regium datum eſt ad Rempublicam Judaicam reformandam anno ante Chriſtum noſtrum quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo: aliis demum hebdomadum initium repetentibus ab anno vigeſimo ejuſdem Artaxerſis Longimani, quo reſtaurandæ Jeroſolymæ venia Nehemiæ facta eſt anno ante Chriſtum noſtrum quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Undecumque tamen initium ſeptuaginta hebdomadum petas, eas Jeſu noſtri ſæculo elapſas eſſe, neceſſe eſt: cùm nonniſi annos quadringentos nonaginta conficiant: quos ut maximè in excidio Jeroſolymitano evolutos invenies. Sed etſi ea foret Judæorum cavillatorum pervicacia, ut eas hebdomades necdum Jeſu Nazareni ſæculo evolutas effutirent: adeone vecordes erunt, ut dicant, eas nec noſtro quidem ſæculo effluxiſſe, quo annos bis mille ducentos ſexaginta

 quin-

quinque ab eo Danielis vaticinio numeramus? Quid ergo ſuum etiamnum hodiè Liberatorem præſtolantur?

IV. Non me fugit, fuiſſe Judæorum aliquos, qui, ut laqueum iſtum effugerent, tempuſque venturi Meſſiæ in longum ævum protraherent, ſeptuaginta Danielis hebdomades, non annorum ſimpliciter, ſed decenniorum eſſe, dixerint; adeò ut unaquæque hebdomada ſeptem annorum decades, hoc eſt, annos ſeptuaginta conficeret: atque adeò ſeptuaginta hebdomades annos quater mille nongentos complecterentur. Scio fuiſſe & alios, qui hebdomades Jubilæorum intellexerint: ſic ut hebdomadas una ſeptem Jubilæos, hoc eſt trecentos quinquaginta annos involveret: eſt enim Judaicus Jubilæus annorum quinquaginta periodus: ſic ut ſeptuaginta Jubilæorum hebdomades annos referant quadringentos quinquaginta, ſupra vicies centena millia. Scio demum fuiſſe & alios, qui ſæculorum hebdomades effutierint, quarum, ſcilicet quælibet ſeptem ſæcula referret: ſicut ſeptuaginta hebdomades ſæculorum annos nongentos, ſupra quadragies centena millia complectantur. Quæ certè, ſi vera forent, Meſſiæ adventus ultra Kalendas græcas, ut ajunt, protraheretur. At dicant fabulatores nugivendi, qui putida iſta commenta vacuo cerebello fabricati ſunt, dicant, inquam, quonam Scripturarum, aut ſui etiam Thalmudis exemplo, ſuas illas decenniorum, Jubilæorum, aut ſæculorum hebdomades comprobabunt? Nullas enim, ut dixi, niſi dierum, & annorum hebdomades Scriptura memorat. Sed nec ulla pœnes garrulos illos argutatores commenti ſui ſtabit uſura: comprehendentur in aſtutia ſua. Enim verò Civitatem, & Templum everſum iri poſt illas hebdomades ſeptuaginta vaticinatur ſacrum illud Danielis Oraculum: Sacrificia pariter in medio poſtremæ hebdomadis abolitum iri prænunciat: cum tamen peracta ſint illa omnia, antequam vel prima ſæculorum hebdomada, vel ſecunda Jubilæorum, vel decima decemajorum impleta eſſet. Non ergo de Decenniorum, Jubilæorum, aut ſæculorum hebdomadibus intelligendum eſt Danielis Oraculum.

Audiendus longè minùs Porphirius Judæus, ſecta Saducæus, qui eo Danielis vaticinio implicitus, nec ſatis commodam, qua elaberetur, viam inveniens, id demum repoſuit, Danielem non eſſe Prophetis adnumerandum: hujuſque vaticinii, qualecumque ſit, intelligentiam ad finem uſque ſæculi abſconditam eſſe: juxta quod Danieli a Deo dictum fertur, Cap. 12. v. 9. *Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones uſque ad præfinitum tempus*. Porphirium negat Synagoga ipſa, quæ Danielis librum, non modò ut canonicum, verùm etiam ut Propheticum habet, poſtremis Capitulis duntaxat exceptis: virique Sanctiſſimi ſpiritui prophetico teſtimonium perhibet Ezechiel Cap. 28. v. 3., ubi de Rege Tyri per ironiam dicitur: *Ecce ſapientior es tu Daniele, omne ſecretum non eſt abſconditum à te*. Locus verò Danielis in oppoſitum productus, centum jugis boum colligatis, nunquam ad præſentem, quam expedimus prophetiam traheretur, ut ejus intelligentia ad extremum uſque Mundi diem dicatur abſcondita. Nec enim de ſeptuaginta hebdomadibus illic ſermo eſt, ſed de ſalvandis in fine Mundi Judæorum reliquiis, aliiſque in vitam

æternam,

æternam, aliis in opprobrium ſurrecturis. Imò de ſeptuaginta hebdomadum revelatione expreſsè ab Angelo Gabriele dictum eſt v. 22. Capitis 9. *Egreſſus ſum, ut docerem te, & intelligeres. . . . . Animadverte ſermonem, & intellige viſionem.* Quid itaque ad finem uſque Mundi abſcondita dicitur?

Reſtat recentium quorumdam Judæorum cavillatio, paulò quidem tollerabilior, ſed quæ tamen facilè diluatur. Opponunt, ſcilicet illi, ventura tempora hoc Danielis Oraculo promitti, quibus futurum eſt, *ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna:* Cùm tamen peccata perinde graſſari videamus, homicidia, inimicitias, adulteria, rapinas, aliaq; id genus vitiorum monſtra. Non itaque noſtra iſta Meſſiæ tempora eo Oraculo præſignata ſunt. Verùm non advertunt cæci homines, non eo ſenſu peccati finem adventante Meſſia promitti, quaſi orco illo, nihil ultra homines peccaturi ſint: ſed quòd hominum peccata, quæ lex vetus hircorum, & taurorum ſanguine abſtergere minimè poterat, hæc Chriſti ſanguis elueret, ſi tamen eo elui, ac emundari homines vellent. Nec enim boni Medici partes ſunt, ut nemo pereat, etiam qui voluerit: ſed ut eorum nullus intereat, qui ſalutaria illius conſilia amplecti, & obſervare voluerit. Non hoc ſenſu juſtitia ſempiterna per Meſſiam adducenda fungi debet, quaſi omnes ſub Meſſiæ imperio juſtitiam ſectaturi ſint; nullus ſub ejus imperio futurus iniuſtus: ſed quòd uberiora, quàm olim, juſtitiæ amplectendæ conſilia, retinendæ ſubſidia, reparandæ remedia humanæ infirmitati contulerit. Moſaicæ quippè Legis juſtitia, non plena, ſuiſque numeris abſoluta erat; quippè quæ multa carnali populo ad cordis duritiam indulgebat; uti vicem talionis, libellum repudii; uſuram cum exteris, aliaque non pauca, quæ Chriſti Lege ſublata ſunt. Non hoc ſenſu delenda iniquitas, aduentante Meſſia, quaſi nullus ea ætate futurus eſſet iniquus: ſed quòd chyrographum decreti, quo Mundum univerſum ſuis legibus, ac debitis obſtrictum Diabolus detinebat, morte ſua pro nobis oppetita deleverit: Juxta quod ait Apoſtolus: *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & in præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens, quòd adversùs nos erat, Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Ad Colloſenſes 2. v. 13.

V. Succedit nunc demum alterum, quod ipſo ſtatim initio ſpopondimus, Danielis Oraculum de Chriſto, florente adhuc Romanorum Imperio mortalibus orituro, unde invictum perindè pro Jeſu noſtro argumentum eliciamus. Extat illud Cap. 2., ubi celebre Nabuchodonozoris ſomnium interpretatur Propheta Sanctiſſimus. Præmittit ſtatim futurum eſſe, ut aureo Nabuchodonozoris Regno aliud Regnum argenteum ſubindè ſuccederet; huic tertium æreum; iſti demum quartum ferreum: *Poſt te*, inquit v. 39., *conſurget Regnum aliud minus te argenteum; & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ terræ, & Regnum quartum erit velut ferreum: & quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc.* Quænam eo loci Regna notentur, nemo non videt;

Digitized by Google

Primum aureum finè controverſia Babyloniorum eſt, quibus tunc Nabuchodonozor imperabat: ſecundum proximè ſuccedens velut argenteum Perſarum, ac Medorum fuit, à quibus Babylonii ſunt devicti ſub Cyro: tertium æreum, quod latè dominaturum erat, Græcorum fuit, qui omnia pœnè terrarum ſpatia, Perſaſque ipſos, ac Medos ſubegere ſub Alexandro: quartum ferreum robore longè præſtans Romanorum eſt; qui Græcos ipſos ſub Cæſaribus debellarunt. His ita præmiſſis, ſubiungit ſacer Vates, & ſomniorum Interpres, v. 44. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Dominus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur: & Regnum iſtud alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quibus verbis Meſſiæ Regnum deſignari, veteres etiam Hebræi ſpontè profeſſi ſunt: R. Aben Ezra, R. Salomoch, R. Saadia, R. Levi Ben-Herſon; ac ſi ipſi quoq; Thalmudis Auctores in libro *Sanhedrin* Cap. 11. Quibus, ſi fortè recentiores refragari vellent, ſacris Oraculis convincerentur, queis Meſſiæ Regnum cætera conſumpturum, perpetuòque duraturum declaratur, Pſal. 71. & 109. Iſajæ 9. & 11. Michææ 4. maximè verò Danielis 7. v. 13. *Aſpiciebam ego in viſione noctis: & ecce cum nubibus Cœli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum. Poteſtas ejus poteſtas æterna, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Id ergo certiſſimè concludendum, Meſſiæ Regnum juxta Danielis Oraculum, florente adhuc quarto Regno, nempè Romanorum Imperio, à Deo fuiſſe ſuſcitandum; ut illud ipſum tandem aliquando conſumeret. Quæ certè in Jeſu noſtri tempora cadunt, ipſeque tandem probavit eventus, quo pacto ſecutis inde temporibus ſpirituale ejuſdem Imperium temporale Romanorum Regnum comminuerit, atque contriverit. At interim dicant amabò, qui ſuum adhuc venturum Meſſiam hianti ore præſtolantur; qua ſorte fieri tandem poterit, ut florente Romanorum Imperio ſui illius nondum exorti Meſſiæ Regnum ſuſcitetur; cum tot retrò ſæculis exciderit ferreum illud Romanorum Imperium à Daniele tam diſertè, tam dilucidè prænunciatum?

VI. Scio non defuturos etiam ex Chriſtianorum ordine, qui dicant, nomine quarti Regni ferrei à Daniele notati, non Romanorum, ſed Lagidarum, & Seleucidarum Regnum intelligi. Sed ſit ita, ut lubet aliquibus eruditis; quæſtionem peregrinam ingredi nolim: in qua, quocumque Judæi ſe vertant, cauſa perinde cadunt. Non minùs enim Lagidarum, & Seleucidarum, quàm Romanorum Imperium dudum excidit. Atque ita fieri omninò nequit, ut ſtante, ac florente Lagidarum, & Seleucidarum Imperio, illius, quem etiamnum expectant, Meſſiæ Regnum ſuſcitetur. Dicam tamen obiter, minùs rectè fuiſſe illud à nonnullis excogitatum, nomine, ſcilicet, quarti Regni ferrei, Lagidarum, & Seleucidarum Regnum deſignari. Primò, quia Regnum illud ferreum, de quo Daniel, unicum fuit; duo verò Lagidæ, & Seleucidæ Regna tenuerunt. Secundò, quia Regna Lagidarum, & Seleucidarum Regnum ipſum Alexandri, ſeu Græcorum ex parte conflarunt:

runt:

runt: adeòque ad tertium æreum Regnum pertinent, non ad quartum ferreum. Tertiò maxime, quia quamvis duo illa Regna ſeſe oppugnarint, & oppetierint bellis, minimè tamen ſeſe mutuò comminuerunt; nec Regnum Macedoniæ (quod Alexandri, & Græcorum Imperii caput erat) debellarunt. Cum tamen diſertè ſignificet Daniel, futurum eſſe, ut quartum illud ferreum Regnum priora illa comminueret, atque contereret. Sed id obiter, jam ad inſtitutum propiùs accedo.

VII. Reum me, ſi intactum hic prætermiſerim Prophetæ Michææ de natali Meſſiæ ſolo vaticinium, quò tam bellè, tam egregiè evincitur, quod hic maximè quæritur, præfinita Chriſti adventus tempora jamdudum elapſa eſſe. Eſt autem hujuſmodi, Cap. 5. v. 2: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*. Quo loco Bethleem Ephrata Tribus Judæ viculum ab Urbe Jeroſolyma ſexto milliario diſtantem uti natale Meſſiæ ſolum prænunciari, vetus Hebræorum opinio fuit. Unde & Herodi ſciſcitanti, ubi Chriſtus naſciturus eſſet, continuò reſponderunt Scribæ, legiſque Doctores. *In Bethleem Juda, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam &c.* ut apud Matthæum legere eſt Cap. 2. v. 5. Et alii apud Joannem Cap. 7. v. 42. *Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* Quam etiam Majorum ſuorum doctrinam tenuerunt ſequioris ævi Magiſtri Thalmudiſtę in libro *Sanhedrin*, capite ultimo, & in libro de Paſchate Cap. 10. Paraphraſtæ Chaldæi, R. Salomoch, & R. Dauid Kimchi, aliique non pauci ab erudito Præſule Daniele Huetio memorati. Quia & Prophetæ contextus clamat ipſe per ſeſe. Quis enim nomine Dominatoris Iſraelis, *cujus egreſſus ab initio eſt, & à diebus æternitatis*, veniat intelligendus, niſi Chriſtus, de quo David Pſal. 109. v. 3. *Ex utero*, inquit, *ante Luciferum genui te*: & Pſal. 71. v. 5. *Permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem*: & paulò infra, *ante Solem permanet nomen ejus*. Hinc autem ita colligo adverſus hujus ætatis Hebræos: Si in Bethleem Judæ viculo Meſſias naſciturus erat; ſtante itaque Bethleemo natus eſt: itaque ita ſtultè nunc, & futilitèr expectatur, quo ex tempore nullum jam Bethleemum ſub Sole reperire licet; ſed ita ſolo æquatum eſt, ut locus etiam, ubi fuerit, fruſtra quæratur.

Sentiunt hujus argumenti pondus Judæi aliqui recentiores: utque vim ejus elidant, reponunt, non Meſſiæ, ſed alterius cujuſpiam Dominatoris natale ſolum à Michæa deſignari. Sed & ii à profeſſione Majorum ſuorum, qui Oraculum illud ad Chriſtum promiſſum retulere, procul abſcedunt; noviſque ſe laqueis implicant. Quem etenim alterum ex Dominatoribus Iſraelis dare poterunt, cujus *egreſſus à diebus æternitatis* fuerit, de quo tamen hic Michæas ſermonem inſtituit? Sed inter Dominatores Iſraelis tres tantùm Bethleemi natos obſervo ſacris in litteris; Abeſanum Judicem Iſraelis; Judicum 12. Elimelechum Maritum Noemi, Ruth. Cap. 1. Ac demum Davidem. 1. Regum 17. At ſunt illi omnes Michææ ætate longè ſuperiores, ad quos idcircò vaticinium illud referri non poteſt. Ingentis etiam ignorantiæ, ac ſupinitatis ſpecimen produnt,

qui

qui Ezechiam Regem indigitari hoc loco volunt: quippè qui Jeroſolymis, non Bethleemi ortum habuit; jamque rerum potiebatur, quo tempore oraculúm iſtud Michæas effudit, vt ex primo Prophetiæ verſiculo compertum eſt. Non minoris tarditatis plenum eſt, quod alii dictitant, Zorobabelem hoc oraculo prænunciari: cùm contrà, certo certius ſit, eum non Bethleemii, ſed in Babylone natum eſſe, ex quo ſubinde populum reduxit: idque ipſo ejus nomine declaratur: Zorobabel enim idem planè ſonat, ac *ſemen*, ſeu *filius Babylonis*. Quocumque ergo ſe vertant noſtrorum temporum Judæi, laqueum non effugiunt.

EXER-

EXERCITATIO XIII.

De Chriſto, ablato Judæ ſceptro, Judæis, ac Gentibus orituro.

I. SPlendidiſſimum Patriarchæ Jacob morientis vaticinium tandem attingimus, quo nullum muniendæ Chriſtianorum cauſæ luculentius, nullum revincendæ Judæorum perfidiæ efficacius ſacris in litteris expreſſum eſt. Vaticinium illud intelligo, quo vocatis ad ſe filiis, paternam benedictionem largiturus, iiſdemque ventura nunciaturus, ita Judæ fauſta ominatus eſt: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio Gentium*: Geneſis Cap. 49. v. 10. Hinc quippè quotquot meridiana in luce non omninò cæcutiunt, Meſſiam adventaſſe jampridem, hominibuſque fœliciter illuxiſſe, certiſſimè colligunt: atque id quidem argumento iſto, non longiùs accerſito, non Dialecticæ ſpinis, & tribulis obſito, ſed ſpontè fluente, & omnibus obvio. Non erat auferendum ſceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniret, qui à Deo mittendus erat: at ſceptrum de Juda jampridem ablatum eſt, Duces, ac Principes de fœmore ejus diu olim defiere: venit igitur ille, qui a Deo mittendus erat.

Verùm eſt illa Judæorum pervicacia, obſtinatio, ut quò nitidius, quo ſplendidius Oraculum eſt, eò petulantiùs, audaciùſque cavillis: ac tricis nebulas illi offundant, ne ullum indè Catholicæ Fidei præſidium repetamus. Quare pervicaces, audaceſque cavillatores duas in claſſes, ac veluti ordines diſtribuemus, ut ſingulos exagitare, atque refellere commodiùs liceat. Ut enim duo eo vaticinio continentur; is, ſcilicet, qui à Deo mittendus promittitur: *Donec veniat, qui mittendus eſt*: & nota temporis, quo is Mundo illuceſcere debuit, nempe dum ſceptrum de Juda ablatum fuerit, Duceſque de fęmore ejus imperitare deſierint: duas cavillatorum claſſes invenio. Alii Meſſiam eo vaticinio promitti diſſitentur, ſed virum quempiam alterum; puta Moyſem, aut Saulem, aut Davidem, aut Jeroboamum, aut tandem Nabuchodonozorem: ſic enim quique pro arbitrio ariolantur, & fingunt. Alii è regione poſiti, Meſſiam hoc loco prænunciari cùm videant, alia diverticula meditantur, ut notatum ſalutaris adventus tempus diutiſſimè protrahant: necdum, ſcilicet, de domo Juda ſceptrum ablatum audaciſſimè ponunt. De ſingulis dicemus ex ordine: ac illos in præſenti eventilabimus, qui alium à Meſſia prænunciari, atque promitti fabulantur: Cæteros de ablato Judæ ſceptro contendentes ferulæ noſtræ manum ſubjicere, exercitatione altera compellemus.

II. Meſſiam indigitari hoc loco, compertum eſt, ſi vulgatam Scripturæ Sacræ verſionem conſulamus. *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt; & ipſa erit expectatio gentium.*

 Hunc

Hunc quippè duæ illæ notæ deſignant: *qui mittendus eſt*: *ipſe erit expectatio gentium*. Enimverò cùm univerſæ propemodùm veteris Teſtamenti promiſſiones eò tendant, ut Meſſiam à Deo mittendum, eumdemque venturum fidelibus ſpondeant: quotiès *mittendus* antonomaſticè, aut *venturus* excellentia quadam divinis in litteris legitur, toties Meſſias ſinè controverſia deſignatur. Hinc Moyſes Deo ſupplicans, ut Meſſiam quantocitiùs mitteret, Exodi Cap. 4. v. 13. *Obſecro Domine*, inquit, *mitte quem miſſurus es*; nulla adiuncta nomenclatura. Sic Habacuc 2. v. 3. *Qui venturus eſt veniet, & non tardabit*: nec tamen quis ille ſit, peculiari nomine deſignatur. Non abſimiliter delegati ad Chriſtum noſtrum Judæi nonnulli, ut eumdem interrogarent, num fortè Meſſias eſſet, nec ne, Matt. Cap. 11. v. 3. *Tu es*, inquierunt, *qui venturus es, an alium expectamus?* Scilicet, id perſpectum habebant, *venturi* nomine excellentia quadam, & antonomaſticè Meſſiam ſignificari. Sic ergo cùm venturum, mittendumque promittat eo loci Sanctiſſimus Patriarcha, illum ipſum, cui hoc nomen antonomaſia quadam,& excellentia inhæſit, compertum eſt, non alium niſi Meſſiam ſacro illo Oraculo deſignari.

Confirmat hoc ipſum nota altera, qua eumdem illum inſignivit Patriarcha Sanctiſſimus: *Et ipſe erit expectatio gentium*. Eo quippè titulo Meſſiam inſigniri, paſſim ſacris in litteris explorata res eſt. Pſal. 21. v. 28. *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium*. Pſal. 85. v. 9. *Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient*. Iſajæ Cap. 2. v. 2. *Fluent ad eum omnes gentes*. Idem Cap. 11. v. 10. *Ipſum gentes deprecabuntur*. Rursùs Cap. 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Aggæi Cap. 2. v. 8. *Movebo gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus*. Et alibi ſæpiùs. Ut planè Judæos, non modò cæcos, ſed & vecordes eſſe oporteat, qui Meſſiam eo titulo deſignari, pertinaciter negant.

Nil minùs Meſſiam hoc loco deſignari, compertum erit, ſi textum ipſum hebraicum, cui Judæi tenaciùs herent conſulamus; ejuſdemque priſcos è Judæis Interpretes, alioſque, quorum in Sinagoga celebre nomen eſt, audiamus.

Textus hebraicus ita planè ad litteram redditur: *Non recedet ſceptrum à Juda, & Legiſlator de interpedes ejus, uſquequò veniat Siloh: & erit ei obedientia populorum*. Quæ ſanè, ſin minùs verba vulgatæ noſtræ referunt, attamen ſenſum. Nomen quippè *legiſlatoris*, quod habet hebraicus textus, *Ducis* vocabulo reddit vulgatus Interpres: quia prima Ducis, ac principis poteſtas in ferendis legibus ſita eſt, quibus populum ducit, regit, moderatur. Quod ait hebraicus textus, *de interpedes ejus*, hoc ipſum eſt quod habet vulgatus Interpres, *de fæmore ejus*. Ea quippè hebraicæ linguæ ſanctitas eſt, caſtimonia, puritas, ut partes, generationi ſervientes, non ex nomine, ſed potiùs ex ſitu deſignet. Quare cùm dicendum illi eſſet, *de fæmoribus*, ſeu *de genitalibus ejus*, dicere maluit *de interpedes ejus*. Quod ſubdit, *donec veniat Siloh*, idem planè ſonat, ac *qui mittendus eſt*; *Siloh* enim idem quòd *miſſus*. Hinc Natatoria Siloe, *interpretatur miſſus*, Joan. Cap. 9. v. 7. Quod tandem ultimò ponitur. *Et erit ei obedientia populorum*, in id redit, quod habet interpretatio vulgata, *& erit expectatio gentium*: quia

& illi ipſi populi obedientiam venienti Chriſto præſtabunt, qui ejus adventum expectant.

Septuaginta Interpretes, quorum ſuffragio Judæi ſtare: ſi quis illis pudor eſt, compelluntur: cùm & illi Judæi fuerint ſeni ex qualibet Tribu ſelecti, ut textum hebraicum græcè verterent ſub Ptolomæo Philadelpho annis ante Chriſtum noſtrum fermè trecentis. Septuaginta, inquam, Interpretes eumdem omninò ſenſum reddidere, qui uni Meſſiæ congruere poſſit: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de fæmoribus ejus, donec veniant, quæ promiſſa ſunt ei: & ipſe eſt expectatio gentium.* Ecquid enim ſibi vult iſtud, *donec veniant, quæ promiſſa ſunt ei;* niſi donec impleantur promiſſiones Abrahæ, Iſaaco, & Jacobo factæ, Geneſis Cap. 12. 26. 28., ut Meſſias ex illorum ſemine oriretur? Hæc enim, ut omnium maxima ſunt, ita antonomaſticè promiſſa dicuntur, ad quæ cætera omnia tamquam ad finem referuntur.

Textus Samaritanus, & ipſe pariter à Judæis elaboratus, nil minùs evidenter Meſſiam hoc loco deſignatum confirmat: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus, hoc eſt de cohortibus ejus militaribus, donec veniat Pacificus: & ad ipſum congregabuntur populi.* Quis ille porrò pacificus, ad quem gentium omnium populi congregandi erant, niſi is, de quo ab Iſaja dictum eſt Cap. 9. v. 6. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis: Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis?* De quo longè ante præcinuit Regius Vates, Pſal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Et poſt Davidem, Zacharias Cap. 9. v. 10. *Diſſipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus.*

Textus Chaldaicus à Judæis etiam paraphraſticos adornatus rem extra omnem dubitationis aleam ponit. Sic quippè habet: *Non auferetur habens principatum in Domo Judæ; neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Meſſias, cujus eſt Regnum: & ei obedient populi.* En utique Meſſiam ex ipſo nomine deſignatum: eum tamen Paraphraſtæ illi, & genere, & religione Judæi fuerint, Jonathan nimirum, & Onkelos.

Textus Syriacus haud multò aliter oraculum reddit: *Non deficiet ſceptrum de Juda, & expoſitor de interpedes ejus donec veniat is, cujus iſtud eſt: & ipſum expectabunt gentes.* Quis verò ille intelligendus, cujus propriè eſt Judæ ſceptrum, niſi ille, qui illud æternùm obtinebit? De quo Danielis Cap. 7. v. 14. *Poteſtas ejus poteſtas æterna, & Regnũ ejus, quod non corrumpetur.*

Quid plura? Ipſum quoque Thalmud Babylonicum, Tractatu *Sanhedrin* Cap. 11. Meſſiam nomine *Siloh*, quod in hebraico textu legitur, eo Jacobi vaticinio deſignari diſertiſſimè profitetur. Quæſtionem quippe movens, quodnam ſit Meſſiæ nomen? ita reſpondet: *Qui de domo Rabbi Schila ſunt, dixerunt, Siloh nomen ejus eſſe: quia dicitur donec venerit Siloh.* Ad locum, ſcilicet, quem expendimus, alludit apertiſſimè. Ac re ipſa quidem Rabbini veteres pœnè omnes, Abraham Aben Ezra, David Kimchi, Salomon Jarchi, R. Joſeph in Ikkarin, Abraham Lachutus in libro Juchaſin, aliique benè plures à Galatino, & Raymundo Martini recenſiti,

Meſſiæ adventum vaticinio prænunciari ſpontè conſentiunt, aliaque di-uerticula meditantur, ut necdum impletam Prophetiam oſtendant. Donec alii audaciores, neſcio quo flante Aquilone, cùm ablatum ſceptrum de Juda cogente veritate fateantur, alterum à Meſſia oraculo illo indigitari dictitarunt: quos diſtincta ineptiarum confutatione eventilare, noſtrarum hic tandem partium eſſe arbitramur.

III. Moyſem igitur indigitari, ac prænunciari aliqui volunt, ea maximè ratione, quòd Jacob in terra Æpypti extremum diem agens Oraculum iſtud fuderit, ubi poſteros ſuos defuncto Joſepho malè mulctandos præſentiebat: atque idcircò, ut illos ſpe bona ſolaretur, Moyſem liberatorem a Deo mittendum prænunciavit.

Perbellè id quidem, & in ſpeciem ſaltem appoſitè. Minùs tamen fœliciter conjectantur, qui id effutiunt; vertuntque ima ſummis. Tum quòd Moyſes, non expectatio gentium, ſed eorum domitor potiùs fuerit: tum maximè, quia ſic falſum prorſus eſſet, & abſonum vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt.* Tantùm enim abeſt, ut ſceptrum in domo Juda, duxque de fæmore ejus extiterit, antequam Moyſes ad Iſraelitici populi liberationem mitteretur à Deo; ut potiùs vice verſa certo certius ſit, nullum in domo Juda, aut etiam in tota Judaica gente fuiſſe ſceptrum, aut Ducem ante Moyſem. Cum ante id temporis, non niſi dura, & atroci captivitate preſſi, ſinè capite, ſinè Duce, ſinè legibus in Ægypto gemuerint. Rurſus tantùm abeſt, ut Moyſe adoriente ſceptrum è domo Judæ receſſerit, Duxque de fœmore ejus Judaicam gentem moderari deſierit, ut contra potiùs, poſt tempora Moyſis Judæorum Reſpublica, tempore Judicum, ac ſubinde Regum, Principes potentiſſimos obtinuerit; exterarumque gentium gloriam, aut æquarit, aut vicerit. 2. Reg. 7. v. 9. *feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.* Adeò ſcilicet, nugivendi illi fabulatores mutant quadrata rotundis.

Fœlicioribus ad divinandum ventis non ducuntur, qui Saulem indigitatum exiſtimant eo Jacobi morientis oraculo; & nomine *Siloch* in hebraico textu notatum ajunt, *donec veniat Siloch*: quòd nempe is in urbe Silo à Samuele ſit inunctus in Regem. Præterquam enim adductis paulò ante momentis confutari & illi poſſint: (cùm nec expectatio gentium fuerit Saul, nec adorto illo ſceptrum de Juda receſſerit; ſed contrà poſt ejus obitum, ſuccedente Davide, ejuſque Nepotibus, ſceptrum in domo Juda floruerit maximè) pugnat inſuper ii cum hiſtoriæ veritate. Non enim in Silo, ſed in *Ramatha*, ſeu in *Ramathaim ſophin* unctus eſt Saul; in *Maſpha* verò renunciatus eſt Rex, ut legere eſt lib. 1. Regum Cap. 8. 9. 10.

Hinc & ii confutati maneant, qui pari prorſus abſurdo Davidem deſignari hoc loco volunt; eoque nomine *Siloch* in hebraico textu ſignificari ſibi fingunt, quòd eo tempore Rex ſit inunctus, quo Arca de *Siloch* ſublata eſt. Quandoquidem, & poſt David ſtetit in Juda ſceptrum; ac longè quàm ante hac potentius, & illuſtrius: diu verò antequam regnaret ille, imò & ante Saulis tempora Arca de Siloh ſublata erat. 1. Reg. 4.

Perinde ridendi veniunt, qui Jacobi morientis Oraculum ad Jeroboa-

mum

Digitized by Google

mum miſerè detorquent, quem idcirco in hebraico textu *Siloh* nuncupatum effutiunt, quòd Rex in Siloh creatus eſſet. Tam enim id falſum eſt, quàm quòd maximè. Libro ſiquidem 3. Regum Cap. 12. v. 20. in Sichem. creatus dicitur. Aliunde verò illo in Regem Iſraelis ſuper decem Tribus electo, Judæ Regnum nequaquam extinctum eſt, quod pœnes Roboamum, alioſque Davidis Nepotes ad Sedeciam uſque manſiſſe, certiſſimè liquet.

Turpiùs multò hallucinantur, qui Nabuchodonozorem à Jacobo moriente prænotatum, ac deſignatum exiſtimant; non utique ut virum Judæis propitium, ac ſalutarem, ſed contrà potiùs, ut Dei vindicis adminiſtrum, qui illorum delicta plecteret. Eaque de cauſa dictum eſſe, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*: quia Nabuchodonozor, Judæis in captivitatem abductis, Joakimum illorum regem conjecit in carcerem; ac demum effoſſis oculis è Regia ſede dejecit.

Age enim, hanc Joakimo Judæorum Regi iniuriam irrogavit Nabuchodonozor Rex, non idcircò tamen Judæorum genti ſceptrum eripuit; nec tunc Judææ Regnum extinctum eſt. Quòd triplici ex capite evinco. 1. Quia, Joakimo in carcerem conjecto, patruum ejus Sedeciam Regem inſtituit Nabuchodonozor, ut conſtat ex lib. 2. Paralipomenon Cap. 36. v. 10. Atque idcirco in Tribu Juda ſtabat jus regium, ac in ipſa etiam Davidis familia. 2. Quia extincto Nabuchodonozore, Joakimum vinculis ſolutum Solio reſtituit Evilmerodachus Nabuchodonozoris Filius, eique regia inſignia contulit, ut legitur lib. 4. Regum Cap. 25. v. 27. 3. Quia poſt ſolutam deinceps captivitatem Babylonicam, ſuos Duces, ac inter alios Zorobabelem habuit Reſpublica Judæorum, ſuiſque legibus ſub Ariſtocratico Imperio ſub Aſſamonæis ad Herodem uſque perduravit. Quo demum tempore, ad Alienigenam translato Sceptro, Judæi ſuprema poteſtate exuti ſunt; quod loco ſuo diſtinctiùs explicabimus. Deinde quis credat Nabuchodonozorem, *expectationem gentium* dictum eſſe à Patriarcha Jacobo, qui potiùs juxta Iſajæ oraculum Cap. 14. impiorum, & ſceleratorum numero ab univerſis gentibus habitus eſt? Quis credat, illum *mittendum* antonomaſticè dictum eſſe: cùm eo nomine, eoque titulo is peculiariter deſignetur, quem ſtudio tam ardenti, ac vehementi Judæi ad ſe mitti peroptabant, venturumque Liberatorem precabantur? Ut prætercam, Sanctiſſimum Patriarcham fauſta hìc, lætaque filio ſuo Judæ ominari; quæ certè à futura Nabucodonozoris in Judæos tyrannide longè abſunt.

IV. Miror inter tam multos Synagogæ fabulatores, qui tam varia ſuffugia quæſiere, ut Jacobæum oraculum ad alterum, quàm ad Meſſiam præſignandum inflecterent, inventos non eſſe aliquos, qui Pompejum indigitatum, ac prænunciatum effutierint. Sub Pompejo enim non minùs, quàm ſua Nabuchodonozore ſceptrum Judæis videtur ablatum, dum ii Romanis vectigales effecti ſunt. Sed nec id quidem prudentèr obtendi poteſt. Quamquam enim Judæos ſubegerit Pompejus annis ante Chriſtum noſtrum ſexaginta tribus, eoſque Romanis fecerit vectigales; ſceptrum tamen,

tamen, ſeu Principatum nequaquam abſtulit; ſed detruſo Ariſtobulo; Hircanum illius fratrem Solio reſtituit; ut eſt apud Joſephum lib. 14. Antiquitatum Judaicarum Cap. 8. & lib. 1. de Bello Judaico Cap. 5. Quod alias etiam, ac diu ante Pompejum Judaicæ Genti contigerat, ut pariter vectigalis Gentibus fieret: quin tamen jure ſceptri excideret. Qua de re lib. 1. Machabæorum Cap. 13. v. 41. ſcriptum legimus: *Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum gentium ab Iſrael: & cœpit populus ſcribere in tabulis, & geſtis publicis. Anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote magno Duce, & Principe Judæorum* anno, ſcilicet, ante Chriſtum centeſimo quadrageſimo quinto.

Id ergo certum, indubitatumque, non alium, niſi Meſſiam eo Jacobi morientis oraculo deſignari. Nunc illi mihi ex adverſo refellendi veniunt, qui, cùm Meſſiam oraculo illo prænunciari fateantur, eò confugiunt, ut ſceptrum è Domo Juda ablatum inficientur. Hos Exercitatione proxima pro ſuis meritis exagitabimus.

EXER-

EXERCITATIO XIV.

Continuatio ejuſdem Argumenti: De Judaæ Regno circa Chriſti Domini ortum everſo, ac prorſus extincto.

I. CHriſtum celeberrimo Jacobi morientis oraculo prænunciatum, eumdemque illum, ablato Judææ ſceptro, mittendum à Deo, ſuperiori Exercitatione demonſtravimus. Rabbinorum cavillationes, & tricas, qui vel Moyſem, vel Saulem, vel Davidem, vel Jeroboamum, vel demum Nabuchodonozorem, eo vaticinio prænunciatos fabulantur, ſatis opinor confutavimus, ne ea parte ſuffugia quærant. Reſtat, ut eos in præſentia refellamus, qui, cùm Meſſiam explicatiſſimis hujuſce Oraculi verbis promitti fateantur, ablatum tamen à Juda ſceptrum diffitentur, ne Meſſiam mortalibus illuxiſſe, concedere compellantur.

Vereor tamen maximè, ne otioſi hominis perſonam induiſſe videar, operamque inutiliter ludere; dum in re compertiſſima demonſtranda ſtudium pono. At trahit me vel invitum quorumdam Judæorum audacia, qui, ne cauſa cecidiſſe videantur, ſolem lucere meridie negare malunt, quàm victrici veritati faſces ſubmittere. Quare ut fugientes hoſtes è veſtigio inſequar, bonas horas perdere malim, quàm meas in vindicanda veritate partes quoquo pacto deſiderari.

II. *Non auferetur*, inquit ſacrum Oraculum, in cujus expoſitione verſamur, *Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus donec veniat, qui mittendus eſt*, porrò ſceptrum de Juda ablatum eſſe, Duceſque de fœmore ejus deſiiſſe jampridem à Jeſu Nazareni temporibus perſpecta res eſt; ut hinc colligere certò liceat, promiſſi Meſſiæ tempora ejus ætate ſucceſſiſſe. Sive enim de ſceptro peculiaris Tribus Judæ vaticinium intelligatur, ut putant aliqui, ſive de ſceptro totius promiſcuè Judaicæ gentis, ut alii cenſent: ſive ſceptri, Duciſque nomine Regia dignitas intelligatur, aut alia quævis Monarchia poteſtas, ut viſum nonnullis eſt: ſive demum auctoritas Ariſtocratica Senatus hebraici ex viris ſeptuaginta conflati, quem *Synedrin* vocitabant; nullum prorſus apud Judæos ſceptrum extare, perſpicuũ eſt. Ex quo enim tempore Jeroſolymorum Civitas everſa eſt, Templum igne abſumptum ſub Veſpaſiano, & Tito, annis poſt Jeſum Nazarenum in Cœlos aſſumptum triginta ſex; ſuis pulſa ſedibus miſera gens, extorris, & profuga aliarum Nationum imperio ubique paret, ac ſervit: omni ſupremæ poteſtatis titulo exuta, nec leges condit, nec gladii jus exercet, nec monetam cudit, nec bellum denunciat, nec ſancit fœdera; nec quidquam attentat eorum, quibus ſtat ſumma poteſtas; ſed alieni ubique gentium juris eſt, inviſa, deſpecta, contempta, ludibriis omnium, & cachinis objecta.

Si autem à civilibus ad ſacra animum convertamus, in eos præjudica-

ta res eſt. Exciſo quippe Jeroſolymorum Templo; diſtructoque Tabernaculo, Sacrificia nec offerunt, nec offerre jam poſſunt: Sacerdotes nec habent, nec habere fas illis eſſet, ut Sacra peragerent, tametſi Jeroſolymitanum Templum excitaretur. Cùm enim nonniſi ex Levitica Tribu Sacerdotes aſſumere illis liceat, Tribuſque uſque adeò inter ſeſe confuſas habeant, atque permixtas, ut Leviticam a cæteris ſecernere nemo poſſit, nulla illis ſeligendorum Sacerdotum facultas ineſt. Nulla ergo civilis, nulla ſacra apud Judæos ſuprema poteſtas eſt, nulla Reſpublica, nùlla religio. Res in propatulo eſt, in Orbis luce: nec enim facti privati, ſed publici quæſtio vertitur, quod & uſurpatur oculis, & manibus contrectatur. Prodant, ſi quod Regnum habent, ſi quod ſupremum jus: quovis illud nomine inſignire lubeat: ſi quod Templum, ſi quod Sacrificium, ſi quem Pontificem, ac Sacerdotem. Prodant, gradum ultrò referemus: non ablatum ſceptrum de Juda, & Ducem de fœmore ejus profitebimur, Jeſumque Nazarenum Meſſiæ titulo ſpoliabimus. At non ita profectò cucurbitæ ſumus, ut hæc nobis venditari patiamur, quotquot ſumus in Orbe homines.

III. Res eſt profectò cachinnis omnibus digna, quo pacto ſceptra, coronas, & regna apud ſuos etiamnum extare, venditent Rabbini nonnulli, ut ignaro pecori, aurito gregi fidentiùs illudant; ac nondum impletum Jacobæum vaticinium ariolentur. Sunt etenim, qui reliquias nobis obtrudunt decem Tribuum, quas Salmanazar Aſſyriorum Rex in captivitatem deportavit anno ante Chriſtum noſtrum Septingenteſimo vigeſimo primo, ut aliqua dominationis veſtigia iis etiamnum adjudicent. Quatuor Tribus Dan, Gad, Nephtali, & Azer in Æthyopia etiamnum extare ajunt: Sex reliquas in Aſia ſuis legibus utentes, ac regna illic obtinentes. Verùm ne quis illicò reponat, fabuloſa hujuſmodi regna eſſe, quæ à mortalium nemine ad noſtram uſque ætatem retecta ſunt: id ad mendacii cautionem addunt providi circulatores, Tribus illas regnum obtinentes mœnibus igneis protectas eſſe, & ab omni hominum commercio ſejunctas. Ita R. Simeon Jacul. Regnantes, neſcio quos Judæos, versùs orientem Solem locat R. Abraham Perizol alter nugarum venditor. At ne mendacii revinci poſſit, (ſiquidem nullus eos detexit hactenus) hos montibus immenſis concluſos obtendit. Decem Tribus in America Coronas, ac Sceptra tenentes fabulatur Thalmud Jeroſolymitanum: Ne tamen fabula retegatur, putidiorem alteram fabulam addit; eas nempe nubibus protectas, & à reliquis mortalibus hujuſmodi ſepimento ſeparatas comminiſcitur.

Ita gregalium ſuorum, ſtolidique pecoris credulitati illudunt Rabbini circulatores, cæci, duceſque cæcorum. Regna fingunt, ſed impervia, ignæis mœnibus, ac montibus circumſepta, oppanſis nubibus inacceſſa. At ſi ſic eſt, qua arte, quave induſtria ex iis regionibus inacceſſis ad ipſos nuncii commearunt, ut iſthæc reſcire poſſent, litteriſque mandare? Nec advertunt, quàm ſtupendo diſſidio invicem committantur profeſſi fabulatores. Namq; Simeon Jalcut decem Tribus regnatrices, partim in Æthiopia, partim in Aſia locat: Thalmud verò Jeroſolymitanum

mitanum in America conſtituit. Sed age, fingant, ſi tandem lubet, in Lunæ concavo Regna ſua, ut mendacia in tuto ponant: nos de decem illis Tribubus à Rege Salmanazare in captivitatem deportatis id unum ſcimus, quòd à Joſepho Judæo ſcriptore celeberrimo memoriæ proditum eſt: eas namque trans Euphratem adductas immenſam multitudinem excreviſſe. Verùm nulla illic illarum Regna commemorat; imò Barbarorum Imperiis eas ſecutis inde temporibus ſubiectas fuiſſe, Severus Sulpitius obſervavit, lib. 2. Hiſtoriarum. Unus omnium Poſtellus ſemi-Judæus inventus eſt, qui parte 1. Hiſtoriæ Orientalis Cap. 5. & 6. memoriæ prodidit, decem Tribus à Salmanazare deportatas versùs orientem Solem diu latitaſſe, ac tandem prognatos ex iis Tartaros, atque Turcas erupiſſe, vaſtaſque illas regiones occupaſſe: quod ille ex Haytoni Armeni hiſtoria probare nititur. Verùm tametſi pura, putaque commenta illa ſint, à viro projectæ fidei, lubricæque auctoritatis ſomniata, Hebræis tamen nullo pacto, nulla ratione patrocinantur. Demus enim, & Turcas, & Tartaros, qui certè, & Sceptra, & Regna tenent, à Judæis illis prognatos eſſe; non idcircò Regna, ac ſceptra tenere Judæi putandi eſſent. Cùm nec Tartari, neque Turcæ Judaicis moribus, legibusve Imperium adminiſtrent; nec Moyſis religionem profiteantur: imò Judæos, non ſecùs ac cæteri Principes, mancipiorum loco habeant, duriuſque cæteris premant.

Jactant alii longè multi, habere ſuos in Syria Regnum florentiſſimum: nullum tamen inde ad nos nuncium commeare, quia interiacet Sabbathicum flumen, quod, ut ſola die Sabbathi navigabile eſt, ita Judæis die illa iter agere non licet. Lepidè verò! Unde ergo extare illic, ac etiam florere Regnum didicere? Aut cur alterius etiam gentis, ac religionis nuncios, & tabellarios, quibus iter Sabbatho ſuſcipere liceat, nec excipiunt, nec ſubmittant? Sed nec quod fingitur Sabbathicum flumen, impedimento Judæis eſſe poteſt, quominùs inde ſuos etiam Contribules nuncios accipiant, & ſubmittant. Nec enim Sabbathicum dictum fuit quòd ſola die Sabbati, qua Judæis interdictum eſt iter, traijci poſſit: ſed quòd ſex dies continuos fluat, ſeptimo quieſcat, fluere deſinat alveumque relinquat omninò ſiccum, ſi Plinio fides eſt liber 31. Hiſtoriæ naturalis Cap. 2. Seu potiùs, ut ex Joſepho colligere licet lib. 7. de Bello Judaico Cap. 24. Sabbathicus fluvius eſt dictus, quod Sabbatho fluat, ſenis verò diebus paulatim decreſcat, ac tandem areſcat omninò, donec recurrente Sabbatho, aſſuetam præſtet vicem. Id enim ſubobſcura Joſephi narratio videtur innuere, dum Titi Imperatoris in Syriam excurſionem deſcribit: *Princeps Titus conſpicit in itinere fluvium cognitione digniſſimum. Is fluit medius inter Arcas, & Raphanæas Agrippæ Regni Civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum: nam cum ſit, quando fluit, plurimus, neque meatus ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre: deinde, quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur: atque hunc ordinem ſemper eum obſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam Sabbathicus appellatus eſt, à ſacro Judæorũ ſeptimo die denominatus.* Utcũque tamen ſe res habeat, ſeu ſex diebus areſcat

N flumen,

men, ſeu defluat; commodum perinde Judæis præbebit iter; ut vel navigio, ſi defluit; vel ſicco pede ſi areſcit, trajicere valeant. Quamquàm, ut planiùs dicam, quod res eſt, nullus hujuſmodi fluvius in Syria viſitur modò: quidquid olim, dum Syriæ Civitates obiret Titus Imperator, hiſtoriamque Joſephus ſcriberet, rei fuerit.

IV. Succedunt alii de Synagoga nugivendi, qui, ut ſtramineum qualecumque ſceptrum ſuis etiamnum adjudicent, certum neſcio quem Æchmalotarcham nobis venditant è Tribu Juda oriundum, quem Judæi plerique Patriarcham appellant, quemque in Aſia imperitare fabulantur. Commentum hoc pigmentis multis ornavit Rabbi Beniamin Tudelenſis, in Itinerario hiſtorico. Suum illum Æthmalotarcham genealogiæ ſuæ ſeriem texere, ſcribit, legitimiſque documentis probare: infinitas Judæorum copias versùs Eurum obtinere ſui juris, rerumque omnium ubertate affluentes, beatiſſimaque loca latè occupantes.

Vetus eſt illa Judæorum cantilena, jam à ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo decantata, in quam Origenes ipſe calamum acuit, lib. 4. de Principiis Cap. 1. Duo ergo tempora cautè hìc ſecernenda veniunt, ne ullum inde Judæi præſidium petant; Origenis nimirum ætatem, & ſequentium ſæculorum ſeriem. Quòd ad Origenis ætatem attinet, utpote ab excidio Jeroſolymitano non longè diſſitam, negare omninò nolim, extitiſſe etiam tùm apud Judæos aliquam præteritæ poteſtatis fugitivam memoriam, nonnulla ereptæ auctoritatis veſtigia, languidumque extinctæ Reipublicæ cadaver; Judæos in ſuos jure gladii interdum uſos eſſe; (Origene in Epiſtola ad Julium Affricanum id atteſtante) tametſi nonniſi diſſimulantibus Romanis, ac permittentibus jure gladii uterentur. Verùm habuiſſe illos ea ætate, aut Regem, aut Ducem, aut Principem, quovis tandem barbaro nomine lubeat appellare, omninò nego. Nec ſuum illum, quem venditant Æthmalotarcham, Origenis ætate ſupremum jus obtinuiſſe, ullo teſtimonio comprobabunt. Dent, ſi quod habent, nec ſuis nos mendaciis paſcant. Cæterùm quod poſteriora Origene tempora ſpectat, adeò attonſa, reſectaque eſt ſtaminea illa prætenſi Æthmalotarchæ poteſtas, ut non modò ubi jam ſit, ſed ubi fuerit, fruſtra quæratur. Id agnoſcunt vel inviti Rabbini ipſi, quibus aliquid pudoris eſt, frontemque non omninò perfricuerunt; R. David Kimchi in Prophetam Oſeam, R. Iſaac Abrabaviel in Commentariis in Iſajam, R. Manaſſe, R. David Ganz. Quin etiam, quod notandum magis, R. Iſaac Axric ſodalium ſuorum fraudes in Aſiatico illo Judæorum Imperio confingendo, ſupremaque Æthmalotarchæ poteſtate jactanda retegit, & irridet: gerraſque illas, ac nænias ad miſellorum ſolatium à nebulonibus fictas ingenuè conteſtatur.

Neque verò tot agemus adſtipulatoribus, ut Beniaminum Tudelenſem Aſiatici hujuſce imperii, atque Æthmalotarchæ buccinatorem impoſturæ revincamus. Ipſe fabulatorem ſeſe prodit, ac nugivendum, dum de iis, quæ narrat, nihil præter auditum ſe habere profitetur, ſolamque, undè id hauſerit, famam jactat. Sed & nonnulla inſuper addit, nectitque fabellæ circulator ille, quæ omnem Judæis facultatem adimunt, figmen-

ſigmenta uſæ præſidium iſtud in ſuæ cum obtrudendi. Addit quippè, Æthmalotarcham illum ſuum, à Mahumetanorum Calipha ex ſolemni formula, ſuſcepto nempe ſigillo, poteſtatem accipere ſolitum fuiſſe. Ex quo uno facilè colligas, tametſi alia nulla ſuppeterent, ſuprema illum poteſtate minimè valuiſſe, qui alieno pendebat arbitrio, nec niſi precariam in ſuos ſubditos auctoritatem exercebat.

At quid in iis fabulis exſufflandis ludimus operam? Unius Oſeæ Oraculo confecta res eſt, qui hodiernum Judaicæ gentis ſtatum vaticinatus Cap. 3. vel ipſam Imperii umbram, poteſtatemque omnem ademit; *Dies multos ſedebunt filii Iſrael, ſinè Rege, ſinè Principe, ſinè Sacrificio, ſinè Altari, ſinè Ephod, & ſinè Teraphin.* Quo uno Oraculo diſertiſſimo fabulas illas omnes de Principibus apud Judæos etiamnum extantibus in anteceſſum occupavit. Neque enim illos uſque adeò ſtipites fore puto, ut id ab Oſea dictum reſpondeant de tempore Captivitatis Babylonicæ, non de præſenti Judaicæ gentis infortunio. Judæos quippè in Captivitate Babylonica ſuos Reges, ac Principes habuiſſe, Sedeciam, Joakimum, Zorobabelem, ex lib. 4. Regum Cap. 25. & lib. 2. Paralipomenon Cap. 30. certò liquet. Suos etiam habuiſſe Pontifices, ac inter alios Joſedechum, ex lib. 1. Paralipomenon æquè conſtat. Suos habuiſſe Prophetas, Danielem, ſcilicet, Jeremiam, Baruchum, Ezechielem, Aggæum, nota res eſt. Jus demum necis, & gladii in reos ſuos retinuiſſe, judicium in Suſannam eo tempore pronunciatum diſertè probat. Imò & id inſuper manifeſtum, tempore Captivitatis Babylonicæ Judæos non paucos Jeroſolymis ſubſtitiſſe, qui nomine fratrum ſuorum in Babylonem deportatorum hoſtias offerebant ad Aram Domini, quæ etiam everſo Templo reſidua fuerat, ut ex Baruchi Cap. 1. colligere eſt. Non ergo de Captivitate Babylonica vaticinatus eſt Oſeæ, dum dixit, *Dies multos ſedebunt filii Iſrael, ſinè Rege &c.* ſed infauſtum Judaicæ gentis ſtatum, in quo verſatur in præſentiarum, certiſſimè denunciavit.

V. Meliori fortaſſe fide videntur eſſe Judæorum aliqui, quicum fictitia prorſus eſſe noverint jactata ſuorum regna, atque imperia, eo deveniunt, ut dicant, non actu quidem Judęos Regnum obtinere, habere tamen jure ſummo; cùm illis nonniſi per ſummam iniuriam à Romanis ereptum ſit: atque ita necdum eſſe impletum Jacobæum vaticinium. Labuntur ii tamen errore duplici, ac ſpiſſo admodum. Si enim ſatis Judæis eſſet, ſceptrum, ſeu Regnum habere jure; Judaici Regni, ſceptrique jactura certum, fixumque adventus Meſſiæ ſignum eſſe non poſſet: cùm ad extremum uſque Mundi diem pari libertate, parique titulo dicturi ſint, habere ſe Regnum, ac ſceptrum, non actu quidem, ſed jure ſummo. Quod enim illis à Romanis per ſummam, ut arbitrantur, injuriam ablatum eſt primum, omni deinceps ætate per ſummam injuriam ablatum reputabitur, habebuntque ſemper, ut illis videbitur, jure ſummo, quod actu, ac re ipſa numquam habebunt. Sed & illud falſiſſimum eſt, quod tanta audacia ponunt, poſt cladem illis à Romanis illatam ſtare pœnes ipſos ſceptri, Regnique iura. Quomodo enim ſuis avulſa ſedibus, totoque orbe diſſipata infælix,

N 2 Natio

Natio jus ſceptri, Regnique retineat; ſuis maximè confuſis Tribubus; everſo Templo, amiſſo Sacerdotio, ſinè quibus Judaicæ Reipublicæ forma ſtare non poteſt? Aut quomodo exutos ſe per ſummam injuriam Regno conqueruntur; qui nonniſi in perdullionis ſuæ pœnam, moniti ſæpiùs, rogatique, ut arma ponerent, exuti ſunt à Romanis?

VI. Verùm, inquiet fortaſſis aliquis: Numquid Deus etiam interpoſito Sacramento non ſpoponderat, fore ut Regium Judææ ſceptrum in Davidica ſtirpe tandem aliquando conſtitutum numquam excideret, ſed in ævum potiùs perduraret? *Filli tui uſque in ſaculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*, Pſal. 131. v. 12. Aut ergo perennat etiamnum Judææ ſceptrum, aut promiſſi fidem violavit Deus; quod vel excogitare ſacrilegum eſt.

Ita ſanè perennat Judææ ſceptrum in domo David: ſed quo pacto perennat, & ubi? Non aliter certè, quàm quia de temporali in ſpirituale tranſmutatum poſſidetur à Chriſto Jeſu Davidis filio, Judæorumque æterno Rege. Qua de cauſa Angelus Gabriel Virginem Deiparam ſalutans Lucæ Cap. 1. v. 31. *Ecce*, inquit, *concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis*. En utique perennans Judææ ſceptrũ, juxta oppignoratam Davidi fidem: ſed in ſpirituale commutatum: perennans, inquam, non apud perfidos Judæos omni dudum Regno, ac principatu exutos, ſed in Chriſto Jeſu, atque in ejus Eccleſia.

VII. Superſunt binæ Judęorum cavillationes, non ita pridem ab ipſis excogitatæ, ut celeberrimum Jacobi morientis Oraculum elidant: Altera quidem de virga tribulationis, altera de conditionatis Dei promiſſis; quas altera Exercitatione refellemus.

EXER-

EXERCITATIO XV.

Alia præcluduntur Judæorum effugia, De virga tribulationis, deque promiſſis conditionatis.

I. NEcdum Rabbinicarum cavillationum finis eſt, necdum exhauſta ſophiſmatum pharetra, quibus ſplendidiſſimo Jacobi morientis Oraculo nebulas offundere moliuntur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*. Iis ergo jam ſatis pro ſua audacia exagitatis, qui vel Meſſiam eo vaticinio nequaquam prænunciatum obtendunt, vel Sceptrum de domo Juda nequaquam ablatũ fabulantur, in aciem alii veniunt pro aris, & focis pugnaturi; noviſque quæſitis diverſiculis totum ſacri Oraculi ſenſum invertunt.

Accedunt primi in ordine nonnulli Judaicarum partium Magiſtelli, qui dicant, vocem hebraicam *Sceveth*, quam latinus noſter Interpres *Sceptrum* vertit, virgam ſimpliciter ſignificare: ſeu ſit illa regiminis virga, atque imperii juſti, quam *Sceptrum* Latini dicunt, de qua Pſal. 44. v. 7. *virga directionis, virga regni tui*: ſeu ſit illa tribulationis virga, de qua Pſal. 2. v. 9. *Reges eos in virga ferrea*. Quo poſito, ſubiungunt, hebraicam illam vocem *Sceveth* nequaquam in Jacobæo vaticinio denotare ſummum, ac juſtum imperium, quod in Tribu Juda, vel in tota Judaica gente ad Meſſiam uſque manſurum eſſet, ſed tribulationem, atque tyrannidem, qua miſera gens uſque ad Meſſiæ adventum premenda ſit, atque jactanda, ſic ut iſte ſit Oraculi ſenſus: *Non auferetur virga tribulationis de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt*. Hincque audaciſſimè colligunt, Meſſiam ea maximè ratione non veniſſe, quòd Judaica gens ea etiamnum tyrannide, atque tribulatione jactetur, quæ nonniſi adventante Meſſia finem eſt habitura: Nec modò telum eludunt, quo illos paulò antea petebamus, ſed & regerunt in nos ipſos.

Id quidem prima fronte ſubtiliter excogitatum: at improbè prorsùs, & contrà Oraculi contextum, ſi paulò penitiùs obſervetur. Demus enim, vocem *Sceveth* ſeorſim ſumptam virgam perinde ſignificare poſſe, ac ſceptrum: demus virgæ nomine æquè tribulationis virgam exprimi poſſe, ac virgam directionis, atque regiminis ſeu imperium juſtum, & mite: vetant nihilominus hujuſce Oraculi adjuncta, ne hanc illi interpretationem à Judæis excogitatam accommodemus. Duo enim conjungit Jacobæum Oraculum, non auferendum ſceptrum, ſeu ut ipſi volunt, Virgam, & Ducem de fœmore Judæ non defuturum, donec veniat, qui mittendus eſt: At Dux ille de fæmore Juda nunquam defuturus, donec Meſſias advenerit, non tyrannus profectò eſt, nec Judaicæ gentis inimicus, ſed legitimus, conſanguineus, contribulis, ac beneficus Princeps. Quod ergo de virga, (ſiquidem ita illis vertere libet) ad adventum uſque Meſſiæ non defutura hoc loco dicitur, non de virga tribulationis,

Digitized by Google

ſed de virga directionis, regiminis, imperii juſti, uno verbo, de ſe ſceptro intelligere neceſſe eſt. Quod cùm ab annis mille, ac ſeptingentis, & eò amplius ablatum ſit, Ducesque de fœmore Judæ deſierint, Meſſiam dudum adventaſſe, certiſſimè liquet.

Hoc idem inficetorum Rabbinorum interpretamentum explodunt ſeptuaginta Interpretes, quos hebraici vocabuli *Sceveth* poteſtatem ignoraſſe, Judæi non dicent. Ii quippe vulgatæ verſionis noſtræ ſenſum, non modò reddunt, verùm etiam nitidiùs explicant; dum vocabulum *Sceveth*, non Sceptrum, quod figuratæ locutionis nomen eſt, ſed *Principem* ſimpliciter vertunt: *Non deficiet Princeps de Juda, & Dux de fœmoribus ejus, donec veniant, quæ promiſſa ſunt ei.* Quibus per omnia conſentiunt Paraphraſtæ Chaldæi, Judæi & ipſi ita vertentes, *Non auferetur habens principatum ex Domo Juda, donec veniat Meſſias:* Thalmudiſtæ quoque, R. Maimonides, R. Bechai, R. Raſchi, R. Chaskuni, aliique, quos recenſere longum eſſet. Adeo, ſcilicet, priſci illi Judæi, & hebraicæ linguæ periti ab eo *virgæ tribulationis* interpretamento nuperrimè excogitato procul aberant.

Sed nec advertunt imprudentes Magiſtelli, qui hoc nobis interpretamentum obtrudunt, falſum omninò fore Jacobæum vaticinium, ſi de virga tribulationis, numquam Judæis defutura, deque dominatu tyrannico deberet intelligi. Ecquis enim dixerit, Judæos poſt iſtud Jacobi morientis vaticinium ſub injuſto dominatu, ac tribulationis virga perpetuò gemuiſſe? Certè à Davide uſque ad Sedeciam annorum fermè quingentorum ſpatio regiam poteſtatem obtinuit Tribus Juda: mitiſſimis tunc, & æquiſſimis Regibus paruit Judaica gens; nullumque toto illo temporis tractu exterorum Principum dominatum paſſa eſt. Rursùs poſt Sedeciam, ſolutamque Captivitatem Babylonicam ſub Reipublicæ forma Magnatibus ſuis paruit Judaica gens ſuiſque legibus ſtetit ad Herodem uſque annis ſupra ſexcentis. Errore itaque laboraret Jacobæum Oraculum, ſi de virga tribulationis veniret intelligendum: quaſi Judaica gens à tempore Jacob perpetua ad Meſſiam uſque tribulatione jactanda fuiſſet.

Accedit & iſtud obſervatione digniſſimum: Jacob proximè moriturum, benedictionemque filiis largientem fauſta filio ſuo Judæ ominatum eſſe. Id ejus ad filium oratio integra disertè probat. Non fauſtum porrò, lætumque, ſed malum admodùm eſſet omen, ſi perpetua tribulatione jactatum iri Judaicam gentem prænunciaſſet, donec Meſſias Mundo illuceſceret.

II. Ea itaque ſtatione dimiſſa, utpote iniquiori, ac malè tuta, alii aliò ſe recipiunt. Ii, ſcilicet, cùm promiſſi Meſſiæ tempora ſucceſſiſſe certò videant, Prophetarumque vaticinia commodè ſatis interpretari non poſſint: ut ſuum etiamnum errorem in tuto ponant, eò demum confugiunt, ut dicant, Meſſiæ adventum ob ingentia Judaicæ gentis ſcelera fuiſſe procraſtinatum ultra præfinitum, ſtatutumque tempus, Promiſſiones itaque ſalutaris adventus hypoteticas fuiſſe volunt, ſi nempè pietatem, juſtitiamque Judæi colerent: quod cùm illi non egerint, in aliam tempeſtatem dilata illorum liberatio eſt.

Vah peſſimam deſperatæ cauſæ advocationem! Nullum etenim prophetarum

tarum vaticinium eſt, quod ſimili exceptione eludi non poſſet. Et quidem, ſi quæ ſunt hypotheticæ Prophetiæ, certiſque conditionibus alligatæ, has ipſas conditiones fronte præferunt, ſin minùs, aliis ſaltem Scripturæ locis conditiones huiuſmodi adnotantur. Jacobæum autem, quod expendimus, vaticinium conditionem nullam præſefert; nulluſque Scripturæ ſacræ locus proferri poteſt, unde illam colligere liceat. Imò cœtera omnia, quæ venturi Meſſiæ tempus definiunt Scripturarum Oracula, plana prorsùs, abſolutaque ſunt; nulla pendula, aut certis conditionibus alligata. Sic venturum illum portendunt Aggæus, & Malachias ſtante adhuc Salomonis Templo à Zorobabele inſtaurato. Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidendum Chriſtum, vaticinatus eſt Daniel; nullis planè conditionibus adjunctis, quibus præfiniti temporis ratio pendula ſit. Ut planè perſpicuum fiat, Judæos deſperatæ cauſæ neceſſitate abſonum iſtud effugium quæſiiſſe.

Et vero ſi in aliud tempus, quàm quod erat in vaticiniis, Meſſiæ adventus protractus eſt, indigitent ergo Judæi, quodnam illud tandem ſit? Incertum illud eſſe reſpondent, nullumque re ipſa definiunt, quo demùm elapſo, Meſſias certò ſit oriturus. In incerto igitur fluctuare neceſſe eſt: cùmque Deus tot ſignis, tot characteribus, tot notis ſalutaris adventus tempora in Scripturis definierit, ne in Meſſia recipiendo, auſcultandoque falleremur; neve in rei ſumma error obreperet, nullum jam certum calculum haberemus, ad quem veri Meſſiæ agnitionem exigere liceat; divinis, ſcilicet, conſiliis immutatis, rebuſque ob ſcelera Judæorum in incertum tempus procraſtinatis, atque dilatis. Quod quàm abſonum ſit, nemo non intelligit, niſi qui cerebrum in calcaneo geſtat.

Quid etiam tam abſonum, quàm Meſſiæ adventum ob Judaici populi peccata dilatum aſſutire? Id planè perinde eſt, ac ſi quis dilatum Medici adventum obtenderet ob ingraveſcentem decumbentis hominis ægritudinem: cùm contra potiùs, hac ipſa de cauſa maturare adventum oportuerit; creſcente hominis vitio, atque peccato, in cujus remedium Meſſiam venturum Prophetæ veteres cecinerunt.

Accedit, quod in ſuperioribus demonſtravimus: Meſſiam, ſcilicet, non in Judæorum dumtaxat, verùm etiam in Gentilium ſalutem venturum fuiſſe. Quæ ergo æquitas patitur, ut Gentilium Servatorem ob Judæorum delicta procraſtinatum exiſtimemus? Quaſi gentiles peccatorum à Judæis admiſſorum pœnas eſſent luituri.

Sed & qui iſta tam fidenter, tam liberaliter fabulantur, ut vaticiniorum vim eludant, recedunt à gregalium ſuorum profeſſione. Vulgata quippe eſt Rabbinorum opinio, quam etiam R. Juda multis confirmat in libro *Sanhedrin*, corruptiſſimos fore Judæorum mores, quo tempore Mundo Meſſias illuceſcet, Doctorumque ſuorum conventus impudicitia infames fore. Ut quid ergo propter ſcelera Judæorum Meſſiæ adventus dilatus eſſet, quem corruptiſſimis temporibus venturum Rabbini ipſimet profitentur? Certè ſed ratos mendaces non ſui tantùm, ſed & ſociorum oportet eſſe memores.

III. Unus omnium forſan erit Scripturæ locus, quo abuti Judæi poſſint,

ſint, ut ſuum illud de conditionata Meſſiæ promiſſione figmentum obducant: Pſalmi ſcilicet 131. teſtimonium, ubi Deus Davidi ſpopondiſſe fertur, futurum ut ejus poſteri Regnum perpetuò obtinerent, ſi tamen divinis mandatis obſequerentur: *Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, filii eorum uſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*. At nec id quidem Judæorum cauſam juvare poteſt. Aliud quippe eſt, temporale Judææ Regnum, aliud Regnum ſpirituale, ac perenne Chriſti promiſſi. Prioris Regni temporalis perennitatem ſub conditione promiſſam ultrò concedimus: ſecundi Regni ſpiritualis Chriſti venturi negamus. Imò verò uſque adeò certò, abſolutèque perenne Meſſiæ imperium ſpirituale promiſit, ut etiam diſertiſſimè denunciarit, ſe Domum Jacob, ac Regnum ſpirituale in Meſſia ſervaturum, tametſi temporale Judææ Regnum ob illius gentis ſcelerata everſurus eſſet. *Ecce oculi Domini*, inquit Amos Cap. 9. *ſuper Regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: veruntamen conterens non conteram domum* Jacob. Quid hoc porrò, *non conteram domum* Jacob, niſi Meſſiæ Regnum ſartum tectumque ſervabo, tametſi temporale Judææ Regnum ſim everſurus? In eumdem omninò ſenſum Pſal. 88.v.30. & ſeq. Davidis poſterorum delicta, ſi qua fortè contingant, caſtigaturum ſe denunciavit Deus; non ideò tamen oppigneratam illi fidem negaturum, Regnumque ipſius (in ſpirituale utique commutatum) in ejus ſemine Chriſto Domino perenniter ſervaturum. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea nõ cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea: neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar; ſemen ejus in æternum manebit*. Quid plura? Ejuſdem ſpiritualis Regni perennitatem adeò firmiter, abſolutèque, omnique ſemota conditione Davidi ſpopondit Deus, ut ſacramentum, ac jusjurandum addiderit Jeremiæ Cap. 33. v. 25. *Hæc dicit Dominus; ſi irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies, & nox in tempore ſuo; & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius, qui regnet in Throno ejus*. Quæ verba non de Salomone, aliove carnali Davidis filio temporaliter regnaturo intelligenda eſſe, ſed de Chriſto Davidis filio, inde maximè liquet, quòd hæc à Jeremia profetantur, qui quadringentis circiter annis poſt Salomonem prophetavit, imò & omnibus Judæ Regibus jam Mundo ſublatis. Quare nonniſi in Jeſu noſtro Nazareno exitum habuere; de quo Angelus Mariam Virginem alloquens, *Erit*, inquit, *Altiſſimi filius: & dabit ei Deus ſedem David Patris ejus & Regni ejus non erit finis*. Lucæ Cap. 1. v. 32. Perperam ergo Meſſiæ Regnum, ac dominatum ſub conditione promiſſum dicunt Judæorum aliqui.

At quid ultra in abſono figmento confutando ludimus operam? Judæis jugulum petit ille ipſe Pſalmi 131. locus, quem appellant. Duo quippe cautè ſecernit; Meſſiam ex Davidis ſemine mittendum, & Regnum temporale ad poſteros tranſiturum. Primum non modò abſolutè, verùm

etiam

Digitized by Google

etiam ſub ſacramento promittit: *Juravit Dominus David, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. En primum: tum è veſtigio ſubdit alterum ſub conditione pietatis, ac religionis poſterorum: *Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filii eorum uſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*. Toto igitur aberrant oſtio, qui, quod de temporali Judæ Regno ſub conditione Davidi promiſſum eſt, ad Meſſiæ adventum iniquè detorquent, quaſi is nonniſi ſub conditione promiſſus eſſet.

IV. Quandoquidem autem Judæi peccatorum ſuorum, quibus iram Dei concitarunt, mentionem ingerunt, adeò ut hac ipſa de cauſa dilatum Meſſiæ adventum exiſtiment; diſpendium cauſæ fecerim, ſi quod inde in illos argumentum erui poteſt, tacitus prætermiſerim. Quæram igitur ab eis, quodnam illud tam grande, tam immane ſcelus ſit, quo in præſentia tenentur. Certè ii nec idola nunc colunt, nec prophetant in nomine Baal, nec filios Dæmoniis immolant, nec Deos ſibi propriis manibus fabricantur, uti patres eorum quondam aliàs attentarunt. Et tamen diuturniori ſervitute premuntur hodie, quàm unquam retroactis Sæculis preſſi ſint, dum Idololatriæ crimine polluerentur. Quodnam ergo peccatum illud eſt, quo tantam Numinis iram ſuis cervicibus concitarunt? Illud certè, quod Idololatriam multis nominibus ſuperat: illud, inquam, quo Meſſiam Cœlo demiſſum tradiderunt, vendiderunt, ac Cruci tandem ſuffixerunt. Nullum enim aliud indigitare ipſi poſſunt, quo annorum mille, ac ſeptingentorum ſervitutem (ne quid de futuro dicamus) promereri potuerint. Vadem hic, teſtemque habemus Amoſum Cap. 2. v. 6. *Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non convertam eum pro eo, quòd vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis*. Quodnam enim quartum illud Iſraelis ſcelus eſt, cujus cauſa effectum ait Amoſus, ut illum Deus minimè convertat? Non aliud ſanè, niſi Chriſti ad mortem traditio, atque venditio. Joſephi quippe venditio, de qua locutum Amoſum Judæi reſpondent, ne victi eo teſtimonio videantur, nec quartum Iſraelis ſcelus fuit, nec interminabili ſervitute punitum eſt, ſed paucorum duntaxat annorum, à Joſephi ipſius morte ad exitum ex Ægypto computandorum. Ita quippe quatuor Iſraelis ſcelera, totidemque iiſdem inflictæ ſervitutes, ac pœnę diſtinguuntur 1. Joſephi venditio, cujus cauſa ſecuta eſt Captivitas Egyptiaca. 2. Adoratio vituli aurei, unde ſecuta Captivitas ſua manu Aſſyriorum tempore Judicum. 3. Occiſio Prophetarum, unde nata Captivitas Babylonica. 4. Traditio Chriſti ad mortem, unde præſens Judaicę gentis diſſipatio, diſperſio, miſera ſervitus in ævum duratura.

Obfirmant nihilominùs animum, miſeramque qua premuntur ubique gentium, ſervitutem aliunde ortam contendunt, quàm ex illata Chriſto Domino morte turpiſſima. Tum quòd nonniſi poſt annos totos ab illata Jeſu morte triginta ſex Judæorum diſſipatio, atque diſperſio cæpta ſit, haud ita procraſtinanda, ac differenda, ſi in illatæ mortis hujus pænam inflicta eſſet. Tum quòd mitior pro ſceleris gravitate pæ-

Digitized by Google

na foret, ſi verum Chriſtum Dominum occidiſſent; qui potiùs ob id ipſum deleri ex integro meruiſſent.

Quid id, quæſo, per fidem veſtram? Numquid non *Altiſſimus patiens eſt redditor?* Eccleſ. 5. v. 4. Certè diluvium nonniſi poſt annos centum viginti immiſſum eſt, quo ex tempore *omnis caro corruperat viam ſuam*: Captivitas Ægyptica poſt annos ampliùs octoginta a Joſephi venditione cœpta eſt: Aſſyriaca poſt annos circiter centum a conflato, & adorato vitulo aureo. Quid ergo mirum, ſi ad annum poſt Chriſti mortem trigeſimum ſextum Judæorum diſperſio, ac diſſipatio dilata ſit, quamquàm in tanti ſceleris pœnam inflicta cenſeatur? Nihil quoque refert, ſi levior Deicidio judicetur pœna hæc, perperamque inde colligitur, non fuiſſe illam ad puniendum Deicidium Judæis inflictam: cùm vix unquam pares delictis pœnas temporales infligat Deus, qui temperatum miſericordia judicium in ſontes exercet. Tametſi haud ſatis ſcio; duriùs ne in perfidam gentem animadverſum eſſet, ſi momento deleta fuiſſet ex integro, quam quòd ſuis pulſa ſedibus, diſperſa quaquaversùm, ac diſſipata in nepotibus etiam, ac pronepotibus puniatur. Quibus & illud addere præſtat, quod ex Auguſtino docuimus alibi: Judæos, ita volente Deo, à Romanis victoribus non eſſe deletos ex integro, ſed cum lucis hujus uſura relictos: non utiquè ad pœnæ mitigationem, ſed ad Eccleſiæ Catholicæ bonum, profectumque credentium. Enarrat. 1. in Pſal. 58. *Sunt ergo Judæi, non ſunt occiſi, neceſſarii ſunt credentibus gentibus. Quare hoc? ut demonſtraret nobis Deus in inimicis noſtris miſericordiam ſuam. In ramis ſuperbiæ præciſis inſerto miſericordiam ſuam demonſtravit oleaſtro.* Eo ſanè modo, quo Deus, cujus inſcrutabilia judicia ſunt, *Suſtinet in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtendat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* ad Rom. Cap. 9. v. 22.

V. Iis conſiderationibus commotus illorum unus, dum has illi in familiari collatione proponerem, quid putatis repoſuit mihi? Rem planè fœdam dictu, fœdam auditu. Reſpondit, ſcilicet, ille gemebundus, ſuſpiriaque ex imo trahens, gentem ſuam dira quidem, ac diuturna ſervitute premi ob Jeſum Nazarenum; non quòd illum morte damnaſſent, ſed quòd is homo cùm eſſet, divinitatis ſibi titulos arrogarit, ſeque uti Meſſiam nefariè venditarit: quam audaciam Deus zelotes ita malo animo habuit, ut ob idipſum totam Judaicam gentem, unde ille ortus erat, ſervitute, diſperſione, ac vilipendio damnarit. Sic ille profectò argumentum, quod in ejus caput contorſeram, non eludere modò, ſed & in Chriſtianos regerere, ſibi videbatur. Proh delirum argutatorem! Eccur ergo, ſi ſacros Divinitatis titulos, Meſſiæque dignitatem ſibi arrogavit immeritò Jeſus noſter, Judæi tanti ſceleris pœnam luerent; cum illi ob id ipſum in illum animadverterint, illum damnaverint, Cruci ſuffixerint? Illi enim ipſi ſunt, qui Pilato nullam in ipſo mortis cauſam invenienti ſucclamarunt: *Nos habemus legem, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Non plectendi ergo, ſed magno præmio afficiendi Judæi eſſent, qui ſuas in illum partes tam religioſè implevissent, & affectatæ divinitatis pœnas ab impoſtore exegiſſent. In Chriſtianos longè veriùs Dei furor

ror

Digitized by Google

ror exarſiſſet, qui nefarii impoſtoris partes ſecuti, divinitatis titulos in eo venerantur. Ii, ii ſervitute, diſperſione, vilipendio damnandi eſſent, qui in ſceleris partem veniunt, Jeſumque Nazarenum talem habent, colunt, adorant, qualis ipſe haberi voluit.

Haud ita blaſphemum videri poterit priſci cujuſpiam Judæi Reſponſum, qui ſuæ licèt ſynagogæ honori conſultum iret, nullo tamen Jeſum noſtrum onerabat probro, dum diceret: nihil cum Jeſu Nazareno habere commune ſuam illam, qua premuntur ubique gentium, miſeram ſervitutem; nec in ſceleris alicujus pœnam illis à Deo eſſe inflictam: ſed in majus divini erga ipſos amoris argumentum. *Quos enim amat Deus, arguit, & caſtigat*, Apocal. Cap. 3. v. 19. Ac quemadmodum *via impiorum proſperatur* interdum, Jerem. 12. v. 1., ita nil mirum, ſi rebus adverſis premantur & juſti ſæpè numero. Eo vel maximè, quòd ſi pœnæ loco inflicta eſſet Judaicæ genti ſervitus adeò diuturna, conſuetas juſtitiæ leges Deus prætergreſſus eſſet, ſecundùm quas *viſitat peccata patrum in filios, in tertiam* dumtaxat, *& quartam generationem*, Numerorum Cap. 14. v. 18. Judæi enim ad centeſimam uſque generationem adverſis urgentur rebus, exilioque damnantur.

Verùm quantum alter Servatori Chriſto, tantum iſte juſto Judici Deo injurius eſt. Etſi enim juſtos, quos diligit Deus, pœnis quandoque corporalibus afficiat, atque ad certum tempus, ut eoſdem emendet, ac probet magis: ſpiritualibus tamen, iiſque perennibus numquam affligit. Judæi autem non corporalibus dumtaxat pœnis, ſed & ſpiritualibus; nec temporalibus modò, ſed & perennibus afficiuntur: qualis profectò eſt Templi, Sacrificii, ac Sacerdotii jactura ad finem uſque ſæculi duratura: quæ ipſorum ſervitutis, atque exilii pars maxima reputatur. Alia quoque pœnarum, quæ toti Judaicæ genti; alia earum, quæ privatis intelliguntur, ratio eſt. Cùm enim bonorum temporalium copiam, & ubertatem Judaicæ genti ſpopondiſſet Deus, ſi traditam ſibi legem religioſè ſervaret: divinæ planè fidelitati repugnat, ærumnis, atque miſeriis temporalibus obrui gentem integram, (quidquid privatis caſu contingat) niſi in generalis cujuſpiam ſceleris pœnam. Neque verò ſtatutas juſtitiæ leges prætergreditur Deus, dum Chriſti Crucifixorum ſcelus ad centeſimam uſque generationem caſtigat, caſtigabitque ad milleſimam uſque. Quia quandiù peccatum patrum affectu perſeverat in filiis, tamdiù juſtè caſtigatur in eis nullo præfinito veniæ tempore. Sic autem hac etiam ætate Judæi affecti ſunt animo, ut Chriſtum iterato Cruci ſuffigerent, ſi fortè in illorum manus incideret. Quid mirum ergo, ſi illos paterni etiamnùm ſceleris pœna maneat?

VI. Poſtulat pertractatum hactenus tribus Exercitationibus argumentum adverſùs Judæos validiſſimum de Judæ ſceptro nuſquam, donec Chriſtus advenerit, auferendo; ut quid *Juda* nomine intelligi debeat inquiramus. Sunt etenim Chriſtianos inter, ac ſummè Catholicos viros, cui *Juda* vocabulo ſpecialem Tribum Juda notatam exiſtiment: quaſi ſola hæc ad Chriſtum uſque ſupremam auctoritatem obtinuerit. Alii, *Juda* nomine, totam promiſcuè Judaicam gentem intel-

ligi volunt; penès quam ſuprema poteſtas ad Chriſtum uſque conſtiterit. Quidquid ea in re definire libuerit, perinde cauſa Judæi cadent: cùm Jeſu noſtro adventante, non modò ſpecialis Judæ Tribus, ſed & tota promiſcuè Judaica gens ſuprema auctoritate exuta ſit. Unde ea intacta controverſia, ad alia progredi animus erat. Verùm quoniam non incurioſa quæſtio hæc eſt, quæque non parùm lucis afferet vaticinio Jacobæo, unde invictum adeò contra Judæos momentum delibavimus: idcircò in ea quoque pertractanda induſtriam noſtram, ac diligentiam exercendam judicavimus. Erit itaque ſequentis Exercitationis Argumentum.

Digitized by Google

EXERCITATIO XVI.

De Juda ſceptro: Privata ne Tribus fuerit, an totius Judaicæ gentis?

I. POſt Judæos celeberrimo Jacobi morientis Oraculo repreſſos diù, ac debellatus, cum nonnullis Chriſtiani nominis Profeſſoribus congrediendum nobis eſt: qui tametſi, & impletum Oraculum, & ablatum dudum Judæ ſceptrum probè noverint; quid tamen Judæ nomine ſignificatum voluerit Patriarcha Sanctiſſimus, non omninò inter ſeſe conſentiunt. Sunt etenim, qui totam promiſcuè Judaicam gentem deſignari volunt ſuprema auctoritate potituram, donec demiſſus Cœlo Meſſias Mundo illuceſceret: alij peculiarem Judæ Tribum notatam exiſtimant, tamquam unicam ſupremæ inter Judæos poteſtatis hæredem ad tempus uſque Chriſti Domini regnaturam. Quin & hoc ipſo ſecundo in ordine non deſunt, qui peculiarem Judæ Tribum, non homines ipſos à Juda prognatos intelligant, quos ad Chriſtum uſque regnaturos dixerit Patriarcha Sanctiſſimus; ſed Judæ ſortem, ſeu poſſeſſionem, ac regionem, quæ in terræ promiſſæ partitione Judæ Tribui obventura erat: ut nimirùm pronunciati vaticinii ſenſus ſit: non ablatum iri Sceptrum de Juda, hoc eſt, Regni ſedem futuram in Tribu Juda, ſeu in ſorte Tribus Judæ, Jeroſolymis, ſcilicet, nec inde auferendam (quicumque tandem ibi principatum obtineant) donec Chriſtus advenerit.

II. Quàm procul à vero aberraverint; qui poſtremam illam explicandi vaticinii viam aperuere, multis evincere non eſt opus. Patet res ipſa per ſeſe. Duo quippè conjungit vaticinium Jacobæum: non auferendum ſceptrum de Juda, & Ducem de fœmore Judæ non defuturum, donec Chriſtus advenerit. Si ergo Judæ nomine peculiarem Judæ Tribum Jacob voluit intelligi, ut illi quidem autumant, non ſceptrum itaque in ejus dumtaxat ſorte duraturum portendit à quibuslibet obtinendum, ſed ſceptrum potiùs à ſolis Judæ poſteris, ex ejus, ſcilicet, fœmore orituris ad Chriſti uſque tempora poſſidendum. Hùc illud adde: acceptam eo ſenſu primam illam Jacobæi vaticinii partem falſiſſimam fore. Nec enim toto Judicum principatu, qui annos obtinuit trecentos ſexaginta quinque; nec Saulis ætate, qui per annos quadraginta regnavit ſuper Iſraelem, Regni ſedes in ſorte Tribus Juda ſemper fuit, multò minùs Jeroſolymis ſubſtitit. Sed neque quo ex tempore in ſorte Juda, ac Jeroſolymis conſtituta eſt Regni ſedes, ibidem ad Chriſtum uſque perennavit, quæ per annos ſeptuaginta fuit in Babylone, regnantibus illic Joachimo, & Sedecia. Nec omittendum, impletum non iri ea in hypotheſi Sacrum Oraculum, dum ad Herodem translatum eſt ſceptrum: Cùm & tunc quoque in ſorte Tribus Juda, ac Jeroſolymis perennaret Regni ſedes; ubi fixam Herodes habebat Regiam, non ſecus ac David, illiuſque nepotes.

Digitized by Google

Illud verò, quod ad eam interpretationem cohoneſtandam obtruditur, indignum eſt, ut refellatur à nobis: in id, ſcilicet, intendiſſe Davidem, dum ait Pſal. 77. v. 67. *Repulit Tabernaculum Joſeph, & Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Juda montem Sion, quem dilexit.* Quaſi verò de Regni ſede loquatur illic Regius Vates, quam in ſola Tribu Juda, ac Jeroſolymis fixam voluerit Deus: ac non potiùs de Arca fœderis, quam de Silo Ephraimiticæ Joſephi Tribus Civitate transferri voluit, ut in Templum Jeroſolymitanum tandem aliquando inferretur, ibidemque cuſtodiretur: juxta quod ibidem v. 60. dicitur, *Repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus.* Quamquam etiam ſi de Regni ſede, quam Jeroſolymis fixam manere juſſiſſet Deus, locutus eſſet Regius Vates, quid inde, quæſo colligeretur, id unum Judæ filio promiſiſſe Jacobum, non defuturam in ejus ſorte Regni ſedem à quibuſlibet Tribulibus occupandam?

III. Ea igitur eliminata ſententia, quam primus omnium, ſi benè conjicio, Perrerius invexit, multiſque ſubinde pigmentis obduxit Bonfrerius: eò difficultatem redactam video, num Judæ nomine tota Judaica gens, quæ ab ipſo nomen accepit, an verò peculiaris Judæ Tribus intelligenda veniat in vaticinio Jacobæo?

Qua in re, ne diutiùs in limine hæream, iis me libenter aſſentiri profiteor, qui Jacobi morienti Oraculum, non de ſola Judæ Tribu, principibuſque eo genere ortis intelligendum opinantur; quaſi penes illos ſolos Iudææ ſceptrum ad ortum uſque Meſſiæ perpetuò ſteterit: ſed de tota Judaica gente, quæ ad Chriſtum uſque ſupremum in ſuos imperium ita tenuit, ut ex quibuslibet Tribubus Principes ſuos indiſcriminatim habuerit. Ita ſane Eccleſiæ Patres communi pœnè calculo definiunt: ita Judaicæ gentis hiſtoria prorſus evincit.

Verùmenim verò antiqui pœnè omnes Eccleſiæ Patres, qui Judæos argumento ex celebri Jacobi morientis prophetia deducto exagitarunt, nempè S. Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo: S. Athanaſius lib. de Incarnatione Verbi Dei: S. Joannes Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſim: Euſebius lib. 8. Demonſtrationis Euangelicæ, & lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 6.: S. Ambroſius lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap. 4.: S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphirorum in Geneſim: Theodoretus Quæſtione pariter in Geneſim 110. Ii, inquam, omnes Eccleſiæ Patres ſceptrum de Juda ad Chriſti Domini ortum proptèrea non defeciſſe aſſerunt, quòd Judæi uſque ad Chriſti Natale Principes ex gente ſua, ex genere ſuo ſemper habuerint: non quòd ad id uſque temporis penes unam Judæ Tribum ſteterit ſuprema poteſtas. Oraculum igitur Jacobæum ad totam Judaicam gentem, non ad unam Judæ Tribum referendum exiſtimarunt.

Id Judaicæ Gentis hiſtoria ex ſacris litteris petita multò luculentiùs evincit: quæ à pronunciato celebri illo Oraculo ad Chriſtum uſque multos Judaicæ genti Principes, ac ſupremos Dominos præfuiſſe tradit ex aliis à Juda Tribubus oriundos. Planè ſua huic Oraculo veritas nullo

pacto

pacto conſtaret, ſi de ſola Tribu Juda veniret intelligendum. Oraculum enim fudit Patriarcha Sanctiſſimus in Ægypto degens, atque extremis vitæ metis admotus: porrò ab ejus obitu ad Davidem uſque non paucos Judaicæ genti præfuiſſe liquet, qui Judæ Tribules nequaquam eſſent. Ut enim totum Ægyptiacæ ſervitutis tempus omittamus (quandoquidem ſui tunc juris Hebræi non erant, ſed Ægyptis parebant Regibus) ubi primùm ſoluta captivitate Ægyptiaca ſui juris effecti ſunt, cæperuntq; a propriis gentis ſuæ Ducibus regi; Moyſem primò, tùm deinde Joſue principes habuere, non illos profectò de Tribu Juda; cùm is de Tribu Levi, iſte de Tribu Ephraim originem duceret. Iis fato ſublatis, terraque promiſſionis ab Iſraelitis occupata, ſecuta eſt Judicum dominatio. Fuerunt illi numero tredecim, qui recentis, & ampliùs annis Judaicum populo cum ſumma poteſtate rexerunt. Ex iis autem duo dumtaxat ex Tribu Juda prognati fuere, Othoniel, & Abeſan; cæteri ex quibuslibet aliis Tribubus, oriundi. Judicum principatui ſucceſſit Regium imperium in Judaicæ gentis regimine. Regum verò primus Saul fuit de Tribu Beniamin: huicque demum ſucceſſit David, qui Regium ſceptrum in domum Juda, è qua ille ortus erat, primùm intulit. Non itaque penes unam Judæ Tribum Judaicæ gentis ſtetit Imperium.

IV. Haud me fugit reſponſuros aliquos, Jacobæi Oraculi ſenſum eſſe, nuſquam ſceptrum de Domo Juda defuturum, ex quo primùm in illam inductum eſſet, non ex quo tempore Oraculum fuſum eſt: atque idcirco non inquirendum, quinam ante Davidem Judæis præfuerint; numne ii omnes ex Tribu Juda originem duxerint: ſed quinam David ſucceſſerint; num illi deinceps perpetua ſucceſſione ad Chriſtum uſque ſceptrum in Judæ Tribu ſervarint. Verùm præterquam ea exponendi vaticinii ratio, & violenta videtur, & Patribus ex diametro adverſatur, necdum tamen eorum opinionem in tuto ponit, qui Judæ Tribui perenne ſceptrum poſt Davidis tempora concreditum arbitrantur. Quamquam enim à Davide ad Joachimum, ſeu Jechoniam, & Sedeciam uſque, imperturbata nepotum ſerie, Judaicum ſceptrum quingentorum circiter annorum ſpatio in Judæ Tribu perennarit: extincto nihilominus Jechonia in Babylonica captivitate, ſceptrum ab ea domo receſſiſſe, certiſſimum eſt. Id evincit in primis tremendum Jeremiæ Oraculum in Jechoniam pronunciatum in ejus ſcelerum execrationem Cap. 22. v. 28. *Numquid vas fictile, atq; contritum vir iſte Jechonias? Numquid vas abſque omni voluptate? Quare abjecti ſunt, ipſe, & ſemen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt. Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini: hæc dicit Dominus, Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Atque ita quidem probavit eventus: quamquam enim octo filios habuerit Jechonias, qui lib. 1. Paralip. Cap. 3. v. 17. recenſentur, *Aſir, Salathiel, Melchiram, Phadaja, Senneſer, Iecemia, Sama, & Nadabia*; nullum tamen illorum Regni ſucceſſorem obtinuit. Quin & ipſe Zorobabel nepos ejus per Salathielem prognatus populi quidem è captivitate reducis ductor fuit, nullum tamen habuit principatum, ſed in Jeſum Joſe-

dech

dech Levitam Tribulem tranſlatus eſt. Sedecias verò Jechoniæ, ſeu Joachimi patruus, quem Nabuchodonozor loco ejus ad ſolium evexit, nullos perinde habuit Regni Hæredes, ac ſucceſſores, Regumque Davidicæ familiæ poſtremus eſt habitus. Lib. 2. Paralip. Cap. 36. v. 10.

V. Confirmat id totum multò magis, quæſitumque ſuffugium intercludit omninò Judaicæ gentis hiſtoria; ex qua principatum è Judæ Tribu ad Leviticam tranſlatum eſſe, perſpicuè liquet. Nota quippe, exploratаque res eſt, Judæorum Rempublicam ſoluta captivitate Babylonica quamdam Ariſtocratiæ formam induiſſe, rerumque ſummam penes Summos Sacerdotes, (quandoque Ducis, ac Principis, quandoque etiam Regis titulum præferentes) extitiſſe per quingentos, & ampliùs annos ad Herodem uſque, quo regnante natus eſt Chriſtus. Aſſamoneos enim, quos & ſubinde Machabæos vocitarunt, (ex quatuor initialibus litteris, *mem*, *caph*, *beth*, *jod*, quas ſuis vexillis inſcripſerant.) Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Penes quos ſuprema auctoritas erat, de Tribu Levi fuiſſe, certiſſimè conſtat, ex lib. 1. Machabæorum Cap. 2. v. 1. Ubi Matathias Machabæorum pater dicitur *filius Joannis filii Simeonis Sacerdos ex filiis Joarib*. Et v. 54., ubi idem ille Matathias Machabæorum Pater ſe ex Phinee oriundum prædicat: *Phinees*, inquit, *pater noſter zelando zelum Dei, accepit teſtamentum Sacerdotii æterni.* Phineem autem, ac tum Joaribum Aaronis nepotes extitiſſe ſacris altaribus deſtinatos, atque adeò ex Tribu Levi nota res eſt ex libro Numerorum Cap. 25. v. 10. ubi legimus: *Dixit Dominus ad Moyſem, Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Iſrael; quia zelo meo commotus eſt contra eos, ut non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Ideò loquere ad eum, ego do ei pacem fœderis mei; & erit tam ipſi, quàm ſemini ejus pactum Sacerdotii ſempiternum.* Et ex lib. 2. Eſdræ Cap. 11. ubi recenſentur incolæ Jeroſolimæ, & Civitatum Juda, poſt factam inſtaurationem: *In Jeruſalem habitaſſe* dicuntur *de Sacerdotibus, Idaja filius Joarib; Jachin, Saraja filius Helciæ, filius Moſallam, filius Sadoc, filius Merajoth, filius Achitob princeps domus Dei.*

Apertiùs etiam Sacerdotale Machabæorum genus conteſtatur idem ille liber 1. Machabæorum Cap. 13. v. 41. de Simone Machabæo reum tunc ſummam tenente apud Judæos ſermonem habens: *Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum gentium ab Iſrael: & cæpit populus Iſrael ſcribere in tabulis, & geſtis publicis, anno primo ſub Simone Summo Sacerdote, magno Duce, & Principe Judæorum.* Ubi ſummum Sacerdotium cum ſummo principatu in Simone Machabæo conjunctum videmus. Pariter ſequenti Cap. 14. v. 41. *Judæi, & Sacerdotes eorum conſenſerunt, eum eſſe Ducem ſuum, & Summum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis.* Quin etiam ſecutis inde temporibus Pontificalis dignitas cum Regis titulo juncta fuit. Ariſtobulus enim Joannis Hircani filius Pontificis, & Principis appellatione minimè contentus, Regis nomen, & inſignia ſumpſit, quæ ejus ſubinde poſteri tenuerunt; ut eſt apud Flavium Joſephum lib. 13. Antiquitatum Judaicarum Cap. 19. & D. Auguſtinum lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. Quis porrò neget, Sacerdotes nonniſi de Tribu Levi, nequaquàm verò de Tribu Juda extitiſſe, Deo ita jubente Numerorum Cap. 16. v. 40.

Ne

Ne quis accedat Alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino? Unde & ſignanter notat Apoſtolus ad Hebræos Cap. 7. v. 14., neminem ex Tribu Juda altaribus præſtò fuiſſe, niſi Chriſtum Sacerdotem ſimul, & Regem: *Manifeſtum eſt, quòd ex Juda ortus ſit Dominus noſter: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.*

Quare me ſtupor ingens inſeſſit, dum apud Baronium, virum aliàs numquam ſinè laudis præfatione nominandum, legerem in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, Machabæos paternum genus ad Judam filium Jacob retuliſſe. Quod quàm falſum ſit, ſatis me arbitror demonſtraſſe: Genus quippè ſuum ad Levi certiſſimè referebant. Purpuratum Hiſtoricum deluſit verſus 63. Capitis 5. libri 1. Machabæorum, ubi de Machabæis ita legitur: *Et viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael, & gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum*: Hincque Machabæos de Tibu Juda extitiſſe commentus eſt: quòd nempè *viri Juda* vocitentur. Perperàm ſanè: nam τὸ *viri* Juda non ſignificat *viros de Tribu Juda*, ſed viros Judæ Machabæi fratres, ac ſocios, qui eo Duce gerebant prælia; de quibus ſequenti verſiculo ſubditur: *Et exivit Iudas, & fratres eius, & expugnabant filios Eſau in terra, quæ ad Auſtrum eſt: & percuſſit Ebebron & filios ejus, & muros ejus, & turres ſuccendit igni in circuitu.* Eâ ceſpitationem emendaſſet Baronius, ſi ad textum græcum vel levitèr attendiſſet, ubi latinæ Verſionis æquivocatio tollitur; ſic enim habet: Καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν. Hoc eſt, *& vir Judas, & fratres ejus glorificati ſunt valde &c.* Quod ipſa quoque verſio Syriaca luculenter expreſſit. Undè nihil ad genus Machabæorum è Juda derivandum extundi poteſt; quos, & Levitas, & de genere Sacerdotali fuiſſe, compertum eſt.

VI. Nonnulli nodum iſtum extricaturi, ut ſceptrum etiam in Tribu Juda Machabæorum tempore conſtitiſſe evincant, alteram putidiorem fabulam comminiſcuntur: Machabæos, ſcilicet, Sacerdotes principatum obtinentes, ſi minùs paterno, at ſaltem materno genere ex Tribu Juda extitiſſe: eo ducti fundamento, quòd utraque Tribus, & Levi; & Juda mutuis matrimoniis quandoque *junctæ* fuerint: uti planè Aaron, & Jojadas Summi Pontifices filias Aminadabi, & Jorami uxores duxiſſe leguntur, Exodi Cap. 6. & 2. Paralip. Cap. 22.; Quod planè frivolum eſt. Quamquam enim duæ illæ Tribus Matrimoniis jungi poſſent, incredibile prorſus eſt, eas quingentorum annorum ſpatio perpetuò junctas eſſe; Summoſque Sacerdotes principatum tunc temporis obtinentes nonniſi ex Tribu Juda; numquam ex ſua, aliiſque Tribubus uxores ſibi copulaſſe. Sed etſi id contigiſſe fingeremus, non illicò profectò conſequens eſſet, ſceptrum in Tribu Juda Machabæorum tempore conſtitiſſe: quia nulla apud Judæos maternæ ſtirpis habetur ratio, juxta Thalmudicum dictum, *familia matris non vocatur familia*. Ac quemadmodùm Sacerdotium in Tribu Juda fuiſſe non dicimus, dum aliqui de Tribu Levi Sacerdotes uxoribus de Tribu Juda jungebantur: ita nec ſceptrum in Tribu Juda fuiſſe dicendum eſſe ætate Machabæorum; quamquàm ipſi de Tribu Levi prognati uxores de Tribu Juda duxiſſe ponerentur. Quid etiam, quòd eo conſtituto principio, conſequens foret, ſce-

ptrum in Tribu Juda regnante Herode ſubſtitiſſe: cum & ipſe Mariannam haberet uxorem regio Aſſamonæorum genere ortam; atque adeò ſecundùm illos ex Tribu Juda pari ratione prognatam.

Idcircò reponunt alii, ut eo ſe laqueo liberent, ea etiam ætate temporum, qua Levitici principes Machabæi rerum ſumma potiebantur, ſceptrum penes Tribum Juda quodam ſenſu conſtitiſſe; quia hæc ipſa Tribus Juda Sacerdotes Machabæos in principes eligebat; ſervataque ſceptri proprietate, uſumfructum Leviticæ Tribui concedebat. Eo planè modo, quo Poloniæ ſceptrum penès Polonos eſſe dicitur, quamquam ex aliis gentibus ſæpiùs Reges habeant; modò Gallum, modò Germanum, nunc demum Saxonem: quià eos ſibi Reges Poloni ſeligunt, ſceptrique proprietate ſervata, uſumfructum exteris in Regem electis largiuntur.

Benè id quidem, atque ſubtiliter excogitatum, nodoque ſolvendo percommodum; modò tamen duo hæc veritate niterentur: primum, Tribum Juda ſceptri Judaici proprietatem ea ætate retinuiſſe: ſecundum, ſolam Tribum Juda Leviticos viros in Principes elegiſſe. Ea quippe duo ad hujuſce Reſponſi firmitatem deſiderantur. Verùm duo hæc à veritate procul abſunt. Primum quidem, quia ſceptri proprietatem Judæ Tribus amiſit in Jechonia, ut ex laudato Jeremiæ Oraculo compertum eſt: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper Solium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*: Cap. 22. Secundum æquè falſum eſt ſolam Judæ Tribum Levitas viros in principes elegiſſe. Quandoquidem Tribus omnes ad principis ſeu Ducis electionem ſuffragabantur, ſi qua tunc fortè fieret: tum ex veteri Judæorum conſuetudine, Exodi 18. v. 25. inſinuata, qua electione ad totius Reipublicæ regimen attinentes ab univerſis Tribubus fieri ſolitum erat: tum maximè, quia ad Jonathæ, ac ſubinde ad Simonis electionem populum omnem tunc temporis conſpiraſſe, Scriptura diſertè notat. De Jonatha quidem lib. 1. Machabæorum Cap. 9. v. 28. *Congregati ſunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ ex quo frater tuus Judas defunctus eſt, vir ſimilis ei non eſt qui exeat contra inimicos noſtros, Bacchidem, & eos, qui inimici ſunt gentis noſtræ. Nunc itaque te hodie elegimus eſſe pro eo nobis in principem, & Ducem ad bellandum bellum noſtrum. Et ſuſcepit Jonathas tempore illo principatum, & ſurrexit loco Judæ fratris ſui.* De Simone autem Cap. 14. v. 35. *Vidit populus actum Simonis, & gloriam, quam cogitabat facere genti ſuæ: & poſuerunt eum Ducem ſuum, & Principem Sacerdotum*: Et rurſus v. 46. *Complacuit omni populo, ſtatuere Simonem, & facere ſecundum verba iſta. Et ſuſcepit Simon & placuit ei, ut Summo Sacerdotio fungeretur, & eſſet Dux, & princeps gentis Judæorum, & Sacerdotum, & præeſſet omnibus*. Perperam ergo ab una Tribu Juda principatum obtinuiſſe Machabæi dicuntur. Quid quòd nec ſemper ex electione ſecutis temporibus principes fierent; ſed plerumque hæreditario veluti jure Levitæ Aſſamonæi principatum, quemadmodum & Summum Sacerdotium obtinerent; ut Patri filius, fratri frater ſuccederet, nulla populi accedente ſuffragatione, ſed exterorum principum patrocinio. Quod præſertim in

Ariſto-

Ariſtobulo, Alexandro Hircano, alteroque Ariſtobulo videre fuit: De quibus legendi veniunt Flavius Joſephus lib. 13., & 14. Antiquit. Jud. Strabo lib. 16. Dion lib. 37. Itane verò iis in caſibus Judæ Tribus Sacerdotes in principes eligebat, ſervataque Sceptri proprietate, uſumfructum Tribui Leviticæ concedebat? Commentum igitur eſt inter omnia maximum, quod ab iis tam fidentèr obtruditur.

Age tamen, demus id totum, ut libet, ut jubet: necdum ſua Oraculo Jacobæo ſtaret veritas, ſi de ſola Tribu Juda veniret intelligendum. Nedum enim ſceptri perennitatem Judæ promiſit Jacob proximè moriturus, ſed & Duces de fœmore ejus perpetuò naſcituros; Cum tamen Machabæi de Judæ peculiaris perſonæ fœmore prognati dici non poſſent; quantumcumque precariam ab ea Tribu auctoritatem obtinuiſſe ponerentur. Uti planè Poloni (quorum exemplum illis arridet) tenere quidem ſceptrum dici poſſunt, dum uſumfructum exteris, quos in Reges eligunt, largiuntur; at Reges de fœmore ſuo, hoc eſt; Polono ſanguine ortos habere, dici non poſſunt.

VII. Unicum eſt, quod excitare ſcrupulum poſſit adversùs ſententiam à nobis hactenùs vindicatam. Quod nimirum Jacob proximè moriturus ſingulis filiis benedixiſſe dicatur, *benedictionibus propriis*, Geneſis Cap. 49. v. 28. Cùm itaque Oraculum illud de ſceptro nuſquam à Juda auferendo pronunciaverit ille Judæ ipſi benedictionem impartiens; ad ſolam Judæ Tribum Oraculum illud ſpectare, videri poteſt: aliàs propria Judæ benedictio non eſſet.

Verùm nec id quidem incommodat. Varias quippe partes in Judæ benedictione ſecernere opus eſt, alias, quæ illi uti peculiari Tribui propriæ ſunt, ut iſtæ v. 8. *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui: Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi aſcendiſti*: alias, quæ illi propriæ non ſunt; ſed ei tamen uti totam Judaicam gentem repræſentanti ſint accommodatæ; ut eſt iſta, quæ ſceptri perennitatem Judaico populo ſpondet, donec Chriſtus advenerit. Non ergo propria benedictione caruit Tribus Juda, ſed ultra, propriam, alteram etiam toti Judaicæ genti communem accepit. Cur autem deſtinatæ toti Judaicæ genti benedictio Judæ Tribui potiùs, quam alteri cuicumque deſtinata ſit, ratio non una, ſed multiplex in promptu eſt 1. Quia Meſſias, ad quem Judaicum Sceptrum in ſpirituale tranſmutatum transferendum erat, atque in æternum duraturum, ex ea Tribu oriturus erat: adeòque jus aliquod peculiare ad ſceptrum habebat Tribus illa. 2. Quia diutiùs in ea Tribu, ac florentiùs, quàm in reliquis ſervandum erat ſceptrum, ac principatus. 3. Quia præcipua Regni Judaici pars, ac ipſa Regni ſedes Jeroſolyma in ſorte Tribus Juda futura erat. Quamquam enim ad utramque Tribum, & Beniamin, & Juda initio ſpectare viſa ſit Jeroſolyma; ſolius tamen Judæ Tribus ſecutis inde temporibus habita fuit; maximè verò pars illa Urbis Auſtralior, quæ & *Sion*, & *David Civitas* vocabatur; Ut lib. 2. Regum Cap. 5. v. 7. legere eſt. 4. Quia ex Tribu Juda, utpote nobiliori, univerſus Iſraeliticus populus Judæorum nomen accepturus erat. Quid verò ex gentis dignitate magis erat, quàm uti in ea, à

P 2 qua

qua nomen obtinuit, benedictionem quoque reciperet, quæ ad omnes communitèr pertineret? 5. Quia primogenituræ partes Rubeno ſublatæ ob inceſtum cum Bela commiſſum, in Judam quantùm ad jura principatus translatę fuerant. Congruum autem erat, ut totius Judaicæ gentis benedictio primogenituræ jure potiunti potiùs, quàm cæteris nunciaretur. Quandoquidem totam unus ille gentem repræſentabat.

VIII. At ecce, inquiet aliquis, ſi ſic eſt, ſi, inquam, primogenituræ partes in Judam quantùm ad principatus jura translatæ ſunt, ut innuitur lib. I. Paralip. Cap. 5. v. 2. Si *major in Imperio*, qualis futurus erat Rubenus, factus eſt Judas; igitur Judaicum ſceptrum ſingulare illius Tribus privilegium reputandum eſt, cæteris Tribubus nulla unquam occaſione conceſſum à populo. Conſecutionem ex poſito principio male fluentem inficior. Alia quippe tunc erat, eſtque etiam hodie primogenitorum dominatio in fratres, alia principum, Regumue in ſubditos. Priorem obtinuerit Judas in fratres Rubeni loco, benè eſt, non ambigimus: at poſteriorem ſibi, ſuiſque filiis, ac nepotibus obtinuiſſe in totam Judaicam gentem, figmentum eſt, idque negamus.

Quidni quoque dicamus, Judaicum ſceptrum in ſpirituale commutandum peculiarem Judæ Tribus benedictionem extitiſſe; quòd illud Chriſtus ſolus ex ea Tribu oriturus æternùm poſſeſſurus eſſet. Quem tamen prophetiæ ſenſum ſi lubet admittere, quod ſequitur ita erit accipiendum; ut particula *donec*, non ſceptri ceſſationem ſignificet veniente Chriſto, ſed continuationem. Quaſi dixiſſet Patriarcha Sanctiſſimus; *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, dum veniet, qui mittendus eſt*: quia nempe veniens illud idem æternùm poſſidebit. Quæ ingenioſa Eruditorum explicatio eſt à nonnullis temerè ſuggillata; Quaſi Jacobæi Oraculi vim omnem enervet, ne quid inde ad figendam Chriſti adventus epocham colligamus: qui quovis demum tempore fingatur venturus, Judæę ſceptrum in ſpirituale commutatum perinde tenebit. Quinimò Jacobæi Oraculi vim integram ſervat ingenioſa interpretatio, ac Judæos perindè convincit. Si enim Judææ ſceptrum, nonniſi in ſpirituale commutatum, à Chriſto promiſſo æternùm eſt poſſidendum; ex tunc veniſſe Chriſtum, neceſſe eſt, ex quo ea ſceptri commutatio facta eſt. Quandonam autem facta eſt commutatio, niſi dum deſiit eſſe temporale? Quandonam autem temporale deſiit eſſe: niſi dum temporaliter periit in Herode? Stat igitur data hic obiter explicatio; quamquam ea non eſt opus ad propoſitam difficultatem reſolvendam.

IX. Supereſt altera longè gravior, ejuſdem Jacobæi Oraculi occaſione eliquanda: quo ſcilicet, diſtinctè tempore, quo caſu ſublatum fuerit à tota gente Judaica ſceptrum illud. Quamquàm enim Chriſti Domini ætate ſublatum eſſe univerſi Chriſtiani conſentiant; non ita tamen liquidò conſtat, quo diſtinctè anno quave, occaſione deſierit. De hoc igitur in ſequenti dicendum.

EXER-

EXERCITATIO XVII.

Quo diſtinctè tempore Judæ ſceptrum exciderit; impletumque fuerit Jacobi morientis Vaticinium?

I. JUdææ ſceptrum Jeſu noſtri ſæculo deſiiſſe, multis contra Judæos evicimus, dum impletam Jacobi morientis prophetiam demonſtravimus. Cæterùm quo diſtinctè anno, quave occaſione, ea Judaici Sceptri jactura contigerit, necdum expendimus; quòd id vindicandæ contra Judæos Chriſtianorum cauſæ minùs neceſſarium videretur: ſatis officio noſtro conſultum arbitrati, ſi, ſemotis quæſtionibus inter ipſos Chriſtianos controverſis, fidei caput adversùs Hebræos ſtaret in tuto. Jam ergo ad eam, quæ curioſi animi eſt, quæſtionem eventilandam accedimus; ne quid deſiderari à nobis poſſit ad cumulatam ſuſcepti argumenti elucidationem.

II. Tota ad genus Herodis magni, quo regnante natus eſt Chriſtus, devolvitur difficultas: Judæus ne fuerit, non modò religione, quod nemo ambigit, verùm etiam genere, atque proſapia, quod aliqui non ita pridem affirmarunt, iique non heterodoxi dumtaxat, ut Julius Scaliger in Notis ad Euſebium lib. 2. & Iſaacus Caſaubonus in Exercitationibus contra Baronium, ſed & viri ſummè Catholici, Daniel Huetius Epiſcopus Sveſſionenſis in Demonſtratione Euangelica, propoſitione 9. & Claudius Fraſſenius in Scoto Academico in 3. Sententiarum. Si enim Judæus genere non fuit Herodes magnus Herodianæ familiæ parens; conſequens profectò eſt, Judæ ſceptrum tunc primùm fuiſſe ablatum, principeſque de Judæ fœmore deſiiſſe, dum is Romanorum gratia Judaicæ genti Rex datus eſt anno ante Chriſtum Dominum trigeſimo ſexto. Si autem è contrario, ut religione, ita & genere Judæus extitit; illud quoque ex adverſo conſequens erit, Judæ ſceptrum ad excidium uſque Jeroſolymitanum ad annos poſt Chriſtum in Cœlos aſſumptum triginta ſeptem penes Judaici ſanguinis principes ſubſtitiſſe. Extincto ſiquidem Herode magno, filii ejus, atque nepotes Judaicum ſceptrum pari Romanorum gratia ad id uſque temporis tenuerunt; in varias quidem Tetrarchias diviſum, ſervato tamen primæ, ac nobiliori Tetrarchiæ Regis titulo, retentaque vitæ, ac necis in ſuos ſubditos poteſtate. Quod ex Euangelio, & Actibus Apoſtolicis notum eſt. De Archelao enim Herodis magni filio legimus Matt. 2., eum extincti parentis loco in Judæa regnaſſe: *Audiens autem Joſeph, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire*. Non abſimilitèr Herodem Antipam alterum Herodis magni filium, qui Archelao fratri in exilium amandato, atque è ſolio deturbato ſucceſſit, poſt annos decem Regis titulo cohoneſtatum legimus Marci 6. dimidiam etiam Regni partem puellæ ſaltatrici ſpondentem, & in Joannem Baptiſtam pro jure, & poteſtate gladii animadver-

Digitized by Google

madvertentem. Tum Herodem Agrippam majorem Herodis magni nepotem, qui Herodi Antipæ in exilium pariter acto ſuccedaneus à Tiberio Cæſare datus eſt, Regio etiam titulo auctum legimus, Actorum Cap. 12., & in Jacobum Apoſtolum jure gladii uſum: *In diebus illis appoſuit Herodes Rex, ut affligeret quoſdam de Eccleſia: occidit autem Jacobum fratrem Ioannis gladio.* Demum Herodem Agrippam minorem prioris ab Angelo percuſſi, ac malè perempti filium Regio perindè nomine inſignitum ſæpiùs obſervamus, Cap. 25., & 26. Actuum Apoſtolicorum; ubi & Paulum Apoſtolum cauſam orantem ex tribunali audiiſſe fertur, anno ante excidium Jeroſolymitanum circiter decimo. Ex quibus omnibus perſpicuum fit, Judæ ſceptrum (ſi Judæus genere fuit Herodes magnus) penès principes Judæ ſanguine ortos ad excidium uſque Jeroſolymitanum perennaſſe.

III. Nec repugnat, quòd paſſionis Dominicæ tempore, Pilato Judęis objicienti, *Regem veſtrum crucifigam?* nefarii Deicidæ repoſuerunt, *non habemus Regem, niſi Cæſarem*, Joannis 19. v. 15. Eidemque dicenti, *accipite eum vos: & ſecundùm legem veſtram judicate eum*, ſubjunxerint illi, *Nobis non licet interficere quemquam*, Joannis 18. v. 31., quaſi nec Regem tunc, nec gladii jus haberent. Quomodo enim utroque tunc caruiſſent Judæi, dum Chriſti cauſa in capitali foro verteretur, cùm illis præeſſet Herodes Antipas; ille, inquam, ipſe, quem Regem Marcus appellat Cap. 6. & in Joannem Baptiſtam jure gladii animadvertiſſe, ſcribit? Quod itaque nefarii Deicidæ ſucclamarint, *non habemus Regem, niſi Cæſarem*, aſſentatione, & adulatione factum eſt, ut Pilatum Cæſaris adminiſtrum demererentur, ut ab illo optatam mortis ſententiam faciliùs extorquerent, ſi ſe bonos Cæſaris palpones exhiberent. Maximè cum & ipſi Cæſares eo Regis nomine veriùs digni eſſent, à quibus Judæorum Reges pro nutu pendebant, creabantur, abſolvebantur. Quod etiam *non licere* ſibi ſubjunxerint Deicidę, *interficere quemquam*, occaſione Solemnitatis Paſchalis eſt dictum; quo tempore per ſpeciem religionis illicitum ſibi ajebant hypocritæ, cauſarum capitalium judicia exercere; quod aliàs jure gladii ſibi licitum contendiſſent: uti obſervant D. Auguſtinus Tract. 114. in Joannem, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem Cap. 6. S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 82. in eumdem, & Venerabilis Beda in Caput ejuſdem 12. Nec veriſimile eſt, Pilatum Judæis dicturum fuiſſe, *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*, niſi Cæſares jus vitæ, ac necis in recutitos Judæorum principibus reliquiſſent.

Hoc ergo, quod ante poſuimus, tanquam certiſſimo, atque indubitato conſtituto, nempè: Judæ ſceptrum ad excidium uſque Jeroſolymitanum penès Judæ principes fuiſſe, ſi Judæus genere fuit Herodes magnus; ſin autem fuit allophylus, annis ante Chriſtum triginta ſex excidiſſe: illud ad propoſitæ controverſię ſolutionem expendendum eſt: Judæus ne natalibus, & origine fuerit Herodes magnus, an autem alienigena, & allophylus, Idumæus nimirum, aut etiam Aſcalonita. Eo quippe capite tota jam volvitur difficultas. Quocirca Herodem minimè Judæum, ſed Judæorum comparatione alienigenam, & Allophylum dico: ſeu Aſcalonita

nita ille fuerit, ut aliquibus viſum eſt; ſeu etiam Idumæus, ut aliis probatur magis; quæ tamen poſtrema ſolius nominis quæſtio eſt.

IV. Priorem aſſerti partem Patrum omnium firmat aſſenſus, quos inter ne quidem inventus unus, qui Herodem non dixerit Alienigenam, eumdemque Judæum natalibus, & origine non negaverit: etſi in ejus aſſignanda patria non omninò conſentiant.

Julius Africanus, referente Euſebio lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 6. *Herodem, qui Salvatoris temporibus vixit, filium* dicit *Antipatri; Nepotem verò Herodis alterius Aſcalonitæ, qui Apollinis Templo, quod Aſcalone eſt, inſerviebat.*

Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo; *Herodem, ſub quo natus eſt Chriſtus, Aſcalonitam* perinde vocat. Etſi per errorem in verſione legamus *paſſus eſt*.

Origenes Homil. 17. in Geneſim; *Herodes Rex*, inquit, *ſecundùm Hiſtoriæ fidem, quam Joſephus ſcribit, Alienigena fuit; & per ambitionem in Regnum Judæorum dicitur irrepſiſſe.*

Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 6. *Herodes primus ex Alienigenis Regnum Judææ à Romanis adeptus eſt: cum, ut à Joſepho traditum eſt paterno genere Idumæus, materno Arabs eſſet.*

S. Epifanius Hæreſi 20. *Herodes Antipatri cujuſdam Aſcalonitæ, atque Apollinis Æditui filius fuit, Cujus inſuper Antipatri parens Herodis nomine, filius fuit Antipæ.*

Severus Sulpitius lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ: *Herodes Alienigena Antipatri Aſcalonitæ filius Regnum Judææ à Senatu, & populo Romano petiit, accepitque Hunc primum Judæi externum Regem habere cœperunt. Etenim jam adventante Chriſto, neceſſe erat ſecundùm vaticinia Prophetarum, ſuis eos Ducibus privari, ne quid ultra Chriſtum expectarent.*

S. Hieronymus in Cap. 3. Oſeæ; *Poſtquam defecit princeps ex Juda, & Dux de fæmoribus ejus, & Herodes Alienigena, & proſelytus ſuſcepit imperium, intelligimus veniſſe eum, cui Regnum repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium.*

S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum Cap. 47. *Certiſſimis ipſorum quoque Judæorum hiſtoriis oſtenditur, primum Alienigenam Regem fuiſſe in gente Judæorum, quo tempore Chriſtus natus eſt.* Et lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. *Poſt paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus eſt Chriſtus.*

S. Ambroſius lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap. 4. *Donec ille veniat, non deficiet Dux ex Juda; ut uſque ad Chriſti ortum regalis ſucceſſionis fides incorrupta ſervetur. Poſtea enim per Herodem adulterata ſucceſſio prærogativam dignitatis amiſit. Etenim quia verum Regem negaverunt, falſos habere cœperunt.* Et lib. 3. in Lucam: *Ex Græcorum hiſtoriis claret, Herodem nulli affinem generi Judæorum Regnum adulterina fraude quæſiviſſe.*

Theodoretus in Danielem ad Cap. 9. *Herode Alienigena regnante, qui paterno genere Aſcalonites, materno Idumæus erat; & iis, qui Principes Sacerdotum vocabantur, non ſecundùm legem unctis, ſed ab Alienigenis Principibus (Herode, Archelao, & Romanis Ducibus) electus: deinde memorat excidium, quo & Civitas*

tas opprimenda erat, & hoc ipſum Alienigenarum Regnum evertendum, & Pontificatus maximus non legitimus auferendus. Et Dialogo 1. *Undenam derivantur modò Judæorum Patriarchæ? Ex Herode alienigena, qui ex patre quidem erat Aſcalonites, ex matre autem Idumæus*.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum in Geneſim: *Regnarunt Judæi, & ex ſanguine Iſraelis fuerunt ipſi Duces, donec Herodes Antipatri filius, genere Paleſtinus, qui Tetrarcha cognominatus eſt, acquiſivit ſibi Regnum; ſub quo & ipſe natus eſt Chriſtus expectatio gentium*. Paleſtinum porrò Herodem dicit Cyrillus, quod Aſcalon, unde illum ortum exiſtimat, Palæſtinæ civitas eſſet.

S. Eucherius Lugdunenſis lib. 3. Comment. in Geneſim: *Tamdiù fuit ex ſemine Judæ apud Judæos intemerata ſucceſſio Regni; donec Chriſtus ad redemptionem Mundi ex Virgine naſceretur. Probant hoc Hiſtoriæ Judæorum, quibus oſtenditur, primum alienigenam Regem in gente Judæorum fuiſſe Herodem, quo tempore natus eſt Chriſtus*.

Rupertus lib. 5. Comment. in Oſeam: *Tranſire, & ceſſare debuit Rex Iſrael eo maximè tempore, quo talis erat Rex Herodes, qui neque de Juda, neque de ulla eſſet Tribu Iſrael, quo tempore verus Rex Chriſtus natus eſt..... Chriſtum quærebat ad perdendum Herodes ille alienigena Rex*.

V. Quis, quæſo, tot Eccleſiæ Patres in putidam de genere Herodis fabulam conſenſiſſe, facilè credat? Iis præivit Flavius Joſephus, quo nemo meliùs Herodis genus noſſe potuit, ac debuit. Is Antipatrum Herodis patrem Idumæum, atque ita Judæorum comparatione allophylum, ſeu alienigenam ſcribit lib. 14. Antiquit. Jud. Cap. 2. & Nicolaum Damaſcenum uti projectum adulatorem traducit, quòd eumdem Antipatrum Judæum genere poſuiſſet. *Amicus quidam Hyrcani Idumæus nomine Antipater, vir pecunioſus, natura factioſus, & induſtrius, inſenſus erat Ariſtobulo, eò quòd ipſe ſtuderet partibus Hyrcani. Quamvis Nicolaus Damaſcenus hujus genus deducat à primoribus Judæorum, qui in Judæam venerunt ex Babylonia: Sed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna ad Judæorum Regnum evexit*. Et Cap. 27. Antigonum inducit idem Joſephus Romanos culpantem, *quòd Judæorum Regnum Herodi dediſſent; cùm id more gentis deberetur ſucceſſioni generis*. Id ergo pro certo ponit, eum Judæum genere minimè fuiſſe; ſed ut maximè Semi-Judæum, propterea quòd Idumæi, ex quibus Herodi genus erat, ab Abrahamo quidem, non tamen per Jacob, ſed per Eſau deſcendiſſent. Quod ad præſens inſtitutum noſtrum ſatis eſt. Jacob enim Judææ ſceptrum, non penès quoſvis Abrahæ poſteros ad Meſſiam uſque perennaturum ſceptrum portenderat; ſed penès ſolos nepotes ſuos, ex Judæ, ſcilicet, fœmore orituros, ſeu Judæ nomine peculiarem hujus nominis Tribum intelligas; ſeu totam promiſcuè Judaicam gentem ex duodecim Jacobi filiis prodituram accipere malis: cujus certè comparatione Idumæi ex Eſau Jacobi fratre procreati allophyli erant, & alienigenæ; nullumque ad Sceptrum Judaicum jus habebant.

Idem de Antipatro Herodis parente notat etiam Joſephus lib. 1. de Bello Judaico Cap. 5. *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate, ac opibus gentis ſuæ Princeps*. Princeps, inquam, non imperio tamen, atque domi-

natio-

natione, ſed opibus. Quam ob cauſam Herodem filium ejus plebejo genere natum dicit Cap. 28. libri 14., hoc eſt, privatum hominem, *ſubjectumque Regibus*, tametsì potentem opibus apud ſuos. Id itaque certum, indubitatumque; Herodem magnum, quo regnante natus eſt Chriſtus, Judæum genere non fuiſſe, ſed alienigenam, & allophylum.

VI. Pars verò aſſertiones noſtræ altera, quam ſolius quæſtionem nominis eſſe diximus, Aſcalonita ne fuerit, an Idumæus, unica annotatione pateſcit; qua omnis Joſephum inter, & Patres diſſonantia tollitur. Idumæum equidem dicunt Joſephus, & Euſebius: Aſcalonitam autem Julius Africanus, Juſtinus Martyr, Sulpitius, & Cyrillus. At hæc de facili conciliantur, ſi quid rei fuerit, obſervetur. Herodem, ſcilicet, Antipatri filium, quo regnante natus eſt Chriſtus, à prima origine Aſcalonitam fuiſſe, utpote alterius Herodis Aſcalonitæ nepotem, qui Appollinis Templi, quod Aſcalone erat, Ædituus fuerat, atque ita Gentilis. Utrumque tamen, & Antipatrum, & Herodem filium Idumæum fuiſſe dictum, quòd ille à prima pueritia ab Idumæis latronibus captus in Idumæa fuiſſet educatus, ibidemque ad virilem ætatem degens Herodem filium procrearit. Indeque factum: ut Herodes, de quo nobis hìc quæſtio eſt, Idumæus à nativitate ſit dictus, Aſcalonita verò à prima avorum gentilium origine. Obſervationem hanc, qua omnes Scriptorum de Herodis patria diſſonantiæ conciliantur, debemus Julio Africano apud Euſebium lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 6. S. Ambroſio lib. 3. Commentariorum in Lucam, S. Epiphanio Hæreſi 20. Poſtremi hæc verba ſunt, cœterorum ſenſum referentia: *Herodes Antipatri cujuſdam Aſcalonita, atque Apollinis Æditui filius fuit. Cujus inſuper Antipatri parens Herodes nomine filius Antipæ fuit. Antipater ab Idumæis captus, & in Idumæa degens Herodem ſuſcipit; qua in regione diù admodum in ſervitute vixit, quòd eum Herodes pater ob inopiam redimere non poſſet. Tandem à popularibus collata pecunia unà cum Herode filio liberatus, poſtliminio in patriam revertitur. Quam ob cauſam ab aliis Idumæus, ab aliis Aſcalonita fuiſſe, proditus eſt.* Hæc Epiphanius: qui tamen hoc uno à Julio Africano, & Ambroſio diſſidet; quòd is Antipatrum Apollinis Ædituum dicat, illi Herodem Antipatri patrem. Niſi fortè uterque eo munere functus eſt: Herodes quidem pater, dum illi ab Idumæis latronibus ſurreptus eſt Antipater adhuc puer; tum poſtea Antipater ipſe, dum grandior factus Aſcalonem poſtliminio reverſus eſt. Quo in munere, aliiſque artibus eas ſubinde divitias comparavit, quibus eum valuiſſe Joſephus memorat.

VII. Nunc re tota bono in lumine poſita, Herodiſque Magni genere, quo regnante natus eſt Chriſtus, certis documentis aſſerto; illi modò audiendi veniunt, qui eum, non religione modò (quod nemo unquam vertit in dubium) ſed & genere, atque proſapia Judæum exiſtimant. Quadruplici momento Judaicum Herodis genus evincere ſibi putant. 1. Quòd, orta Cæſareæ Judæos inter, & Syros rixa graviſſima de Civitatis jure, Herodem Cæſareæ conditorem Judæum genere Judæi contenderint, nec inficiati ſint Syri, uti refert Joſephus lib. 20. Antiquitatum Cap. 6. *Apud Cæſaream inter Judæos habitatores, & Syros de pari jure Civitatis rixa exorta eſt.*

Nam Judæi potiore conditione volebant eſſe, quòd urbis hujus conditor Herodes Rex fuerit Judæus genere. Id Syri non inficiabantur quidem, ſed ajebant, Urbem turrim Stratonis dictam à principio, quo tempore nullum Judæum habitaſſe mihi. 2. Quòd Judæorum non pauci Herodem tamquam Meſſiam coluerint, Herodiani propterea nuncupati, quorum ſæpiùs Sacrum meminit Euangelium. *Herodiani Chriſtum Herodem eſſe dixerunt*, iniquit Tertullianus lib. de præſcriptionibus. Incredibile autem eſt, illos Herodem pro Meſſia habituros fuiſſe, niſi Judæum genere pro certo noviſſent. Cum nihil ſacris in litteris expreſſius ſit, quàm Judæum genere, ac etiam de Tribu Juda, imò & de ſtirpe Davidica Meſſiam exiturum. 3. Quòd Herodem *Judæum genere* dixerint Nicolaus Damaſcenus, (referente Joſepho lib. 14. Antiquit. Cap. 2.), & Strabo lib. 16. Hiſtoriarum. 4. Quod Judæos *contribules ſuos* vocare ſolitus eſſet Herodes, dum ad illos pro concione diceret, ut apud Joſephum legere eſt lib. 15. Cap. 14. Qui etiam priorem illius uxorem Jeroſolymitanam nomine *Dorem* Herodis popularem quaſi illius concivem appellat lib. 14. Cap. 21. *Duxerat autem etiam ante uxorem è ſuis popularibus, Dorem nomine; ex qua ſuſcepit Antipatrum filiorum natu maximum.*

Nihil tamen iſta nos movent, ut à ſtatuta ſententia reſiliamus. Quid enim ſi in contentioſa diſputatione, ubi de jure Civitatis agebatur, Herodem Judæum genere obiter dixerint Judæ Cæſarienſes; nec repugnaverint Syri, cùm de Herodis genere quæſtio ipſa non eſſet; ac tantumdem ad tuenda Judæorum jura valuiſſet, ſi Herodem Cæſareæ conditorem religione Judæum, ut revera erat, ſimpliciter nuncupaſſent? Maximè quia Joſephus ipſe, qui Judæos Cæſarienſes ita locutos memorat, iiſdem ora verberat aliis Hiſtoriæ ſuæ locis, ubi Herodem Judæum genere diſertiſſimè negat.

Quid etiam illud alterum miremur: Herodianos, viliſſimam, odioſiſſimamque Judæorum ſectam Herodem pro Meſſia coluiſſe; tametſi Judæus genere non eſſet, ſed religione dumtaxat? Quandoquidem Joſephus ipſe, vir aliundè bonus, & ſimplicis veritatis amicus Veſpaſianum Imperatorem habuit pro Meſſia, eidemque Prophetarum oracula, quæ de Chriſto erant, ſeu aſſentatione, ſeu ex animi ſententia accommodavit, lib. 4. de Bello Judaico Cap. 12. (quamquàm Veſpaſianus nec genere, nec religione Judæus eſſet) ob id ſolùm, quod is *apud Judæam creatus fuiſſet Imperator*. Tantùm improba cæcitas Judæorum animos occupaverat, ac dementaverat! imò facilè crediderim ego, Herodianos idcirco Herodem tamquam Meſſiam coluiſſe, quòd in eo impletum Jacobi morientis oraculum cernerent, atque ita allophylum, & alienigenam probè noſſent Judææ ſceptrum obtinentem: Sed in eo illos erraſſe, quòd principem alienigenam Judææ ſceptrum Chriſto naſcente occupaturum, de quo prophetaverat Jacob, Chriſtum ipſum fore, ſtultiſſimè crederent. Quare tantùm abeſt, ut ex illorum errore aliquid ad Judaicum Herodis genus probandum extundi poſſit, ut potiùs illum alienigenam fuiſſe luculentiùs evincat.

Herodis genus à primatibus quidem Judæorum, qui ex Babylonia in Judæam venerant, deducit Nicolaus Damaſcenus: at id aſſentatione factum monet hoc ipſo in loco Flavius Joſephus, ne quam projectò adulatori

latori

latori fidem demus. Non ita tamen Strabo loco objici ſolito; ubi Herodem *Judæorum indigenam* dumtaxat vocat: hoc eſt, eo loco natum, quem Judæi, ſin minùs genere, at certè religione facti, tunc temporis incolebant. Judæi enim, quos inter natus erat Herodes, annis in anteceſſum circiter ſexaginta ab Hircano Judæorum Rege, atque Pontifice ſubjugati, Judæi religione effecti erant teſte Joſepho lib. 13. Antiquit. Cap. 17. relictoque proprio gentis ſuæ Deo, & antiquatis prioris Idololatriæ ritibus, circumciſionem, univerſumque Moyſis ritum admiſerant. Hinc *Judæorum indigena* Herodes eſt dictus; hoc eſt, loco illo natus, quem Judæi, qualeſcumque tandem eſſent, multos jam annos incolebant.

Hac ipſa de cauſa, Judæos *contribules ſuos* appellare ſolebat Herodes jure ſummo; quòd proſelytus eſſet, illorumque ſacris initiatus; atq; ita Moſaicæ religionis profeſſione in Judaicum nomen, & populum inſitus eſſet. Non ideò tamen Judæus genere, proſapia, ſanguine cenſebatur; atque adeò nullum ad Judaicum ſceptrum, quod hìc maximè quæritur, jus habebat, quod non religioni ſoli, ſed ſanguini debebatur: ab iis, ſcilicet, principibus poſſidendum, qui de Judæ fœmore orti eſſent.

Neque refert, quòd Idumæi *Judæorum fratres* interdùm vocentur ſacris in litteris, ut Deuteronomii Cap. 23. v. 7. *Non abominaveris Idumæum, quia frater tuus eſt.* Laxioris quippe ſignificationis appellatio illa eſt: quòd nempe ex Abrahamo, & Iſaaco per lineam Eſau deſcenderent Idumæi. Quia tamen per lineam Jacob prognati non erant, ex quo uno per duodecim Patriarchas Tribules, ſeu Tribuum capita prodiit Judaicum genus, veri, ſtrictique nominis fratres Judæorum minimè cenſebantur; ſed Alienigenæ potiùs, & extranei juxta Davidis oraculum, quo futura Idumæorum ad Chriſtum converſio prænunciabatur, *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt.* Pſal. 107.

De Dore Jeroſolymitana priori Herodis conjuge expedita reſponſio eſt: mero numinis æquivoco ludere eos, qui eam Herodis popularem, hoc eſt, concivem, & conterraneam à Joſepho dictam effutiunt: quæ alio longè ſenſu popularis eſt dicta, plebeja nimirum, atque ignobilis. Sic enim juxta græcum Joſephi contextum caſtiganda eſt latina Verſio in objectione laudata: *Duxerat quidem priorem etiam uxorem popularem nomine Dorin ex gente*, ſubintellige, *noſtra*. *Γυναῖκα δημότιν, Δωρὶν ὄνομα, ἐκ τοῦ ἔθνους.* Quòd cum Joſephus hebræus ſcribat, eam ignobilem fuiſſe, ſignificat ex gente Judaica non Herodis Idumæi concivem, & popularem.

VIII. Nodus ſupereſt exſolvendus, qui ex hac tota de genere Herodis diſputatione relinquitur: quoniam, ſcilicet, pacto, quave ratione in eo impletum fuerit Jacobæum vaticinium? Ea ſiquidem verba. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*, poſtulare videntur, ut priùs ille venerit, qui mittendus erat, quàm ſceptrum re ipſa auferetur à Juda: ut ſi dicam, *non tradetur Civitas, donec obſidione cingatur*; priùs eam obſidione cingi neceſſe eſt, quàm tradatur, non tradenda priùs eſt, ac ſubinde cingenda. Porrò ſi Herodes Alienigena eſt, Regnumque Judææ tunc primùm excidit, dum ei à Romanis collatum fuit, priùs certè Judæ ſceptrum ablatum eſt, quàm Chriſtus advenerit: cùm

annis ante Chriſtum natum triginta ſex Judæorum Rex fuerit ſalutatus:

De facili tamen ſolvitur nodus: Quòd in magnis eventis, quæ procul admodum, & quàm longiſſimè pervidentur, ac prænunciantur; hujuſmodi particulæ adnotationem temporis poſitæ præciſum, diſtinctumque tempus non deſignent, ſed indiſtinctum, ac diutinum. Ut ſi de Antichriſto loquar, non incongruè dicam: *non ſuſcitabitur Antichriſtus, donec Mundi finis advenerit*. Quo tamen non ſignificabo, Mundi finem priùs obventurum, quàm ſuſcitetur Antichriſtus; ſed eo circiter tempore Antichriſtum ſuſcitandum, quo Mundi finis adveniet. Hujuſmodi igitur eſt Jacobæi vaticinii ſenſus, *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt*, Hoc eſt, ad ea circiter tempora Sceptrum auferetur à Juda, quibus Chriſtus adveniet: quocumque tandem id modo contigerit, pro varia eruditorum opinatione, ut peræquè particula *donec* ad tantillum tempus anterius, aut etiam ad poſterius extendatur. Eum ſacri Oraculi ſenſum eſſe, eamque particulæ *donec* ſignificationem, & poteſtatem, fateantur neceſſe eſt ii quoque; qui aliter quàm nos de Herodis genere ſentiunt. Nemo enim ablatum de Juda ſceptrum ponit eo ipſo diſtincto tempore, quo natus eſt Chriſtus. Ac ſicuti nos ablatum dicimus annis ante Chriſtum triginta ſex, dum Herodes Alienigena Regnum iniit: ita illi annis à Chriſto nato circiter ſeptuaginta ablatum ajunt, cum demum everſa Jeroſolyma Herodianorum dominatio finem habuit.

Atque hìc finis eſto inſtitutæ contra Judæos de Chriſto promiſſo polemicæ Diſputationis: Nunc de Chriſto nobis oborto diſputandum.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIONUM
DE CHRISTO,
EJUSQUE VIRGINE MATRE,
PARS ALTERA:

In qua peractæ Redemptionis humanæ Myſteria omnia ad certam hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur.

EXERCITATIO DECIMAOCTAVA.

De Virginis ortu, deque prima illius educatione, & oblatione in Templo facta.

I. CHriſto dudum prænunciato, jamque proximè orituro, Matrem eo dignam ſeligere neceſſe fuit. Nulla dignior à Deo inuenta eſt, quàm quæ gratiam apud Deum invenerat. Virginem illam fuiſſe, Nazareth commorantem, Mariam nomine, Joſepho viro juſto deſponſatam, ſcribit Lucas Cap. I. Euangelii, ac nihil ultrà præterea. Verùm quàm parcè, quàm modicè de Virginis Deum hominem pariturae natalibus, educatione, vitæque ratione, & inſtituto Sacer Textus; tam fusè, copioſèque dixerunt alii: quodque dolendum magis, nullo rerum delectu habito, ac ne veri quidem ſervata ſpecie: ſed magno nugarum, ac fabularum apparatu vix digno lucubrationibus anicularum.

Feruntur hoc de argumento, ac ſummo eruditorum aſſenſu ad quiſquilias amandantur, liber neſcio quis Traditionum Judaicarum, à D. Epipha-

Epiphanio identidem memoratus, Hæreſi 78., & 79.: Proto-Euangelium Jacobo Apoſtolo ſtolidè adſcriptum in Orth doxographia: liber de ortu Virginis, à nonnullis Jacobo fratri Domini, ab aliis S. Cyrillo Alexandrino iniquè ſuppoſitus: liber alter de ortu Virginis ab impoſtore Saleuco Divo Matthæo affictus: Hiſtoria incerti Auctoris à Divo Gregorio Nyſſeno indigitata, Oratione de Chriſti Natali: Opuſculum de Nativitate S. Mariæ inter Apocripha S. Hieronymi rejectum ad calcem Tomi 9.: Spuria S. Evodii D. Petri in Antiochena Sede Succeſſoris Epiſtola: Euſtachii Antiocheni Commentarius apocriphus in Exameron; Tragædia de Chriſto patiente ab Hæreſiarcha Apollinarii S. Gregorio Nazianzeno ſuppoſita.

II. Ex impuris illis lacunis biberunt pleno pectore Græci Scriptores mediæ, ac poſterioris ætatis, colligendis fabellis pro more gentis avidiſſimi, iiſdemque amplificandis ſtudioſiſſimi: Germanus Conſtantinopolitanus, Joannes Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Iſidorus Theſſalonicenſis, Georgius Nicomedienſis, Cedrenus, Nicephorus Callixtus: quos poſtremis etiam temporibus Latini non pauci inconſulta pietate ſunt imitati; ne & ipſi in extollenda, ut putabant, Virgine Deipara Græcis concedere viderentur. Cum tamen non egeat illa falſis honoribus, veris ſat multis nobilitata.

Horum omnium de Virginis ortu, deque prima illius educatione ſummaria Narratio hæc eſt ex citatis apocryphis monumentis excerpta, ac delibata: Virginem Chriſtum Dominum parituram piis parentibus Joachimo, & Anna in lucem tandem editam eſſe; cum illi ad extremam ætatem effœti, atque ſteriles perveniſſent: Puellam depulſa prodigio parentum ſterilitate procreatam anno ætatis ſuæ tertio, quòd ita illi ante voviſſent, in Templo fuiſſe oblatam: Virginitatis voto jamtum ab ipſamet nuncupato Deo ſacram, dicatamque: Levitis, ac Sacerdotibus traditam in diſciplinam per annos undecim commoratam in Templo, ac in ipſis Sanctis Sanctorum toto illo tempore Cœleſti pabulo innutritam, donec annum ætatis ſuæ quartumdecimum aſſecuta Joſepho viro juſto, virgæ effloreſcentis indicio deſignato ab ipſis Sacerdotibus nuptui traderetur ejuſdem Virginitatem cuſtodituro, non violaturo. Sic illi concordi relatione, ac narratione, quæ deinceps per omnium fermè ora volitavit.

III. Quid nos verò in hac tanta caligine temporum, nullis certis, atque indubitatis priſcæ memoriæ affulgentibus documentis? Nempe id unum pronunciabimus: Excepto Virginitatis voto, quod tenera adhuc ætate à Deipara nuncupatum fuiſſe, ſuo loco demonſtrabimus; cætera, quæ vulgò jactantur de piis Deiparæ genitoribus Joachimo, & Anna, depulſa divinitus ſterilitate, Mariam effœta ætate generantibus: quæ de Maria ipſa trienni Deo oblata, Sacerdotibuſque, ac Levitis in diſciplinam tradita: quæ de ejuſdem in Sanctis Sanctorum per annos undecim commoratione, donec Joſepho virgæ efflorescentis prodigio deſignato deſponderetur; incerta omninò ſunt, ac planè dubia, imò nonnulla falſiſſima, ne dicam erronea.

Ecquid

Equidem enim certi, atque indubitati ex ſpuriis, atque apocryphis inſtrumentis paulò ante notatis erui poteſt; quæ licèt vera fortaſſe aliqua falſis multis admiſceant, numquam tamen in ré hiſtorica integram fidem faciunt. Hujus porrò furfuris ſunt, quæ prima omnium in earum narrationum probationem inſtrumenta proferuntur: confiçta nimirum ab impoſtoribus, Apoſtolis, ac priſcis Patribus ſuppoſita ſcripta, apocrypha documenta. Sed & peculiares, atque diſtinctæ de ſingulis illis capitibus dubitandi rationes accedunt.

IV. Dubia inprimis, incertaque ſunt, quæ vulgò feruntur nomina Genitorum Deiparæ Virginis *Joachimus*, & *Anna*. Hieronymus ſiquidem Deiparæ patrem nomine *Cleopham* exiſtimavit lib. contra Helvidium Cap. 7. Ubi cum *Mariam Cleophæ* Deiparæ Virginis ſororem ſtricto ſenſu dixiſſet, (dixit autem & alibi ſæpè) illam viciſſim Mariam Cleophæ dictam ait, non à Marito, cui nomen erat Alphœo, ſed à Patre. Utriuſque itaque patet, Hieronymo quidem judice Cleophas erat, non Joachimus. Quod idem affirmat Maldonatus, ad v. 46. Capitis 12. Matthæi. Rectène hoc in Capite ſenſerint, non expendo; illud tamen inde haud dubiè colligo, nullam fuiſſe tunc certam in Eccleſia Traditionem, quæ Deiparæ patrem faceret Joachimum. Quid etiam quòd Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum Cap. 9. Virum Manichæum tamquam fabularum venditorem carpit, quòd Sacerdotem quempiam nomine *Joachimum* Mariæ patrem aſſeruiſſet? *Quid de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quòd patrem habuerit ex Tribu Levi Sacerdotem quemdã nomine* Joachim; *quia canonicum non eſt, non me conſtringit. Sed etiamſi hoc crederem, ipſum potiùs* Joachim *dicerem, aliquomodo ad David ſanguinem pertinuiſſe; & aliquomodo ex Tribu Juda in Tribum Levi fuiſſe adoptatum.* Sed & undecimo vertente ſæculo uſque adeò incerta, dubiaque erant Sanctiſſimorum Deiparæ genitorum nomina: ut in ea curioſiùs inquirere, ſuperfluum, & inutile reputaret vir illius ævi doctiſſimus, atque Sanctiſſimus Petrus Damiani Sermone 3. de Nativitate: *Nonnulli, inquit, dum plus ſapere, quàm oportet ſapere, geſtiunt, quis pater, vel quæ mater B. Mariæ, fuerit, ſtudio ſuperfluæ curioſitatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Evangeliſta narrare ſuperfluum duxit. Si enim huic notitiæ utilitatem eſſe cognoſceret, nequaquam nobilis Hiſtoricus rem neceſſariam ſilentio præteriret*. Nec alia nuper eruditis Bollandi Continuatoribus ſententia ſtetit; qui Joachimi, & Annæ nomina in dubio reliquerunt in Actis ad diem 20. Martii. Certè quotquot Chriſti genealogiam à Luca deſcriptam Cap. 3. per Mariæ progenitores ductam exiſtimant, (exiſtimant autem benè multi) Deiparæ patrem *Heli* dictum opinantur. Quod enim à Luca ſcriptum eſt, *Jeſus putabatur filius* Joſeph, *qui fuit Heli*; ſic interpretantur, ut *qui fuit Heli*, non ad Joſeph referatur, ſed ad Jeſum; in hunc videlicet ſenſum, *Jeſus, qui putabatur eſſe filius* Joſeph, *re ipſa filius erat Heli*, mediatus nempe, ſeu Nepos: quòd ab eo media Maria illius filia Chriſtus genitus eſſet.

Quæ tamen omnia nequaquam obeſſe poſſunt, quin Sanctiſſimi Deiparæ genitores ſolemni cultu in Eccleſia celebrentur. Ad id enim nil planè refert, quo nomine vocarentur: uti tam multi coluntur Martyres, quorum

quorum nomina neſciuntur. Quin etiam in ea propriorum illorum nominum ignoratione myſticæ ſignificationis nomina imponere illis Eccleſia potuit; & alterum quidem *Joachimum*, alteram *Annam* nominare: Anna enim *gratiam* ſonat, Joachimus *præparationem Domini*: qui tituli Sanctiſſimis genitoribus apprimè congruunt. Sicque re ipſa factum docet S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus in Sermone ſuper natalem Virginis diem; quem ex Manuſcripto S. Victoris Franciſcus Combefiſius vulgavit, Tom. 8. Bibliothecæ Concionatore pag. 119. Ui *Joachimi*, *& Annæ*, nomina, non vera, ac propria Parentum Virginis eſſe docet, ſed accepta ſolùm *ex quadam Hebraicæ etymologiæ congruentia*.

V. Incerta perinde, dubiaque eſt piorum parentum ſterilitas concepto voto, ac ſingulari portento depulſa; ut effœta prorſus ætate Mariam gignerent. Mariæ quippe Virgini ſororem fuiſſe *Mariam Cleophæ*, veriſſimilimum eſt: tùm quòd id Euangelico textui congruat magis, Joan. 19. v. 25. diſertè pronuncianti, *Soror Matris Jesu Maria Cleophæ*: tùm quod hæc ipſa Euangelica verba ſimplici, ſtrictoque ſenſu plerique Patres, & Scripturarum Interpretes acceperint; Mariam Cleophæ verè, proprièque ſororem Deiparæ, & Chriſti Domini materteram aſſerentes; illorumque diſcipulorum matrem, qui idcirco *fratres Domini*, ſeu Conſobrini in Euangelio nuncupantur. Ita D. Hieronymus Epiſt. 150. quæſt. 4. lib. contra Helvidium Cap. 7., & in Commentariis ad Cap. 27. Matthæi: Theodoretus in Cap. 1. Epiſtolæ ad Galatas: S. Petrus Chryſologus Serm. 48., & 49. Venerabilis Beda in Cap. 3. Marci: Maldonatus in Cap. 12. Matth. v. 46.: Poſſevinus in Apparatu, aliique nonnulli. Ex quo porrò Mariæ vera propriaque ſoror fuiſſe ponitur, iiſdem, ſcilicet orta parentibus; commentitia planè eſt, quæ vulgò jactatur piorum parentum ſterilitas ſingulari portento depulſa, ut effœta prorſus ætate Deiparam gignerent. Aut enim Deiparæ ſororem genuerant antea; adeòque ſteriles in hanc diem minimè fuerant: aut poſt editam Deiparam genuere; adeòque effœta non erat illorum ætas, quæ nonniſi miraculo filiorum generationi vacare poteſt.

Hæc, aliaque id genus in Deiparæ ortu patrata miracula, ætate jam ſua vulgari cæpta pro apocryphis habuit Divi Anſelmi Diſcipulus B. Edmerus. Qui, licèt aliqua fortè patrata non neget, quæ tamen illa fuerint, neſciri omninò contendit lib. de Excellentia B. Virginis Cap. 2., qui à pleriſque Divo Anſelmo tribuitur. *Illud conjicio apud me, Nativitatem ejus magna quadam, atque miranda Divinorum ſignorum indicia præcurriſſe. Quæ tamen illa fuerint, ſolus ipſe ſinè ſcrupulo novit, qui eam, antequam naſceretur, in Matrem elegit. Quod in ea re, ut æſtimo, non incongruè actum credi poteſt, quatenus eò major veneratio fidelium exiſteret circa ortum ejus.* Contra verò, qui falſa pietate ducuntur, eò majori veneratione ortum ejus ſe colere arbitrantur, quò plura in eo patrata ſigna confingunt.

VI. Dubium perinde, incertumque omninò eſt, Mariam trimulam in Templum, quòd ita parentes ejus ante voviſſent, fuiſſe allatam, Deoque oblatam, illicque annos omninò undecim egiſſe, Levitarum, & Sacerdotum curæ, ac diſciplinæ commiſſam, donec Joſepho nuptui traderetur.

deretur. Quid enim; ut id adſtruat Baronius, in medium profert, quod non undequaquè labaſcat, & corruat? Nempe nihil eſſe impedimento, quominùs vera hæc eſſe poſſint: evincere nititur quinque momentis perinde futilibus, vitiumque undequaque ducentibus: quod ita ſigillatim evinco.

VII. Primum Baronii momentum iſtud eſt: quòd teſte Joſepho lib. 8. Antiquit. Judaic. Cap. 2. circa Templum à Salomone primùm extructum Cellæ fuerint nonaginta, aliæ aliis impoſitæ, quas totidem in Templo altero poſt Captivitatem Babylonicam extructo perinde fuiſſe veriſimillimum ſit; cum & iſtud ad prioris normam extructum legatur lib. 15. Antiq. Cap. 14., & lib. 6. de Bello Judaico Cap. 6.

Ita verò fuerit, per me licet: (quamquam non deſunt: qui ea in re cavillentur) probandam Baronio erat; ut quidpiam evinceret, Cellas illas puellarum, feminarumque Deo dicatarum habitationi, & commorationi fuiſſe deſtinatas. At longè aliter ſe res habebat. Harum quippe Cellarum pars maxima ad rerum ſacrarum cuſtodiam, theſaurorum, veſtium, ſupellectilis, atque annonæ deſtinata erat: altera viris quotidie in Templo miniſtrantibus, Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, Janitoribus, Curſoribus, cæteriſque Æditui in habitationem cedebat. Nec honeſtas publica paſſa eſſet, ut illic unà cum viris dicatæ Deo puellæ, ac feminæ morarentur. Sicubi autem Joſephus in Templi Salomonici deſcriptione loci mulieribus deſtinati mentionem inherit, ut lib. 6. de Bello Judaico Cap. 6., non commorationis: ſolitæque habitationis locus is erat, ſed fundendæ orationis: qui ſanè pro more illius gentis à virorum loco ſejunctus erat. Apertiora Flavii Joſephi verba ſunt, quàm ut in illis cavillari quis poſſit. *Proprius locus*, inquit, *religionis cauſa mulieribus deſtinatus muro diſcernebatur..... Patebat locus ille pariter indigenis, & hoſpitibus feminis religionis cauſa venientibus*.

VIII. Alterum Baronii momentum petitur ab exemplo Joſabeth, quæ Joaſum puerum adhuc Ochoſiæ filium furentis Athaliæ oculis unà cum nutrice ſurripuit; occultumque per annos ſex ſervavit in Templo in cubiculo lectulorum: ut legitur lib. 4. Regum Cap. 11. v. 2., & lib. 2. Paralip. Cap. 22. v. 11.

Quid inde, quæſo, ut puellas Deo dicatas in Templo per annos multos habitare ſolitas eſſe demonſtretur? Fortè quòd illic manſionem haberet Joſabeth? At non eo titulo manſionem illic habebat, quòd & Deo Templi miniſterio dicata eſſet; ſed quòd uxor eſſet Jojadæ Summi Pontificis, ut legitur lib. 2. Paralip. Cap. 22. v. 11. An quòd Joaſus puer per annos ſex illic in occulto ſit aſſervatus? At mas ille, non femina erat; nec conſecratus Deo degebat illic, ſed Athaliæ furori ereptus; non ad caſtitatis cuſtodiam, ſed ad vitæ tutelam, atque præſidium.

IX. Tertium Baronii momentum paulò quidem prima fronte ſpecioſius petitur ab exemplo feminarum; quæ *in oſtio Tabernaculi excubaſſe*, & *obſervaſſe* dicuntur: Exodi Cap. 38. v. 8., & lib. 1. Regum Cap. 2. v. 22.

 Neque

Neque tamen inde quidpiam extunditur; niſi & hæc duo pariter oſtendantur: fuiſſe, ſcilicet, fœminas illas Deo ſpecialiter dicatas, continuam illic fixiſſe ſedem, manſionemque habuiſſe: quæ tamen falſiſſima ſunt, etſi *excubaſſe* illic, & *obſervaſſe* dicantur. Ex vocabulorum, quibus vulgatus Interpres uſus eſt, æquivocatione hallucinatio nata eſt: quod mulieres illæ tamquam Tabernaculi ſpeculatrices, atque cuſtodes continuas illic excubias, ac vigilias egiſſe putentur: cum potiùs illùc ad orationem dumtaxat accederent, in qua fundendâ attentæ eſſent, vigileſque. Unde Chaldaica Paraphraſis ad objectum Exodi locum, *fecit*, inquit, *labrum ex ære, & baſim ejus ex ære de ſpeculis mulierum, quæ veniebant, ut orarent in oſtio Tabernaculi fœderis*. Et ad locum ex lib. 1. Regum adductum: *Conſtuprabant*, inquit, *mulieres, quæ veniebant ad adorandum in porta Tabernaculi fœderis*. Cui etiam lectio Arabica ſuffragatur, *Conſtuprabant mulieres, quæ veniebant adoratum coram Domino in Æde ipſius*. Quod & ante me Jacobus Bonfrerius ſapienter obſervavit in Cap. 38. Exodi: *Nota*, inquit, *mulieres excubantes ad oſtium Tabernaculi dici mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad Tabernaculum, Deum adoratura, & exoratura*. Non itaque in Æde Domini habitabant de continuò Mulieres illæ, quibus potiùs eò venire neceſſe erat, ut Dominum exorarent.

X. Quartum ex Anna Propheteſſa filia Phanuelis à Cardinali Baronio fertur exemplum: quæ, ut eſt apud Lucam Cap. 2. v. 37. *Non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens die, ac nocte*. Quaſi & ipſa continuam illic manſionem faceret.

Verùm, ſi ſic eſt, cur ergo Simeone in Templum veniente, Anna quoque *hac ipſa hora ſuperveniſſe* dicitur, Verſu 38.? Eſt igitur Evangeliſtæ figurata locutio, Annam de Templo non diſceſſiſſe aſſerentis, ut quotidianam ejus in Templo frequentando aſſiduitatem commendaret. Toleti, Janſenij, Maldonati, Cornelii à Lapide interpretatio eſt. *Non diſcedebat*, inquit, *de Templo; non quòd in Templo habitaret, ſed quòd illud frequentaret, in eoque perduraret*. Quod autem additur, *die ac nocte*; non ad Templi frequentationem, ſed ad jejunia, & obſecrationes referri perſpicuum eſt, juxta Apoſtoli monitum 1. ad Timotheum Cap. 5. v. 5. *Quæ autem verè vidua eſt, inſtet obſecrationibus, & orationibus die, ac nocte*.

XI. Poſtremum ex lib. 2. Machabæorum Cap. 3. ponit exemplum Cardinalis Baronius *de recluſis Virginibus in Templo, quæ procurrebant ad Oniam ſummum Pontificem*.

Ita ne, quæſo, in Textu Sacro? Imò miſſa voce *in Templo*, quæ, & rei ſũmam conficit, & à Baronio fidentèr inſerta eſt, ita ſimpliciter legitur v. 19. *Sed & Virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros quædã verò per feneſtras aſpiciebant*. Non itaque de Virginibus Deo dicatis, atque in Templo occluſis illic ſermo venit; ſed, ut habet Gloſſa Ordinaria, de honeſtis quibuſvis Virginibus, quæ concluſæ erant; ſeu è parentum domibus non exibant ratione verecundiæ, & pudicitiæ virginalis: quæ tamen in illa publica Urbis commotione per Heliodorum excitata exibant præter ſolitum morem, currentes ad Oniam: ſeu veriùs diſcurrentes per Civitatem; quandoquidem nulla

Oniæ

Digitized by Google

Oniæ Pontificis in Textu Græco mentio fit, Verſiculo illo 19. Capitis 3. lib. 2. Machabæorum.

Quamquam quid ſingula Baronii momenta diſtinctè refello, ut dubiam, incertamque oſtendam Mariæ trimulæ Deo dicatæ, & in Templum inductæ continuatam illic per annos undecim manſionem? Demus Baronio, quod tam infœliciter demonſtrare aggreſſus eſt: nihil, ſcilicet, impedimento eſſe, quominùs vera illa eſſe potuerint: Ideòne vera erunt, ac citra dubium? Ecquæ verò Dialecticæ leges habent, ut quæ fieri potuiſſe: nihilque repugnare probata ſunt, facta illicò colligantur? Maximè cum re ipſa facta non eſſe, probent alia longè multa, quæ, quia peculiare criterium poſtulant, idcircò in diem alteram mittimus, majori otio proferenda.

EXERCITATIO XIX.

Proſecutio ejuſdem Argumenti: De Virginis oblatione in Templo facta.

I. PErgimus vulgata de Virginis ortu, primaque educatione commenta refellere. Quorum illud poſtremum erat, dum finem dicendi fecimus, quod de ejus oblatione in Templo a piis parentibus facta, cum triennis dumtaxat eſſet, vulgò jactatur: deque ejus ſub cura, ac diſciplina Sacerdotum per annos undecim eodem in Templo commoratione. Quod, etſi in ſuperiori Relectione funditùs à nobis everſum eſt, disjectis, dirutiſque momentis, queis id adſtruere tentavit Cardin. Baronius; novis tamen animadverſionibus magis, magiſque refelli poteſt.

II. In primis enim oblata Templo Maria trimula dicitur, quòd ita parentes ejus ante voviſſent; ſi, depulſa ſterilitate, effœta licèt ætate, prolem ſuſciperent. Sed & hanc ipſam nuncupandi voti rationem, ſin minùs falſam omninò, at certè dubiam oſtendit Patrum auctoritas: Hieronymi, Theodoreti, Petri Chryſologi, Venerabilis Bedæ; qui tantùm abeſt, ut Deiparæ genitores annos, effœtos, ac ſteriles dixerint, ut illos potius alia prole auctos exiſtimaverint. De quo plenius in præcedenti.

Ad hæc: qui Deo voti cauſa à Parentibus dicabantur, ad miniſterium aliquod in Dei Templo obeundum offerebantur, qualecumque tandem illud eſſet: Ad id porrò ſoli maſculi apti erant, non itidem fœminæ. Hinc Anna Helcanæ uxor lib. 1. Reg. Cap. 1. v. 11. votum pro depellenda ſterilitate Domino nuncupans, *Domine exercituum*, inquit, *ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ dederis ſervæ tuæ ſexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus*: Probè nimirum intelligens, ſolum virilem ſexum dicari Deo eſſe in obſequium, & miniſterium Tabernaculi. Quid ergo Maria ex parentum voto ad hoc idem dicata Deo dicitur, & conſecrata?

Baronium audio facti teſtes producentem: Evodium Antiochenum, Gregorium Nyſſenum, Joannem Damaſcenum, Germanum Conſtantinopolitanum, Andream Cretenſem, Georgium Nicomedienſem, Cedrenum, Nicephorum Callixtum. Verùm quo jure producantur, jam vidimus. Evodium enim, & Gregorium Nyſſenum falsò produci demonſtravimus, quorum ſpuria, & apocrypha jactantur Opuſcula: Cœterorum ſubleſtam, ac lubricam fidem oſtendimus; tùm quòd rem narrent ab ea, qua vixerunt ætate, remotiſſimam; tùm quòd ſuam illam qualemcumque narrationem, nonniſi ex impoſtoribus, & Apocryphis hauſerint. Alterum ad cumulum addam ex regulis juris; Teſtem, quiſquis tandem ille ſit, vel rejiciendum omninò, vel recipiendum ex integro. Porrò producti

ducti à Baronio teſtes ea ſuis narrationibus inſerunt, quæ ne recipere quidem audeat vir aliàs prudentiſſimus; Mariam ſcilicet, in Templum allatam, Deoque oblatam totos undecim annos in Sancto Sanctorum occluſam, & ab Angelo in columbæ ſpeciem conſpicuo innutritam ſubſtituiſſe. Quod, ut cumulatiùs refellatur, poſtrema hæc noſtra theſis erit.

III. Non dubia modò, incertaque eſt, ſed & falſa prorsùs undecennis illa puellæ Mariæ in Sancto Sanctorum commoratio. Apoſtoli enim diſerta ſententia eſt, nemini, niſi Summo Sacerdoti, & quidem ſemel in anno, ſolemni, ſcilicet, expiationis die patuiſſe locum illum: Ad Hebr. 9. v. 6., & 7. *In priori quidem Tabernaculo*, (ſeu in priori Tabernaculi parte, nimirum in Sancto.) *ſemper introibant Sacerdotes Sacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem* (ſeu in interiori parte, quæ Sanctum Sanctorum vocabatur) *ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſinè ſanguine, quem offerret pro ſua, & populi ignorantia*. Juxta quod Exodi 30. v. 10. ſcriptum erat, *Deprecabitur Aaron ſuper cornu ejus ſemel per annum*: Et Levit. 17. v. 2. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur*. Quis itaque ſibi perſuadeat, Sacerdotes honoris, & gloriæ Templi ſtudioſiſſimos tantam contra omnem morem, & contra Dei mandatum illuc intrandi, manendique licentiam toleraturos in puella, cujus dignitatem, & excellentiam ignorabant? Nec enim quid in ea, ac per eam facturus eſſet Deus, noſſe poterant; ac ſi noviſſent, adhuc ingreſſum illicitum judicaſſent.

IV. Futilis verò eſt quorundam recentiorum exceptio, qui, ut minùs abſurda, minùſque perſuaſu difficilia proferre videantur, duo perinde falſa reſpondent. Primùm quidem, ſolita Captivitate Babylonica, non fuiſſe tunc tantam illius loci reverentiam, quæ olim fuerat; notæque ſanctitatis viros, tametſi Pontificali dignitate minimè auctos, illùc interdùm fuiſſe admiſſos: quod de Jacobo minore narrat Egeſippus, apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. Cap. 22. *Huic uni licuiſſe*, inquiens, *in Sancta Sanctorum ingredi*. Secundum, Dei interdictum, ne quis unquam Sancta Sanctorum ingrederetur, valuiſſe ſolùm, quo tempore rem ſacram illic faceret Summus Pontifex; quo tamen ritu peracto, eò liceret cæteris commeare: in quem ſenſum Levitici 16. v. 17. ſcriptum ſit; *Nullus hominum ſit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur*

Futilis, inquam, ne dicam inepta prorſus exceptio illa eſt; una Philonis Judæi, ut cætera mittam, teſtificatione falſi convicta: qui libro de Legatione ad Cajum Imperatorem, ut illum ab inferenda in Sancta Sanctorum ſtatua ſua dehortetur, ita Judæorum illius ætatis in locum illum religionem, & reverentiam commendat: *Intimum Sanctuarium ſemel quotannis Pontifex ingreditur, jejunii tempore, tantùm odores incenſurus, & ex more vota facturus, ut felix annus, & pax cōtingat omnibus hominibus. De cætero, ſi quis, non dico plebeius Judæus, ſed Sacerdos vel à Summo proximus, imò is ipſe Pontifex, ſi duobus anni diebus, aut eodem die ter, quaterve introjerit, capite luet abſque venia. Tantam religionem Adytorum voluit eſſe Legiſlator, ut hac ſola inacceſſa, intactaque ſervarētur. Quàm multos ſacrificos putas ultrò mortē ſubituros, ſi vi-*

ſi videant importari ſtatuam! Viden perrenantem adhuc, Imperante Cajo Caligula, Judæorum in locum illum religionem, ac reverentiam? Viden interdictum illùc ingreſſum; non modò plebeis Judæis, ac ſecundi Ordinis Sacerdotibus, ſed, & ipſi quoque Pontifici Summo poſt rem ſacram ſolemni expiationis die peractam; eumque ſcelus ingens capite luiturum, ſi aut die anni ejuſdem altera, aut altera ejuſdem diei vice in Sancta Sanctorum ingreſſus eſſet.

Quare, quod fertur in oppoſitum ex Egeſippo Jacobi minoris exemplum, non modò dictis non officit, ut faveat potiùs: cùm eam Egeſippi narrationem nemo jam cenſura non notet, aut in rectum ſenſum non inflectat, ne Judæorum moribus, Deique mandato contraria videatur. Scaliger enim, aliique nonnulli, Egeſippi Scriptoris licèt vetuſtiſſimi nulla ratione habita; narrationem hanc totam tamquam inanem fabulam rejiciunt. Petavius verò, aliique longè plures Egiſippi contextum ita ſimpliciter habere ajunt, *εἰς τὰ ἅγια*; hoc eſt, licebat ei ſoli *Sancta* ingredi, ſeu ſacra illa loca, quæ *Sancta* ſimpliciter vocabantur; ubi & menſa, & panes propoſiti, & Candelabrum, & altare ſuffitus extabant. Illudque Jacobi minoris, (plerique ex Ordine Sacerdotali fuiſſe putant) ſingulare fuiſſe privilegium exiſtimant ob eminentem illius puritatem, ac Sanctitatem; ut cùm illuc cæteri quique Sacerdotes ſtatis dumtaxat ſui cujuſque miniſterii diebus ingredi poſſent, Jacobus quotidie poſſet: nequaquam tamen *εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων*, *in Sancta Sanctorum*; arcana, ſcilicet, illa, ſanctioraque penetralia, quæ ſoli Pontifici Summo, ac ſemel tantùm quotannis patuiſſe, certiſſimum eſt. Addunt viri doctiſſimi, nil planè referre, quòd Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Cap. 22., Hieronymus de Scrip. Eccleſ. in Jacobo minore, Epiphanius Hæreſi 78. integram Egeſippi narrationem recitantes dixerint *in Sancta Sanctorum*, quia familiare illis eſt, totum indiſtinctè Tabernaculum eo nomine deſignare; quamquam ſtricta loquendi formula, pars illius altera *Sanctum*, altera *Sanctum Sanctorum* diceretur.

Quod autem ex Cap. 16. Levitici v. 17. allatum eſt, ad divinum interdictum, ne quis unquam ſanctum Sanctorum ingrederetur, penitus eludendum; pura, putaque hallucinatio eſt; Neque enim habet Textus Sacer, *nullus hominum ſit in Sanctuario, quando Pontifex illud ingreditur*: quaſi poſt id temporis illic eſſe cuipiam liceret: Sed, *nullus hominum ſit in Tabernaculo, dum Pontifex Sanctuarium ingreditur*: id eſt, in priori Tabernaculi parte, quæ *Sanctum* ſimpliciter dicebatur: Namque in Sanctuarium, ſeu in *Sanctum Sanctorum* nulli unquam, niſi ſummo Pontifici intrare fas erat. Præcipitur itaque, ne ullus aliorum Sacerdotum ſit in Sancto, quo tempore Pontifex Sanctum Sanctorum ingreditur: nempe ne alii Sacerdotes in Sancto manentes, Deum ex Sancto Sanctorum Pontifici loquentem audire poſſent. Quid inde porrò ad inſtitutum?

V. Nihil ergo tam falſum, tam repugnans divinæ legi, tam à Judæorum illius etiam ætatis moribus alienum; quàm quæ fingitur puellæ Mariæ in Sanctum Sanctorum admiſſio, ejuſdemque illic per annos undecim commoratio, Angelo in Columbæ ſpeciem conſpicuo alimoniam

præ-

præbente. Quod, etſi ſat benè probatum eſt hactenus, adhuc tamen, ac multò luculentiùs poteſt hac una perbrevi obſervatione confirmari, quæ totam illam pſeudo-Evodii, Græcorumque Scriptorum de Maria puella narrationem falſi convincat. Si enim à prima ætate in tanta apud Sacerdotes, primoreſque Judaicæ gentis veneratione fuiſſet, ut huic uni conceſſum vellent, quod ne Summo quidem Sacerdoti licitum ſcirent; Si tot apud illos miraculis inclaruiſſet, ut eam nemini mortalium, niſi quem Deus prodigiali florentis virgæ indicatione deſignaſſet, nuptui tradendam judicarent; numquam profectò apud illos tantoperè eviluiſſet. Chriſto Domino prædicante, ut Matris obſcuritatem in filii probrum vertere poſſent; nec Chriſti ſapientiam, virtuteſque objecta Mariæ vilitate vellicaſſent, ac depreſſiſſent; nec in eas voces illius conterranei prorupiſſent, Matth. 13. *Unde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filii? Nonne mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic omnia iſta?* Imò quò magis in Chriſtum infenſi Judæi erant, eò magis quòd tali matre tanti apud illos habita editus eſſet, ſtudioſè celaſſent.

VI. Cætera quid perſequar, cùm Græcorum memoratorum, tùm etiam recentium Latinorum de Virginis ortu, primaque, donec Joſepho jungeretur, educationem ineptiora commenta? quæ, ut imprudenti zelo conficta ſunt ita quæ refellantur indigna ſunt, ne gravitate adorari videantur: Ut quòd ex Adami, & Evæ ſemine minimè prodierit, quæ Paracelſi deliratio fuit, lib. 2. Chimic. Cap. 2. quòd ex genitoribus in uteris matrum ſanctificatis prognata ſit; quæ Spinello ſententia ſtetit, lib. de Trono Dei Cap. 18. Quòd ex Anna illæſa virginitate concepta fuerit, qui non ita pridem Jacobi Imperialis Romæ Anno 1667. damnati fuit error. Quòd à Joachimo, Anna, nulla habita copula conjugali, ſed libato duntaxat oſculo genita ſit; ut Græcis aliquibus viſum eſt, Quòd momento temporis formatum, configuratumque ſit corpus ejus, quæ Poſæ fabella fuit, lib. 3. Elucidarii Tract. 2. Cap. 4. Quòd nullus illi ad cuſtodiam fuerit Angelus deputatus, Deo ipſo per ſeſe miniſterium obeunte, quæ Pelbarto mens ſtetit lib. 5. Stellarii part. 2. art. 1. Quòd abſque vagitu, & fletu totam infantiam exegerit, plerumque jam tunc rationis uſum habuerit; ut eſt apud Chriſt. Avendagnum ſerm. de Nativ. Virginis. Quòd identidem lactationis tempore jejunaret, propriaque tandem voluntate, non aliena arte à materni lactis uſu ſit avulſa; quæ a Nicephoro Callixto fabula texitur lib. 1. Cap. 7. Quòd in Templum infantula ſit adducta magno comitante agmine puellarum faces accenſas præferentium, ſtipantibus quoque primoribus Hieroſolymorum, læta canentibus, ac ſuccinentibus Angelis univerſis; ut legitur lib. de Infantia Salvatoris, & Oratione Iſidori Theſſalonicenſis de *Præſent. B. Virg.* Quòd in Sancto Sanctorum per Angelos paſta ſit, non communi utique alimento, ſed Cœleſti, quale pro Enocho, & Elia aliqui meditantur; nullaſque idcirco ciborum reliquias egeſſerit unquam, ne rem indecoram faceret loco ſacro, aut pedem inde efferre cogeretur; quæ pia, honeſtaque plurium recentiorum à Theophilo Raynaudo laudatorum meditatio fuit, Quòd in Sancto Sanctorum per

annos

14

annos undecim commorata Chriſti tunicam inconſutilem texuerit; quæ Benſonii in Pſal. 86. divinatio eſt. Quòd demùm de conſilio Sacerdotum, queis emiſſum ab ea Virginitatis votum innotuiſſet, Joſepho ſi nupta; facta primùm divinitùs per virgam floridam, eique incubantem Columbam indicatione; ut in proto-Euangelio Jacobi, & lib. de ortu Virginis recitatur inter Apocrypha Hieronymi. Quæ quidem omnia retuliſſe, refutaſſe eſt; utpote partim apertè erronea, partim abſurda, alia futilia, nugacia alia ficta omnia, nullaque certa auctoritate confirmata. Nos B. Edmerum Cantuarienſem Divi Anſelmi Diſcipulum imitati, lib. de Excellentia B. Virginis Capite 4. *Indignum eſſe reputamus, quid dubitabile in laudem ejus recitari: cum ea, quæ de illa vera exiſtunt, tanta laudis materia ſint referta, ut quicumque in laudando eam morari deſiderat, neceſſe ſit, ut facultas ejus magnitudini rei, & veritati ſuccumbat. Sicut enim ſola præ cunctis meriti ſingularis enitvit, ita quidquid eam attinet, ſpeciali quadam veritatis firmitate dignum eſt enitere.*

VII. Neque tamen dum ea otioſorum hominum commenta rejicimus, Virginis Deo in Templo præſentatæ ſolemnitatem ab Eccleſia die 21. Novembris celebrari ſolitam improbamus, temerèque ſtatutam dicimus. Abſit: probamus longè maximè, colimus, celebramus & nos. At quid Eccleſia eo titulo colat, celebretque, ſciri omninò volumus; ne vera falſis, certa dubiis Deiparæ geſtis miſceantur. Eo itaque Præſentationis titulo celebrari ab Eccleſia dicimus, heroicum illum præmaturæ virtutis actum, quo ſe ipſam futura Dei genitrix tenera adhuc ætate Deo ſacravit; dicavitque, concepto Virginitatis voto, ſuſceptaque ſanctioris, interioris, & ab omni hominum commercio ſecretæ vitæ profeſſione, ut auguſto illo titulo digna fieret: quod utique in Templo factum creditur, celebratur, & colitur. Num verò hæc ab ejuſdem genitoribus dicatio, ſeu oblatio facta ſit, & quidem ex voto ab iiſdem pro depellenda ſterilitate antea nuncupato? An tertio ætatis ipſius anno res ipſa contigerit? An ad aliquod Tabernaculi miniſterium ſit oblata puella? An in Sacerdotum diſciplinam ſit tradita? An in Sanctum Sanctorum ſit inducta, ibidemque per totos undecim annos commorata? (quæ omnia, aut dubia, aut falſa eſſe demonſtravimus) Eccleſiam nihil de iis, ſtatuta Præſentationis ſolemnitate, decreviſſe, compertum eſt. Imò cùm ſæculo decimo ſexto ſub Pauli III. Pontificatu Oratio feſta Præſentationis die recitari ſolita ſic haberet: *Deus, qui Sanctam tuam Genitricem, Tabernaculum S. Spiritus poſt triennium in Templo præſentari voluiſti &c.* unde ea ſaltem refutatæ à nobis fabulæ pars de Maria trimula Deo oblata adſtrui videbatur: ſecutis inde temporibus à Sixto V. Pont. Max. emendata eſt, & in hanc ſimpliciorem formam reducta, quæ etiamnum hodie uſurpatur: *Deus, qui B. Mariam ſemper Virginem, Spiritus S. habitaculum, hodierna die in Templo præſentari voluiſti: præſta quæſumus, ut ejus interceſſione in Templo gloriæ tuæ præſentari mereamur.* Adeò verum eſt, Eccleſiam Catholicam, inſtituta Præſentationis feſta die, Græcorum de ea fabellas minimè comprobaſſe; aliudque planè à fidelibus colli velle, quàm quod illi falsò, temerèque commenti ſunt.

EXER-

EXERCITATIO XX.

De Voto Virginitatis, Quandonam primùm à Deipara ſit emiſſum?

I. QUàm incerta, dubiaque diximus eſſe, quæ de Virginis Deiparæ natalibus, deque prima ejus educatione à Græcis mediæ, & poſterioris ætatis invecta ſunt; tam certum, indubitatumque cenſendum eſt, quòd de Virginitatis voto tenera adhuc ætate ab eadem emiſſo obiter inſinuavimus. Ea quippe eſt, fuitque ſemper Eccleſiæ Catholicæ fides adversùs Lutheranos, & Calviniſtas, qui pro eo, quo fervent odio in monaſtica vota, nullum unquàm à Deipara Virginitatis votum emiſſum obtendunt: Servatam quidem ab ea Virginitatem ultrò conſentiunt; nullo tamen voto obſtrictam, obligatamque. Quem quidem Heterodoxorum errorem, inter aliud agendum, refellemus.

De tempore tantùm, ac de conditione voti à Deipara Virgine emiſſi quæſtio eſt, eaque non levis inter Romanæ Eccleſiæ Profeſſores, quibuſcum res nobis eſt hodie. Sunt enimverò nonnulli, qui, cùm votum præcedens matrimonium cum ſequenti matrimonio conciliare non poſſint; Virginem Deiparam, nonniſi poſt contractum cum Joſeph matrimonium, ac de illius aſſenſu vouiſſe contendunt. Imò eò progrediuntur aliqui, ut eam voviſſe duntaxat exiſtiment, poſtquam Angelicum nuncium excepit; cum diù antea deſponſata, ac matrimonio juncta fuiſſet: Voviſſe, inquam, dum teſtante Angelo intellexit: futurum eſſe, ut illæſa Virginitate filium pareret humani generis Redemptorem. Alii alia difficultate impliciti, aliud quidpiam de voto illo commentati ſunt. Nempe, cùm exiſtiment, in veteri Teſtamento præceptum aliquod, certamque obligationem extitiſſe de prole procreanda; primùm quidem ad humani generis propagationem, tùm ad populi Judaici multiplicationem, præſertim verò in Tribu Juda, ex qua Meſſias oriturus erat; adeòque Virginitatem fuiſſe tunc temporis vetitam arbitrentur; contendunt, Virginem primùm quidem voviſſe ſub conditione, niſi Deus prohiberet, vel oppoſitum revelaret; poſtea verò Dei agnita voluntate, abſolutè voviſſe. Eo planè modo, quo vir Religioſus ex ſuorum Præpoſitorum nutu pendens peregrinationem nonniſi conditione vovere initio poteſt, ſi Præpoſitorum obtineat facultatem, tùm verò abſolutè vovet, & implet, ex quo à Præpoſitis facultatem obtinuit. Ut ergo diſtinctè, atque ex ordine de ſingulis dicam; ita primùm ſtatuo.

Certò certiùs eſt, B. Virginem Deiparam fuiſſe voto Virginitatis obſtrictam ante nuncium Angelicum; Adeòque tot illi aberrant oſtio, qui tunc tantùm conceptum ab ea votum obtendunt, cum primùm ab Angelo intellexit futurum eſſe, ut intacta Virginitate Chriſtum pareret humani generis Salvatorem.

Digitized by Google

II. Teſtis ipſa mihi ſit Virgo Deipara, quæ ab Angelo monita futurum eſſe, ut Chriſtum conciperet, pareretque, (*Ecce concipies in utero, & paries filium,*) difficultatem, quam patiebatur, velut objecit his verbis: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quæ ſanè alia eſſe non potuit, niſi impotentia cognoſcendi ex voto Virginitatis emiſſo oborta. Si enim ſolum cognitionis actum, quem nunquam exercuerat, eo verbo ſignificaſſet, ſtante nihiloſecius potentia cognoſcendi, nulla profectò fuiſſet objecta difficultas. Partus enim uti futurus proponebatur ab Angelo: non repugnat autem futurum eſſe partum, ſi quæ puella virum nondum actu cognovit, eumdem tamen ſit cognitura: Nec viciſſim repugnat eſſe cognituram, niſi emiſſum Virginitatis votum obicem ponat. Eam porrò impotentiam cognoſcendi eo verbo expreſſit Virgo Deipara, *virum non cognoſco*; quo pacto abſtemius ait, *vinum non bibo*, hoc eſt, bibere non poſſum: & cæcus, *lumen Cœli non video*, hoc eſt, videre non poſſum.

In eumdem planè ſenſum Virginis ab Angelo ſalutatæ reſponſum accepere Eccleſię Patres, votumque Virginitatis in anteceſſum emiſſum, ex illis verbis collegerunt; ut nullum planè ea de re dubium ſubeſſe poſſit.

Gregorius Nyſſenus, Oratione in diem Natalem Chriſti, ita Virginem loquentem inducit: *Interdixi mihi conſuetudinem viri, quomodo iſtud erit mihi, quoniam virum non cognoſco? Quia carnem Deo conſecratam, tamquam Sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integramque præſtare; idcircò licèt, inquit, Angelus ſis, licèt è Cœlo venias, licèt id, quod oſtenditur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt.* Quid autem ea conſuetudinis viri interdictio, quid ea carnis conſecratio Deo facta, niſi votum Virginitatis emiſſum? Quid virum cognoſcere nefas, niſi quia votum violare nefas eſt?

S. Auguſtinus lib. de S. Virginitate Cap. 4. *Ipſa quoque Virginitas Mariæ ideò gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus, viro violaturo, quam conſervaret ipſe, & præripuit; ſed priuſquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum nuncianti Angelo Maria tradidit: Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat. .... Virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid eſſet conceptura neſciret, ut in terreno, moralique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi.* Quæ verba uſque adeò diſerta ſunt, ut commentatione noſtra non egeant.

Nil minùs diſertè D. Bernardus Serm. 4. ſuper *Miſſus eſt*. *Non quærit*, inquit, *an fiet iſtud, ſed quomodo? Quaſi dicat; Dum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ, non cognoſcere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut ne fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de propoſito.*

Accedit Venerabilis Beda ſuper Caput. I. Lucæ: *Quomodo fiet iſtud, quoniam*

Digitized by Google

niam virum non cognoſco? Propoſitum ſuæ mentis reverenter expoſuit, vitam, ſcilicet, Virginalem ſe ducere decreviſſe: Quæ, quia prima fæminarum tantæ ſe virtuti mancipare curavit, jure ſingulari præ cæteris fæminis beatitate meruit excellere. Quid illud mentis propoſitum, quid Virginalis vitę ducendę decretum, niſi votum emiſſum; & quidem ante exceptum nuncium Angelicum?

Accinit B. Edmerus lib. de Excellentia B. Virginis Cap. 4. Servandæ Virginitatis propoſitum commendans, antequam materna fœcunditate à Deo donaretur; quod utique nunciante Angelo factum eſt: *Ubi tam ſanctam intentionem ejus, tam caſtum propoſitum ejus vidit, miſericordia ſua intuitu egit circa illam, ut nec ſanctitas intentionis ejus fruſtraretur, nec caſtitas propoſiti ejus violaretur. Dedit ergo illi, ut & virgo, quod magis optabat, permaneret, & fœcunda fieret.*

Suffragatur Arnoldus Abbas in laudatione B. Virginis, Deiparam Angelo ſalutante meditantem, & cogitabundam inducens, *Credo*, inquit, *ſecum pertractabat, quomodo ſine offenſione legis maneret in propoſito caſtitatis: quia hanc elegerat, hanc Deo voverat, & integritatem carnis, ac ſpiritus apud ſe Domino conſecraverat.* In anteceſſum igitur votum Caſtitatis emiſerat, non tunc primùm, dum ſe pariturum Virginem intellexit.

III. Enaſcitur tamen hoc loco ſcrupulus obiter eximendus: Quorſum Virgo Deipara Angelo Meſſiæ de ſe proximè naſcituri ortum pronuncianti difficultatem propoſuerit ſuperandam, votum virginitatis à ſe in anteceſſum emiſſum; cum & ipſa non ignoraret, Meſſiam de Virgine fuiſſe naſciturum juxta prophetiam Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.?* Et quidem Vaſqueſius ea difficultate preſſus reponit, Virginem Deiparam ex prima Angeli ſalutatione non agnoviſſe, denunciari ſibi Meſſiæ ortum. Quaſi verò! Ecquid alius iis verbis Angelicis notabatur: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus Sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis?* Annon erant illi adpromiſſi dudùm Meſſiæ characteres? Alii id noviſſe Mariam reponunt, habitu quidem, non actu; ſeu ad id mentem non intendiſſe, quod aliunde ex Sacris Litteris probè noverat. Verùm, ut mentem intenderet, Nuntius Angelicus invitabat. Scrupulum feliciùs eximit Venerabilis Beda loco jam à me appellato: *Quia ergo*, inquit, *legerat, ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, ſed quomodo id fieri poſſet non legerat; meritò credula iis, quæ legerat, ſciſcitabatur ab Angelo, quod in Propheta non invenit.* Hoc eſt, ut preſſiùs dicam: Virginitatis votum non oppoſuit, quòd Meſſiam de Virgine naſciturum ignoraret, eaque de re docenda eſſet ab Angelo: ſed quòd prodigialis nativitatis modum neſciret, utque cum ab Angelo diſceret.

IV. Sed ut à diverticulo repetatur oratio, alterum adverſus alios Theologos pari fermè certitudine ſtatuo: Non modò ante ſuſceptum nuncium Angelicum Virginitatis votum emiſit Virgo Deipara; verùm etiam antequam eſſet Joſepho deſponſata. Ita quippe Veteres, ita Patres paulò ante laudati votum ante deſponſationem conceptum agnoſcunt. S. Gregorius Nyſſenus citata jam Oratione in diem natalem Chriſti: *Non libe-*

rorum cauſa Joſepho nupſit, quinimò nefas illi fuit cognoſcere virum: Antequam ergo Joſepho nuberet, votum virginitatis emiſerat, illud enim dumtaxat in cauſa eſſe poterat, cur liberorum edendorum voluntate, animoque non nuberet; illique nefas eſſet, cognoſcere virum.

Auguſtinus lib. de S. Virginitate Cap. 4. *Deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat*. Jam itaque voverat, antequam viro juſto deſponderetur.

Rupertus Abbas lib. 3. in Cantica; *Quia votum egregium Deo prima voviſti, votum virginitatis, attamen ſponſi nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti*. Votum ergo Virginitatis deſponſationem anteceſſit.

Accedit & ratio a Patribus inſinuata, quæ rem ipſam certiſſimam faciat, tametſi nulla eorum ſuffragaretur auctoritas. Si enim votum non antea nuncupaſſet, Matrimonium cum Joſepho iniiſſet animo cognoſcendi virum, & dandi operam liberis; atque ita in futuram copulam, quantùm in ipſa fuerat, conſenſiſſet. Quominùs enim hunc haberet animum, atque in copulam conſentiret nubendo, votum dumtaxat impedimento eſſe poterat. Hanc porrò eo nupſiſſe animo, ſummæ illius puritati repugnat, quæ cæteris virginibus exemplo eſſe, ac prælucere debebat: Alias excellentiores benè multæ Virgines extitiſſent, quibus nullus unquam hujuſmodi fuit animus, nullus unquam conſenſus in copulam. Ante igitur nuncupaverat votum, quàm nuberet viro.

V. Quo verò infantiæ, aut pubertatis diſtincto tempore voverit, quo ætatis anno, prorsùs incertum. Nihil quippe Eccleſiæ Patres ea de re pronunciarunt. Cedrenus in Compendio Hiſtoriæ, anno ætatis undecimo voviſſe ait, viventibus adhuc, ac conſentientibus parentibus. At quę fides Scriptori noni Eccleſiæ ſæculi ſomnia ſua ſinè vade, ſinè teſte liberaliter venditanti? Cùm alias jactatus ille parentum conſenſus fabuloſus Patribus viſus ſit; qui Deum unum voventis Virginis teſtem agnoſcunt: Maximè D. Bernardus ſerm. 4. ſuper *miſſus eſt*. Scholaſtici plerique voviſſe putant, ſtatim atque illi uſus rationis illuxit. At primo illo inſtanti omnes virtutum actus menti non occurrunt, ut de illis deliberare homo poſſit. Ego quidem mihi facilè perſuaſerim, B. Virginem, ex quo momento de virginitate, ac de uſu conjugii cœpit cogitare, voviſſe peculiari inſtinctu Spiritus Sancti, quo novit, id genus Sacrificii Deo eſſe gratiſſimum. An autem id fuerit primum momentum uſus rationis, quis certò definiet?

VI. Illud certiùs, ac citra dubium omne ex Patrum ſententia definierim, Deiparam mortalium primam virginitatem voviſſe, eamdemque ex voto ſervaſſe. In hoc enim conſpirant quotquot difficultatem illam obiter attigerunt.

Origenes in Cap. 13. Matthæi: *Arbitror, rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Jeſum, muliebris verò Mariam. Non enim plauſibile eſt, alii præter hanc virginitatis primitias adſcribere*.

Ambroſius lib. de Inſtitu. Virginis Cap. 5. *Egregia igitur Maria, quæ ſignum ſacra virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto vexillum levavit*.

Hiero-

Hieronymus Epiſt. 22.; quæ eſt Euſtochium, de cuſtodia Virginitatis Cap. 7. *Habeant nuptæ ſuum tempus, ac titulum; mihi virginitas in Maria dedicatur, & Chriſto.*

Auguſtinus tract. 10. in Joannem; *A Maria cœpit dignitas virginum.*

Bernardus homil. 3. ſuper *Miſſus eſt*: *O virgo prudens, O virgo devota, quis te docuit, Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ juſtitia, quæ pagina veteris Teſtamenti, vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam?.... Et Apoſtolus quidem, de virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, conſilium autem do, tu verò, non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum habuiſti, niſi quòd unctio docebat te de omnibus; & ſermo Dei vivus, & efficax ante tibi factus eſt Magiſter, quàm filius; priùs inſtruxit mentem, quàm indueret carnem.*

Quæ omnia de virginitate ex voto ſervata à Patribus dicta fuiſſe nemo non videt; cùm virginitatem citra votum coluiſſe ante Mariam aliquos, nemo neſciat. Explicatiùs verò laudatus jam Bernardus, Serm. de Virgine, ad ea verba Apocalypſis *ſignum magnum apparuit in Cœlo &c. Propoſitum Virginitatis, & ipſius quoque propoſiti novitas virginitatem carnis illuſtrat; quòd, videlicet, in libertate ſpiritus legis Moſaicæ decreta tranſcendens illibatam Deo corporis ſimul, & ſpiritus ſanctimoniam vovit.* Non abſimiliter Rupertus Abbas lib. 3. in Cantica: *Quia votum egregium Deo prima voviſti, votum virginitatis; attamen Sponſi nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti.* Et Venerabilis Beda in Caput. 1. Lucæ: *Quæ prima fœminarum tanta ſe virtuti mancipare curavit, jure ſingulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere.* Nempe voti obligationem, *mancipationem*, ſeu ſervitutem appellans. Ac demum Anſelmus in ſtimulo Amoris ita Chriſtum alloquens: *Deſcendiſti à regali ſolio ſublimis gloriæ tuæ in humilem, & abjectam in oculis ſuis puellam, primo virginalis continentiæ voto ſigillatam.*

VII. Fruſtra itaque ſervatæ olim in veteri Teſtamento virginitatis exempla objiciat aliquis; quæ, & multa novimus, & multa dabimus loco ſuo. Non enim quis primùm virginitatem ſtudio duntaxat temperantiæ ſervarit, inquirimus; ſed quis primùm voti religione coluerit: qualem nullum ante Deiparam extitiſſe demonſtravimus.

Sed neque filiæ Jephte apud Judæos, neque Veſtalium apud Gentiles exemplum urget. Quamquàm enim daremus ultrò, (quod tamen plurimi, & quidem probabiliùs diffitentur) Jephte filiam, implendi paterni voti cauſa, non gladio mactatam occubuiſſe, ſed Virginitati ad obitum uſque ſervandæ fuiſſe obſtrictam: adhuc tamen virginitatem, non ſuo ipſius, ſed alieno parentis voto coluiſſet. Parentis inquam qui vagè, indiſcretè, imprudenterque voverat Jud. 11.; ſe holocauſtum Deo oblaturum, qui primus fuiſſet egreſſus de foribus Domus ſuæ, illique occurriſſet revertenti cum pace à filiis Ammon: non ſuo tamen ipſius voto, quæ non ex animo, ſed vi coacta Virginitatem ſervaret, plangens veriùs, quàm liberè colens; obedientia in patrem obſtricta, non religione in Deum accenſa.

Ad Veſtales verò quod attinet; Virginitatem dumtaxat ſervabant ad tempus, non vovebant; quæ potiùs expleto miniſterii tempore nuptui

S 1ʒ trade-

Digitized by Google

tradebantur: ut eſt apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. Genialium dierum. Nec, ſi voviſſent, proprii nominis votum cenſendum eſſet; quod non vero Deo, ſed falſo Numini nuncupaſſent; non religione, ſed ſuperſtitione ſervaſſent.

VIII. Unum, dum finem faciam, ſtudioſam Juventutem monitam velim, ne ſe magni nominis umbra deludi patiatur: teſtimonio, ſcilicet, Joannis Jeroſolymitani, libro *de Inſtituti one Monachi* Cap. 32. ſcribentis: *Mariam adhuc infantulam virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplexam eſſe*: quam nos ſinè exemplo voviſſe, ex Patribus diximus. Non enim magni illius Joannis Jeroſolymitani Patriarchæ Sanctorum, Hieronymi, & Epiphanii æqualis, & æmuli liber ille eſt: ſed recentis Monachi Carmelitæ, quem flagrans cupido nobilitatis avitæ eò impulit, ut Deiparam Virginem Carmelitam Monacham faceret, Eliæ imitatricem, & filiam. Eminentiſſimorum Cardinalium Cenſura eſt; Bellarmini quidem lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Joanne Jeroſolymitano; & Baronii in Annalibus ad Annum 444.

Illud jam reliquum eſt, ut de voti à Deipara prima omnium nuncupati natura dicamus: Abſolutum ne, an autem conditione aliqua pendulum fuerit? Erit hoc futuræ Exercitationis Argumentum.

EXER-

EXERCITATIO XXI.

De natura, & conditione voti Virginitatis à Deipara emiſſi.

I. QUæ nobis cauſa ſit movendæ hodiernæ controverſiæ, de natura, & conditione voti virginitatis, à Deipara nuncupati, ſat benè, ni fallor in ſuperiori prælectione declaravimus. Urget, ſcilicet, quorumdam Theologorum opinatio, qui, cum in veteri Teſtamento certum de procreanda prole mandatum extitiſſe ſibi fingant, primùm quidem ad humani generis, tùm ad Judaici populi propagationem; atque adeò cuſtodiam virginitatis tunc temporis vetitam arbitrentur; neceſſaria veluti conſecutione contendunt, Deiparam ſtudio virginitatis accenſam, primùm quidem adjuncta conditione voviſſe, *niſi Deus prohiberet, vel oppoſitum revelaret*; tùm poſtea Dei agnita voluntate abſolutè voviſſe.

Nobis cum bona Theologorum illorum venia longè videtur aliter. Votum Virginitatis abſolutè prorſus emiſſum dicimus; nihilque planè cauſæ fuiſſe, cur illud primùm conditione ſuſpenderet.

II. Et quidem Eccleſiæ Patres, qui heroicum illud ſervandæ virginitatis propoſitum in Deipara celebrarunt; Origenes, Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, Rupertus, Anſelmus votum ſimpliciter, & abſolutè dixerunt; nuſquàm conditionatum, ſeu conditione ſuſpenſum appellarunt; multò minus duplicis voti diſtinctionem in Virgine commenti ſunt; unius quidem conditione ſuſpenſi, alterius abſolutè nuncupati. Quid ergo Deiparam cum conditione primùm voviſſe dicamus, poſtmodum abſolutè?

Certè ſi ea, aliave ſimili conditione Maria voviſſet, *niſi Deus prohiberet, aut aliter revelaret*; ex quo primùm nuncium Angelicum audivit, *ecce concipies in utero, & paries filium*; nondum licèt intellecta ſuperventuri Spiritus Sancti obumbratione, qua futurum erat, ut illæſa virginitate filium pareret; jam tum ſeſe voti religione ſolutam intellexiſſet; ſublata videlicet conditione, qua voverat, Deique agnita voluntate, ut filium quomodolibet pareret. Quid itaque, quam patiebatur ex concepto voto difficultatem, humiliter propoſuiſſet: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Cùm nulla jam tunc extitiſſet difficultas.

III. Sed, ut ad id, quod rei caput eſt, veniamus, totamque controverſiam ad prima principia revocemus: Nihil, inquio ego, cauſæ erat Deiparæ Virgini, cur ſuum illud votum memorata conditione ſuſpenderet; cùm nullum in veteri lege procreandæ prolis præceptum privatis datum eſſet, nullum ſervandæ caſtitatis interdictum privatis impoſitum.

Liquet id imprimis virorum Sanctiſſimorum exemplis, qui caſtita-

Digitized by Google

tem etiam in veteri lege ſervarunt; non utique ſervaturis, ſi procreandæ prolis præceptum privatis incumbuiſſet, aut aliqua colendæ caſtitatis interdictio viguiſſet. In his, omnium conſenſu, fuere Joſue, Elias, Elizeus, Jeremias, Daniel, Miſcah, Sidrach, & Abdenago: quorum aliqui, Daniel, ſcilicet, & Abdenago è Tribu Juda, ac etiam Davidica ſtirpe prognati erant, in qua potior procreandæ prolis ratio fuiſſe videbatur; quòd ex ea Meſſias eſſet oriturus. In eumdem cenſum referendi veniunt Eſſeni, peculiaris apud Hebræos ſectæ viri in communi ſocietate degentes abſque fœminis, & abdicata re venerea, ſummaque apud ſuos virtutis, ac pietatis laude conſpicui: Ex Joſepho lib. 2. de bello Jud. Cap. 7., & lib. 18. Antiq. Cap. 2. Quin etiam Mariam ſororem Moyſis vixiſſe Virginem, ac numquam matrimonio junctam, ſcribunt D. Ambroſius lib. 1. de Virginibus, & S. Gregorius Nyſſenus libro de Virginitate Cap. 19., tametſi repugnet Joſephus lib. 3. Antiq. Cap. 2. Mariam Matrimonio junctam affirmans *Huri*, qui unà cum Aarone Moyſis in monte orantis brachia ſuſtentabat, Exodi 17. Utcumque tamen ipſa res habeat, id ſaltem ex Ambroſii, & Gregorii ſententia colligas, illos ne fœminis quidem vetitam in veteri lege Virginitatem exiſtimaſſe, qui legiſlatoris ipſius ſororem Virginem cenſuerunt.

Liquet id perinde, ac multò magis, Chriſti, Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum exemplo: qui Virginitatem alii licèt colerent, alii continentiam abdicatis uxoribus profiterentur; numquam tamen à Judæis tamquam Legis Moſaicæ eo in capite violatores traducti ſunt; quamquam ii in omnem inferendæ accuſationis occaſionem intenti eſſent.

Accedit ad Virginitatis, virginumque etiam in lege veteri commendationem Iſajæ Oraculum Cap. 16. v. 4. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quem locum, tametſi Interpretes nonnulli de veris Eunuchis intelligant, qui, aut ſectione partium, aut naturæ frigiditate ſteriles ſunt, atque effœti, de ſpiritualibus tamen Eunuchis, qui ſe ipſos *caſtraverunt propter regnum Cœlorum*, ſeu de ſervantibus liberè, ſpontèque colentibus caſtitatem plèrique Patrum interpretantur: Hieronymus in Comment. in Iſajam, Auguſtinus lib. de S. Virginitate Cap. 14. Ambroſius in Exhortatione ad Virgines, Baſilius lib. de Virginitate, Gregorius Nyſſenus lib. 3. Curæ Paſt. Cap. 29. Rupertus in hunc ipſum Iſajæ locum. Cenſent igitur ii, fuiſſe in veteri Teſtamento ſpirituales Eunuchos, liberos, ſcilicet, caſtitatis cultores, Divino etiam teſtimonio commendatos: adeò non erat interdicta Virginitas, non erat præcepta copula conjugalis.

IV. Verùm & id demus ex abundanti; & procreandæ prolis præceptum, ſervandæque Virginitatis interdictum extitiſſe concedamus; primùm quidem ad propagationem humani generis, tùm ad multiplicationem populi fidelis: quia tamen, qua degebat ætate Virgo Deipara, hujus, quod fingitur, præcepti finis jamdudum defierat; nullaque jam

curan-

curandæ propagationis neceſſitas ſingulis incumbebat; poterat planè virginitatem abſolutè vovere, cujus abſolutam tunc honeſtatem Deo maximè placituram agnoſcebat; nulloque violandæ legis metu ducebatur, in votum conditione ſuſpenderet. Eſt hæc Doctoris Angelici obſervatio, quæ cauſæ, quam hic agimus, conficiendæ ſola ſufficiat, in 4. Sent. diſt. 37. quæſt. 3. art. 2. ad 2. *Non eſt inconveniens*, inquit, *aliquid eſſe illicitum uno tempore, quod eſt licitum, vel virtuoſum, ſi alio tempore fiat. Et ideo, ſi in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus Divini homines operi conjugali inſiſtere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem, ſeu caſtitatem ſervaſſet, omninò peccaſſet. Sed poſtea, facta multiplicatione ſufficienti humani generis, vel colentium Deum, non peccabat virginitatem ſervans, etiam in Lege Moyſis, nec faciebat contra præceptum: quia & tunc qualiſcumque multiplicatio per alios fieri poterat.*

V. Secundùm hanc Doctoris Angelici obſervationem nullius negotii eſt, adverſæ partis momentis ſatisfacere. Quod enim ex Cap. 1. Geneſ. v. 28. ſolet obtrudi, *Benedixitque illis*, ſeu Protoparentibus, *& ait, creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: uti & alterum Geneſis 9. v. 1. *Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos, creſcite, & multiplicamini, & replete terram:* Tribus modis excipi poteſt. Ut præceptum re ipſa non ſit procreandæ prolis, ſed benedictio potiùs fœcunditatem ſpondens, & adpromittens. Cujus rei argumentum eſt, quòd eadem omninò verba brutis etiam animantibus, ſtatim atque condita ſunt, dicta legamus, v. 22. Cap. 1., quamquam ſint illa ſuſcipiendi mandati penitùs incapacia. Secundò, ut præceptum ſit temporarium, certo, ſcilicet, tempore duraturum, donec ſufficiens humani generis propagatio fieret, non conſtans, atque perenne. Tertiò, ut præceptum ſpeciem hominis ſi ſtet, non individua ſpeciei, Rempublicam, non ſingulos de Republica. Unde & plerique Patrum exiſtimant, Abelem Adæ filium vixiſſe cælibem; & Noemum, tranſacto Diluvio, audito licèt Dei verbo *creſcite, & multiplicamini*, non ultra filios peperiſſe; quamquam annos totos trecentos quinquaginta ſupervixerit.

Non abſimiliter, quod Exodi 23. v. 26. ſcriptum eſt, *Non erit infœcunda, & ſterilis in terra tua*: & Deuteronomii 7. v. 14. *Non erit in te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus, quàm de gregibus tuis*: triplici quoque via diluitur: 1., ut interdictum re ipſa non ſit colendæ caſtitatis, & continentiæ, ſed promiſſio futuræ fæcunditatis in terra promiſſa. Ecquis enim certo Dei mandato, aut vetitam ſterilitatem dixerit, aut præceptam fœcunditatem; cùm eæ plerumque à voluntate minimè pendeant, ſed à naturæ diſpoſitione? Aut quis interdictum etiam pecudum gregibus factum ſibi finxerit? 2. Ut, ſi quod colendæ continentiæ interdictum hominibus factum iis verbis exprimitur, ad initia dumtaxat Judaicæ Reipublicæ referatur, dum Dei cultorum numerus augendus erat; non ad ſecuta inde tempora, quibus fidelis Deo populus ſat benè fuerat propagatus: 3. Ut vitioſa ſit lectio Exodi 23. v. 26., nec legendum, *Non erit infœcunda, & ſterilis in terra tua*: Sed veriùs, ac certiùs, *Non erit infœcunda, & ſterilis terra tua*. Ita quippe Textus Hebraicus habet, ac Latini etiam Co-

dices benè multi. Quare promittitur ibi fœcunditas terræ Chananeæ, non hominum eamdem illam incolentium.

VI. Ais tamen mihi: Sterilitas ſaltem in veteri Teſtamento probro erat, ac dedecori, imò inſtar maledictionis habebatur: Oſeæ 9. *Da eis vulvam ſinè filiis, & ubera arentia*. Hinc Rachel ubi peperit filium, *abſtulit*, inquit, *Deus opprobrium meum*. Gen. 30. Et Anna Helcanæ uxor, Reg. 1. Cap. 1. *Vehementer angebatur, quòd Dominus concluſiſſet vulvam ejus*. Ex adverſo, fœcunditas pro ſumma fœlicitate, & benedictione habebatur: Iſaiæ 26. *Beatus qui habet ſemen in Sion, & propinquos in Jeruſalem*: Et Lucæ 1. Elizabethæ, cùm primùm Joannem in lucem edidit, *congratulabantur vicini, & cognati, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa*.

Si ità ſané, ſterilitas in veteri Teſtamento probro fuerit: itane quoque virginitas probro fuit, aut idem fortè cenſetur eſſe virginitas quod ſterilitas? Abſit. Sterilitas quippe impotentia eſt rei venereæ faciendæ naturæ vitio oborta; & in eo dumtaxat cenſetur eſſe qui generare, cum velit, non poteſt tamen. Virginitas autem abdicatio eſt rei venereæ ex libera voluntatis electione profecta; & in eo dicitur eſſe, qui generare, cùm poſſit, majoris tamen perfectionis ſtudio non vult. Prior probro fuit, ac inſtar maledictionis eſt habita præſertim in conjugatis, qui, quem vellent maximè conjugii fructum, obtinere non poſſent. Altera laudi ſemper fuit, & gloriæ, quia facere, quod poſſet Virgo, altioris perfectionis ſtudio non facit. Idem proportione de fœcunditate ſentiendum. Eſt hæc in conjugatis ſumma fælicitas, & larga benedictio; quia, quod optant in conjugio bonum, hoc aſſequuntur: Sed & major extra conjugium fœlicitas eſt ſervata virginitas; quia, quod Virgines quærunt excellentius bonum, carnis, ſcilicet, incorruptionem, aſſequuntur, juxta illud Sap. 3. *Fælix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*. Prior carnalis fœlicitas eſt, poſterior ſpiritualis.

Quorsùm ergo, inquies, cùm Jephte victor reverſus conceptum Deo votum filiæ ſuæ ſignificaſſet, futurumque dixiſſet, ut eamdem virginem adhuc Deo, prout voverat, immolaret: duorum illa menſium inducias petiit, quò *montes circumeundo, plangeret virginitatem ſuam*; hoc eſt largas lacrymas effunderet, quòd Virgo ſinè liberis mori cogeretur? Erat ergo non modò in conjugatis ſterilitas, & in puellis virginitas indecora.

Planè ſic erat, & indecora, & lacrymabilis virginitas; qualis tamen in filia Jephte inventa eſt: virginitas, inquam non ſpontè electa, ſed neceſſitate impoſita; quæque nec virtus, nec veri nominis virginitas eſt. Flebat enim puella infœlix, quòd deſiderium prolis, quo fervebat, explere non poſſet: corpore quidem integra, animo tamen, atque affectu vitiata. Nos alterius longè fortis, & conditionis virginitatem in veteri Teſtamento permiſſam dicimus, ac etiam celebratam.

VII. Difficultatem videtur habere aliquam D. Auguſtini ſententia, lib. de Bono viduitatis Cap. 7. *Sanctas fœminas propheticis temporibus nubere obedientia, non concupiſcentia compellebat, ut propagaretur populus Dei*. Si enim ad nubendum obedientia compellebat; erat ergo nubendi præceptum.

Cui pe-

Cui perinde videtur congruere D. Bernardi effatum, Sermone de Virgine, ad ea Apocalypſis verba; *ſignum magnum apparuit in Cœlo*, diſertè pronunciantis, Virginem Deiparam, dicata Deo virginitate, *legis Moſaicæ decreta tranſcendiſſe*: quaſi hæc decretis Moſaicis repugnaſſet.

Difficultatem illam tamen depellit alter ejuſdem Auguſtini locus lib. de S. Virginitate Cap. 4., ubi virginitatis votum à Deiparâ nuncupatum expendens, contrarium dumtaxat vocat moribus Judæorum: Hoc, inquit, *Iſraelitarum mores adhuc recuſabant*. Sic ergo, quod ait Sanctiſſimus Doctor objecto loco, obedientiam ſanctas fœminas ad nubendum Propheticis temporibus compuliſſe, de obedientia præſtita conſuetudini debet intelligi, non de obedientia præſtita legi, atque mandato; quod de nuptiis abſolutè contrahendis nullum erat. Niſi fortè malit quis interpretari de obedientia præſtita mandato, Communitati quidem impoſito, non ſingulis de Communitate: Aut etiam de mandato primis exorientis Synagogæ temporibus obligante, dum erat propagandus populus Dei, non quod ſecutis inde temporibus obligaret. Quod idem D. Bernardi teſtimonio reponendum eſt.

VIII. Si liceat tamen ingenuè loqui, quod res eſt, ſcrupulus etiam reſtat, qui memet aliquandiu malè torſit: Doctoris, ſcilicet, Angelici pronunciatum, in 4. Sent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1., & 3. par. quæſt. 28. art. 4., ubi apertè, diſtinctèque docet, B. Virginem primùm quidem ſub conditione voviſſe, *ſi Deo ita placeret*, aut *niſi Deus aliter ordinaret*: tum poſtea, Dei agnita voluntate, *abſolutè voviſſe*. Sed hunc mihi ſcrupulum evulſi ex animo, ut obſervavi, non certam, ac fixam illam eſſe D. Thomæ ſententiam; ſed præſumptam potiùs D. Auguſtini opinationem, in quam idcircò pro ſua in ſanctiſſimum Doctorem veneratione adductus eſt. Seu, ut planiùs dicam, in eam ſententiam inclinavit D. Thomas falſo, ac planè ſuppoſititio D. Auguſtini teſtimonio deluſus ex Gratiano, & Magiſtro Sententiarum bona fide tranſcripto; cujus ſuppoſitionem, & apocryphiam pro ætate ſua, & in ea, qua laborabat probatorum Codicum penuria, deprehendere omninò non potuit. Sic enim Auguſtinum loquentem inducunt Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 30. & Gratianus Can. *Sufficiat*. Cauſa 27. quæſt. 2. *Beata Virgo propoſuit, ſe ſervaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum non expreſſit in ore. Subjecit ſe Divinæ diſpoſitioni; propoſuit, ſe perſeveraturam Virginem, niſi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem ſuam Divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, illam non appetendo, ſed Divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſtea verò ſimul cum viro labiis expreſſit, & uterque in virginitate permanſit*. Quod Auguſtini teſtimonio bona fide admiſſo, ſententiam firmat, ac munit Doctor Angelicus in 4. Sent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. Nil tamen huiuſmodi habet Auguſtinus, tùm lib. de Nuptiis, & Concup., qui apud Magiſtrum Sententiarum citatur ad marginem; tum lib. de S. Virginitate, qui apud Gratianum eſt adnotatus. Imò non pauca ex directo contraria habet verus Auguſtinus. Quippe qui Cap. 4. laudati libri de S. Virginitate, Deiparam ante deſponſationem voviſſe docet; non itaque cum Joſepho. Capite verò 12. lib. 5. contra Julianum expreſsè

Digitized by Google

ait, Joſephum diù poſt deſponſationem, ac etiam poſt Angeli monitum voviſſe; ac tùm demum *commiſcendæ carnis ſpem abjeciſſe*, dum Virginem Divina fœcunditate donatam vidit, Matth. Cap. 1. v. 20. Qua de re pleniùs loco ſuo.

IX. His ita de voto virginitatis à Deipara nuncupato pleniſſimè conſtitutis: illud Scholæ Magiſtri vocare in quæſtionem ſolent, qui fieri potuerit, ut nihiloſeciùs Matrimonium contraheret cum Joſepho? Quod ut nos pro officii ratione exponamus, illud primo loco demonſtrabimus: Verum prorſus Mariam inter, & Joſephum Matrimonium interceſſiſſe; tùm Matrimonium illud verum cum præmiſſo virginitatis voto conciliabimus.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXII.

De Matrimonio Deiparæ cum Joſepho. Sit ne re ipſa inter illos initum, & quare?

I. CUm ea ſit Divi Auguſtini ſententia, non modò tanti Doctoris auctoritate fulta, verùm etiam ipſo naturæ lumine nota: libro de bono viduit. Cap. 8. *Voventibus caſtitatem, non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere, damnabile eſt*: illud omni retrò ætate difficillimum viſum eſt, qui fieri potuerit, ut Matrimonium cum Joſepho Maria contraheret, quam voto caſtitatis in anteceſſum obligatam in ſuperioribus prælectionibus demonſtravimus. Ea res nonnullos in eum errorem induxit, ut verum, ratumque Matrimonium Mariam inter, & Joſephum inficiarentur: ſatis ſuperque Sacris Litteris, ubi tam ſæpè & *conjux*, & *uxor* Joſephi Maria dicitur, conſultum arbitrati, ſi inita inter illos ſponſalia concederent, quæ tamen numquam in matrimonium tranſiiſſent Nugaces profectò, & inconſulti, qui nec ſic difficultatem eliderent: cùm & voventibus caſtitatem, non modò Matrimonium, ſed & ſponſalia contrahere velle, damnabile ſit. Nos, quàm bellè duo iſta cohæreant in Deipara Virgine, oſtendemus; ubi primùm verum, ratumque Matrimonium inter illos initum probaverimus, Patrumque momenta dederimus, quibus Matrimonium illud iniri neceſſe fuit.

II. Volvamus itaque Sacras Paginas, & ex iis tamquam è publicis tabulis contracti Matrimonii fidem eruamus.

Nihil certè Sacris in Litteris frequentiùs occurrit, quàm Joſeph *virum* fuiſſe Mariæ; Mariam viciſſim *uxorem, conjugemque* Joſephi. Matth. 1. v. 16. *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ*, & v. 19. *Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus*, & v. 20. *Joſeph noli timere, accipere Mariam conjugem tuam*, v. 24. *Joſeph accepit conjugem ſuam*. Luc. 2. v. 5. *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Qua ultima loquendi formula intelligimus, Euangelium *deſponſationis* verbum, non de ſimplici deſponſatione, verbis de futuro conceptis, ſed de ſtrictiori altera, quæ verbis in præſenti, corporumque traditione fieri ſolet, intelligendum eſſe; cùm *Virginem deſponſatam* dicat *uxorem prægnantem*: neque enim prægnans uxor eſt, quæ ſimpliciter deſponſatur; uti nec conjux, quæ alteri dumtaxat fidem dedit futuri Matrimonii.

Nec audiendi qui reponunt, & Joſeph Mariæ virum, & Mariam Joſephi uxorem, ac conjugem dictos eſſe, quòd tales eſſent vulgi opinione, & exiſtimatione; qua ratione Chriſtus filius dictus eſt Joſeph. Scriptura enim, quæ Chriſtum Joſephi filium dicit, hanc ipſam appellationem emollit inquiens, *Jeſus, qui putabatur filius Joſeph*, numquam tamen, & viri, & Uxoris, & Conjugis appellationem, circumſcripſit. Ad hæc, Matrimonium, ratione cujus vir, & uxor evàdunt aliqui, res erat apud Judæos publicæ ſolemnitatis: adeòque fieri omninò non poterat, ut quis in ſua ſal-

tem

tem Patria alterius vir communiter diceretur, qui talis re ipſa non eſſet: copula verò conjugalis, ratione cujus alter alterius pater evadit, occulta, ſecretaque res eſt, quæ in vulgi oculos non incurrit: atque adeò de facili accidit, ut quis alterius putetur filius, tametſi re ipſa non ſit. Potuit ergo Chriſtus Joſephi filius etiam in Patria credi, qui tamen re ipſa non erat; minimè tamen Mariæ vir credi potuiſſet Joſephus, & viciſſim Joſephi coniux æſtimari Maria, ſi tales Matrimonii celebratione non eſſent. Certò ut Chriſtum Joſephi filium crederent Judæi, externa rei ſpecie ducebantur; quod nempè Mariæ uxoris ipſius filius eſſet; nulla tamen externa rei ſpecie capi poterant, ut Joſephum Mariæ virum crederent, niſi talis re ipſa fuiſſet. Quænam enim hæc, rogo vos? Fortè quia cohabitabant? At nec id quidem fingi poteſt; cùm nec honeſtas paſſa eſſet, ut cohabitarent, ſi Matrimonio juncti non fuiſſent. Juliano idem ſuffugium quærenti, & Euangeliſtam ex vulgi opinione locutum efficienti; dum Mariam Joſephi uxorem, & conjugem dixit, arguta obſervatione occurrit S. Auguſtinus, lib. 5. contra Jul. Cap. 12: *Hoc putemus, Euangeliſtam facere potuiſſe, cum vel ſua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut ſecundùm opinionem populi loqueretur. Numquid & Angelus loquens unus ad unum contra conſcientiam ſuam, & ipſius, cui loquebatur, ſecundùm opinionem potiùs, quàm ſecundùm veritatem fuerat; cui & dixit, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam?*

III. Accedit ad titulum Matrimonii, quòd Matthæus Chriſti generis deſcriptionem adornans Cap. 1. Euangelii, ut illum, & Abrahæ, & Davidis pronepotem oſtenderet, Joſephi progeniem per avos proferat, atavoſque. Perperam autem feciſſet Matthæus, niſi Joſephus verus Mariæ vir eſſet eidem vero Matrimonio junctus. Cùm enim verus Chriſti pater non eſſet: nihil illi cum Chriſto commune erat, ut commune cum Chriſto genus habere dici poſſet, niſi verum ſaltem cum illius Matre Matrimonium iniiſſet.

Neque illud omittendum: Joſephum, deprehenſa Mariæ graviditate, cujus myſterium neſciebat, variis ſuſpicionibus agitatum de ea dimittenda deliberaſſe: Matth. 1. *Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*: Jam ergo eam acceperat in Uxorem nemo enim dimittere dicitur, quod non habet. Quare quod in eo rerum ambiguo, Angelus Joſephi ſuſpicionem ſedaturus ait, *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam*, Hebraica phraſis eſt, actum continuatum ſignificans, non inchoatum: hoc eſt, *Acceptam conjugem ſerva, ac retine; noli dimittere.*

Sanè nemo eſt, qui Mariam Joſepho ſaltem deſponſatam negare audeat: apertiora Euangelii verba ſunt, quàm ut inficiari quis poſſit: Matt. 1. *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph*, & Luc. 2. *Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Si ergo ſponſalia duntaxat illa fuere, verbis de futuro conceptis, adeò ut numquam ad Matrimonium pervenerint; vel id contigit, quia alteruter promiſſi fidem fefellit, quod de Sanctiſſimis Sponſis ſuſpicari non licet; vel quia ſibi mutuò ſponſaliorum fidem relaxarunt, quod ab omni veri ſpecie alieniſſimum eſt. 1. Quia apud

Judæos

Judæos, hujuſmodi datæ fidei relaxatio ſolemniter fieri ſolita erat, aſſignatiſque rationibus; quæ profectò in præſenti caſu Judæis manifeſtari non poterant. 2. Quia factâ ſemel relaxatione, & Matrimonio non ſecuto erat illicita, & inhoneſta cohabitatio: ex toto porrò Euangelii contextu liquet, Mariam poſt Chriſtum in lucem editum, & habitaſſe cum Joſepho, & communem cum illo vitæ rationem habuiſſe. Illos ergo vero Matrimonio junctos fuiſſe, certiſſimum eſt.

IV. Nec modò res ita fuit, verùm & ita eſſe neceſſitas poſtulabat: hujuſque momenta non pauca Eccleſiæ Patres exequuntur, quibus peræquè liquet, Deiparam Virginem Matrimonio jungi omninò debuiſſe.

Primam rationem proferunt, Auctor Homil. primæ in diverſa Scripturæ loca, apud Origenem: Baſilius Homil. de humana Chriſti generatione: Hieronymus in Cap. 2. Matthæi: Ambroſius libro de Inſtitut. Virg., & lib. 2. in Lucam: Bernardus Sermone 2. de laudibus B. Virginis. Nempe ut honor B. Virginis, ac ipſius etiam Chriſti Domini poneretur in tuto. Niſi enim Viro alicui fuiſſet Matrimonio juncta; Judæi Divinam ejus fœcunditatem ignorantes eamdem ex ſtupro, & fornicatione peperiſſe arbitrati fuiſſent, Chriſtumque ſpurium exiſtimaſſent. Cùm contra, inito ſemel Matrimonio, fœtus Joſepho ſit attributus.

Videtur tamen ea ratio nonnihil difficultatis habere, qualis ſaltem à Pſeudo-Origine, & Hieronymo fertur: nempe ajunt illi: *Ne Maria à Judæis lapidaretur ut adultera*. Ecquo enim pacto, inquiet aliquis, ſi peperiſſet innupta, habita fuiſſet ut adultera; cùm fornicari quidem poſſit innupta, adulterari non poſſit? Difficultatem diluit Doctor Angelicus 3. p. q. 29. art. 1. ad. 4. Mariam, inquiens, lapidatum iri, ut adulteram, hoc eſt, perinde ream, ac ſi fuiſſet adultera, & eodem cum adulteris ſupplicii genere afficiendam. Quia tametſi liberæ, & publicæ fornicariæ à Judæis non lapidarentur, lapidabantur tamen illæ, quæ in domo patris cuſtoditæ fornicabantur: quia licèt marito fidem non fallerent, fallebant tamen parentibus, ſub quorum cura degebant: *Si in puella non eſt inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent illam viri civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Iſrael*. Deut. 22.

V. Alteram contracti Matrimonii rationem proferunt prælaudati Patres, Chryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus, Ambroſius, Bernardus locis præallegatis; tamquam à S. Ignatio Martyre primùm allatam, ut, ſcilicèt, Divinæ Conceptionis myſterium celaretur Diabolo, qui Chriſtum putat, non de virgine, ſed de muliere deflorata, ac viro cognita generatum.

Hanc tamen rationem cavillantur Scotus in 4. diſt. 30. quæſt. 2., Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, & Maldonatus in Matthæum: quia tametſi Deipara viro juncta eſſet, adhuc tamen Diabolus noſſe poterat, eam virginem peperiſſe, nulla viri accedente virtute. 1. Quia virginitas in nativa corporis integritate poſita eſt, adeòque objectum eſt naturale cognitionis Angelicæ. 2. Quia ſigillum virginitatis quidpiam eſt merè naturale; membrana neſcio quæ in ore uteri, aut ipſamet uteri obſeratio, quæ ab Angelo facilè deprehenditur. 3. Quia per negationem, ut Schola loquitur, ſerva-

Digitized by Google

ſervatam virginitatem Angelus dignoſcebat; ex quo nullum actum venereum, nullam copulam conjugalem interveniſſe deprehendebat.

Sunt qui reponant, potuiſſe quidem Dæmonem hæc omnia certò dignoſcere; non dignoviſſe tamen, quia Deus ſuum illi concurſum ſubtraxit ad cognitionis actum eliciendum neceſſarium. Futiliter tamen, & ineptè: ſic enim neceſſe non fuiſſet, Virginem Matrimonio jungi, ut partus ejus Diabolo celaretur: cùm Deus ſuum perinde concurſum ad cognoſcendum neceſſarium negare Diabolo potuiſſet, quamquam Deipara peperiſſet innupta. Ut ſileam, Deum ſuum illum concurſum naturalem ad actus naturales eliciendos negare nemini, utpote qui juxta naturæ leges debitus eſt. Quare eo miſſo reſponſo, fœliciùs nodum expedit Doctor Angelicus 3. p. q. 29. art. 1. ad 3. Dæmonem, inquiens, id quidem retegere potuiſſe, ſi attendiſſet; at illum ab attentione illa, & curioſa inveſtigatione procul avertiſſe, quod intervenerat Matrimonium. Contuens enim Mariam viro junctam eſſe, nihil horum inueſtigavit, putavitque, ex viri copula concepiſſe: uti & nos à ſimili curioſa inveſtigatione procul avertimur, dum novimus, fœminas Matrimonio junctas eſſe. Quare dum ajunt laudati Patres, Virginem Matrimonio fuiſſe junctam, *ut partus ejus Diabolo celaretur*; ſenſus eſt, ut Diabolus videns Mariam viro junctam, averteretur à curioſa illa inveſtigatione; qua partum virgineum dignoſcere potuiſſet. Neque movet, quod ait Abulenſis, non oportuiſſe Myſterium hoc Diabolo occultari, quod aliquando cogniturus erat. Ecquis enim Abulenſis ille eſt, qui Divina conſilia rimari velit: annon interim, & ad tempus Diabolo occultandum eſſet ut Patres affirmant, quod ſecutis inde temporibus agniturus erat?

VI. Tertiam initi Matrimonii rationem aſſignant D. Hieronymus laudato jam loco, & D. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 15., ut per genealogiam Joſeph origo Mariæ, ac ipſius etiam Chriſti Domini monſtraretur: cùm è Judæorum moribus eſſet penitùs alienum, generis deſcriptionem per matris avos, atavoſque adornare. Qua de re, & diximus paulò ſupra, & pleniùs loco ſuo dicemus.

Quartam demum rationem repetunt Eccleſiæ Patres ex neceſſaria Virgini ſocietate viri; qui ad prolem educandam, fovendam, regendam adjutor, & peregrinationem ad pueri tutelam ſuſcipiendarum comes eſſet, & ductor, totamque familiam arte aleret, & induſtria.

VII. Quæ, cum ita ſint, ne ſecum ipſi pugnare videantur Eccleſiæ Patres, & læva, ut ajunt, manu diſpergere, quod dextera colligunt; nonnullæ illorum loquendi formulæ emolliendæ veniunt, quæis initum Matrimonium negaſſe, videri poſſunt.

Et quidem Hilarius, & Theophilactus in Cap. 1. Matthæi, Baſilius Homil. de humana Chriſti generatione, Pſeudo-Origenes Homil. 1. in diverſa Euangelii loca, Cyrillus Catecheſi 12. planè innuunt, Virginem Joſepho tantùm deſponſatam fuiſſe per ſponſalia; ſeu per verba Matrimonium promittentia. At perſpectum eſt, loqui illos dumtaxat de tempore, quo Maria Angelicum nuncium excepit; ita tamen ut Matrimonium ſubinde contractum agnoſcant, quo tempore Virginis graviditas deprehenſa eſt;

Digitized by Google

ſa eſt: Angelo, videlicet, Joſephum monente, *Joſeph fili David, nol. timere, accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Quæ quidem Patrum illorum opinio, etſi minùs æqua videatur? (quomodo enim ſtupri ſuſpicionem apud Judæos evaſiſſet Deipara, ſi tunc tantùm viro juncta fuiſſet, dum ejus graviditas deprehenſa eſt?) caput attamen fidei de contracto aliquando Matrimonio ſartum tectumque ſupponit. De his tamen pleniùs loco ſuo.

Quandoque etiam Joſephum verè, & propriè Mariæ virum nuncupari; diffitentur; ut Gregorius Nyſſenus Orat. de Natali Chriſti, & D. Bernardus Homilia 2. de Laudibus B. Virginis. Quandoque Joſephum *ſolo nomine*, ſolaque *opinione Maritum* dicunt; ut S. Petrus Chryſol. Serm. 175., & Auctor Homiliæ de ove, & paſtore apud S. Joannem Chryſoſt. Tom. 6. Quandoque Mariam verè nuptam, uxoremque fuiſſe diffitentur, Virginemque *innuptam* vocant; ut Tertullianus lib. de Velandis Virginibus, Epiphanius Hæreſi 78., Gregorius Magnus Homilia 26. in Euangelia, Auguſtinus Serm. 18. de Sanctis, Bernardus Homil. 2. ſuper *miſſus eſt*. Proclus Orat. 2. in Natale Domini. Quandoque Mariam, & Joſephum *ſola opinione conjuges* dicunt; Ut Auctor Sermonis de paſſione apud S. Cyprianum. Quandoque tandem ſponſos vocant, *quorum conjunctio Sponſalia non eſt egreſſa*; ut S. Gregorius Nyſſ. Oratione in Chriſti natalem diem.

Verùm eò tantùm collimant eæ Patrum loquendi formulæ, ut omnem carnalis commercii ſuſpicionem, omnemque conjugii uſum Joſephum inter, & Virginem procul amoveant, pro varia vocabulorum illorum ſignificatione, & acceptione: *Uxor, nupta, innupta, vir, maritus, conjuges, conjugium, & Sponſalia*.

Conjugium enim, & conjuges à communi jugo, & à conjungendo dicuntur: eaque conjunctio duplex eſt animorum, ſcilicet, per mutuam fidem datam, & corporum per carnalem ſexum commixtionem. Qua ultima ſignificatione, Mariam, & Joſephum conjuges, & conjugio junctos Eccleſiæ Patres meritò negant.

Uxores plerumque ſunt dictæ, quaſi *unxores* ab ungendo, ut notant Servius Sulpicius in lib. 4. Æneidos, & Plinius lib. 28. Cap. 9. Quia viris junctæ, cum primùm ad congreſſum cum viris habendum ducebantur, ſolebant ipſæ, neſcio qua ſuperſtitione, cubiculi poſtes inungere, ut congreſſus illis proſperè cederet. Quis porrò Mariam ea ſignificatione Joſephi uxorem appellet?

Nuptæ à nubo, hoc eſt, *velo, tego, occulto* ex priſco uſu dicuntur; quòd mulieres Matrimonio junctæ flammeo velo caput obtegerent in ſignum ſubjectionis ad virum. Hinc vir propriè non dicitur *nubere*; quia cùm mulieri non ſubjaceat, ſed potiùs dominetur, caput obtegere non tenetur: imò per deciſum *nubere* dicitur vir, dum ſuæ immemor dignitatis ſeſe uxori ſubjicit. Hinc Martialis, *uxori nubere nolo mea*: hoc eſt, nolo illi ſubeſſe. Quin etiam *Nupta* nomen corruptam à viro plerumque ſonare, oſtendit Cerda Cap. 144. adverſ. nu. 41. tamquam ſubjectam, & ſubjugatam ab eo. Quo ſenſu profectò Deiparam Joſepho nuptam dicere, nefas eſt.

Digitized by Google

Maritus à *mare* vulgò dicitur, quòd maris partes agat in carnali congreſſu. Hinc *marito* apud Patres idem eſt, ac *fœcundo*. S. Auguſtinus ſerm. 13. de Tempore, *Virginem viri neſciam ſermo Dei maritat*. Prudentius in carmine contra Homuncionitas: *Intactam thalami virtus Divina puellam ſincero afflatu per viſcera caſta maritat*. S. Fulgentius Sermone de laudibus S. Mariæ: *O conjunctio ſanè ſordibus facta; ubi maritus ſermo eſt, & uxor auricula*. Quis Joſephum eo ſenſu maritum dixerit, citra blaſphemiam?

Vir etiam diversè, ac variè dicitur, à ſexu, ab ætate, a conjugio, à vi, ſeu fortitudine; quibus omnibus modis Joſephum virum dicere, non licet modò, ſed & oportet omninò. At dicitur quoque ab officio generationis; unde Eunuchos generationis impotentes *ſemiviros, eviratos, excifæ virilitatis homines* dicimus. Itane, quæſo, Joſephum Mariæ virum appelles?

Sponſalia tandem univerſim, ac generatim dicuntur contractus ſtipulationis, & ſponſionis. Dum ergo ſtipulantur aliqui, ſpondentque futurum Matrimonium, ſimplicia ſponſalia inire dicuntur, verbis, ſcilicet, de futuro conceptis: Ubi verò mutuam corporum poteſtatem tradunt, ſpondentque ſibi mutuam fidem, eo quoque ſenſu ſponſalia Matrimonium ſonant. Quare dum ajunt Patres nonnulli, *Mariæ, & Joſephi conjunctionem ſponſalia egreſſam non eſſe*, id ſibi volunt unum, Matrimonium ab iis contractum non perveniſſe ad copulam.

Probata jam, ac bono in lumine collocata Matrimonii Mariam inter, & Joſephum initi catholica veritate; ſolvendum ſupereſt Ænigma Sacratiſſimum: qua ratione, quo titulo poſt emiſſum virginitatis votum iniri, ac etiam unà cum illo ſtare potuerit? Qua de re in ſequenti dicemus.

EXERCITATIO XXIII.

De Concordia Matrimonii cum voto Virginitatis in anteceſſum emiſſo.

I. QUod mihi hodierna prælectione explicandum incumbit Ænigma Sacratiſſimum, virginitatis votum cum Matrimonio conjunctum in Deipara Virgine, non ideò ſolutu difficillimum viſum eſt, quòd ſinè concubitu (qualis profectò nullus Mariam inter, & Joſephum unquam fuit) Matrimonium ſtare non poſſit. Abſit. Fuit hæc olim Juliani Pelagiani inepta cavillatio ab Auguſtino irriſa, & confutata lib. 1. de Nuptiis Cap. 11., & lib. 5. contra Julian. Cap. 12. *Contra me*, inquit, *conaris oſtendere, quia in Maria, & Joſepho concubitus defuit, nullo modo fuiſſe conjugium. Ac per hoc ſecundùm te, cum deſtiterint concumbere conjuges jam non erunt conjuges, & divortium erit illa ceſſatio. Quod ne contingat; agant, ſi poſſunt, decrepiti, quod juvenes agebant: & ab hoc opere, quo etiam continens nimium delectaris, nec in effœtis corporibus parcant.* Quem etiam errorem à Gratiano recuſum Cauſ. 27. quæſt. 2. Can. *quod autem*, & à Joanne Vvitcleffo impiè ſuſcitatum in Trialogo Cap. 2. Sacri Eccleſiæ Canones proſcripſerunt; Matrimonium conſenſu, non concubitu perfici decernentes, Cap. *ex publico*, extra *de Converſione Conjugatorum*, Decr. Eugenii IV. pro Inſtruct. Armen., & Concil. Trid. Seſſ. 24. Can. 6.

Nec in eo rursùs poſita eſt ſolvendi Ænigmatis difficultas, quòd Matrimonium abſolutè cum virginitate conciliari non poſſit, etiam voto firmata. Poteſt planè. Quot enim virginitatem in Matrimonio coluere ex mutuo, ſcilicet, conſenſu, ac utroque conjuge juri ſuo petendi debiti renunciante? Quocirca Auguſtinus lib. 2. de Conſen. Evangel. Cap. 1. *Etiam ſervata pari conſenſu continentia, poteſt permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.*

II. Tota potiùs oritur difficultas ex voto virginitatis, quod jam à B. Virgine abſolutè emiſſum oſtendimus, antequam Matrimonium contraheret cum Joſepho. Hoc opus, hic labor eſt. Cùm enim contractus matrimonialis in eo poſitus ſit, quòd vir, & mulier ſibi mutuò tradant ſuorum corporum poteſtatem, ad actum utique conjugalem, haud ita facilè intelligimus, quo pacto qui votum jam caſtitatis emiſit, corpus ſuum tradere alteri poſſit.

1. Quia ea corporum traditio importat ex tunc conſenſum in futuram copulam, ſi ab altero conjuge debitum poſtuletur; quod virginitatis voto repugnat. Unde ſapienter Auguſtinus lib. de bono viduit. Cap. 8. *Voventibus virginitatem non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere, damnabile eſt.*

2. Nemo poteſt alteri tradere, quod ſuum non eſt; idque viciſſim non

 eſt

eſt ſuum, quod jam alteri traditum fuit. At ex quo quis virginitatem vovit, corpus ſuum Deo conſecravit, ac tradidit, ut jam illius poteſtatem non retineat ad copulam conjugalem: quo itaque jure poteſt illius facultatem alteri tradere?

3. Qui virginitatem vovit, non habet poteſtatem utendi corpore alieno; voto ſiquidem impeditur: non poteſt itaque acceptare traditionem ſibi ab altero factam in Matrimonio: adeòque nec Matrimonium contrahere; cum mutua utrinque fiat, & traditio, & acceptatio.

4. Finis Matrimonii eſt procreatio prolis: hunc autem finem habere ſine ſacrilegio non poteſt, qui voto caſtitatis in anteceſſum obſtrictus eſt. Nec refert, ſi dixeris, Deiparam Virginem hunc ipſum finem habere potuiſſe, quia prolem illæſa caſtitate editura erat. Nondum enim futuri partus virginei Myſterium noverat, dum Matrimonio juncta eſt: adeòque, ſi quam tunc prolem intendit, nonniſi carnaliter, & peritura virginitate edendam intendere potuit.

5. Exemplo res ipſa comperta videtur: Eunuchus enim, & frigidus Matrimonium validè contrahere nequeunt, quia debitum reddere omninò non poſſunt: Cap. *quod ſedem*, Cap. *ex litteris*, de frigidis, & maleficiatis. Sed & qui voto caſtitatis ſunt obligati, debitum reddere nequeunt, quippe qui voto ipſo prohibentur: tam ergo votum contrahere nequeunt, quam nec frigidi, & Eunuchi.

III. In ea rerum, difficultatumque implicatione non alia planior, & expeditior ſolvendi nodi intricatiſſimi via patet, quàm quæ pleriſque Theologis aperitur: qui Deiparam Virginem, antequam nuberet Joſepho, Divino afflatu, certaque revelatione admonitam volunt, Joſephum, tradita ſibi in corpus ipſius poteſtate, numquam uſurum; numquam debitum petiturum; ſeù quòd votum virginitatis nuncupaturus eſſet & ipſe, ſeu quòd Deus mentem ejus à petendo debito eſſet averſurus: Quod idem fermè, alio licèt modo, Ceciliæ Virgini contigit; quæ, Angelo virginitatis ſuæ cuſtode munita, atque protecta, nupſit citra periculum Valeriano; probè ſciens, Angelum, aut à petendo debito Valerianum avocaturum, aut congreſſum maritalem quovis tandem modo impediturum: quod illi ſubindè fœliciter ceſſit. Ea porrò Divina revelatione certior facta Deipara, conſenſit in traditionem juris ad copulam conjugalem, quod ad ſubſtantiam Matrimonii ſatis fuit; non tamen conſenſit in uſum juris illius, quem ſibi voto caſtitatis interdixerat, quemque numquam ſecuturum certiſſimè noverat. Jus itaque, atque dominium in alterius corpus habuerunt uterque vi Matrimonii, quamquàm juris, atque dominii uſu vi voti interdicerentur. Quæ duo inter ſeſe minimè pugnant; cùm plerùmque ſtante dominio, uſus ipſe dominii aliundè, ac velut ex accidenti prohibeatur.

En plenam, expeditamque propoſiti Ænigmatis ſolutionem. Ne autem argumentorum difficultate deterriti dare terga videamur, ſingulis ex abundanti, ac recto ordine ſatisfacimus.

1. Traditio corporum importat ex tunc conſenſum in copulam, ſi abſolutè quidem fiat, ac nulla, quam diximus, prævia certitudine numquam

quam

Digitized by Google

quam eſſe copulam ſecuturam: ſecùs ſi ea certa notitia præluxerit. Tunc enim conſentit quis in traditionem juris ad copulam, non in copulam ipſam, quæ in illius juris uſu poſita eſt.

2. Nemo poteſt alteri tradere, quod ſuum non eſt, eo modò, quo non eſt ſuum; ſecùs autem poteſt. Qui autem voto virginitatis obſtrictus eſt, non habet quidem liberum uſum ſui corporis ad actum conjugalem, idque profectò non tradit ei, quem novit nunquam id eſſe petiturum, ſed jus ut ſummè tradit ab uſu, & actu ſejunctum.

3. Qui vovit virginitatem, voto ipſo impeditur ab exercitio poteſtatis in corpus alterius; non ab ipſamet poteſtate, quæ ab exercitio, & actu ſejuncta eſt, quæque ad ipſam ſubſtantiam Matrimonii ſatis eſt. Neque verò hujus rei, quæ difficultatem aliquam ingerit, explicandæ longè exempla petenda ſunt; habemus in manibus. Qui enim poſt contractum Matrimonium virginitatem vovent, (ſunt autem hujuſmodi benè multi) retinent poteſtatem alter in corpus alterius; ſtat enim etiam tunc inſolutum vinculum Matrimonii: poteſtas tamen ab actuali uſu ſejuncta eſt, ſitque uſus ipſe poteſtatis illicitus. Adulter etiam perdit uſum, & exercitium, ſervato tamen jure, & poteſtate retenta.

4. Tria in Matrimonio diſtinguenda veniunt, ſubſtantia, uſus, & finis. Subſtantia eſt mutua corporum traditio, ſeu traditio mutuæ poteſtatis in corpus. Uſus eſt copula conjugalis; per hanc enim tradita ſibi poteſtate utuntur conjuges. Finis eſt procreatio prolis. Quare ſtare poteſt ſubſtantia Matrimonii ſinè fine, ſtetitque re ipſa in Deiparæ Matrimonio. Imò nec defuit illi finis, ſin minùs ab ipſis conjugibus initio intentus, at ſaltem ab ipſo Deo Sacri illius Conjugii conciliatore. Chriſtus enim illius, & finis, & fructus fuit; non ex eo quidem natus, ſed in eo, uti Theologi de ſchola loquuntur. Eaque ratione cœteris omnibus conjugiis, etiam ratione finis, præſtantius fuit, de quo Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis Cap. 11. *Nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti; proles, fides, Sacramentum: prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.*

5. Frigidus, & Eunuchus non poſſunt validè contrahere Matrimonium, quia ad reddendum debitum laborant impotentia phyſica, & naturali: qui verò caſtitatem vovit, hujuſmodi potentiam habet; quamquàm ratione voti non liceat ipſi potentia illa uti. Neque movet, ſi dixeris, ludicram, & futilem eſſe potentiam, qua non poſſis uti, nec liceat. Poteſt enim planè ea uti jure Matrimonii, quamquam non jure voti. Licet & illa uti per leges conjugii, adeò ut non ſit adulter, ſi ea fuerit uſus: quamquàm non liceat uti ex obligatione voti; adeò ut ſit irreligioſus, & ſacrilegus, ſi utatur.

IV. At ecce, inquiet mihi aliquis, ſi ſic eſt, licebit voto caſtitatis obſtrictis contrahere Matrimonium, uti Deiparæ licuit. Reſponſio in promptu eſt: liceret omninò, ſolo naturali jure ſpectato, ac pari poſita revelatione, ſeu certitudine, conjugem alterum jure petendi debiti ſpontè ceſſurum; cum virginitas per ſeſe Matrimonio non repugnet: non licet tamen jure ſcripto, potiſſimùm Eccleſiaſtico, id omninò vetante,

tante,

tante ob periculum violandi voti in Matrimonio. Unde in iis ipſis, qui ſaltem poſt contractum Matrimonium vovent ex mutuo conſenſu, Eccleſia jubet, ut perpetuò ſeparentur: toto titulo *de converſione conjugatorum*. Porrò ea non erat ſcripti juris diſpoſitio, dum Virgo Joſepho nupſit: aliunde verò ob eminentem utriuſque virtutem, pietatem, ac religionem periculum violandi voti in Matrimonio nullum ſuberat.

Negotium faceſſit longè majus Gregorii IX. Reſcriptum, Cap. *ſi conditiones*, extra de conditionibus appoſitis in deſponſatione: ubi declarat, *nullum eſſe, & irritum Matrimonium, ſi conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur: puta ſi alter alteri dicat, contraho tecum, ſi generationem prolis evites*. Cui conſonat, quod habet D. Thomas in 4. diſt. 28. art. 4. ad 3., ubi hanc conditionem rejicit uti ſubſtantiam Matrimonii deſtruentem, *conſentio in te, ut non cognoſcas me*. Porrò Virgo Deipara contrahens cum Joſepho, & quicumque alius contraheret, præmiſſo virginitatis voto, eas certè conditiones apponit, aut verbo expreſſas, aut ſaltem mente conceptas; *Contraho tecum, modò tamen generationem prolis evites*: vel, *conſentio in te, ut non cognoſcas me*: quandoquidem ratione voti jam emiſſi, nec cognoſci poteſt, nec ad prolis generationem aſpirare valet: eſt igitur Matrimonium irritum jure naturæ, ac in ipſa etiam ſubſtantia deficit.

Miror, Theologos aliquos paginas implere, ut ab eo ſe nodo expediant: ego paucis reſolvo, ſublato æquivoco, quo totum laborat argumentum. Aliud longè eſt, contrahere cum aliquo Matrimonium, quem aliunde noveris generationem prolis ſe ipſo evitaturum; aliud, contrahere cum aliquo ea lege, & conditione contractui inſerta, *ſi generationem prolis evitet*. Qui contrahit ea conditione contractui inſerta, adverſatur expreſſè fini Matrimonii, ejuſque ſubſtantiam deſtruit, talem ab eo conditionem exigendo. Atque hoc eſt, quod declaravit Gregorius IX., quod & docuit Doctor Angelicus, irritum eſſe tunc Matrimonium. At qui ſimpliciter contrahit cum eo, quem aliundè novit, ſe ipſo generationem prolis evitaturum, excedit utut maximè a fine Matrimonii, ſed ei expreſsè non adverſatur: ad illum finem veluti *negativè* ſe habet, ut Schola loquitur, adeòque ſubſtantiam Matrimonii minimè deſtruit. Atque hoc eſt, quod egit Virgo Deipara: contraxit, ſcilicet, cum eo, quem aliunde Divina revelatione noverat, non eſſe debitum petiturum; non contraxit tamen ea conditione, contractui velut inſerta, & poſtulata, ut debitum minimè poſtularet. Idcircò ſtetit ſubſtantia Matrimonii. Exemplum rei hujus eſto in contractu donationis. Si quis dicat, *do tibi domum meam, ſi eam non acceptes*, contractus eſt nullus; quia ea non acceptatio exigitur à donatore, & quia exigitur, ludicram facit donationem, ipſamque deſtruit. At verò ſi dedero domum meam ei, quem aliunde noverim non acceptaturum, tunc non acceptatio erit extrinſeca contractui, ac veluti ex accidenti: atque ita contractus ipſius ſubſtantiam minimè deſtruit. Ita planè in caſu, quem expendimus. Audi Doctorem Angelicum, rem illam totam paucis expedientem in 4. Sent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 2. *Beata Virgo, antequem contrahet cum Joſeph, fuit certificata divinitùs, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat; & ideò non*

ſe com-

Digitized by Google

ſe commiſit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati (Matrimonii) *deperiit; quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum; talis enim conditio, cum ſit contra Matrimonii bonum, ſcilicet, prolem procreandam, Matrimonium tolleret.*

V. At reponet fortè profeſſus vitilitigator: Numquam Virgo Deipara conſenſiſſet in Joſephum, niſi certò noviſſet, eum non fuiſſe debitum petiturum. Sit ita verò: ſatis tamen eſt, ſi quod futurum ſciverat, non exegerit ut conditionem contractus matrimonialis; etſi ex ea notitia nata ſit illi contrahendi voluntas. Certè, ſi liceat mihi loqui, quod ſentio, minorem difficultatem experior in ſalvanda ſubſtantia Matrimonii Deiparæ Virginis, eademque cum doctrina Gregorii IX., & Doctoris Angelici concilianda; quam intuendo, quod vulgò fertur, Pulcheriæ Imperatricis Matrimonio. Hæc enim ea expreſſa conditione Marciano nupſiſſe dicitur, *ac etiam Jurisjurandi religione interpoſita illum, virginitati, quam adoleſcentula voverat, non inſidiaturum*: ut eſt apud Nicephorum lib. 14. Hiſtor. Cap. 58., & apud Baronium ad annum 450. Pulcheria itaque quod futurum ſcire, ac ſibi certò ſpondere non poterat, ut conditionem contractus matrimonialis à Marciano exegit: Maria quod certò futurum Divina revelatione noverat, ut conditionem contractus non exegit, nec exigere opus habuit. Primum in Gregorii IX. definitionem videtur impingere, alterum ne per umbram quidem impingit.

Novi, qui ea difficultate preſſus repoſuerit, Pulcheriam diu ante Gregorium Marciano nupſiſſe; adeòque illius decreto impeditam non fuiſſe. At ſciat illud, oportet, Gregorium legem illic Eccleſiaſticam non ſtatuere, ſed quid naturale jus habeat pronunciare: quid nimirum Matrimonii ſubſtantia poſtulet; quid illam deſtruat explicare; quæ omni retrò ætate ſalva, tectaque eſſe debuit. Quare alterum, quo elabatur, quærendum effugium. Sed interim nihil illud ad nos, qui de Deiparæ, non de Pulcheriæ Matrimonio diſputamus. Hactenus de illius veritate, atque ſubſtantia dictum: dicendum modò de circumſtantiis ejuſdem; quandonam, ſcilicet, fuerit initum, & quoto cujuſque vitæ anno.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXIV.

Quandonam Mariam inter, & Joſephum Matrimonium ſit initum?

I. QUam hodie agitandam ſuſcipimus quæſtionem, quo, ſcilicet tempore Mariam Joſephus uxorem duxerit, ſubobſcuram, ac dubiam fecit Textus Euangelicus Lucæ, & Matthæi Cap. 1. Is enim, ſi de ſumma facie, ut fermè fit, inſpiciatur, id certè videtur innuere, Mariam, quo tempore ab Angelo ſalutata eſt, verbis dumtaxat de futuro fuiſse deſponſatam; eodemque ſtatu, & conditione fuiſſe etiam poſt tres menſes ſuſceptæ peregrinationis in montana Judææ; ac needum tunc cum deſtinato ſibi ſponſo cohabitaſſe; donec Joſephus à promiſſis reſilire volens, conjugemque accipere pertimeſcens, quod finiſtram de illius inſperatæ graviditate ſuſpicionem induiſſet, ab Angelo Divinæ illius fœcunditatis Myſterium aperiente confirmatus eſt, eodemque jubente, tùm demum Matrimonium iniit, acceptamque conjugem in domum induxit. Hunc ſanè ſenſum referre Euangelica verba videntur: Lucæ 1. v. 26. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria*: Matthæi verò 1. v. 18. ubi de Virgine è montanis Judææ reverſa ſermo fit: *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu S. Joſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Joſeph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum .... Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam*. Ac ſic quidem, ut diximus, Euangelicum textum intellexere plerique Patres: qui idcircò Mariam Matrimonio tunc primùm Joſepho junctam exiſtimarunt menſe tertio poſt ſalutationem Angelicam, conceptumque Dei Verbum; dum Divinæ illius fœcunditatis ſigna deprehenſa ſunt: Auctor Homil. primæ in diverſa Euangelii loca apud Origenem, Hieronymus, Hilarius, Theophilactus in Cap. 1. Matthæi, Epiphanius Hæreſi 78., Baſilius Homil. de Chriſti Nativitate, Cyrillus Catecheſi 12.

II. Meditanti tamen diu mihi, remque totam de proximo inſpicienti, ea ſententia magis arriſit, quæ Virginem jam tùm Matrimonio Joſepho junctam agnoſcit, dum ab Angelo ſalutata fuit, datoque conſenſu, Chriſtum concepit utero humani generis Redemptorem; laudataq; Euangelii verba in alium planè ſenſum inflectit, quàm qui prima fronte videtur eſſe planiſſimus. Quæ mens ſummis etiam Eccleſiæ Patribus ſtetit, S. Joanni Chryſoſtomo Homil. 4. in Matth. 5., Ambroſio lib. 2. in Lucam Cap. 1.

Digitized by Google

Cap. 1., S. Bernardo Homil. 2. Super *Miſſus eſt*, S. Pietro Chryſologo Serm. 175., Euthimio in Cap. 1. Matthaei, D. Thoma 3. par. q. 29. art. 2. ad 3. Imò mirari mihi ſubiit, laudatos antea Patres, Pſeudo-Origenem, Hieronymum, Hilarium, Cyrillum, Baſilium, Epiphanium, in priorem, quam retulimus, opinionem deſcendiſſe, quam poſitis alibi principiis repugnantem deprehendiſſent, ſi vel leviter animos intendiſſent.

Eorum quippe Patrum concors ſententia eſt, de qua & in antecedentibus diximus, Deum de Virgine Matrimonio juncta naſci voluiſſe, ut Matris honori conſuleretur; ac ne à Judæis Divinæ illius fœcunditatis myſterium neſcientibus fornicaria putaretur, ſi peperiſſet innupta. Quis autem non videat, eadem quoque ratione neceſſe fuiſſe, Mariam iam tunc Matrimonio junctam eſſe; dum Angelo nunciante fœtum concepit? Aliàs ii ipſi, qui eam nono poſt menſe peperiſſe dignoverunt, editum fœtum fornicarium judicaſſent.

Urget multò magis ea ratio illos ipſos, qui tunc primùm initum Matrimonium arbitrantur, dum externa graviditatis ſigna deprehenſa ſunt; dum, ſcilicet, tertio poſt menſe è montana peregrinatione redux Virgo Deipara *inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*. Sic enim eodem omninò tempore gravida fuiſſet deprehenſa, & Matrimonio juncta; ejuſque idcircò graviditas Joſepho tunc primùm uxorem ducenti a Judæis tributa non eſſet: aut certè ſi illi fuiſſet attributa, ambo ſimul ſiniſtra opinione laboraſſent; tamquam carnalem copulam habuiſſent poſt contracta dumtaxat ſponſalia de futuro, ac nondum contracto Matrimonio de præſenti. Quod quid turpius, quid indignius?

III. Concors perinde laudatorum Patrum ſententia eſt, Deiparam idcircò Matrimonio fuiſſe junctam, ut partus ejus virgineus celaretur Diabolo, qui Chriſtum putavit, non de Virgine, ſed ex Joſephi copula generatum. Quam rationem loco ſuo adversùs nonnullos cavillatores vindicavimus. Ecquo verò pacto Chriſtum ex Joſephi copula genitum exiſtimaſſet, cujus Matrem antea gravidam obſervaſſet; quàm Joſepho jungeretur, ſextoque dumtaxat menſe à contracto Matrimonio parientem vidiſſet?

IV. Accedit, quòd à tempore accepti Angelici nuncii Scriptura nobis paſſim exhibeat Joſephum cum Maria familiariter converſantem. Quæ profectò converſatio apud Judæos illicita erat cum puellis ſimpliciter deſponſatis, donec re ipſa Matrimonio junctæ eſſent. Erat ergo jam tunc Matrimonio juncta: alias familiaris illa converſatio ſcandalo fuiſſet iis maximè qui peractum Divinum Myſterium neſciebant. Ut ſileam, puellas innuptas domi occluſas ſervari ſolitas fuiſſe ad cuſtodiam virginitatis; ac vix extra domeſticos lares pedem efferre conſueviſſe. Unde libri 2. Machabæorum Scriptor Cap. 3., ut excitatæ Jeroſolymis per Heliodorum publicæ commotionis horrorem repræſentet, tamquam rem inſolitam narrat, nigroque Cycno ſimillimam, quòd *Virgines quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant*. Maria verò, ſtatim atque Angelo nunciante Chriſtum

 concepit,

concepit, longam trium menſium, difficilemque in montana Judææ peregrinationem ſuſcepiſſe legitur Lucæ. I. Quis igitur illam nondum tùnc Matrimonio junctam ſibi fingat?

V. Quin & ille ipſe Euangelii locus Matth. I., qui tam multis Interpretibus fucum fecit, ut Mariam è montana peregrinatione redeuntem needum Matrimonio junctam dicerent, eamdem Matrimonio junctam evincit, ſi penitiùs perpendatur. Quorſum enim ſiniſtra de illius graviditate ſuſpicione agitatus Joſephus *voluit occultè dimittere eam?* Nemo quippe dimittit uxorem, quam re ipſa non duxit. Ambroſii obſervatio eſt lib. 2. in Luc. Cap. I. *Quam non accepit, nemo dimittit: & ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* Quorſum & Angelus, ut ſiniſtram ab eo ſuſpicionem avelleret, ait: *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam:* ac tum poſtea ſubditur: *accepit Joſeph conjugem ſuam*, niſi conjux reipſa jam eſſet, quam monebatur non dimittere de domo ſua, ſed potiùs accipere ad convictum, non ad conjugem? Nam qui Matrimonio primùm jungitur, non dicitur *accipere conjugem ſuam, ſed accipere in conjugem ſuam.*

Quapropter totus ille Matthæi contextus, qui pleriſque Patribus oppoſitæ ſententiæ vindicibus ludum fecit, in hunc ſenſum flectendus eſt: *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph*, non ſimplici deſponſatione per verba de futuro, quæ vulgò ſponſalia dicuntur; ſed deſponſatione per verba de præſenti, quæ verum, ratumque Matrimonium eſt. (Eo quippe ſenſu *deſponſationis* nomen uſurpat Euangel. Lucæ Cap. 2., dum Mariam prægnantem, & partui proximam narrat, quo tempore Matrimonio junctam nemo negat.) *Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut profiteretur eam Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.*

Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto; hoc eſt, antequam ullam copulam haberent &c. *Joſeph autem, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*; hoc eſt, cum nollet eam infamare, & ad tribunalia traducere puniendam ut adulteram: *Voluit occultè dimittere eam*, de domo ſua, de convictu, de converſatione. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Joſeph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam*; hoc eſt, acceptam retinere, ut hebraica phraſis habet, actum continuatum ſignificans, non inchoatum: ſeu etiam, accipere in domum tuam, atque convictum. *Exurgens autem Joſeph à ſomno fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam*; in domum, ſcilicet, atque convictum, acceptamque ſervavit, atque retinuit.

VI. Unum huic interpretationi, tametſi planiſſimæ, genuinum videtur infringere. Si ea Euangelii verba, *antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*, de conventione ad copulam intelligenda eſſent; quaſi diceret, *antequàm copulam conjugalem haberent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*; conſequens eſſet, eos poſtea ſaltèm conveniſſe, ſeu copulam conjugalem habuiſſe, poſtquam Virgo Chriſtum enixa eſt: quod Deiparæ virginitati perpetuæ palam, apertèque repugnat; Eſt igitur intelligendum de conventione in eamdem habitationem;

ut ſit

ut ſit ſenſus, *antequam ſimul cohabitarent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*: non ergo antea cohabitabant, adeòque nec erant antea Matrimonio juncti: quotquot enim juncti erant Matrimonio, habitatione quoque jungebantur: ne ſiniſtris rumoribus occaſionem præberent.

Verum eſt hæc putida cavillatio ab Heluidianis Marianæ virginitatis oſoribus miſerè corraſa, mutuoque accepta, quam dudum Hieronymus occupavit. Conſecutionem itaque negat Sanctiſſimus Doctor: *antequam convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto; igitur poſtea convenerunt*. Scriptura enim quid antea factum non ſit, ſimpliciter notat, non quid poſtea factum fuerit. Ut ſi dicam, Antiochus, antequam ageret pœnitentiam, extinctus eſt: aut etiam, Judices, antequam cauſam cognoſcerent, pronunciarunt: conſequens profectò non erit, Antiochum, poſtquam extinctus eſt, pœnitentiam egiſſe; aut Judices cauſam ipſam poſt pronunciatam ſententiam cognoviſſe: ſed nunquam Antiochum pœnitentiam egiſſe; numquam Judices cauſam, quam deciderent, cognoviſſe. Exemplis longè multis ex humana litteratura petitis, hunc Euangelicę locutioni ſenſum ſubeſſe demonſtrat Deſiderius Eraſmus in Cap. 1. Matth.

Sed etſi daremus, quod tamen liquet eſſe falſiſſimum, Matthæum de conventione: ſeu cohabitatione locutum, Virginemque ante id temporis nondum communem cum Joſepho habitationem habuiſſe; non illicò conſequens eſſet, non fuiſſe jam tum illos Matrimonio junctos. Quia tametſi cohabitationis jure potirentur; occaſione tamen ſuſceptæ ab Deipara peregrinationis in montana Judææ, quæ tres menſes integros tenuit, nondum fortaſsè cohabitabant. Non deſunt enimverò (Toletus in Cap. 1. Lucæ, annot. 115., Franciſcus Lucas ad verſum 30. Cap. 1. Lucæ.) qui putent, eam ſinè Joſepho ad Elizabetham perrexiſſe cùm alia fideliſſima ſocia conſanguinea provectioris ætatis, ad fidam honeſtamque cuſtodiam. In quam ego ſententiam propendeo maximè: tum quòd Joſeph in toto illo peractæ ſalutationis officio ab Euangeliſta ſileatur: tum quòd, ſi præſens illic adfuiſſet, numquam ſiniſtram illam de Mariæ reducis graviditate ſuſpicionem habuiſſet, quam Deo fœtam, & gravidam ex Elizabethæ oraculo didiciſſet; dum *repleta Spiritu Sancto exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Lucæ 1. Nec de tanto Myſterio ab Angelo edoceri neceſſe habuiſſet; iis Elizabethæ Spiritu Sancto plenæ diſertiſſimis verbis jam ſatis edoctus. Sed de his alibi plura.

VII. Nihilo melioris eſt commatis altera cujuſdam recentioris animadverſio, Virginem nondum tunc Matrimonio junctam probantis, dum illius graviditas deprehenſa eſt; quòd eam adulterii ſuſpectam Joſephus occultè, uti meditabatur, dimittere non debuiſſet juxta Moſaicæ Legis præſcripta, ſed palam, & publicè, ac dato etiam libello repudii. Si quid enim ea probaret argutia, perindè evinceret, Virginem nec tunc quidem ſimplici deſponſatione fuiſſe Joſepho promiſſam, ac in paterna domo cuſtoditam. Cum & illæ, ſi fortè fuiſſent conſtupratæ,

Digitized by Google

lapidari perindè publicè, atque adulteræ juberentur. Deuter. Cap. 22. v.20. *Si non eſt in puella inventa Virginitas; ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri Civitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Iſrael ..... Si puellam Virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur.* Quòd itaque Joſeph occultè dimittere, non palàm traducere cogitaret, ideò fuit, quòd certò adulteram neſciret, ſed merè ſuſpicaretur; imò potiùs fluctuatione, animique perturbatione moveretur. Cùm enim conjugis puritatem, caſtimoniam, Sanctitatem exploratam haberet; aliunde verò deprehenſæ graviditatis cauſam penitùs ignoraret, medium quid tenuit: noluit ad tribunalia traducere ut adulteram, quam vix, ac ne vix crederet; noluit ultra convivere, & cohabitare cum illa; ne ſi quid fortè ſubeſſet criminis illius & ipſe particeps fieret. *Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus Myſterium neſciebat.* Inquit Hieronymus in Cap. 1. Matthæi.

VIII. Mitto piam quorumdam, religioſamque conſiderationem, qui Joſephum de dimittenda uxore deliberaſſe ſibi fingunt, non ex ſiniſtra de illius graviditate ſuſpicione, animique fluctuatione, atque perturbatione, ſed potiùs humilitatis ſenſu; quòd ſe illius convictu, ſocietateque putarte indignum, quam Spiritus Sancti virtute fœtam, Deique Matrem effectam agnoſceret. Ita quidem in Apocryphis Origenis Homil. 1. in diverſa Euang. loca, & Baſilii Magni Homil. 25. legere eſt, nec non apud D. Bernardum Homil. 9., quæ eſt. 2. *Super Miſſus eſt*, & apud Gerſonium Epiſt. 2. de Feſto S. Joſeph inſtituendo. At pia licèt, religioſaque conſideratio videatur, textui nihilominùs Euangelico repugnat apertè. Si enim de dimittenda uxore cogitaſſet, quòd ea ſe indignum reputaret, quam Spiritu Sancto fœtam deprehenderat, tantùm abeſt, ut ad eamdem retinendam inductus eſſet, ubi primùm Divinæ illius fœcunditatis Myſterium docente Angelo intellexit; ut ob id potiùs multò magis in ſuſcepto ante conſilio fuiſſet confirmatus. Qui ergo cognita Virginis innocentia, Divinaque illius fœcunditate intellecta, à meditato conſilio reſiliit, conjugemque retinuit; is ſanè nonniſi ex ſiniſtra ſuſpicione de illa dimittenda deliberaſſe cenſendus eſt.

IX. Cæterùm quod de libello repudii Mariæ dando obiter objectum eſt, riſum veriùs elicit, quàm reſponſum: liber quippe repudii ingratis uxoribus dari juſſus eſt, Deuter. Cap. 24., non adulteris, quæ potiùs lapidibus appeti jubebantur, Levit. 20. Eoque dabatur fine, ut mulier dimiſſa ab alio viro duci poſſet, virque viciſſim alteram conjugem ducere. Joſeph autem in ea animi perturbatione Mariam dumtaxat de domo ejicere meditabatur, non ipſe aliam ducere, illique, ut alteri viro nuberet, poteſtatem facere cogitabat.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXV.

Quoto quiſque anno vitæ Matrimonium inierint? Quove titulo Joſeph Chriſti Domini pater ſit?

I. Pictores, audax hominum genus, ridere ſæpè ſoleo, qui in effingenda Mariæ Joſepho nubentis imagine, utrumque ætate tam diſpari nobis adumbrant: Mariam quidem tenellam, puellam, adoleſcentulam annos vix quatuordecim aſſecutam; Joſephum verò devexa jam ætate, anniſque gravem, vietum, ſilicernium, capularem, ac depontanum; ut planè qui hiſtoriam neſciat, non ſponſam, & ſponſum effictos putet, ſed proneptem, & proavum. Cur id faciant audaces homines, cęteroſque penicillo in errorem inducant, quæſivi diù, donec illud occurrit in *Joſephina* apud Gerſonium:

Ergo Joſeph pinxiſſe ſenem, fecere ſeniles
In ſe virtutes; vel neù carnalis haberet
Suſpicio de te quicquam carnale Maria.

Nempe, ſi ſuperis placet, canus, & effœtus pingendus fuit Joſephus, ut & prudens credatur, & caſtus; conjugumque adeò ætate diſparium fingenda conſociatio, ne ſi juvenis maritus ſpecioſiſſimæ ſponſæ adjungeretur, in ſuſpicionem veniret illibatus Virginis pudor! Nugaces, ignaros! Quaſi vel non ſint, fuerintque ſemper in ipſo ætatis flore, & prudentes, & caſti; non ſint, fuerintque ſemper, devexa etiam ætate, impudici, & imprudentes!

Geminus igitur error Pictorum audacia in vulgus inductus nobis refellendus eſt hodie: alter, quo Joſeph plùs juſto ætate provectus; alter, quo Maria æquo junior fuiſſe creduntur, dum Matrimonio juncti ſunt: ut utriuſque ætate ad certum modum deducta, æqua ſit, prudens, ac tantis conjugibus digna conſociatio.

II. Pictorum errori Joſephum canum, & vietum, dum Virginem duxit, effingentium, ſola ſuffragantur apocryphorum ſomnia, atque deliria. Pſeudo-Evodius, jactata dudum Epiſtola, *de B. Virginis educatione*, cujus fragmentum exhibet Nicephorus Callixtus lib. 1. Hiſtor. Cap. 7., & ſpuria Joſephi Hiſtoria, cujus lacinias neſcio quas exſcripſit Epiphanius, Hæreſi 78., quæ eſt Antidicomarianitarum, Joſephum octogenarium, eoque maiorem narrant, ac etiam ex priori uxore viduum, è qua ſex filios ſuſtuliſſet, quorum aliqui eadem cum Chriſto ætate viventes idcircò dicti ſint *fratres Domini*. Liber pariter *de Nativitate B. Virginis* haud melioris notæ fœtus inter apocrypha D. Hieronymi Tom. 9. grandævum Virgini junctum refert, quamquàm diſtinctum ætatis annum non adnotet. En primos fabellæ fictores; nempe impoſtores, nugivendos, ſomniorum ſomniatores ab univerſo Criticorum cętu ſummo conſenſu rejectos. E contrario Eccleſiæ Patres ea paſſim principia ponunt, ſæpiùs

à no-

Digitized by Google

à nobis inſinuata, unde Joſephum, quo tempore Virginem duxit, non canum, non vietum, non octogenarium, eove majorem fuiſſe, certiſſimè colligamus; ſed virum ætate florentem, vegetum, à natura, & annis benè valentem, & integrum: etſi ex priore uxore viduum fateremur.

In hoc enim conſentiunt univerſi, Deum ex Virgine quidem, Matrimonio tamen juncta, naſci, voluiſſe, ut Matris honor poneretur in tuto, poſſetque graviditas ejus, ac partus marito tribui ab iis omnibus, qui peractum in ea myſterium ignorarent. Ea ergo ætate Joſephus eſſe debuit, iis viribus integer, ut fœtus virgineus ex illo profectus communiter credi poſſet. Ecquis verò id de ſeniculo, capulari, & filicernio facilè crederet, qui per ætatem, & ſenile frigus ad conjugii opera eſſet impotens? Imò, ut eſt ſuſpicioſum hominum genus, ex hac ipſa mariti ſeniculi effœta ætate, ad malè de uxore juvencula pariente ſuſpicandum, nemo myſterii neſcius non fuiſſet adductus.

In id quoque conſpirant Patres, ut Virginem Matrimonio junctam, velint, ut maritus illi tutelæ, ſolatio, præſidio eſſet, in fovenda, & educanda prole, in ferendis oneribus Matrimonii, in ſuſcipiendis itineribus, in re qualicumque familiari gerenda; utque pauperem familiam arte aleret, & induſtria. Hæc autem vitæ ſubſidia, atque præſidia ab homine annoſo, incurvo, ac planè cano ſperare quis audeat?

Auguſtinus etiam toto paſſim Cap. 12. libri 5. contra Julianum Pelagianum in hoc eſt, ut oſtendat, Joſephum verum Deiparæ virum extitiſſe, qui Mariam *in ſpem procreandæ prolis* duxiſſet conjugem, etſi eam poſtmodum *procreandæ prolis ſpem amiſerit*, ſeque voto virginitatis obſtrinxerit, dùm Divinam uxoris fœcunditatem, monente Angelo, intellexit: *Joſeph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Ea ergo florebat ætate, iiſque viribus erat, ut prolem futuris temporibus prudentèr ſperare poſſet, niſi alium ſubinde Divino afflatu animum induiſſet.

III. Quid, quòd Lucæ 2. obſervamus, vixiſſe adhuc Joſephum, dum Chriſtus annum ætatis attigerat duodecimum, eumdemque annis ſingulis cum Maria, & puero Jeſu itinere ſuſcepiſſe ex Nazareth in Jeruſalem tempore Paſchatis? Si igitur octogenarius, eoque major ſponſam duxerat, annos itaque nonaginta tres, ac fortè plures, Chriſto duodecimum annum agente, numerabat. Quis verò devexam illam ætatem ſuſcipiendis annuis itineribus, ducendaque per iter familia parem dixerit? Quid plura, Chriſto publicum miniſterium obeunte, annumque idcircò circiter trigeſimum agente, Joſephum adhuc in vivis extitiſſe, ac fabrilem artem exercuiſſe, veriſimillimum eſt. De illo quippe tanquam de viro adhuc in vivis degente, artemque ſuam exercente locuti videntur Judæi Joan. 6. v. 42. *Nonne hic eſt Filius Joſeph, cujus nos novimus patrem, & Matrẽ?* & Matth. 13. v. 13. *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas; & Sorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Tunc ergo Joſephum annum vitæ centeſimum decimum ſuperaſſe neceſſe eſt, ſi Mariam Octogenarius conjugem

jugem

Digitized by Google

jugem duxit. Quod abſque certa probatione nemo ſibi facilè inducat in animum. Imò non deſunt Eccleſiæ Patres, qui Joſephum, Chriſto moriente, adhuc in vivis fuiſſe putent; Chriſtumque nihilominùs Virginem Matrem Joanni, non Joſepho licèt ſuperſtiti commendaſſe; ut ea ratione palam ſignificaret, nullum Mariam inter, & Joſephum carnale commercium acceſſiſſe. Ita D. Chryſoſtomus Homil. 5. in Matthæum, S. Ambroſius lib. de Inſtit. Virg. Cap. *6.*, Epiſt. 5. lib. 1., lib. 2. in Lucam ad Cap. 1., & lib. 10. ad Cap. *23.*, S. Auguſtinus Serm. 81. de Tempore, Auctor Sermonis de Paſſione Domini apud D. Cyprianum. Quod etſi, an ita ſit, non expendo; id tamen inde certò colligo, Patres illos Joſephum, cum primùm Mariæ junctus eſt, octogenario majorem non putaſſe, ſic enim Chriſto patiente annum fermè 120. attigiſſet.

IV. Neque illud omittendum, in eo præſertim ineundo conjugio ſervari debuiſſe honeſti ſpeciem: cum ob id maximè à Divina Sapientia decretum eſſet, ut in oculis hominum Sanctiſſimæ Conjugis honeſtatem, & decus ad ſpeciem conſervaret. Quid verò in hominum æſtimatione tam indecorum, & indecens, quàm in tanta ætatis conjugum diſcrepantia Matrimonium inire? *Non juvenis vetulo conjux eſt apta Marito*: Theognides. *Non Femina juveni Maritus convenit ſenex*, Ariſtophanes Comicus apud Clementem Alexand. lib. *6.* Stromatum. Quid tam inhoneſtum in hominum oculis, quàm ſenem edentulum, ex priori uxore viduum, (qui alter Joſephinæ fabulæ ludus eſt) ac multa jam prole auctum ad ſecundas nuptias tranſvolare, & quidem cum puella tenella, & adoleſcentula contrahendas? Id, ſcilicet, jocis, ac facetiis luditur tamquam intemperantis libidinis argumentum. Quod à Joſephi animo eò magis æſtimandum eſt alienum, quòd & is, judicio plurium Sanctorum Patrum, antequam Deiparæ jungeretur, virgo fuerit, & à nuptiarum opere alienus: S. Hieron. lib. contra Helvidium Cap. *9.*, Gregor. Neocæſar Orat. *3.* de Annunc., Joan. Damaſceni Orat. 1. de Nativ. B. Virginis, Auctor Serm. 14. de Nativ. Domini apud Auguſt.

Quiſquis hæc altè perpenderit, facilè intelliget, fabulam Pictorum audacia ſparſam in vulgus de Joſepho ſeniculo octogenario, non modò omni auctoritate deſtitui, ſed & conſtanti Patrum traditioni repugnare, & ab omni veri, atque honeſti ſpecie eſſe remotiſſimam.

V. In alterum de Maria nubente labuntur extremum, qui puellam tenellam, juvenculam, annum vix decimumquartum aſſecutam exiſtimant, eadem Pictorum arte, atque audacia deluſi turpiter. Exorbitantiùs multò Nicolaus Monachus S. Albani Mariam vix duodennem nuptui traditam docens in Epiſtola ad Petrum Cellenſem data. Hujus nullum in veteri memoria fundamentum extat, probatio plenè nulla. Quod enim ex Evodii D. Petri in Sede Antiochena ſucceſſoris Epiſtola momentum petit Cardinalis Baronius, ut Virginem decimoquarto ætatis anno Joſepho nuptam, ac tùm decimo quinto Chriſtum enixam evincat, cachinnis, ac ſibilis excipitur ab univerſis Criticæ ſcientiæ peri-

tis,

Digitized by Google

tis, qui Epiſtolam illam ſpuriam, & apocrypham habent, næniis, ac fabulis à capite ad calcem infartam. Quod verò ex aliis Scriptoribus ordine longo, ac ſola nomenclatura jactatis repetit, ut hoc idem evincat, futilius eſt longè multò. Gregorius quippe Nyſſenus Orat. in Chriſti Natale; de Virginis ætate, dum nupſit, nec verbum habet. Germanus Conſtantinopolitanus, Georgius Nicomedienſis, Joannes Damaſcenus, Cedrenus, Elias Cretenſis, nec annos, quos tunc Deipara numeraret, diſtinctè notant; nec, ſi fortè notarent, fidem integram facerent, quibus a cana antiquitate auctoritas deeſt.

VI. Quid ergo? Nullum cum extet ea de re antiquæ memoriæ documentum, ſtandum rationi; idque factum æſtimare par eſt, quod fieri debuiſſe, & ratio, & honeſti ſpecies poſtulabant. Quid autem rationi conſentaneum magis, quam ut Matrimonium non ita accelerarit, quæ voto jam virginitatis obſtricta, nec libidinis cauſa, nec procreandæ prolis ſtudio nuptui tradebatur; ſed Judaicæ gentis conſuetudini, atque uſibus obſequendi voluntate? Solent enim in oculis hominum præmatura conjugia intemperantis libidinis argumentum eſſe. Quid magis ex honeſti ſpecie videbatur eſſe, quàm, ut aliquantò maturior viro collocaretur, ſin minùs devexæ, (quod falſum eſſe jam vidimus) at certè maturioris ætatis? Ne in tanta ætatis conjugum diſcrepantia initum Matrimonium à Judæis, externa dumtaxat rerum ſpecie excitatis, rideretur, culparetur. Quidni demùm grandiuſculam cogitemus, quæ quarto poſt menſe, Angelico nuncio excepto, longam, & periculoſam in montana Judææ peregrinationem ſuſcepit, Elizabetham cognatam ſalutatura? Neque illud movere nos debet, quod Joſepho Maria dum nupſit, Chriſtumque ſubinde concepit utero, *puella* etiam, atque *juvencula* vocetur a Patribus, & in ſacris precum Officiis: quaſi verò inde ſit conſequens, eam tunc annos dumtaxat quatuordecim, ut vulgò creditur, attigiſſe. Quandoquidem & iis notantur titulis Rebecca, dum nuberet Iſaaco, Geneſis 24., & Abiſag Sunamitis, dum ad Regem Davidem adducta eſt, 3. Regum Cap. 1., quamquam ambæ annorum tunc eſſent circiter viginti. Quin & Ruth Moabitis *puella* à Booſo vocatur: *Cujus eſt hæc puella?* quæ tamen annorum erat utut minimum viginti quinque; cum ex priori viro, cum quo annis decem vixerat, vidua tunc eſſet. Lib. Ruth. Cap. 1. v. 4., Cap. 2. v. 5. Nihil itaque vetat, Virginem Joſepho nubentem annos ætatis ſuæ quatuordecim exceſſiſſe, quamquam *puella* tunc, atque *juvencula* dicatur à Patribus.

Cœterùm quem diſtinctè annum numeraret ipſa, dum nupſit, quem itidem Joſephus ageret, definire impoſſibile eſt, nullo Scripturarum, ac Patrum teſtimonio ſuffragante. Cajetanus annos viginti quatuor nubenti Virgini tribuit; Gerſonius quinquaginta Joſepho adjudicat, Serm. de Nativ. B. Virginis habito in Concilio Conſtantienſi. Judicio quidem meo divinat uterque. At ſi dictis hactenus, probatiſque ſtandum eſt, ii certè ſin minùs vera, at certè veroſimilia dixere. Joſephum enim longè quam vulgò creditur, juniorem, Ma-

Digitized by Google

Mariamque viciſſim provectiorem extitiſſe, dum nuberent, demonſtrata res eſt.

VII. His ita ad liquidum perductis, initoque Joſephum inter, & Mariam conjugio cumulatiſſimè probato, explicato, ac vindicato; illud coronidis loco quærendum eſt; num Joſephus, ut eſt Matrimonii jure verus Mariæ vir atque Maritus; ita verus Chriſti pater eodem Matrimonii jure, & dicatur, & ſit? Matrimonii jure, inquam: namque non eſſe verum Chriſti patrem ratione copulæ habitæ cum Mariā, catholica fides eſt adverſus Ebionitas, Deiparam in ipſo Chriſti partu Virginem abnegantes.

Et quidem nihil ita plerique in ore habent, quam eſſe Joſephum Chriſti Domini patrem dumtaxat nutritium, exiſtimatum, & creditum, at nihil ultra præterea. Stant nihilominus ex adverſo non infimæ notæ Theologi, ac in illis maximè Guillelmus Eſtius in 4. Sentent. Diſt. 30. §. 11., qui Joſephum ſpecialiori, atque excellentiori titulo id nominis obtinuiſſe velint, probentque diſertiſſimè: adeò ut, non opinione dumtaxat, & verè pater Chriſti appellaretur, & eſſet, non quidem natura, ſed jure, eoque ſtrictiſſimo Matrimonii.

Id latè docere, atque ex Sacris Litteris probare videtur Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangel. Cap. 1. *Neque enim*, inquit, *propterea non erat appellandus Joſeph pater Chriſti, quia nō eum concūbendo genuerat: quandoquidem rectè pater eſſet etiam ejus, quem non ex ſua conjuge procreatum aliunde adoptaſſet. Putabatur quidem Chriſtus etiam aliter filius Joſeph, tanquam ejus omninò carne progenitus; ſed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas.*
„ *Nam Lucas ait*, & ipſe Jeſus erat incipiens quaſi triginta annorum, ut
„ putabatur filius Joſeph. *Qui tamen Lucas non ejus parentem ſolam Mariam,*
ſed ambos parentes ejus appellare minimè dubitavit, ubi ait: puer autem cre-
„ ſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo: &
„ ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſ-
„ chæ. *Sed ne quis hic parentes, conſanguineos potiùs Mariæ cum ipſa ma-*
tre ejus, intelligendos putet, qui ad illud reſpondebit, quod ipſe etiam Lucas ſu-
„ *periùs dixit*, & erant pater ejus, & mater mirantes ſuper iis, quæ dicebantur de illo? *Cum igitur ipſe narret, non ex concubitu Joſeph, ſed ex Maria Virgine natum Chriſtum; unde eum patrem ejus appellat, niſi quia, & Virum Mariæ rectè intelligimus ſinè commixtione carnis, ipſa copulatione conjugii, & ob hoc etiam Chriſti patrem multò conjunctiùs, qui ex ejus conjuge natus eſt, quàm ſi ei eſſet aliunde adoptatus?*

Auguſtini probationi ex iis Euangelii locis petitæ, ubi Joſeph Chriſti pater ab iis etiam eſt dictus, qui non vulgi opinione ducebantur, ſed rem, ut ſe habuerat, probè ſcirent; alteram planiorem, ac faciliorem à ratione Theologica petitam adjungit Eſtius: quod Chriſtus, utpote verus Mariæ filius, ad Joſephum Mariæ ſponſum peculiari titulo pertineret tamquam fructus ipſius Matrimonii; non ex illo quidem natus, ſed in illo: ac veluti in fundo Joſephi ſatus, & procreatus; in illo, ſcilicet, atque ex illo virgineo corpore, in quod ille poteſtatem jure conjugii obtinebat.

Neque refert, ſi fortè dixeris puerum ex muliere adultera gentiū ad Ma-

Digitized by Google

ritum minimè pertinere, quamquam in illius fundo ſit ſatus, & procreatus. Vah ſtultam, impiamque comparationem! Spurius ad mariti dedecus, ad injuriam Matrimonii, ac violata illius fide generatur; atque adeo adultero naſcitur, non marito. Chriſtus ad parentum decus, ad gloriam Matrimonii, integra fide procreatus, & Mariæ natus eſt, & Joſepho. Idcircò Jeſus, carnali quidem generatione putabatur filius Joſeph Luc. 3., conjugii verò jure, non modò putabatur, at erat.

VIII. Altiùs Gerſonius enititur, Sermone de Nativ. B. Virginis, Chriſtumque *ex corpore, & carne Joſephi conceptum* dici poſſe, contendit ob id ſolùm, quòd ex corpore, & carne B. Virginis conceptus ſit: quia duorum conjugum unum eſt corpus, & una caro. Perperam, & immeritò Conjuges enim corpus unum, & una caro fiunt Matrimonio, non ſimpliciter rato, ſed conſummato, quale profectò Joſephi cum Maria non fuit. Hinc per Sacros Eccleſiæ Canones in Matrimonio ſimpliciter rato relaxatio, ſeu diſpenſatio dari aliqua poteſt, non itidem in conſummato; quòd illius conſummatione conjuges facti ſint corpus unum, & una caro.

IX. Futiliùs longè multò, ac cachinnis omnibus excipiendum arbitror recenitoris cujuſpiam ſyſtema peculiari libello vulgatum non ita pridem *de paternitate D. Joſeph*, quo ſanctiſſimum Patriarcham *verum ſecundùm naturam Chriſti patrem* dici poſſe contendebat: non utique quòd Chriſtum, habita cum Matre Virgine copula, genuiſſet: abſit hæreſis: ſed quòd Divinus Spiritus illud ipſum individuum Chriſti corpus in utero virgineo efformarit, quod Joſephus, ſi rem veneream faceret, editurus erat. Quod ille ſin minùs factum, at ſaltem fieri potuiſſe, magno inanium cavillationum, ac ſubtilium argutiarum apparatu evincere ſatagebat. Quis inane commentum æquo animo ferat? Da enim, id potuiſſe Divinum Spiritum: da, id feciſſe, quod poterat: itane, quæſo, Joſephus editi hujuſmodi fœtus pater ſecundùm naturam habendus eſſet? Relatio enim paternitatis naturalis, ut Philoſophi docent, in actione generante fundatur, quæ nulla etiam tunc Joſephi fuiſſet. Nec Divinus Spiritus eamdem individuam humanitatem producendo, quam Joſeph ipſemet producturus erat, ipſam Joſephi actionem elicuiſſet, ſed alteram longè diverſam. Uti planè dum Deus in extremò judicio Iſaacum à mortuis excitabit, eumdem quidem hominem ſecundò producet, qui quondam ab Abrahamo genitus eſt: non eadem tamen erit actio Dei ſecundò producentis, qualis olim fuit Abrahæ generantis; hæc enim ſupernaturalis erit, ac planè Divina, iſta humana fuit, & naturalis. Ac niſi Abrahæ olim generantis actio præceſſiſſet, individuus ille homo à mortuis excitandus Abrahæ filius minimè cenſeretur. Sit igitur, ut lubet, libetque inepto argutatori, eadem à Deo in utero virgineo producta humanitas, quam producturus eſſet Joſephus, ſi copulam habuiſſet: quia tamen non habuit, nullumque generantis actum elicuit, Chriſti pater ſecundùm naturam dici nequit.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXVI.

De Chriſti conceptu Virgini nunciato.

I. DE Chriſti conceptu, ſeu Dominicæ Incarnationis Sacramento ab Angelo Virgini Deiparæ nunciato, dum loquor hodie, rerum multitudine dicendarum penè obruor, ac tantùm oneri non ſuccumbo. Idcircò in certas veluti claſſes Argumentum partiri cogor, ut ordo ſaltem in dicendo ſervatus diſputationis amplitudinem expeditam reddat, facilemque.

Ac primò ſtatim controverſia illa veniet in medium, quæ fundamentum eſt cæterarum: Cur non Chriſti conceptus fuerit ante Virgini nunciatus, quam reipſa in Virgine fieret? E veſtigio ſequetur altera: Cur à Deo ipſo per ſeſe, cur non ab homine, ſed ab Angelo perlatus ſit nuncius? Succedet ſuo ordine tertia: Quis ille ſit Gabriel Angelus, à quo nuncius allatus ſit? Quarto loco id quæretur: Qua ſpecie conſpicuum ſeſe Virgini præbuerit Angelus? Quintò illud inveſtigabimus: Quando, ubi, & quale colloquium Angelum inter, & Virginem habitum ſit? Poſtremo: Cur ad ſalutationem Angelicam turbata ſit Virgo? Quibus omnibus ad liquidum perductis, ad illud demum progrediemur, quod habiti colloquii, totiuſque peractæ ſalutationis clauſula fuit: Chriſtum, ſcilicet, in utero virgineo conceptum, Deum pro ſalute humani generis factum hominem.

II. Ut ergo ab illa controverſia ordiamur, quæ licèt facillima, attamen caput eſt cœterarum; illud primum omnium ponimus: Chriſti conceptionem, ſeu Dominicam Incarnationem idcircò fuiſſe Virgini Deiparæ antea nunciatam, quàm reipſa in Virgine fieret: tum ut hujus Myſterii notitiam haberet, quod in ea, ac per eam implendum erat; licèt enim Deum humanam naturam aſſumpturum aliquando fide noſcet; haud ita tamen de ſe altè ſentiebat, ut id ſuo in utero perficiendum exiſtimaret: tum, ut debito ordine Chriſtum priùs fide, & corde, quàm carne conciperet: unde ingens Virgini meritum acceſſit, dicente Auguſtino, lib. de S. Virginitate Cap. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti...... Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi fœliciùs Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet*: tum demum, ut ejus in anteceſſum conſenſus obtineretur, qui triplici de cauſa neceſſarius videbatur. 1. Quia Dominicæ Incarnationis Sacramento varia contracta ſunt ſponſalia Dei cum humana natura, quam induit: *Sponſabo te mihi in fide*, Oſeæ Cap. 2. Spiritus Sancti cum Deipara Virgine, quam fœcundavit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: Lucæ 2. Chriſti Domini cum Eccleſia, quam inſtituit: *Deſpondi vos uni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto*: 2. Cor. 11. In ſponſalibus autem Sponſæ conſenſum accedere neceſſe eſt, quem idcircò Virgo

Digitized by Google

Deipara, & nomine ſuo dedit, & nomine Eccleſiæ, totiuſque humanæ naturæ, cujus jam tunc Divina electione Regina conſtituta erat. 2. Quia id Creationem inter, & Redemptionem diſcriminis eſt; quòd non illa quidem, ſed iſta conſenſum hominis poſtulet: juxta celebratum Auguſtini dictum: *qui creavit te ſinè te, non ſalvabit te ſinè te*. 3. Quia uti fœmina, dato aſſenſu Angelo tentatori, humani generis ruinæ initum dedit; ita fœminam, Angelo ſalutanti conſenſu dato, humanæ Redemptioni exordium dare, maximè congruebat. Quæ Patrum communis obſervatio eſt.

Neque tamen inde conſequens putes, & bonorum omnium maximum, Dei, ſcilicet, facti hominis conceptionem, totiuſque Mundi ſalutem à creatæ voluntatis aſſenſu pependiſſe. Quem enim Deus Angelico miniſterio a Virgine patebat aſſenſum, hunc Deus ipſe omnipotentiſſima gratia ſua operabatur in Virgine. Dat quippe Deus homini, quod petit ab homine: *agitque in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod agere ipſe voluerit: facitque ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes*. Ut loquitur Auguſtinus lib. de gratia, & libero arbitrio Cap. 21., lib. 4. ad Bonifacium Cap. 9.

III. Illud fortè curioſitatem excitabit àliquantò majorem: quid Deus in edocenda de tanto Myſterio Virgine Deipara, ejuſdemque aſſenſu expoſtulando Angelico miniſterio ſit uſus, non humano? Imò quid non ipſe per ſeſe Virginem erudierit, inſtituerit? Et quidem, ſi Virginis in Dei Matrem electæ excellentiam ſpectes; cum hæc longè Angelis præſtet, ab iis erudienda minimè videbatur, ſed ab ipſo, quo ſolo minor eſt Deo. Quemadmodum & Chriſtus ob ſui ſuper Angelos excellentiam nihil ab Angelis luminis accepit. Si autem nativam Virginis conditionem attenderis; cum & fœmina eſſet, & viro juncta, à marito potiùs, quàm ab Angelo edocenda videbatur: juxta Apoſtoli dictum 1. Cor. 14. *Mulieres, ſi quid volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*.

Nihil attamen dubitandum, quin in eo præſtando munere, Angelo adminiſtro Deum uti, longè fuerit congruentius. In primis ratione veluti generali; quia ex Dei deſtinatione per Angelos ad homines Divina perveniunt, niſi peculiare momentum obſtet: quippe qui Divinæ voluntatis internuncii ſunt, & interpretes. Ratione ſubinde ſpeciali paulò ante inſinuata de Sponſalibus Deum inter, & hominem per Myſterium Incarnationis initis. Nuptiarum enim nuncium, & paranymphum, alterum à nubentibus eſſe, neceſſe eſt: ſolus autem Deum inter, & hominem medius erat Angelus, qui eo miniſterio defungi poſſet. Congruum etiam fuit, ut Angelo nuncio, & adminiſtro inſtauraretur genus humanum; quemadmodum & Angelo tentatore, atque inſtigatore ceciderat, utque *eadem via intraret antidotum, qua venenum intraverat*; quæ Divi Bernardi pia conſideratio eſt, Serm. 2. de Pentecoſte.

Eo porrò miniſterio Angelico Virginem erudiri, atque doceri minimè dedecebat. Quæ licèt delatæ ſibi dignitatis excellentia Angelos vinceret; humanæ tamen conditione naturæ iiſdem erat inferior: nec Divino conſpectu, quemadmodum Chriſtus, fruebatur in terris: qua de cauſa dumta-

dumtaxat effectum eſt, ut Chriſtus in via ipſa beatus de Divinis Myſteriis ab Angelis non fuerit eruditus. Nec mirum, ſi è Joſepho, viro licèt ſuo, non ſit edocta juxta conſilium Apoſtoli; cum enim ſingulari priuilegio potiretur, illius quoque magiſterio ſolvebatur. Quare & diu ante totius hujuſce Myſterii rationem ab Angelo didicit, quàm de illo Joſephus admoneretur. Nondum enim conceptus erat Deus homo, dum Deiparæ parituræ ab Angelo dictum eſt: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*: à tertio autem menſe conceptus jam erat, dum Joſepho dictum fuit: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Quid ergo Joſeph perficiendi Myſterii prorſus ignarus Virginem docuiſſet?

IV. Angelum ea Dei ad Virginem legatione functum *Gabrielem* nuncupat Lucas Cap. 1. Qui, quis fuerit, quove ex Ordine, à Theologis diſputatur. Cum enim Cœleſte, illi Spiritus in tres Hierarchias, ſupremam nimirum, mediam, & infimam diſtinguantur, quarum unaquæque tres complectitur Ordines: ſuprema quidem Seraphinos, Cherubinos, & Thronos: media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates: infima Principatus, Archangelos, & Angelos; Gabrielem Incarnationis Dominicæ Nuncium ex primo ſupremæ Hierarchiæ Ordine putant aliqui: quod iis nunciati Myſterii excellentia poſtularet, juxta celebre Gregorii Magni dictum Homil. 34. in Evangelia: *Summum Angelum venire dignum fuerit, qui Summum omnium nunciabat*. Nihiloſeciùs ubi in Scripturas Sacras, & Patres oculos intendo, Gabrielem, non ſupremæ, ſed infimæ Hierarchiæ ſpiritum cenſeo, ac in ſecundo, qui Archangelorum eſt, Ordine conſtitutum.

Gabrielem enim ad Danielem olim, tùm ad Zachariam Joannis Baptiſtæ parentem Legatum obſervo, Danielis 8., & Lucæ 1. Ad priorem quidem, ut myſticam illi viſionem interpretaretur, quæ Medorum, & Perſarum devaſtationem portendebat: ad alterum, ut proximum illi Præcurſoris ortum denunciaret. Incredibile autem eſt, & Deum ad hujuſmodi nuncios perferendos, eaſque legationes obeundas, ſupremæ Hierarchiæ, ac primi Ordinis Angelo uſum eſſe: maximè cum Gabrielem, non à Deo ipſo per ſeſe, ſed medio, atque mandante Angelo altero humana ſpecie induto miſſum legamus ad viſionis interpretationem Danieli tradendam: *factum eſt autem, cum viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam, ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri: & audivi vocem viri inter Ulai; & clamavit ei, & ait: Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem*. Supremi autem Ordinis Angeli, etſi fortè à Deo mitti poſſent; nequaquam tamen medio, atque mandante altero Angelo mitterentur; cùm ſuperiorem ipſi non habeant, à quo, & per quem mitti valeant. Imò, ſi quod eo loci obſervat Hieronymus, verum eſt: Angelum; ſcilicet, illum viri ſpecie indutum, à quo viſionem interpretari juſſus eſt Gabriel, Michaelem fuiſſe, quem alias ex Principatuum Ordine liquet eſſe, illud certò relinquitur; Gabrielem ad Archangelorum dumtaxat Ordinem pertinere, qui in infima Hierarchia Principatibus ſubſunt, & parent.

Et qui-

Et quidem cæteri plerique Patres Gabrielem Virginis Paranymphum *Archangelum* ſimpliciter dicunt: Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes Cap. 21. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto Cap. 7., Auguſtinus Serm. 14. de Natali Domini, Bernardus paſſim in Sermonibus ſuper *Miſſus eſt*. Nemo Cherubinum, Seraphinum, aut Thronum dixit. Quin & Gregorius ipſe ea in Homilia 34. in Euangelia, ubi Gabrielem *ſummum Angelum* vocat, qui Summum omnium nunciabat; eumdem paucis ante verbis *Archangelum* appellat; *Ad Mariam*, inquit, *Virginem, non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur*.

Quapropter tanti hujus, quod nunciabat, Myſterii excellentia id unum poſtulabat; ut eorum in Ordine, qui ſumma nunciant, Gabriel ſummus eſſet: Archangelorum, ſcilicet, non aliorum quorumcumque ad ſuperiores Hierarchias attinentium, è quibus nullus ad ferendos nuncios; legationeſque obeundas à Deo mittitur. Doctoris Angelici reſponſum eſt Gregorii Magni dictum exponentis, 3. par. quæſt. 30. art. 2. ad 4. *Quidam dicunt*, inquit, *Gabrielem fuiſſe de ſupremo Ordine Angelorum, propter quòd Gregorius dicit: ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui Summum omnium nunciabat. Sed ex hoc non habetur, quòd fuerit ſummus inter omnes Ordines, ſed reſpectu Angelorum: fuit enim de Ordine Archangelorum. Unde & Ecclesia eumdem Archangelum nominat: & Gregorius ipſe dicit in Homilia de centum ovibus, quod Archangeli dicuntur, qui ſumma annunciant. Satis eſt ergo credibile, quòd ſit ſummus in Ordine Archangelorum. Et ſicut Gregorius dicit, hoc nomen officio ſuo congruit: Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio ad debellandas aereas poteſtates veniebat*.

V. Gabrielem, in eo ferendo nuncio Virgini conſpicuum, humanam ſpeciem retuliſſe, nemo, quem noverim, vertit in dubium. Id enim evincit Scripturarum, ac Patrum auctoritas. Lucas ſiquidem Angelum ad Virginem *ingreſſum* ſcribit, locutum cum illa, ac tum demum finita legatione *diſceſſiſſe*: quæ tria, & corporis motum, & ſpeciem externè exhibitam, & voces humanas haud dubiè referunt. Auguſtinus autem Serm. 14. de Natali Domini, Virginem ita loquentem inducit: *venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, inceſſu mirabilis*. Ambroſius quoque lib. 1. Offic. Cap. 28. Angelum apparuiſſe, ait, *in forma peregrina, quaſi de re nova, & peregrina nuncium portantem*. Et Joannes Chryſoſtomus Homil. 4. in Matth. *Angelus*, inquit, *non in ſomnis, imò viſibiliter Virgini adſtitit. Nam quia magnam valdè revelationem accipiebat ab Angelo egebat ante tanta rei eventum viſione ſolemni*.

Suadet hoc idem etiam ratio, non una, ſed multiplex. Prima à Chryſoſtomo inſinuata: ut certior Virgini viſio fieret. Quæ enim oculis etiam ſubjecta ſunt, certiùs, ac firmiùs apprehendimus, quam quæ imaginamur dumtaxat, ſolaque mente capimus. Altera, ex Virginis Deiparæ dignitate petita: quæ enim, non mente ſolùm, ſed & corpore Dei Filium paritura erat, non ſolùm mente, ſed & corporis ſenſu Angelica viſione recreanda erat. Quare utraque ſimul, & intellectuali, & ſenſibili viſione firmata eſt. Tertia, ex ipſa revelati Myſterii condi-

tio-

Digitized by Google

tione delibata ratio eſt. Cùm enim Deum humanam carnem ſuſcepturum nunciaret Angelus; debuit, & ipſe humanæ carnis ſpeciem ſumere, ut qualecumq; rei, quam poſſibilem Virgini prædicabat, experimentum daret. Quo ſenſu Tertullianus ſpecies humanas Juſtis, ac Patriarchis veteris Teſtamenti interdum exhibitas, quibus Deus illis quandoque conſpicuus factus eſt, *Incarnationis tirocinia* vocat, Deique Filii experimenta *hominem inter homines agere condiſcentis*.

VI. Id unum aliquibus venit in dubium: Ubi, & quando humanum corpus aptaverit ſibi Angelus: in cujus ſpecie, ac forma Deiparæ viſus eſt? Num antequam ſeſe in ejus cellam inferret; num poſtquam in illam illatus eſt? Ex Patribus enim, ac maximè ex D. Ambroſio in Cap. 1. Lucæ, & D. Bernardo Serm. 3. *ſuper miſſus eſt*, Angelum clauſo oſtio ingreſſum eſſe, liquet: quam ob cauſam etiam turbatam Virginem plerique putant. Si itaque antequam illuc ſeſe inferret Angelus, corpus aptaverat ſibi ex aere utique condenſato, ut fieri ſolet; introeundo diſſipatum eſt, etiamſi per poros oſtii ſubiiſſe. Si autem poſtquam ſe illuc intulit, peracta res eſt; aptari intus, formarique hominis corpus, Virgo facilè deprehendit.

Gerræ profectò, eæque germaniſſimæ. Utrum horum ſit factum, quis certò ſtatuat, nullo ſuffragante Patrum, aut Veterum teſtimonio? Utrumque tamen citra periculum, & incommodum fieri perinde potuiſſe, fidentèr aſſirmo. Primum quidem: quia corpus ante ingreſſum ab Angelo efformatum induci abſque diſſipatione potuiſſet per oſtii penetrationem; ſeu ſit illa poſſibilis Angelo nativa virtute; ſeu Divina virtute facta ſit. Secundum: quia intus perindè efformari potuit corpus humanum, antequam illud Virgini contuendum objiceretur. Corpora enim ab Angelis efformata, atque aſſumpta pro ipſorum Angelorum arbitrio aliorum oculos, aut ſubeunt, aut effugiunt: uni quandoque patent, non item alteri.

VII. Majus erit operæ pretium inveſtigare, ubi, & quando, quibuſve verbis ea peracta ſit ſalutatio. Communem locum, Provinciam ut ita dicam, & Civitatem notat Lucas. *Miſſus eſt*, inquit, *Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. Qua in re illud ſtatim videtur incommodi, quòd Joſeph, & Maria, utpote Judæ Tribules, ſi quam fortè domum habebant, hanc in Judæa, quæ Tribus Judæ, & Beniamin in ſortem ceſſerat, habere deberent; non in Galilæa, quæ Tribubus Zabulon, & Nephtali in Terræ Sanctæ partitione contigerat. Solvitur tamen, ſi dixeris, Judæos nulla lege fuiſſe obſtrictos, in ſuarum Tribuum ſortibus habitare, ſed id in illorum arbitrio fuiſſe relictum; etſi agros, & poſſeſſiones extra ſuarum Tribuum ſortem habere non poſſent. Poſſeſſionum enim, non habitationum partitio à Joſue facta fuerat. Potuerunt ergo Maria, & Joſeph fixam Nazarethi in Galilæa habitationem habere, locatam fortè domunculam, aut commodatam, tametſi eſſent ambo Judæ Tribules, ſuaſque (ſi tamen pauperculis eſſent aliquæ) poſſeſſiones in Judæa obtinerent. Quibus & illud addi poteſt, limites à Joſue præſcriptos Tribuum poſſeſſionibus haud ita religioſè fuiſſe ſervatos poſt captivitatem Babilonicam. Tot enim progreſſu temporis preſſa malis, bellis jactata,

ali-

afflicta calamitatibus gens infælix, nec communes Regni, nec peculiares familiarum, ac Tribuum fines ſervare facilè potuit, ſed omnia ſusdeque miſceri paſſa eſt vel invita.

Menſem, ac diem peractæ ſalutationis (de anno enim dicam alibi) ex Eccleſiæ Traditione S. Auguſt. lib. 83. Queſt. quæſt. 56. definitam habemus Martii vigeſimam quintam: eodem videlicet calculo, quo diem Decembris vigeſimam quintam Chriſti nativitati præfigimus: de quo pleniùs in ſequentibus. Totos enim menſes novem Chriſtum in Matris utero geſtatum credit Eccleſia pro ſolito cœterorum puerorum more. At non perinde certa eſt hora diei, qua peracta eſt ſalutatio. Qua de cauſa effectum eſt, ut Eccleſia fœlix illud fortunatumque peractæ Incarnationis momentum quotidie in fidelium memoriam, venerationemque vocatura, ſalutationem Angelicam quavis diei parte recitari optet; ſummo mane, meridie, ac ſummo veſpere: in eo, ſcilicet, horæ incerto, quo Myſterium illud impletum eſt. Si quis tamen in re obſcuriſſima conjecturis eſt locus, peractam Salutationem Angelicam, Deumque in utero virgineo factum hominem exiſtimaverim ſtatim poſt mediam noctem, ac ſub ipſum diei naturalis initium. 1. Quòd hac ipſa hora Chriſtus die 25. Decembris natus ſit; ſic enim juſta novem menſium geſtationis in utero menſura impleta eſt. 2. Quod id Sapientiæ oraculo ſignificatum videatur Cap. 18., *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens Sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram proſilivit*. 3. Quòd eadem illa hora Angelus à Deo ſit miſſus ad occidenda primogenita Ægyptiorum, Judæoſque ab Ægyptiaca captivitate liberandos. Sic enim figuræ veritas apprimè reſpondebit. 4. Quòd ea Divo Athanaſio ſententia ſteterit: ſi tamen ejus eſſet Sermo de Deipara, ubi non longè a fine legimus, *Angelum in exordio diei*, utique naturalis, *Virginem ſalutaſſe*. At hujus Sermonis auctorem Athanaſio ætate longe eſſe poſteriorem, ac poſt quintam, & ſextam Synodum œcumenicam floruiſſe, perſpectum eſt.

Peractæ ſalutationis verba, totumque colloquium Angelum inter, & Virginem habitum ſyllabatim refert Lucas Cap. 1. a verſu 28. ad 38. ſimplex illud, grave, modeſtum, quale profectò, & ſalutantem Angelum, & ſalutatam Virginem deceat. Quid ergo fingamus aliud: quidve pias quorumdam Patrum paraphraſes, quæis mutua verba uberiùs explicarunt, tamquam verè recitatas exiſtimemus; ut ad novem horas prolatum ſit ſalutare colloquium? Quod Antonii Belingenii commentum eſt lib. 1. de Angelo cuſtode Cap. 4. Nihil hujuſmodi ex Lucæ verbis extundi poteſt. Nec illi ipſi Patres, qui pias illas paraphraſes adornarunt, totidem verba ab Angelo, Virgineque prolata à nobis intelligi volunt. Nec tanta loquacitas in ſeriam tanti Myſterii tractationem admodum convenirer.

Ridendus multò magis Rutilius Benzonius, qui Gabrielem hymno ſuaviſſimo, & carmine modulato Virginem ſalutaſſe commentus eſt Cap. 22. ad Pſalmum 87. Pſeudo-Athanaſii ſuffragio deluſus, laudata jam Oratione de Sanctiſſima Deipara ſalutationem Angelicam *hymnum* ap-

Digitized by Google

appellantis. Nam præterquam non eſt Athanaſii, ut diximus, Sermo ille; *hymni* vox in Scripturis, & Patribus non ſemper ſtrictam pedibus, ac numeris Orationem ſignificat; ſed plerumque cum laudatione confunditur: qualis profectò fuit Angelica ſalutatio.

Inſiceta fortaſſe videri quæat B. Petri Damiani commentatio, qui Dei Epiſtolam à Gabriele ad Virginem allatam dicit, Sermone de Annunciatione, qua tota continerétur ſalutatio, ut jam non Nuncius Gabriel, ſed Tabellarius ſit babendus. *Traditur,* inquit ille, *Epiſtola Gabrieli, in qua ſalutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloria magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* Ad virum ſummum figura metonymiç uſum veriſimillimum eſt, & contentum continentis nomine ſignificaſſe, Divinumque mandatum, ſeu verba Dei nomine ad Virginem perferenda Epiſtolæ nomine deſignaſſe. Id ni dicamus, repugnabit Euangelio Damianus. Quæ enim contenta in Epiſtola notat Damianus, hæc ab Angelo voce recitata memorat Lucas: *Ingreſſus ad eam Angelus dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus.*

VIII. Ad hæc ipſa Angeli verba turbatam Virginem ſubjungit Lucas: *Quæ, cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Miror, in retegenda perturbationis illius cauſa minùs inter ſeſe congruere Eccleſiæ Patres. Quamquam enim ex aliquo timore ortam illam fateantur univerſi; propterea quòd, ut eam confirmaret, ſubjunxit Angelus: *ne timeas Maria*; quæ tamen fuerit cauſa timoris, non omninò conſentiunt. Ambroſius lib. 2. de Abraham Patriarcha Cap. 9. ortum timorem, adeòque & natam perturbationem exiſtimat ex inopinato Angeli viri ſpeciem referentis ingreſſu: unde, relicta vulgata verſionis lectione, *turbata eſt in ſermone ejus*, fidenter legit, *turbata eſt in introitu ejus*. Et præterquam ab univerſis, cùm Græcis, tùm Latinis codicibus diſſidet, *in ſermone ejus* conſtantèr habentibus: haud ſatis cum ſequentibus Lucæ verbis congruit: *& cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*: quæ certè timorem incuſſum innuunt, non ex inopinato Salvatoris ingreſſu, quem ex auguſta ſpecie, & circumfuſo lumine Angelum eſſe facilè deprehendit; ſed ex ipſa ſalutationis, ſeu allati à Deo nuncii inſolentia, & excellentia.

Bernardus Serm. 3. *Super Miſſus eſt*, incuſſum timorem, ortamque perturbationem opinatur, partim ex virginali verecundia, quæ tuta licèt, timet tamen; partim ex dubio; num fortè Angelus tenebrarum potius, quàm lucis eſſet ille, qui, datis inter ſalutandum ſummis laudibus; dolo malo ad ſuperbiam provocaret. Sed nec illa duo cum Virginis cogitatione, *qualis eſſet iſta ſalutatio*, ſat benè cohærent. Non enim verecundiæ eſt cogitare, quæ, & qualis ſalutatio illa foret; ſed dubitationis potiùs; rectumne illius ſenſum optimè percœpiſſet. Nec de Salutatore quis eſſet, ſed de Salutatione qualis eſſet, dicitur cogitaſſe.

Origenes Homil. 6. in Lucam, & Iſidorus Theſſalonicenſis Homil. de Annunciatione, acceptam timoris, perturbationiſque cauſam obtendunt ex magnitudine, & ſublimitate Miſterii ab Angelo denunciati. Verùm admirationem exciviſſet potiùs Myſterii magnitudo, quàm timorem incuſſiſſet. Imminentis etenim mali timor eſt, non rei præ-

Digitized by Google

cellentis obventuræ. Aut certè, ſi timorem etiam incuſſiſſet quanta eſſet ſalutatio potiùs, quam qualis eſſet, Deipara cogitaſſet. Nec contra hujuſmodi timorem Virginis animum confirmaſſet Angelus verbis illic ſubiectis: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*: ſed veriùs timorem ejus auxiſſet magis, rei magnitudine magis, magiſque amplificata.

Rem ipſam veriùs, ac certiùs attigiſſe mihi viſi ſunt Auguſtinus Serm. 2. de Annunciat., & Gregorius Nyſſenus Orat. de Chriſti Nativitate: qui Mariam virginitati Deo per votum diu antea mancipatæ initio timuiſſe ajunt; indeque enatam animi perturbationem, donec ſubjectis Angeli verbis confimaretur; quibus intellexit, ſe abſque virginitatis jactura futuram Chriſti Domini Matrem. Cùm enim in ipſis primis Angeli verbis, quibus *in mulieribus benedicta* prædicabatur, nonnihil deprehendiſſet, quod prolem concipiendam, edendamque redoleret; (hæc enim ſolita erat in veteri Teſtamento mulierum benedictio) ac necdum tunc modum, quo res ipſa perficienda erat, exploratum haberet: timuit, ne cum virginitatis ſuæ jactura ceſſura res eſſet. Idcircò tam ſollicitè, quam modeſtè quæſivit: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ad quæ ſubjunxit Angelus: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: quæ tenendæ, ſervandæque virginitatis data ſecuritas fuit, timoremque, animique perturbatione depulit.

IX. Cavendum tamen, ne colendæ virginitatis ſtudium, quo Maria fervebat, Divini mandati obſervantiæ ab eadem anteponendum exiſtimemus; ſi quod fortè de violanda ad prolem edendam virginitate præceptum illi fuiſſet impoſitum. Quod nonnulli piè, ut videri quidem volunt, imprudentèr tamen, & inconſultè, quantùm arbitror, commentantur. Obſervantia quippe virginitatis contra Dei præceptum, atque mandatum non actus virtutis eſt, ſed peccatum: votumque, ſi quod fortè in anteceſſum emiſſum eſt, contrario mandato ſolvitur. Hinc D. Bernardus ſummus religionis cultor, & Doctor ita Virginem loquentem inducit, Sermone 4. ſuper *Miſſus eſt*: *Si oportuerit me frangere votum* (Deo nimirum ita jubente) *ut pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de propoſito*. Perperam autem, qui contra ſtatuunt, Gregorii Nyſſeni ſuffragio gloriantur, quòd laudata Oratione de Chriſti Nativitate ſcripſerit: *Virginem caſtitatem Angelicæ apparitioni prætuliſſe*. De externo quippe Angelicæ apparitionis honore, caſtitatis cultui haud dubiè poſtponendo; Gregorius loquitur, non de mandato ipſo ab Angelo ſibi conſpicuo Dei nomine denunciato: cui tantùm abeſt, ut caſtitatis obſervantiam anteponeret Virgo, ut poſtponeret potiùs, velletque cedere. *Angelus*, inquit Gregorius, *partum denunciat; illa virginitatem complectitur, caſtitatem præferens Angelicæ apparitioni. Non quòd non eſſet obediens Divinæ voluntati, ſed quòd vellet, ſi poſſet, virginitatem conſervare.*

X. Sequitur nunc Salutationis Angelicæ clauſula, datique à Virgine paritura conſenſus fructus planè Divinus: Dei, ſcilicet, facti hominis conceptio puriſſima, quæ Angelo diſcedente in utero virgineo Spiritus S. virtute perfecta eſt. Quæ, ut novam, uberemque dicendi materiam præbet, ita diſtincta, ac peculiari exercitatione pertractabitur.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXVII.

De Chriſti conceptu peracto in Virginis utero.

I. EXplicato in antedictis Dominicæ Conceptionis nuncio ad Virginem parituram allato, pauca nunc de hac ipſa conceptione in utero virgineo peracta dicenda veniunt, quæ nos haud longo tempore detinebunt. Ne quid ergo indictum prætermittamus, quod ad tanti Myſterii elucidationem conducere valeat; tria ad examen vocabimus, quæ ſolâ reliqua eſſe videntur. 1. Quandonam Chriſti conceptio peracta ſit? Non ſub ipſum Angelicæ ſalutationis initium, dum ea ſimpliciter verba protulit Angelus: *Ave gratia plena, Dominus tecum?* Num ad colloquii clauſulam, dum ſuum paritura Virgo hiſce verbis dedit aſſenſum: *fiat mihi ſecundùm verbum tuum?* 2. Sit ne Chriſtus conceptus in utero Virginis? Nec enim defuere, qui contrè ſenſerint. 3. Quas in ea conceptione Spiritus S. partes habuerit. Quas Virgo Deipara? Quæ tria ut ſemel explanata fuerint, & ſoluta, nihil erit ultra, quod ſtudioſam juventutem hac in parte morari poſſit.

II. Et prima quidem controverſia, quàm eſt ſoluto facilis, ſi ex Sacris Litteris expendatur, tam erit difficilis, ſi ad Patrum, veterumque Scriptorum calculos exigatur. Quid enim apertius in Euangelio, quàm necdum tunc fuiſſe conceptum Chriſtum Dominum, dum primùm ab Angelo *gratia plena* dicta eſt Virgo: cùm toto illo continuato colloquio de hac ipſa conceptione, uti de re nondum peracta, ſed peragenda, ſecum invicem Gabriel, & Deipara colloquantur? *Ecce concipies in utero, & paries filium*, ajebat Angelus; cui Virgo: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ad quæ ille: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; Cui demum Virgo: *fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Quæ omnia futuram etiam tunc conceptionem indicant, non peractam. Lucas quoque Cap. 2. v. 21. veluti de ſuo obſervat: Nomen Jeſu *vocatum fuiſſe ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*: vocatum eſt autem ab Angelo ſalutare Nomen in colloquii proſecutione, dum inquit: *vocabis nomen ejus Jeſum*, non igitur ſub ipſum ſalutationis initium in utero conceptus eſt. Angelum etiam legatum ad Virginem conſtat, ut aſſenſum ejus, quò Dei Mater fieret, obtineret: quem tamen illa non dedit, niſi ſub ipſam colloquii clauſulam Angelo ſubjungens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Quid igitur illam, concepto in anteceſſum Dei Verbo, Dei Matrem effectam effutiamus?

Nihiloſecius ubi Eccleſiæ Patres conſulo, Ambroſium, Hieronymum; Petrum Alexandrinum, Gregorium Neocæſarienſem, Proclum, Conſtantinopolitanum, Petrum Damiani; aliud mihi ſubolet, parùmque abeſt, ut Chriſtum ſub ipſum ſalutationis initium, atque ad prima Angeli verba, quibus *gratia plena* dicta eſt Virgo, conceptum agnoſcam.

Digitized by Google

Quid enim aliud ſibi vult illud Hieronymi Epiſt. 140. ad Principiam? *Sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, plena gratia ſalutatur.* Jam ergo conciperat, dum eſt ſalutata. Quid aliud illud Ambroſij ſonat lib. 2. in Lucam Cap. 1., *Soli Mariæ hæc ſalutatio ſervabatur. Benè enim ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, ut gratiæ repleretur Auctore.* Quid illud D. Petri Alexandrini longè diſertiùs in Actis Concilii Epheſini, & Chalcedonenſis? *Tunc Verbum caro factum eſt, cum Angelus Sacram Virginem ejuſmodi oratione ſalutavit: Ave gratia plena, Dominus tecum: hoc eſt Dei Verbum tecum eſt. Nam illa Gabrielis Salutatio Deum Verbum in utero Virginis natum, & carnem factum ſignificat.* Quid illud Gregorii Neocæſarienſis, Orat. 2. de Annunciatione, quæ a nonnullis Joanni Chriſoſtomo tribuitur? *Angelus illis verbis: ave gratia plena, Virginem compellavit, ac ſalutavit. Qua quidem verborum voce ad eam facta, in ipſa mox auditione, Spiritus S. in immaculatum Virginis templum ingreſſus eſt, & ſanctificata eſt mens ejus ſimul cum membris.* Quid illud Petri Damiani Serm. de Annunciatione? *Etiam antequam ad Virginem Gabriel perveniret, invenit Deum virgineis illapſum viſceribus, & majeſtatem Dei virginalis ventris brevitate concluſam..... unde Archangelus non ait: ave gratia replenda, ſed plena: non Dominus veniet in te, ſed Dominus tecum: quia inde eam totam ſibi rapuerat Spiritus Sanctus, & cæleſtibus inſignierat ornamentis.* Quid illud demum Procli Patriarchæ Coſtantinopolitani, Orat. 6. in Sanctam Deiparam? *Adeò erat humanæ menti incomprehenſibile Sacramentum, adeòque mirabile arcani partus miraculum: quando & Sancta ipſa Virgo, quæ Deum geſtabat Verbum, anceps animi erat de Angeli verbo: gaudebat intus de Incarnato ex ipſa, eique, qui foris alloquebatur, contradicebatur: complectebatur Theſaurum vitæ, vocemque ſalutantis animo volvebat.* Nempe, ſi benè conjicio, Verbum jam incarnatum, uteroque geſtatum, atque concluſum ait Proclus, dum Virgo ſalutanti Angelo viſa eſt contradicere, inquiens: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* dumque cogitabat, quæ, & *qualis eſſet iſta ſalutatio.*

Sunt hæc, fateor, longè graviſſima, & quæ Chriſtum in ipſo ſalutationis Angelicæ proludio conceptum, Deumque factum hominem evincere videantur. Verùm quia incredibile, eſt Patres multos à recto Euangelii ſenſu in re etiam compertiſſima aberraſſe: aliiſque Patribus longè pluribus, qui Chriſtum nonniſi in ipſa colloquii clauſula, ac poſt datum aſſenſum, a Virgine conceptum exiſtimant, repugnaſſe: Auguſtino, ſcilicèt, Sermone 18. de Sanctis, Gregorio Magno lib. 18. Moralium Cap. 27., Baſilio Seleucienſi, Orat. de Annunc., Joanni Damaſceno lib. 3. de fide Cap. 2., Bernardo Serm. 4. ſuper *Miſſus eſt*, Sedulio lib. 2. Paſchal., Prudentio in Carmine contra Homuncionitas, Ruperto lib. 1. de Spiritus S. operibus Cap. 9., Pſeudo-Athanaſio Sermone de Sanctiſſima Deipara: idcircò illorum teſtimonia, tametſi prima fronte diſertiſſima, emollire, atque in rectum ſenſum inflectere neceſſe eſt.

III. Hieronymus igitur, qui Mariam uti gratia plenam ab Angelo ſalutatam ſcribit, *quia Chriſtum conceperat*, non id ſibi vult, Mariam Chriſtum antea concepiſſe, quàm gratia plena ſalutaretur ab Angelo: ecquis id ſibi fingat? Sed id unum: præcelſum illum Dei Matris titulum, ad

quem

Digitized by Google

quem à Deo prædeſtinata erat, in cauſa fuiſſe, cur gratiæ plenitudinem à Deo ſit conſecuta, atque ut talis ab Angelo ſalutata. Quo perinde ſenſu, Ambroſius Mariam *gratia plenam* ab Angelo dictam ait, *quaſola gratia Auctore repleta eſt*: non tamen quia jam tunc repleta eſſet: ſed quia ſummum illud decus, ad quod jam erat à Deo deſtinata, eam in illa gratiæ plenitudinem requirebat, qua tunc erat ornata, cum ſalutabatur ab Angelo.

Petrus Alexandrinus totam, & integram ſalutationem intelligit, non priorem dumtaxat partem ejus, etſi ex prioribus dumtaxat verbis, ut moris eſt, eam indigitet, ut videlicet ſenſus ſit. Verbum factum eſſe hominem, dum abſoluta eſt Angelica ſalutatio, eidemque dedit aſſenſum. Integra enim ſalutatio Verbum ſignificat Incarnatum, ſeu factum hominem, non priora dumtaxat verba ab Angelo pronunciata: cùm, quæ ſubinde ſequuntur, *Ecce concipies in utero*, Verbum ſignificent concipiendum, non conceptum. Idem Gregorii Neocæſarienſis intellectus eſt: ideò vel maximè, quòd Spiritum Sanctum in Virginis uterum ingreſſum dicat, non in ipſa verborum Angelicorum prolatione, *ſed in ipſa mox auditione*; dum ſcilicet, illis auditis, aſſenſus à Virgine præſtitus eſt.

Petri Damiani auctoritas perperam obtruditur. Nihil enim hujuſmodi habet in Oratione de Annunciatione, qualis in ejus operibus proſtat: ſed potiùs oppoſitum legitur, nempe: *Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo ad Virginem: quæ, poſtquam ei Gabriel locutus eſt, ſenſit Deum ſuis illapſum viſceribus, majeſtatemque illius virginalis ventris brevitate concluſam.* Quæ verba Chriſtum conceptum indicant ad ſalutationis Angelicæ clauſuram. Inepti autem, inſulſique interpolatoris audacia fuit, quòd Petri Damiani ſermonem apocryphis D. Bernardi Sermonibus inſerens, (illic enim extat hodie ſub titulo Sermonis 2. de Conceptione) recitatam modò periodum vitiarit, corruperit, inquinarit; ac pro eo, quod verus Auctor ſcripſit, *poſtquam ei Gabriel locutus eſt*, de ſuo ille poſuerit, *antequam ad Virginem Gabriel perveniret*: futilemque proprio marte rationem addiderit, qua infartum errorem communiret *Archangelus non ait, ave gratia replenda, ſed plena: non Dominus veniet ad te, ſed Dominus tecum*: Quo ad Incarnationem in ipſa priorum illorum verborum prolatione peractam demonſtrandam quàm ſit frivolum, nemo non videt. Cum ea Angelica verba, *Ave gratia plena, Dominus tecum*, non ad Dei in utero Virginis præſentiam per Incarnationem referantur; ſed ad peculiarem ſanctificationem, & dilectionis gratiam, quo Deus Virginem etiam ante nuncium Angelicum proſequebatur. Aut ſi ad Dei præſentiam per Incarnationem referri quis velit; ad eam utique refertur, non quæ jam eſſet, ſed quæ proximè foret. Præſertim cum eæ voces, *Ave gratia plena, Dominus tecum* verbo careant præſentis temporis, abſolutèque proferantur, ut ad futurum etiam tempus trahi poſſint.

Unus supereſt Proclus Patriarca Conſtantinopolitanus, cujus verba ſuperiùs recitata in rectum ſenſum flecti nequeant. At unius dumtaxat Scriptoris auctoritas, cæteris Eccleſiæ Patribus diſſidentibus, fluxa eſt.

Maxi-

Maximè cùm illa ejus in Sanctiſſimam Deiparam Oratio, unde recitata verba excerpta ſunt, næniis, nugis, ineptiſque collocutionibus infarta ſit, nec erroribus prorſus immunis; quæ vim illi omnem, & auctoritatem eripiant. Quos inter errores, non infimus ille eſt, qui in hac ipſa recitata ſententia continetur; quo nempe Deiparam Virginem ſalutanti Angelo *contradixiſſe* comminiſcitur.

IV. Sed de his fuſiùs, quàm par erat, fortaſſe diximus. Nunc altera quæſtio nos urget antiquis Theologis ignorata, quamque nos ipſi intactam relinqueremus, niſi ad eam agitandam imprudens, & inconſulta quorumdam pietas provocaſſet: num in Virginis utero, an autem in corde ejus, aut certè in parte cordi proxima conceptus ſit Chriſtus? Fuit enim, vertente ſæculo decimoſexto, qui iſtud alterum delirarit, Petrus Lucenſis Canonicus Regularis, falſa mulierculæ cujuſpiam teſtificatione deluſus; quæ id ſibi per ſomnium divinitùs patefactum affirmaret, ratus novo illo invento Chriſti honori, ac dignitati multò meliùs conſultum iri.

Conſultum tamen minimè fuiſſe, ex Sacris Litteris liquet; ex quibus quid verus Chriſti honor poſtulet, noſſe licet. Quoties enim Chriſti Domini conceptionem memorant, toties fermè in utero, aut in ventre, in quo uterus ipſe eſt, factam conteſtantur. Matthæi Cap. 1. v. 18. *Inventa eſt in utero habens de Spiritus Sancto*, v. 23. *Ecce Virgo in utero habebit*. Lucæ Cap. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium*, v. 41. *Benedictus fructus ventris tui*. Lucæ Cap. 2. v. 21. *Priuſquam in utero conciperetur*. Lucæ Cap. 11. v. 27. *Beatus venter, qui te portavit*. Liquet id perinde ex Patribus, qui eo maximè titulo Virginis uterum miris laudibus celebrant, quòd Chriſtum complexus ſit, foveritque, donec eum in lucem emitteret. Quos inter præcipui ſunt, Tertullianus lib. de Carne Chriſti Cap. 4., Origenes Homil. 14. in Lucam, Gregorius Neocæſarienſis Orat. 2. de Annunciatione, Gregorius Nyſſenus Oratione de Nativitate, Epiphanius Oratione de laudibus Deiparæ, (non Magni Epiphanii Salaminæ in Cypro Epiſcopi Oratio illa eſt, ſed alterius recentioris cognominis, & Inſularis Epiſcopi.) Auguſtinus Oratione contra Judæos, & Paganos Cap. 9. Ambroſius lib. de Inſtitut. Virgin. Cap. 14. Hieronymus in Pſal. 18., Fulgentius Sermone de laudibus Deiparæ, Proclus Homil. de Chriſti Nativitate, Andreas Jeroſolymitanus Orat. in Salutationem Angelicam, Hildephonſus lib. de perpetua virginitate, Petrus Damiani Serm. de Annunciatione, Bernardus Sermone de Aſſumptione.

V. Nec audiendi, qui ad tuendum Petri Lucenſis errorem, fortaſſe reponerent, *virginei uteri* vocem, de quo Sacræ Litteræ, Patreſque Eccleſiæ tam multa, atque miranda præclarè dixerunt, latiùs accipi: ut nimirum ventrem ſuperiorem, ſeu thoracem, ipſumque etiam cor, aut certè partem cordi proximam complectitur. Id enim vera, propriaque vocis hujus ſignificatio non patitur. Ac ſi ita communiſſimas voces in alienum ſenſum detorquere licet, nihil jam certi ex Sacris Litteris, Patribuſque licebit extundere. Certè uteri vocem ſtricto ſenſu intellexit Virgo Deipara, dum diceadi Angelo: *ecce concipies in utero, & paries Filium*; illicò

Digitized by Google

illicò repoſuit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Si enim ſe in corde, aut juxta cor concepturam intellexiſſet, quò ſane viri opera non pertingit, fruſtra ſe virum non cognoſcere repoſuiſſet, ut patrandi miraculi modum addiſceret.

Accedunt momenta rationum, quæ, & ſuffugium illud occludant, & Petri Lucenſis commentum ab imo ſuffodiant. 1. Nulla in corde, aut juxta cor cavitas extat; ubi concipi, formari, foverique poſſit fœtus humanus: ac ſi qua fortè cavitas eſſet, non eſſet illa ad fœtum formandum, fovendumque à natura deſtinata: Chriſtus autem, ut loquitur D. Ambroſius, *ſecundùm conditionem naturæ in utero fœmineo fuit.* 2. Si illic Chriſti corpus formatum eſſet, continuo per menſes novem miraculo fuiſſet opus, ne Deipara à fœtu illic appoſito ſuffocaretur: miracula autem arbitrio fingere, ac ſinè teſte, non licet 3. Virgo Deipara, poſt menſes à ſalutatione Angelica circiter tres, externa, palamque patentia graviditatis ſigna dedit; propter quæ apud Joſephum patrati Myſterii, atque prodigii neſcium in aliquam adulterii ſuſpicionem venit; utique ob ventrem intumeſcentem, Matth. 1. Si etenim pectus illi juxta cor intumuiſset, non in patrati adulterii, ſed in contracti morbi alicuius ſuſpicionem veniſſet: nec dimittenda fuiſſet ut lapſa, ſed curanda ut ægra. In utero ergo, unde graviditatis ſigna prodibant, fœtum conceperat, geſtabatque Virgo, non juxta cor. 4. Virgo partui proxima *prægnans* in Euangelio dicitur, Lucæ 2. *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante:* quo nomine ea ſolùm intelligitur mulier, quæ infantem egreſſui proximum geſtat in utero. Quæ enim, aut in corde, aut in ſtomacho, aut alia corporis ſui parte geſtaret puerum, prægnans ineptiſſimè diceretur. 5. Virgo veri, propriique nominis Mater eſt Chriſti Domini: non eſſet autem, niſi accepta Spiritus Sancti virtute, loco ſubinde à natura deſtinato, ac naturalibus inſtrumentis, & organis ad ejus corporis formationem concurſum omnem adhibuiſſet, quem ſolent cæteræ matres adhibere. Uti nec Pater, nec Mater Evæ dicitur Adam, quamquam ex aliqua ejus parte à Deo formata ſit. Locus autem ad conceptionem à natura deſtinatus, uterus eſt, naturæ inſtrumenta, & organa illic extant, ac vigent. Qui ergo Chriſtum extra uterum in corde, aut juxta cor conceptum effutit, Matris honori detrahit, nobiliſſimumque illi titulum eripit; dum honori Filii, dignitatique conſultum vult.

VI. Sed nec Filii honori conſulit ſyſtema illud abſurdiſſimum. *Homo* quippe *Regis judicium diligit*: nec qualis libet, lubetque, fingi debet, ſed qualis Sacris in Litteris definitus eſt. Ex quo enim pro ſalute hominis verus homo fieri voluit, veruſque hominis filius; id verus ejus poſtulabat honor, ut verè conciperetur, verè naſceretur ex Matre. *Miſit enim Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret.* Ad Galatas 4. v. 4. Id ſi fortè humanæ menti minùs honorificum videatur, non idcirċò negandum eſt; ne & pari licentia Chriſtum flagellis cæſum, ſpinis in ludibrium coronatum, Cruci ſuffixum, & cum iniquis reputatum negemus; quæ multò magis indecora videri poſſent: ſed Hieronymi recolenda ſententia eſt, lib. contra Helvidium Cap. 9.

Quantò

Digitized by Google

Quantò ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tantò plus illi debeo; iſta nec erubeſcimus, nec ſilemus. Matris uterum: tametſi virgineum, adhuc tamen Divinæ Majeſtati concipiendæ, fovendæ, geſtandæ indignum profitetur Eccleſia in pia illa ſolemnique precatione, cuius auctores Auguſtinum, & Ambroſium perperam vulgus facit: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum:* non ideò tamen negat, ſed ob id ipſum ſummas illi gratias agit, veneraturque impenſiùs.

VII. Nec quemquam movere debet, quòd Virgo *Chriſtum corde concepiſſe* quandoque legatur: ut apud Prudentium in Carmine contra Homuncionitas.

Virginitas, & prompta fides Chriſtum bibit alvo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Et in ſexto Reſponſorio feſti Circumciſionis: *Confirmatum eſt cor Virginis, in quo Divina Myſteria Angelo nunciante ſuſcepit.* Figuratæ enim, non propriæ locutiones illæ ſunt, quibus, non tam nudam Virginis conceptionem expreſſam voluere, quàm fidem, charitatem, ac pietatem, quæis Chriſtum concepit utero. Aut certè cùm Virgo Chriſtum non uno modo conceperit, ſed duplici: fide primùm, ac ſpiritu; dum nuncianti Angelo fidem dedit: tum carne, dum obumbrante Spiritu Sancto Chriſti corpus utero complexa eſt: juxta celebratum illud Divi Auguſtini lib. de Sancta Trinitate Cap. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti..... Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi fæliciùs Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet:* priorem conceptionem ea loquendi formula expreſſam voluere, non alteram, quam aliis ibidem verbis, iiſque propriis ſignificarunt. Prudentius quidem ita canens:

Intactam talami virtus Divina puellam
Sincero afflatu per viſcera caſta maritat:
Ipſa coruſcantis monitum Sacra Virgo miniſtri
Credidit, atque ideò concepit credula Chriſtum.

En tibi Chriſtum caſtis viſceribus conceptum. Reſponſorium autem ſextum: *Confirmatum eſt cor Virginis, in quo Divina Myſteria Angelo nunciante ſuſcepit, quæ ſpecioſum forma præ filiis hominum caſtis concepit viſceribus.*

Eodem ſenſu accipiendæ veniunt aliæ loquendi formulæ Patrum, Scriptorumque Eccleſiaſticorum, qui vel Virginem *aure concepiſſe*; vel Dei Vebum *ad Virginem per aurem illapſum eſſe*, pronunciarunt: ut eſt apud D. Auguſtinum Serm. 10. de Tempore, Gregorium Neocæſarienſem, ſeu Joannem Chryſoſtomum Orat. 2. de Annunciatione, Proclum Conſtantinopolitanum Homil. de Incarnatione. Figuratæ, non propriæ formulæ illæ ſunt; quibus id unum ſignificatur: vocem Angelicam Virginis aure perceptam, cui & ipſa fidem adjunxit, primum veluti inſtrumentum fuiſſe, quo illa ad Chriſtum utero concipiendum adducta fuit. Perſatuum quippe eſſet, Virginem aure ipſa, tamquam efformandi fœtus officina concipientem ſibi fingere. Nec Divinum Verbum ſua ipſius natura immenſum, aure, vel ore, aliave corporis forata parte in Virginem illabi opus habuit; ut humanæ illic naturæ uniretur, quod ibi ſemper fuit, & eſt; etſi non illic ſemper humanam naturam hypoſtaticè terminaſſet.

Digitized by Google

naſſet. At quibus poſſunt verbis, tanti Myſterii excellentiam, & magnitudinem Patres exprimunt.

Turgidior fortaſſe, ac nimio major S. Fulgentii metaphora videri poterit, Sermone de laudibus S. Mariæ: *O conjunctio ſinè ſordibus facta; ubi maritus ſermo eſt, & uxor auricula*. Sed & ille ſermonem Angelicum *maritum* dixit, quòd externum virginalis fœcunditatis inſtrumentum fuerit, Mariam ad præſtandum aſſenſum invitans: Virginis auriculam *uxorem* vocitavit; quòd organo illo excepta ſit Angelica vox fœcunditatis nuncia, & adminiſtra.

VIII. Tertium demum, quod nos initio promiſimus tractaturos, quoniam peculiarem difficultatem habet, peculiariter quoque explicandum eſt: quas, ſcilicet, in hac mira Chriſti Domini conceptione partes habuerit Spiritus Sanctus, quas Virgo Deipara? Quod ita breviter ex Doctoris Angelici mente expediri poteſt. Spiritus Sanctus puriſſimum Virginis ſanguinem ad Dominici corporis formationem neceſſarium deduxit in uterum tamquam ad naturalem hujuſmodi opificii officinam: ſacrum illic corpus effinxit, inſtruxit organis, animavit; creatam, ſcilicet, animam aptato, inſtructoque corpori uniendo: Virgine materiam omnem, atque ſubſtantiam, operamque a vulgaribus matribus in ſuorum fœtuum formatione præſtari ſolitam, conferente. Uno verbo, quidquid activæ virtutis, & efficaciæ in virili ſemine ſolet eſſe, hoc excellentiori modo Divinus præſtitit Spiritus; quidquid corporalis ſubſtantiæ eſt in fœtum transformandæ, de virgine ſumpſit, non de ſua ſubſtantia contulit; imò conferre omninò non potuit. Non ſic tamen ſe res habuit in humanitate Divinitati unienda, ut & ipſa in Filii perſona ſubſtiteret. Unius enim Dei id opus fuit, nihil ad id Virgine Matre conferente.

Hinc latiſſima via patet, qua Patres inter ſe ſpecie tenùs diſſidentes mutuò concilies: quorum alii Spiritum Sanctum ſeminis vices in Chriſti conceptione geſſiſſe ajunt, ut Joannes Damaſcenus lib. 3. de fide, Cap. 2., & Auctor Operis imperfecti in Matthæum apud D. Joannem Chryſoſtomum, Homilia 1. Alii diffitentur, ut D. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium Cap. 38., & 39. Priores enim ſeminis vices egiſſe Spiritum Sanctum aſſeruere, illius dumtaxat ſpectata activa vi, atque virtute: alii pernegarunt, ſpectata ſeminis ſubſtantia corporali, quam de ſuo ſpiritus minimè contulit, ſed totam de Virgine ſumpſit.

Patet & via expeditiſſima, qua quæſtionem alteram ſolvas ab Auguſtino fuſiùs agitatam, Capitibus 37. 38. 39. Enchiridii ad Laurentium: Cur Spiritus Sanctus Chriſti pater ſecundùm humanam naturam non ſit, qui tantas in ejus formatione partes habuit. Nempe ideò non eſt pater, quia nihil de ſua ſubſtantia ad ejus formationem contulit: nec fœtum ejuſdem ſecum naturæ produxit. Quæ duo ad generationem, unde patris titulus oritur, Phyſici poſtulant. Cum contrà, verè, proprièque Chriſti Mater Virgo ſit, quæ & concurſum omnem, quem ſolent cæteræ matres, ad illius corporis formationem adhibuit; & ſuam ipſius ſubſtantiam contulit, & ejuſdem ſecum naturæ fœtum edidit. Num

Digitized by Google

autem perinde Dei Mater habenda ſit, adverſus Neſtorianos loco ſuo diſputabitur.

Cœterùm dum Spiritum Sanctum activum Dominicæ conceptionis principium dicimus, non ideò tamen Patrem Æternum, ac Filium ipſum ſecluſos volumus: cùm externa Dei opera totius Trinitatis communia ſint. Sed quadam locutionis proprietate id operis Spiritui Sancto ſpecialiùs adjudicamus. Idque triplici de cauſa à Doctore Angelico inſinuata 3. parte quæſt. 32. art. 1. in Corp. 1. Quia Chriſti Domini Incarnatio Divini amoris opus eſt, juxta illud Joannis 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Amor autem Spiritui Sancto tribuitur, ut potentia Patri, ſapientia Filio. 2. Quia opus eſt maximè gratuitum, ſeu ex ſola Dei gratia profectum; quod proinde Spiritui S. adjudicatur. 2. Cor. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* 3. Quia ad peculiarem humanitatis Chriſti ſanctificationem valuit Incarnatio, juxta Angeli pronunciatum Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Sanctificatio autem proprium Spiritus Sancti opus dicitur eſſe.

Si verò in Chriſti Domini conceptione, non ipſam corporis formationem, & animationem ſpectes; ſed ejus cum Dei Verbo unionem, quæ propriè Incarnatio eſt: hæc ſpectata quidem ut actio, totius, modo jam dicto, Trinitatis eſt opus: at ut humanæ naturæ terminatio eſt, ſuſtentatio, atque, ut Schola loquitur, *ſuppoſitatio*; hæc nec Spiritus Sancti, nec totius Trinitatis, ſed ſolius eſt Filii, qui ſolus dicitur factus homo.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXVIII.

De Virginis peregrinatione in montanam Judææ regionem ſuſcepta: ejuſdemque ad cognatam Elizabetham officioſo aditu.

I. UT ſeſe Virgini Chriſtum Dominum parituræ ſubduxit Angelus, Deuſque homo factus in ejus ſeſe immiſit uterum: peregrinationem in montanam Judææ regionem ſuſcepit Diva Mater, cognatamque Elizabetham officioſa ſalutatione convenit. Non civilis dumtaxat urbanitatis officium illud fuit, ſed ſacrum, religioſum, ac planè Divinum, Myſteriorumque pleniſſimum, quorum nobis ad præſens explicatio relicta eſt. Horum aliqua ſuſceptum iter proximè contingunt: alia facta ſalutationis fructus uberrimos: poſtrema totius officioſi aditus clauſulam cōplectuntur. De ſuſcepto itaque itinere primo loco exponere juvat: quo diſtinctè tempore illud Virgo ſuſceperit? Quo fine, quove conſilio? quò perrexerit? quocū tandem ſuſceperit iter? De ſingulis quippe multas multi fabulas narrant.

II. Excepta ſalutatione Angelica, hac ipſa die, nulla interpoſita mora, Virginem peregrinationem ſuſcepiſſe, ſeque itineri dediſſe, exiſtimarunt Theophylactus, & Beda; ob id fortè, quòd illam *cum feſtinatione abiiſſe* ſcripſerit Lucas Cap. 1. v. 39. Verùm aliud longè eſt, ſuſceptum ſemel iter facere feſtinantèr, quod de Virgine ſcripſit Lucas: aliud, Angelo diſcedente, iter confeſtim arripere, quod apertiſſimè negat. Ait quippe: *Et diſceſſit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in Civitatem Juda*: In illis, inquam, diebus, quæ loquendi formula ſuſceptum iter innuit, non qua die Angelicam ſalutationem excepit, ſed eo circiter tempore, ac poſt exactos dies aliquot; ne fortè, ſi ſuis inſalutatis abiret, ſuſpicionem fugæ relinqueret.

III. Illud potiùs ſcire juvat, qua de cauſa, quove conſilio pregrinatio illa à Maria ſuſcepta tunc ſit. Nec enim defuere, qui de Virgine hac in parte minùs dignè ſenſerunt; Theophylactus, Euthymius, Bonaventura, qui explorandæ veritatis cauſa ſuſceptum ab ea iter exiſtimant: probatura, ſcilicet, verane Angelus nunciaſſet, dum ait: *Ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis*: aut certè majorem experimento ipſo dictorum illorum certitudinem quæſitura. Veriùs longè, digniùſque de Virgine pronunciavit Ambroſius lib. 2. Comment. in Lucam: *Ubi hoc audivit Maria, non quaſi incredula de Oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo*: (ſibi ab Angelo date ſterilis Elizabethæ ſextum jam graviditatis menſem docentis) *ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana perrexit*. Eccur enim Angelici verbi veritatem explora-

tura, majoremve illius certitudinem quæſitura peregrinationem ſuſcepiſſet, quæ tanta firmitudine Cœleſti Nuncio fidem adjunxerat, ut diceret: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*: quæque de data verbis Angelicis fide ab ipſa Elizabetha impenſè laudatur: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*. Neque verò reponi poteſt: credidiſſe Virginem, quod ſibi de ſe fuerat nunciatum, non quod de cognata Elizabetha. Fides quippe, aut nulla, aut integra eſt: & ſi, quod difficilius eſt, Virgo credidit; ſe, ſcilicet, illæſa virginitate parituram; quidni quoque credidit, quod facilius; vetulam depulſa demùm ſterilitate concepiſſe?

Non itaque explorandæ veritatis cauſa peregrinatio ſuſcepta eſt. Quorſum ergo, inquies? Dicam breviter. Duplex hic finis ſecernendus eſt: Virginis unus peregrinationem ſuſcipientis; Dei alter bonam hanc illi mentem ſingulari quodam afflatu injicientis. Deus certè ea Virginis peregrinatione illud citra dubium intendit facere, quod in ea, ac per eam prodigalitèr factum eſt: Elizabetham, ſcilicet, ejuſque in utero incluſum Joannem Spiritu Sancto replere; Dei jam facti omnis notitiam utrique tradere, ut illum ſuo uterque modo propheraret. At Virgo ipſa, cui hanc ſuſcipiendæ peregrinationis mentem Spiritus Sanctus indiderat, id unum, cum ſeſe dedit itineri, intendit animo: Divinam voluntatem implere. Ut enim ſapienter obſervat Card. Toletus Annotatione 115. in Cap. 2. Lucæ: *Non habemus certitudinē ullam, neque ex Scriptura ipſa, neque ex Traditione, nec ex Patrum doctrina, Beatam Virginem hæc omnia, quæ ſubinde per illam prodigialiter facta ſunt, noviſſe tunc, cum profecta eſt*. Unde ingens illi, in obeunda peregrinatione, fidei, & obedientiæ acceſſit meritum.

IV. Iter illam egiſſe, Joſepho comite, vulgus putat: quòd jam eſſent Matrimonio juncti. At juncti licèt eſſent, Joſephum tamen iviſſe comitem, non eſt veriſimile. Liquet quippè ex Euangelio, Matth. 1. v. 19. Joſephum, Maria ex peregrinatione ſubinde reduce, Divinæ illius fœcunditatis Myſterium ignoraſſe; ac de illa ſiniſtrum quidpiam fuiſſe ſuſpicatum, ubi gravidam deprehendit, deque illa dimittenda cogitaſſe. Myſterium porrò noviſſet Divinamque ſponſæ graviditatem intellexiſſet, ſi factus viæ comes, patrata in Zachariæ domo prodigia ſuis ipſe oculis uſurpaſſet, vocemque cognatæ Elizabethæ inaudiſſet: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* Non ergo Joſepho comite fecit iter: ſed, vel ſola fecit, ne quem ſecretorum, quæ tunc Deus volebat occulta, haberet conſcium; vel, quod poſtulare videbatur honeſtas, & pudor, ſumpta ſibi ſocia prudenti, gravique Matrona. Quod utrumque tamen incertum eſt. Quare caſtiganda omninò venit Pictorum audacia, qui, ubi officioſum illum Mariæ Virginis ad cognatam Elizabetham aditum adumbrant penicillo, ambaſque Matres inter ſe conſalutantes repræſentant; binos quoque ſeniculos Joſephum, & Zachariam mutuæ ſalutationis officium invicem peragentes effingunt. Bina utique ſtoliditate. Namque Joſeph, ut probavimus, procul aberat: Zacharias verò ſurdus æquè

erat,

Digitized by Google

erat, ac mutus, peragendæ conſalutationi parùm idoneus. Mutum quippe disertè teſtatur Euangelium Luc. 1. v. 20., *Ecce eris tacens & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant*, ſeu naſcatur filius: Surdum probat ejuſdem Capitis verſiculus 26. *Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum*: nutibus enim Zachariam interrogare non fuiſſet opus, niſi fuiſſet & ſurdus. Unde pro eo, quod in Vulgata legimus, *Eris tacens, & non poteris loqui* (quæ tautologia videtur eſſe) plerique Veterum legunt: *Eris ſurdus, & non poteris loqui*.

V. Difficilioris inquiſitionis fuerit, in quam diſtinctè Civitatem iter intenderit Virgo, Zachariæ domum, ubi ſalutaret Elizabetham, aditura. Nihil enim diſtinctè notat Euangelium; ſed *in montana, in Civitatem Juda* abiiſſe, ſimpliciter dicit. Unde tanta opinionum orta varietas. Jeroſolymam aliqui putant, alii Bethleemum, alii Macherontem, nonnulli Emmaus, plerique Hebronem, certa omnes ratione, atque auctoritate deſtituti. Jeroſolyma quippe, non ad Juda, ſed ad Tribum Beniamin pertinebat: utque erat Regni ſedes, ac Religionis centrum, nuſpiam Sacris in Litteris vago illo, atque obſcuro *Civitatis Judæ* nomine deſignatur, ſed ſuo ipſius proprio. Bethleem, Judæ quidem Civitas erat; at non item Sacerdotalis, in qua Zacharias Sacerdos fixam domum habere poſſet. Quod idem de Emmaus, & Macheronte dicendum. Ut ſileam, Macherontem in Tribu Ruben, non in Tribu Juda fuiſſe ſitam. Quæ demum ſupereſt Hebron, (cui & nomen eſt Cariatharbe) ea quidem, & in Montanis ſita erat, & in Judæ Tribu poſita, & Sacerdotibus in partitione Terræ Sanctæ ad habitandum attributa: Joſue 21. v. 23. Quæ res multis fucum fecit, ut eam a Luca vago illo *Civitatis Juda* nomine deſignatam arbitrarentur. Verùm cùm vagi hujus nominis octo aliæ Civitates eſſent, *Lobna, Jether, Eſtemo, Holon, Dabir, Ain, Jeta, & Bethſames* laudato Joſue loco perinde notatæ: quis certò ſtatuere audeat, quam ex omnibus Lucas velit intelligi? Imò, cùm tot titulis præſtaret *Hebron* totius Judæ Tribus urbs maxima, ac etiam Tetrapolis per ſeptem annos Davidis Regia, ac olim ſub Chananæis Imperii ſedes omnium antiquiſſima: minùs profectò veroſimile eſt, Lucam vago illo, obſcuroque nomine Hebronem deſignaſſe. Quam igitur Civitatem adierit Virgo cognatam Elizabetham ſalutatura, nemo niſi temerè certò definiet. Idque unum nobis innoteſcere voluit Deus: in montanam Judææ regionem Virginem contendiſſe, ut ſuſcepti itineris aſperitatem, ac longitudinem noſceremus. Quatriduo ſiquidem diſtat hæc Nazaretho.

VI. Sequitur de factæ ſalutationis fructibus ut dicamus. Hos paucis complexus eſt Lucas v. 41. *Factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus; & repleta eſt Spiritu S. Elizabeth*. Geminum, ſcilicet, fructum ex facta ſalutatione conſecutum inſinuat: Joanni alterum obvenientem; exultationem nimirum in utero: alterum Elizabethæ; datam illi Spiritus Sancti plenitudinem. De quibus multa ſunt; quæ vertuntur in dubium.

Ac primò de Joannis exultatione, quæ, & qualis illa fuerit, acriter diſputatur. Num, videlicet, motus ille, atque ſubſultus in utero ſecundùm

dùm naturam fuerit, an ſupra naturam? Num ex rationis uſu, quo Chriſtum in Virginis utero geſtatum noſceret, ortum habuerit? Num inditus illi tunc rationis uſus momentaneus veluti fuerit, ac tranſitorius; an deinceps ad ortum uſque continuatus? Num ex tunc ſanctificatus ſit Joannes; quove genere ſanctitatis.

Fuere enimverò ex Heterodoxorum grege non pauci, qui nil niſi ſecundùm naturam in ea Joannis exultatione deprehenderint: merumque puculi ſubſultum ſint opinati ex ipſa Matris ejus ad Virginis adventum geſtientis exultatione profectum. Quòd nempe naturale ſit pueris, ut gaudio geſtiente matre, ipſi quoque moveantur in utero, ac modo quodam exiliant. Quare quod ſubinde dixit Elizabetha v. 44. *Exultavit in gaudio infans in utero meo*, ſic accipiunt Novatores, ut in gaudio matris, non ſuo ipſius gaudio exultaverit Infans; motuque corporis tantùm, non animi exilierit. Impiè tamen illi, & imperitè. Quamquàm enim occluſi in utero pueri motus aliquis ex geſtientis matris lætitia naturaliter edi poſſit: ipſoque etiam naturæ ductu, atque inſtinctu ſubſiliat interdùm puer, agiteturque: quo pacto Jacob, & Eſau in utero Rebeccæ rixatos legimus, Geneſis 25. v. 22., cum tamen Joannis ſubſultum, non à natura fuiſſe, ſed ex peculiari Spiritus Sancti motu, atque impulſu; nec corporis tantùm motum fuiſſe, ſed animi, ex ipſa Angeli Zachariam ejuſdem parentem præmonentis teſtificatione habemus, Lucæ 1. v. 15. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Neque enim completum id fingi poteſt, niſi dum ad repentinum Chriſti utero virgineo concluſi adventum dicitur exultaſſe. Tantùmque abeſt, ut ex matris gaudio exilientis pueri motus ſit obortus; ut contrà potiùs, ex ipſo exilientis pueri motu, (unde Deum advenìſſe deprehendit Elizabeth) matris gaudium ſit enatum. Quod non obſcurè notavit Lucas: *Ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus; & repleta eſt Spiritu S. Elizabeth*: ut Deum, Deique Matrem agnoſceret. Apertiùs verò Patres: Ambroſius lib. 2. Comment. in Lucam: *Exultavit Infans, & repleta eſt Mater. Non priùs repleta Mater, quàm filius; ſed cum filius eſſet repletus Spiritu Sancto, replevit & Matrem*. *Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanum, nunc 187. Repleta eſt Spiritu S. Elizabeth, quo procul-dubio revelante cognovit, quid illa exultatio ſignificaret Infantis: ideſt, illius veniſſe Matrem, cujus Præcurſor ipſe, & monſtrator futurus eſſet*. Unde paucis interjectis ſubinde colligit, quod hic adverſus Hetorodoxos maximè quæritur: *Joannes nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: quod utique niſi operatione Spiritus S. fieri potuiſſe, quis credat?*

VII. Meliores fortaſsè Theologi, at pejores certè Philoſophi ſunt habendi ſomniatores nonnulli, quos tacitis nominibus carpit Vincentius Regius lib. Elucidarii Cap. 6., qui cùm Joannis exultationem præter naturam, ac miraculo factam agnoſcant, motum tamen illum, atque ſubſultum accidiſſe ajunt ex converſione faciei Joannis ipſius versùs Virginem, Chriſtumque in ea latentem. Putant, ſcilicet, ii, ita puerum in utero fuiſſe poſitum, ut faciem in matris dorſum haberet obverſam; atque adeò, ut Chriſtum adoraret, faciem versùs matris abdomen obvertiſſe: unde ſubſultus ille ſit factus, de quo loquitur Euangelium. Ecquis tales

mihi

Digitized by Google

mihi Philoſophos dedit, de puſionum in matrum uteris ſitu tam ſtultè, tam inaniter delirantes? Faciem enim ſuis ipſorum genibus applicitam habere parvulos in glomum veluti convolutos, quandiu in matrum uteris deliteſcunt, docent Phyſici, ac cœteri quique naturæ ſpeculatores. Sed & idem de Chriſto urgeri poſſet argumentum; ſi, quod iſti ſomniatores effutiunt, veritatem haberet. Cùm enim ipſe eadem poſitione locatus eſſet, qua cœteri parvuli: ſi vultum ad Virginis Matris dorſum obverſum habuit; debuit ipſe quoque ad Matris abdomen obverti; ne d officioſum Joannis motum inurbanè agere videretur. Apage nugas.

VIII. Videndum meliori titulo, num ex rationis uſu, quo Chriſtum in Virginis utero geſtatum noverit, ortum habuerit exultatio? Habuiſſe non dubitaverim, Chriſtumque noviſſe. Ecquod enim abſque rationis uſu gaudium illi eſſe potuit; quæve ſinè animi ſenſu Spiritus Sancti plenitudo? Quod tamen vtrumque illi tunc inditum notat Lucas, v. 44. *Exultavit in gaudio Infans*: & v. 15. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*. Hoc ipſum verbis ampliſſimis teſtantur Patres omnis ætatis, Sacrarumque Scripturarum Interpretes: Origenes Homil. 10. in Lucam, S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes Cap. 18., S. Joannes Chriſoſtomus Homil. 2. de S. Joanne, S. Ambroſius lib. 5. de fide Cap. 4., & Sermone 63., S. Hieronymus in Dialogo adverſùs Luciferianos, S. Leo Serm. 4. de Epiphania, S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3., S. Gregorius Magnus lib. 7. Moralium Cap. 5., S. Maximus Homil. 2. de Nativitate S. Joannis, S. Petrus Chryſologus Serm. 84., S. Bernardus Serm. de Nativit. S. Joannis, Euthymius, & Theophylactus in Comment. in Lucam. Quorum Patrum aliqui datum Joanni jam tunc Propheticum lumen agnoſcunt; quod nemini niſi ratione utenti concedi poteſt.

Unus dumtaxat, & alter tot ſummis Eccleſiæ Patribus repugnaſſe videri poſſunt D. Auguſtinus Epiſt. 57., nunc 187. ad Dardanum, & S. Eucherius Lugdunenſis in Quæſtionibus in vetus, & novum Teſtamentum, quæſt. 3. in Lucam. Sed nec ii ſummo jure repugnant. Auguſtinus quippe quæſtionem hanc verſat quidem laudata Epiſtola; nec ſatis ex Euangelio dirimi poſſe putat, propterea quòd illic Joannes *in gaudio exultaſſe* dicatur: cum, ut ait, exultationem non ſolùm parvulorum, ſed etiam pecudum videamus: non utique de aliqua fide, vel religione, vel quacumque rationali cognitione venientem. (Quæ tamen, bona pace dicam, exceptio futilis eſt: cùm Joannis exultatio ex ſpirituali gaudio ſit orta, atque ex effuſa Spiritus S. plenitudine; qualis profectò non eſt pecorum, & jumentorum.) Quæſtionem nihilominùs non definit Sanctiſſimus Doctor: ſed ut-ut maximè ita de illa pronunciat: *Etiamſi uſque adeò in illo puero acceleratus eſt uſus rationis, & voluntatis, ut intra viſcera materna jam poſſet agnoſcere, credere, conſentire, quod in aliis parvulis ætas expectatur, ut poſſint: etiam hoc in miraculis habendum eſt Divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ*. Quod quis neget, aut etiam vertat in dubium? Sed & lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 15., quod memorata Epiſtola inficiari videbatur, diſertiſſimè ponit. Joannem enim Chriſtum antea noviſſe probat, quàm columbam capiti ejus, dum baptizatus

eſt,

Digitized by Google

eſt, influentem cerneret: *quia etiam in utero matris exultavit, cum ad Elizabeth Maria veniſſet.* Quæ certè probatio futilis eſſet, ac ſenſu vacua, niſi exultationem agnoſceret Auguſtinus ex rationis uſu profectam.

Eucherium verò quod intereſt, & perperam dicitur repugnaſſe. Propoſitæ quippe quæſtioni: *Ad adventum Matris Domini quomodo Joannes adhuc ſenſu carens in utero potuit exultare materno?* Reſpondet paucis verbis: *Hoc magis Matris ſenſu, vel gaudio, à quibuſdam factum æſtimatur, ut etiam interioribus poſſet exultare viſceribus. Aut certè, ſi hoc ad Joannem potiùs referre placet, inter miracula Divina reputandum eſt.* Quo reſponſo primam ſolutionis partem, quæ Joannem ſenſu carentem ponit, Matris potiùs exultaſſe gaudio, quam ſuo, aliis, iiſque obſcuris Interpretibus tribuit: alteram, quæ Joannem ſuo ipſius gaudio, atque ita mentis, voluntatiſque actu exultaſſe divinitùs aſſerit, certam ſuam ſententiam profert. Atque ita nihil à cæterorum Patrum Interpretatione diſcedit.

IX. In eo longè veriùs Sacrarum Scripturarum Interpretes inter ſe diſſidentes invenio: Num inditus tunc Joanni rationis uſus momentaneus fuerit, ac tranſitorius, an ad ortum uſque, ac deinceps ſit continuatus? Et quidem ex patrati miraculi conditione illud neceſſe non erat; ut datus illi rationis uſus perennaret: ſeu Chriſto ſtatim agnito, ac demonſtrato, peractoque, ut ita loquar, Vatis officio, obſcurari mens illi potuit, atque in priſtinum ſtatum redire: quemadmodum in cæteris Prophetis, poſtquam ea prædixerant, quæ Deus per eos volebat populo ſignificari, non ultra Propheticus Spiritus perennabat. Verùm quamquam continuari in Joanne rationis uſum neceſſe omninò non eſſet: fuiſſe tamen re ipſa continuatum, veriſimiliùs exiſtimo. Hujus mihi ſententiæ Auctores ſunt Origenes, & Ambroſius, qui Joannem primo Virginis aditu ſanctificatum, virtute deinceps etiam in utero profeciſſe ajunt: Ille quidem Homilia 9. in Lucam: *Si ex eo, quòd tantùm venit Maria ad Elizabeth, & ſalutavit eam, & exultavit infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elizabeth prophetavit, & in una hora tantos profectus habuit: noſtræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus menſibus Joannes profecerit; aſſiſtente Maria Elizabethæ. Valde quippe indignum eſt, in puncto horæ, atq; momento exultaſſe infantem, & quodammodo laſciviſſe, repletamque eſſe Spiritu Sancto Elizabeth: per tres verò menſes, nec Joannem, nec Elizabeth ex vicina Matris Domini, & ipſius Salvatoris præſentia profeciſſe.* Iſte verbo lib. 2. Comment. in Lucam: *Non ſola,* inquit, *familiaritatis eſt cauſa, quòd apud Elizabetham Maria diu manſit, ſed etiam tanti Vatis profectus. Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis: quantum putamus uſu tanti temporis Sancta Maria addidiſſe præſentiam?* Quis porrò Joannis profectus trium illorum menſium ſpatio potuiſſet eſſe abſque rationis uſu? Sed & eundem animi ſenſum, mentiſque intelligentiam habuiſſe naſcentem puerum, ſcribunt laudati Doctores, qui Zachariæ parentis ipſius Canticum ab eodem recens nato probè intellectum opinantur. Origenes Homil. 10. in Lucam: *Si dubitas, ſtatim de utero Matris effuſum probè verba Patris audire, & ſcire, quid ſit hoc, quòd de ſe dicitur: Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: conſidera multò fuiſ-*

ſe

Digitized by Google

ſe mirabilius, quod præceſſit: Ecce ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in aures meas, exultavit Infans in gaudio in utero meo. Si enim in ventre Matris concluſus audivit Jeſum, & audiens exilivit, atque lætatus eſt: quare non credas, eum jam genitum prophetiã patris audire, & intelligere potuiſſe dicentem ad ſe: Et tu puer Propheta Excelſi vocaberis; antecedens enim corã Domino parare vias ejus? Ambroſius verò, laudato jam lib. 2. Comment. in Lucam; idem illud Zachariæ Canticum exponens: *Sed fortaſſe aliqui quaſi irrationabilem mentis exceſſum putant, quòd Zacharias octo dierum alloquatur infantem. Verùm, ſi advertamus, intelligemus profectò, quòd potuit vocẽ Patris natus audire, qui Mariæ ſalutationem, antequam naſceretur, audivit. Sciebat profectò alias eſſe aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate referantur. Habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum.* Quibus ſubſcribit etiam Theophylactus, eumdem Euangelii locum exponens. *Rarum videtur, quòd Zacharias ad puerum loquitur adhuc inſenſatum. Quomodo potuit loqui? Dicendum igitur, quòd, ſicut raram, & admirabilem habuit nativitatem puer, qui exultavit, & prophetavit in utero ad adventum Mariæ; ſic non eſt mirum, ſi etiam ea, quæ à patre dicebantur, intellexit.* Non ſic tamen rationis uſum continuatum habuiſſe Joannes putandus eſt, quaſi ante ſolitos diſcretionis annos ad quæcumque intelligenda valeret: ſed ſola Myſteria gratiæ, quorum notitia ad Præcurſoris officium pertineret; hancque ipſam intelligentiam externis tunc actibus minimè prodidiſſe.

X. Ex dictis hactenus illud perinde conſequens eſt; Joannem in utero ſanctitatem fuiſſe adeptum, eamque uberrimam, cumulatiſſimamque, in gratiæ habitualis, virtutum, atque donorum infuſione poſitam. Ea quippe omnia recitato Angeli elogio continentur: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ.* Subſcribunt inſuper Eccleſiæ Patres: Origenes Homil. 10. in Lucam: *Sancta erat anima Beati Joannis; & adhuc in matris utero clauſa, venturaque in Mundum, quaſi per experientiæ ſenſum ſciebat, quæ Iſrael ignorabat.* Cyprianus Epiſt. 73.; quæ eſt ad Jubajanum: *Gratia Divina in utero matris Joannes impletur.* Athanaſius Serm. 4. contra Arianos, *permulti fuerunt ſancti puri omnis criminis: ſiquidẽ Jeremias in utero ſanctificatus fuit, & Joannes, dum adhuc à gravida matre geſtaretur, exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis.* Cyrillus Jeroſolimitanus Catecheſi 3. *Cum geſtaretur in utero, à Spiritu Sancto ſanctificatus eſt.* Ambroſius lib. 2. in Lucam, *In Joanne priùs fuit ſpiritus gratiæ, quàm vitæ*; exterioris, ſcilicet, reſpirationis. Gregorius Magnus lib. 3. Moralium Cap. 5. *Intra matris uterum ſpiritu prophetiæ repletus eſt, priùs, ut ita dixerim, renatus, quàm natus.* Omnium verò diſertiſſimè B. Petrus Damiani Sermone 1. de Joanne Baptiſta, memoratum Præcurſoris elogium altiùs exagerans: *Neminem unquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Joannem Baptiſtam, & Jeremiam. Sed longè minor Jeremiæ ſanctificatio, quàm Joannis. Ille quidem in utero matris ſanctificatus eſt, hic repletus Spiritu S. fuiſſe cognoſcitur. Multò quippe excellentius eſt, Spiritu Sancto repleri, quàm ſanctificari. Ibi enim ſanctificatio emundationem, hic repletio inundationem ſignat. Denique & Apoſtoli, qui manibus ſuis tractaverunt de verbo vitæ, cum Spiritum Sanctum accepiſſent de Salvatoris afflatu, vix quinquageſimo à Reſurrectionis die ad illum gradũ per-*

Digitized by Google

tuerunt pervenire, ut diceretur de eis: Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Et licèt Spiritus S. largiori tunc munere credentium corda repleverit; hac tamen Joannes legitur in utero aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem longiori permiſſione potuit obtinere.

XI. Cœterum: num ea ſanctificationis gratia, qua in utero cumulatus eſt Joannes, regenerationis etiam fuerit; qua nimirùm abſterſo originis vitio renatus in Chriſto ſit, qui in Adam carnalis conceptionis lege mortuus erat, ſubdubitant Patrum aliqui eo maximè titulo, quòd nemo renaſci in Chriſto poſſit; niſi fuerit antea natus. Sic Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanum: *Excepto angulari lapide Chriſto, non video, quomodò ædificentur homines in domum Dei, ad habĕdum in ſe inhabitantem Deum, niſi cum fuerint renati: quod non poſſunt eſſe, antequam nati. Quamlibet itaque ſententiam de prægnantibus, imò de hominibus habeamus adhuc intra materna viſcera conſtitutis: utrùm exiſtimemus, eos donari poſſe aliquo ſanctificationis modo, nec ne: vel propter Joannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: (quod utique, niſi operatione Spiritus Sancti fieri potuiſſe, quis credat?) vel propter Jeremiam, cui Dominus dixit: Priuſquam exires de vulva ſanctificavi te; tamen illa ſanctificatio, qua efficimur, & ſinguli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum, quod niſi nati homines eſſe non poſſunt.* Sic & D. Bernardus Epiſtola 174., quæ eſt ad Canonicos Lugdunenſes: *Certiſſimè Spiritus Sanctus, quem replevit, ſanctificavit. Cæterum quatenus adverſùs originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſive pro iſto, ſive pro Jeremia, ſive quis alius ſimili præventus eſt gratia, non temerè dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus ſanctificavit, & cum eadem ſanctificatione prodiiſſe ex utero, quam acceperunt in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuiſſe illatenus horum natali jam donatam præpedire, ſeu præripere benedictionem. Attamen quis dicat: Spiritu Sancto repletum manere adhuc filium nihilominùs iræ, & ſi mori in utero contigiſſet, cum hac plenitudine Spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum eſt. Minimè tamen auſim, hinc quidpiam mea ſententia definire.* Verùm quæ tandem illa ſit dubitandi ratio, planè non video: cum illud potiùs certiſſimè conſtet, non poſſe quemquam ſanctitate donari, ſimulque originali peccato teneri: Dei per gratiam amicum fieri, ſimulque per originale peccatum iræ filium remanere: Divinæ naturæ participem fieri, ſimulque Diabolo mancipari. Quod etiam ab illis principium ponitur: *Neminem renaſci in Chriſto poſſe, qui non fuerit antea natus*, minùs urget. Quamquam enim in communi regeneratione, quæ Baptiſmi Sacramento confertur, id locum habeat: quia eum ſalutaris unda nequit abluere, cujus, aut corpus integrum, aut pars illius aliqua extra uterum non prodierit; in ea tamen regeneratione, quæ occulta Dei virtute, ac miraculo fit, duplex ſecernenda nativitas eſt: altera quidem in utero, quæ & conceptio de more dicitur: altera ex utero, quæ nativitatis nomen vulgò ſortitur; ſatiſque, ut renaſci in Chriſto quis poſſit, omninò eſt, ſi natus in utero fuerit, ſeu conceptus: cùm vel ſic originali peccato teneatur, & gratiæ ſanctificantis divinitùs ſuſcipiendæ ſit capax.

Non me fugit, D. Auguſtinum (cum quo mihi contendere pudor

eſt;

eſt; cogor tamen, ne Eccleſiæ de Joannis ſanctificatione traditionem omninò deſeram) eam duplicis nativitatis diſtinctionem impetere, arguta ſanè ratiocinatione: nimirum; ſi Conceptio *Nativitas* quoque vocitetur; regeneratio, quæ Baptiſmate fit, non ſecunda, ſed tertia nativitas computabitur; quam, videlicet, duplex nativitas in utero, & ex utero anteceſſit. Sed quidni Conceptionem, ſenſu quidem expoſito, *Nativitatem* vocemus, quam vel ſic vocitat Euangelium, Lucæ 1., ubi de prægnante Virgine Dei Matre ab Angelo dictum eſt: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt?* Sic enim conceptus in utero Chriſtus, in Virgine natus dicitur. Nec propterea, ut obiicit Auguſtinus; regeneratio, quæ Baptiſmate fit, tertia nativitas dicitur: quia, ut advertit Doctor Angelicus, quæ binæ nativitates antecedunt in utero? & ex utero, pro unica reputantur, quòd ejuſdem naturæ ſint, & conditionis. *Duæ iſtæ nativitates in uno conveniunt, ſecundùm quòd contra tertiam dividuntur; utraque enim illarum carnalis eſt; hæc verò ſpiritualis*. In 3. Sentent. Diſt. 3. quæſt. 2. Art. 1.

XII. Atque id de Marianæ ſalutationis fructibus in Joannem derivatis. Hos proximè ſequuntur, qui in ejus matrem Elizabetham promanarunt; effuſus nimirum in eam Spiritus S., inditumque propheticum lumen, quo Deum in utero virgineo factum hominem novit, ac prædicavit: *Unde hoc mihi* bonum, *ut veniat mater Domini ad me?* In quo ſingulare illud, ac præter naturæ ordinem Patres obſervant: in Elizabetham Joannis plenitudinem derivaſſe, non ex Elizabetha in Joannem: in eum fermè modum, quo ex Chriſti plenitudine ipſa quoque Virgo Mater accepit, non ex matre Virgine Chriſtus. *Vocem prior Elizabeth audivit: ſed Joannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audivit; iſte exultavit ratione Myſterii: illa Mariæ; iſte Domini ſenſit adventum. Iſtæ gratiam loquuntur; illi intùs operantur, pietatiſque Myſterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres ſpiritu parvulorum. Exultavit infans, & repleta mater eſt. Non priùs mater repleta, quàm filius: ſed cum filius eſſet repletus Spiritu Sancto, replevit & matrem*: Ambroſius lib. 2. in Lucam. Quamquam alia Chriſti, alia Joannis fuerit plenitudo: primigenia illa, ac planè nativa: iſta deducta, atque à Chriſto Domino derivata.

XIII. Fructus etiam Marianæ Salutationis aliquos in Zachariam promanaſſe, eumdemque ex Spiritus Sancti plenitudine, qua donatus eſt filius, aliquid accepiſſe; nil dubito: quamquam nullo tunc externo ſigno prodiderit: ſed tunc tantùm, cùm natus filius circumciſus eſt. Ex filii quippe ſpiritu prophetaſſe tunc Zachariam, uti antea prophetarat Elizabeth, Patres paſſim affirmant, ac ipſa quoque profitetur Eccleſia, ne Joanne dum canit:

Ventris obſtruſo poſitus cubili,
Senſeras Regem thalamo manentem;
Hinc parens Nati meritis, uterque
Abdita pandit.

XIV. Sed ad efficioſi aditus clauſulam, de qua nos poſtremo loco dicturos ſpopondimus, veniamus. Excepta Elizabethæ ſalutem reddentis

Digitized by Google

gratulatione, qua & Dei Mater, & inter mulieres benedicta fuerat prædicata, Canticum *Magnificat* Virgo cecinit: magnalium Divinorum erga ſe, ac genus humanum patratorum breve compendium: Cœleſtis ſapientiæ, myſteriorumque pleniſſimum, cujus explanationem, quòd nihil hiſtoricum refert ad noſtrum inſtitutum attinens, Interpretibus linquimus.

Virginem ſacrum illud Canticum modulata voce, & carmine cecinisſe, contendit Rutilius Benzonius, lib. 1. Cap. 3. ob id maximè, quòd & *Canticum*, & *Himnus*, & *Pſalmus* interdum vocetur à Patribus. Incasſùm tamen, ac fruſtra. Quæ enim laudationes proferuntur ore, affectu, animoque ſuam erga Deum gratitudiuem teſtandi, iis interdum donantur nominibus; tametſi neque carmine dictæ, nec canora vocis modulatione ſint pronunciatæ. Quod ſexcentis exemplis demonſtrare facile fuerit. Ut ſileam, nec illud quidem apud ſacros Interpretes conſtare, Davidicos Pſalmos carmine fuiſſe conſcriptos. Illud verius, illud certius, quod & Patres interdum obſervarunt: Virginem in magna verborum ſimplicitate infinita ſupra terrenarum mentium capacitatem Myſteria ſuo illo Cantico eructaſſe.

XV. Eo abſoluto, abſoluta quoque eſt Deiparæ ſalutatio primo aditu facta, tantorum, quæ vidimus antea, prodigiorum effectrix. Non illic tamen ejuſdem apud Elizabetham commoratio finem habuit: ſed ad majorem pueri profectum, ad tres circiter menſes protracta eſt. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus*, inquit Lucas Cap. 1. v. 56. Quocirca quæſtio haud ita ſolutu facilis naſcitur: Num ad Elizabethæ partum, ortumque Joannis Mariæ commoratio protracta ſit; an potiùs domum, antequam pateret, illa repetierit? Nihil quippe, vel ex Euangelio, vel ex Patribus, vel ex ipſa ratione, ut in partem alteram definiatur, extundi poteſt.

Ac ex Euangelio quidem Lucæ 1. v. 26., Virginem ſexto menſe à concepto Joanne itineri ſe dediſſe: itemque tribus quaſi menſibus cum Elizabetha manſiſſe, (v. 56.) ſat benè colligitur. Verùm inchoatus ne, completuſve tunc eſſet menſis ſextus, dum ſeſe dedit itineri, totoſque ſubinde menſes tres cum Elizabetha ſubſtiterit, ex Euangelio non habemus: dubiumque facit interjecta particula *quaſi*, quæ ex Sacrarum Scripturarum uſu, ut minuendi; ita & augendi quandoque vim habet. Ut ſileam, menſem nonum ad partum à natura haud ita eſſe definitum, quin matrum aliæ citiùs, aliæ ſeriùs pariant.

Rurſus, quòd Marianæ Salutationis hiſtoriam claudat Lucas, antequam Elizabethæ partum narrandum aggrediatur, in hunc modum: *Manſit autem cum illa quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam. Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium*: id, inquam, neminem movebit, qui obſervabit, unam quandoque ab Euangeliſtis hiſtoriam claudi, non quòd res ipſa peracta ſit, conſumataque tunc fuerit, antequam, quod narrandum aſſumitur, initium habeat: ſed quòd nihil ultra de ea dicturi ſint, aliudque argumentum ſit tractaturi. Cujus exempla ſunt apud Matthæum Cap. 26. & 27.

Ex priorum etiam ſæculorum Patribus nihil ea de re colligere licet; Qui

Digitized by Google

Qui enim à nonnullis Interpretibus laudatur Origenes, tanquam Mariam Elizabethæ partui interfuiſſe ſcripſerit, Homil. 9. in Lucam; is certè producitur temerè, nihilque, quod in eam ſententiam trahi poſſit, omninò habet. Ambroſius quoque, qui lib. 2. Comment. in Lucam, obiter ait: *tamdiu manſiſſe Mariam, quamdiu Elizabeth pariendi tempus impleret*; quid ſibi ea velit loquendi formula, haud ſatis indicat: num, ſcilicet, pariendi tempus intra Mariæ moram includat, an veriùs excludat. Cœteri verò mediæ, & inferioris ætatis Scriptores varias ſcinduntur in partes: aliis Mariæ præſentiam, dum pareret Elizabeth, propugnantibus; Petro Damiani Serm. 1., & 2. de Joanne Baptiſta, Venerabili Beda in Cap. 1. Lucæ, D. Bonaventura in Meditat. Cap. 5.: aliis ex adverſo planè repugnantibus; Theophylacto, Euthymio in Commentariis, Nicephoro lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 8. Quæ demum producuntur hinc inde momenta rationum; cùm ex ſolis petantur congruis, nihil certò probant, nihil evincunt. Quare donec meliora ſuccurrant, nihil de tota quæſtione ſtatuendum, exiſtimamus.

XXXX3

Digitized by Google

EXERCITATIO XXIX.

De Chriſto Nato. Quomodo ex Matris prodierit utero?

I. CHriſti naſcentis Myſterium, quantum Theologi retici officium poſtulat, pro modulo noſtro explicaturi, rerum multitudinem dicendarum ad tria ſumma capita revocabimus. Alia quippe ipſam, ut ajunt, Myſterii ſubſtantiam ſpectant: alia ejuſdem adjuncta: reliqua appendices, & conſectaria. Subſtantiam Myſterii dicimus, quæ, & Chriſtum naſcentem, & Virginem parientem intimè contingunt: adjuncta, circumſtantias, & conditiones loci, & temporis, quibus peractum eſt: appendices, & conſectaria, quæ ad illius celebritatem dicuntur illicò ſecuta prodigia. De quibus ex ordine diſſerendum eſt.

II. Primò itaque omnium, quæ Virgo Chriſtum conceperat, Virgo peperit; *humani quidem partus lege* fœtum emittens, ut ajunt, Hieronymus lib. contra Helvidium, & Hilarius lib. 2 de Trinitate: ſed integris omninò, inviolatis, obſignatiſque pudoris clauſtris, ut idem loquitur Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, cæterique paſſim Eccleſiæ Patres, Auguſtinus Serm. 2., & 14. de Nativit., S. Ambroſius lib. de Inſtitut. Virginibus Cap. 7., & 8., Eucherius Lugdun. Homil. 2. de Nativit., Heſychius Homil. 2. de Deipara, Germanus Oratione de Nativ., Petrus Damiani Serm. 3. Quare ſi qui fortè dictum illud Exodi 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*, Chriſto D. accomodarunt, vulvamque Deiparæ *apertam* in partu dixerunt; ut Origenes homil. 14. in Lucam, Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 23. Teophylactus, Euthymius, aliique nonnulli; *apertam* intellexere, hoc eſt, *perviam*, nec obſiſtentem, quominus Chriſtus prodiret in lucem, tametſi eo aditu nullatenus patefacto, ac reſerato: quod, ubi de Virgine purificata ſermo fuerit, cumulatiùs exponemus.

III. Cæterum quo pacto, quove portento effectum ſit, ut clauſo Virginis utero Chriſtus exiret, non æquè expoſitum video. Sunt, qui factum idcircò putent, quòd ex Matris latere prodierit: quos meritò carpſit S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 15., prælucentibus S. Joanne Chryſoſtomo Homil. 49. in Geneſim, S. Gregorio Nazianzeno Epiſt. ad Cledonium, S. Epiphanio Hæreſi 69., & 77. Sic enim Chriſtum Virgo Mater minimè peperiſſet; multò minùs *humani partus lege*, ut loquuntur Hieronymus, & Hilarius paulò ante laudati. Alii, momento temporis, quo Chriſtus prodiret, aperta pudoris clauſtra commenti ſunt; ſic tamen ut Chriſtus intregritatem omnem prodeundo ſarciret. Contra quos egregiè declamat Goffridus Vindocinenſis Sermone 4. de Nativitate Domini: *Quibuſdam perſonis adſcribitur, quòd Matrem Domini, & ante partum, & poſt partum prædicent quidem Virginem, ſed portam ventris ejus apertam in ſuo partu, & poſt partum ſtatim clauſam fuiſſe fatentur: quaſi ad horam*

Virgo fuerit, & ad horam perdiderit virginitatem. Inſanum eſt hoc dicere, & credere prophanum. Nec enim Deus integritatem illam ſarcire omninò poſſet, nec efficere, ut quæ integritatis diſpendium vel momento paſſa eſt, integra ſemper fuerit. Alii demum, (in quibus princeps eſt Joannes Mayronius in 3. Sent. diſt. 4. quæſt. unica art. 6.) Chriſtum illæſis virginalibus prodiiſſe, fabulati ſunt, quòd definitivè dumtaxat, ut Schola loquitur, eſſet in utero, hoc eſt, inextenſus: ad eum ſanè modum, quo nunc in Euchariſtiæ Sacramento continetur. Ineptè profectò. Sic enim Chriſti corpus in utero materno, nec foveri; nec nutriri, nec augeri potuiſſet; nec ulla externa graviditatis ſigna in Virgine Matre comparuiſſent. Aliter longè Eccleſiæ Patres patratum portentum communiter docent, uteri nimirum, & clauſtri virginalis penetratione; eo planè modo, quo redivivus è clauſo prodiit monumento. Ita D. Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 8., & Serm. 138. de tempore, S. Gregorius Magnus Homil. 26. in Euangelia, Theodoretus Dialogo 2., S. Maximus Taurinenſis Homilia 2. de Nativitate, S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Cap. 2.

Eo portento, non ſervata modò Deiparæ, ſed & aucta virginitas eſt, quod Patres verbis ampliſſimis exaggerant: Auguſtinus, aut quiſquis alius, Serm. 10. de Tempore: *Audiat omnis ætas, quod numquam audivit: Virgo partui ſuo nupſit, virginitatem, dum pareret, duplicavit.* S. Fulgentius Oratione de laudibus B. Virginis, *Crevit in ejus partu integritas corporis, potiùs quàm decrevit; & virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata.* S. Petrus Chryſologus Serm. 142. *In tuo partu crevit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata, ſolidata virginitas.* Quod utique virginitatis augmentum, non idcircò in partu factum æſtimare par eſt, quòd illi dignitas Matris acceſſerit; acceſſerat enim illa jampridem, dum Chriſtum Angelo nunciante conceperat; hæcque virginitatem illuſtriorem quidem, auguſtioremque fecerat, non majorem: ſed quòd carni integritatem, ne diſruptis quidem, dum ordo naturæ maximè poſceret, pudoris clauſtris, ſartam pariendo, tectaque ſervarit.

IV. Ut intactis, integriſque virginalibus peperit, ita abſque dolore, abſque moleſtia, abſque violento conatu fœtum enixa eſt. Hujus novi portenti ratio non una, ſed triplex occurrit. Prima, quia nulla ibi apertio fuit membrorum genitalium, nulla uteri reſeratio, ſigilli virginalis effractio nulla. Secunda, quia vinculi, ſeu nervi umbilicaris, quo fœtus matris in utero cohærebat, diſruptio, atque diſſectio ab ipſo, ut piè creditur, Deo abſque Matris ſenſu effecta eſt. Tertia, quia ſinè libidine fœtum conceperat; idcircò ſinè dolore fœtum effudit. Quæ poſtrema ratio communiter à Patribus fertur: Auguſtino, ſcilicet, Serm. 14. de Nativitate, Gregorio Nyſſeno Oratione 1. de Reſurrectione, & Homil. 13. in Cantica, Joanne Damaſceno lib. 2. de fide Cap. 15., Bernardo Serm. 4. in Vigilia Nativ., & Serm. in illud Apocal. *Signum magnum &c.*, Hildephonſo lib. de perpetua Virginitate Deiparæ.

Repugnare nonnullis viſus eſt Tertullianus lib. de Carne Chriſti Cap. 20., ubi illud Pſalmi 21. recolens: *Tu es, qui extraxiſti me de ventre,* violen-

Digitized by Google

violentam Chriſti ex utero evulſionem à Deo factam videtur innuere, quæ idcircò cum puerperæ dolore conjuncta fuerit. *Quid avellitur*, inquit; *niſi quod inhæret, quod infixum, innexumque eſt ei, à quo ut auferatur, avellitur? Si non adhæſit in utero, quomodo avulſus eſt? Si adhæſit, qui avulſus eſt, quomodo adhæſiſſet, niſi dum ex utero eſt, per illum nervum umbilicarem, quaſi folliculi ſui traducem adnexam Origini vulvæ?* At perperam id, & injuria. Nihil enim aliud dura illa loquendi formula ſibi voluit Afer, quàm quod illi contra Valentinianos demonſtrandum erat: Chriſto, ſcilicet, carnem omninò veram ineſſe, ejuſdem cum Matre naturæ, atque ſubſtantiæ; in ea, atque ex illius ſanguine efformatam: eidem naturali vinculo cohærentem, atque conjunctam in utero; ac tum demùm ex eo, umbilicari vena diſrupta verè à Deo extractam, atque eductam; quamquàm nullum extractio illa Virgini Matri dolorem intulerit.

Neque tamen in ipſa partus effuſione ab omni abſtinuit actu, nihilque enixa eſt Virgo puerpera; ſic enim minimè peperiſſet: ſed molliter, leniterque fœtum emiſit. Nec aliud ſibi voluit Gregorius Nyſſenus Homil. 13. in Cantica, *Virginem ne partum quidem ſenſiſſe* aſſerens: nempe quòd moleſtum illius, gravemque ſenſum non habuerit.

V. Nihil itaque mirum, ſi nulla illic obſtetrice fuerit opus, quæ parienti adeſſet, ſolitaque puerperis officia, ac miniſteria præſtaret. Quam etiam virginei partus prærogativam celebrarunt Eccleſiæ Patres: Hieronymus lib. contra Helvidium: *Nulla ibi*, inquit, *obſtetrix, nulla mulierculdarum ſedulitas interceſſit: ipſa pannis involvit infantem: ipſa, & mater, & obſtetrix fuit*. S. Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrectione, Fulgentius Sermone de Laudibus Mariæ. Pſeudo-Athanaſius Homil. de Cenſu, ſeu de Nativitate Domini, Arnoldus Abbas in laudatione B. Virginis, Prudentius Hymno 11., Bernardus Serm. 4. in Vigilia Nativitatis. Quare ridendi Pictores nonnulli; ut jam ſunt à D. Antonino 3. part. Tit. 8. Cap. 4., & à Molano lib. 2. de Imaginibus, reprehenſi, qui Virgini parienti obſtetricem appingunt, decumbenti ſorbitiunculas porrigentem, ad feſſæ, & imbecillis puerperæ vires reficiendas. Nugæ profectò, nugæ, eæque nugaciſſimæ. Audaciores ſanè alii, ac multò ignorantiores, quot & Baronius pro meritis excipit in Notis ad diem 25. Decembris Martyrologii Romani, qui Anaſtaſiam Virginem eo obſtetricis officio defunctam commenti ſunt; eaque de cauſa factum putant, ut in Sacro die Natalitio ejuſdem memoriam in Miſſa ad Auroram Eccleſia celebret. Vah putidum Anachroniſmam, inſulſitati conjunctum! Scilicet Anaſtaſia tertio cadente Eccleſiæ ſæculo paſſa ſub Diocletiano Deiparæ parienti piis officiis adeſſe potuerit? In ea itaque Miſſa illius memoria fit, quòd ea die Martyrio functa ſit, & Statio ad illius templum ſit conſtituta.

Hujus inſulſitatis, & ineptiæ, qua Virgo è partu feſſa lectulo decumbens repræſentatur, originem ab Ægyptiis peterem, ſi qua fides habenda eſſet Synopſi *de vita, & morte Prophetarum*, Magno olim Dorothæo Epiſcopo Tyri adſcriptæ, cujus hæc ſunt verba in Capite de Jeremia: *Jeremias iſte ſignum dedit Sacerdotibus Ægyptiis, quòd oporteat ſimulacra eorum concuti, & decidere per Servatorem puerum ex Virgine naſciturum, & in præſepi jacciturum,*

citurum,

Digitized by Google

citurum. Propterea etiã nunc Virginem in lecto, & infantem in præſepi collocant, & adorant. At ſpuriæ lucubrationi mille fabulis infarctæ à Criticis univerſis ſummo conſenſu rejectæ, cujus apud Euſebium, Hieronymum, Gennadium, Titemium, de viris illuſtribus ſcribentes, mentio nulla eſt, quæ fides haberi poteſt? Fuit nihiloſeciùs, qui eam Pictorum inſulſitatem, atque audaciam, undecumque originem duxerit, voluit excuſatam: Auctor Sermonis de Nativitate apud Cyprianum: *Virginem diebus deſignatis recubuiſſe* aſſerens, *& depoſiti oneris laſſitudinem profeſſam oblatæ quieti paruiſſe*. Nempe, (ſi Scriptoris mentem benè conijcio) non neceſſitate, ſed humilitate recubuiſſe puerperam, & laſſitudinem externa ſpecie profeſſam eſſe; ut innocuum, & doloribus liberum puerperium occultaret. Verùm qui Pictores voluit excuſatos, videat, ne Virginem vitioſæ ſimulationis incuſet. Nec enim, ut purgationis, ita & cubitus certi dies à lege *deſignati* erant, quos ex humilitate, aut ex obedientia obſervare neceſſe eſſet.

VI. Nunc verò Virgini ita parienti quis, niſi *Sanctus, Innocens, & impollutus* naſcatur Filius? Quas illi dotes adſcribit Apoſtolus, ad Hebræos Cap. 7. Ac de Sanctitate quidem, & innocentia neminem video contentionis funem ducere: num Sanctus, & innocens natus ſit qui Deus homo Mundo illuxit. At num perindè corpore prodierit impollutus, illimis, ad mundos, ſeu quo munditiæ genere naſcendo nituerit; num animi tantùm, an etiam corporis; digladiari Theologos ſæpè video, & Sacrarum Scripturarum Interpretes. Quod in me eſt, iis imprimis aſſentiri non poſſũ, qui uti Chriſtum abſque ſecundinis, ſeu membranis in utero fotum, & innutritum effutiunt, ita & ſinè illis emiſſum exiſtimant, idque ex Canone 79. Trullanæ Synodi (quam Quini ſextam de more dicunt) colligere ambiunt, ubi latinè ſic legunt: *abſque ullis ſecundinis ex Virgine partum eſſe confitentes &c.* Ea quippe Latini Canonum Interpretis licentia fuit, qui cũ ἀλόχευτον, *ſinè dolore* vertere debuiſſet, *ſinè ſecundinis* temerè vertit: ingenſque in Chriſto miraculum, non modò teſte nullo, unde nullo commentus eſt pro arbitrio; verùm etiam Patribus repugnantibus, ac potiſſimùm Hieronymo, *Chriſtum infantem tegmine membranarum ſolito involutum* ſcribente, lib. contra Helvidium Cap. 9., & Tertulliano, *Infantem cum ſuis impedimentis profuſum, & oblitum* aſſerente lib. de Carne Chriſti Cap. 4. Si quis verò de Chriſti ſecundinis eo Canone ſermo venit, non illæ quidem Chriſto fuiſſe negantur, ſed qui in iis colendis, celebrandiſque apud Græcos abuſus irrepſerat, damnatur, ac reprobatur. En tibi integra Canonis verba ad Græci Textus fidem expreſſa: *Abſque ullo dolore Virginis partum eſſe confitentes, ut qui ſinè ſemine cõſtitutus ſit; idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni ſubjicimus. Quare quoniam aliqui poſt Sanctæ Chriſti Dei noſtri Nativitatis diem ſimilam coquere oſtenduntur, & eam ſibi invicem impartiri; honoris ſcilicet prætextu ſecundinarum impollutæ Virginis Matris, ſtatuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor eſt Virginis, quæ ſupra mentem, & ſermonem, quod comprehendi non poteſt, Verbum peperit carne; ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, ac deſcribere.*

Digitized by Google

ſcribere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò Laicus, ſegregetur. Quamquam, ut verum fatear, minoris auctoritatis, ac ponderis habendi ſint Trullanæ Synodi Canones, quos numquam Romana probavit Eccleſia, Juſtiniano licèt adnitente, & confirmationem ſummis precibus poſtulante.

VII. Nihilo magis Theologis illis aſſentior, qui Chriſti corpus undecumque illime ex utero virgineo prodiiſſe volunt. Sed ad Toſtatum Epiſcopum Abulenſem, (Quæſt. 20. in Cap. 12. Levit.) & Chriſtianum Lupum publicum in Academia Lovanienſi Profeſſorem (Not. ad Can. 79. Trull. Syn.) lubentiùs accedo, qui puerum Jeſum externis illis naturæ contumeliis, ſordibuſque inſperſum ex materno utero prodeuntem oſtendunt; quæ nativam naſcentis hominis conditionem conſequuntur, illibatamque Matris virginitatem, natique Filii ſanctitatem minimè lædunt. Qui enim per omnia nobis ſimilis factus eſt, excepto peccato, humanæque naturæ ſordes, & contumelias toto vitæ decurſu non horruit; quid illas naſcendo horruiſſe putandus eſt? Et ſanè Eccleſiæ Patres, quos, & pietatis, & religionis Magiſtros audire juvat, haud ita propenſos invenio, ut naſcentis pueri corpuſculum ab externis illis ſordibus communi naſcentium lege adhærentibus liberum faciant. Etſi enim, & à pariente Virgine, & à Chriſto naſcente fæces, ac ſordes longè ablegent: maximè verò Auguſtinus Oratione de quinque Hæreſibus, Epiphanius Hæreſi 69., Leo Magnus Serm. 2. de Nativitate, Zeno Veronenſis Sermone itidem 2., Hyldephonſus libro de perpetua Virginitate, Bernardus Serm. 3. de Purificatione, Auctor libri *de Operibus Cardinalibus* apud Cyprianum Serm. de Nativitate: num tamen communi illo vocabulo externas etiam corporis ſordes intelligant, quæ, nec moralem, nec legalem immunditiam præ ſe ferunt, à quibus naſcentis populi corpuſculum liberum velint, meritò ambigitur. (Si vel unum, alterumve minoris auctoritatis exceperis, Pſeudo-Cyprianum, & Hyldephonſum, quos de externis illis corporis ſordibus locutos nemo neget.) Imò cùm eas communiter ſordes ablegent Patres, quia Chriſtus ſordes, & maculas noſtras abluturus venit, & quia de Virgine Matre natus eſt: quis non videat, illos de ſordibus animi, & ad moris genus quomodolibet attinentibus eſſe locutos? Maximè cùm, qui illis princeps eſt Auguſtinus, ad Manichæorum hæreſim pertinere dicat, ſordes illas, de quibus differit, Chriſto, ejuſve Matri tribuere velle. Ecquis enim ad tam execrandam hæreſim pertinere ſibi fingant, ſi quis externas aliquas ſordes, vel ex ipſa ſecundinarum illuvie, vel ex viſcoſo humore uteri, vel ex confecti in utero cibi reliquiis, vel demum ex venæ umbilicaris ſectione corpori Chriſti naſcentis adhæſiſſe pronunciaverit? Cùm nihil hæc, aut nati Filii ſanctitati, aut parientis Matris virginitati officiant: imò majorem illi, ſi rectè ſapimus, omnium noſtrum amorem, honoremque concilient. *Tantò enim ab omnibus digniùs honorandus eſt, quantò pro hominibus, & indigna ſuſcepit.* Greg. Magn. Homil. 6. in Evang.

VIII. Addo, Patres nonnullos has ipſas pro communi naſcentium ſorte immunditias, ac ſordes in Chriſti naſcentis corpuſculo in ipſius humilita-

militatis, amoriſque erga homines argumentum diſtinctè notaſſe. Sic Tertullianus lib. de Carne Chriſti Marcionem Hæreſiarcham, qui carum ſordium humanæ naturæ communiter adhærentium obtentu, veram Chriſto Domino carnem denegabat, ne eas verus homo Deus naſcendo ſenſiſſet; his verbis exagitat, Cap. 4. *Sed videris, ſi tibi diſplices, aut ſi alter natus es. Certè Chriſtus dilexit hominem illum in munditiis in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum ..... Credimus nos in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus ſit*. Sic & Origenes Homil. 4. in Lucam: *Videbat*, inquit, *Chriſtus in Matris utero immunditiam corporum viſceribus ejus hinc inde vallatus, terrenæ facis patiebatur anguſtias; unde aſſimilat ſe vermi, & dicit: Ego ſum vermis, & non homo*. Sic Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtachium: *Dei Filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt Filius. Novem menſibus in utero, ut naſcatur, expectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur; & ille pugillo Mundum includens præſepis continetur anguſtiis*. Quo loco, dum Chriſti corpus *cruentum* ex utero prodiiſſe aſſerit Hieronymus, non utique materno ſanguine menſtruo *cruentum* intelligit, quem nullum unquam fuiſſe religio docet, ne ex legis præſcripto cenſeretur immunda: ſed ſanguine ex venæ umbilicaris ſectione defluente; uti Cardinalis Toletus exponit, Annot. 35. in Cap. 2. Lucæ. Sed & piiſſimus, ac religioſiſſimus Beda ſordes illas uſque adeò certas habet, ut ad eas abſtergendas, *petram in Bethleemi ſpelunca cavatam lavacrum Dominico Corpori præbuiſſe*, memoriæ prodiderit, lib. de locis ſanctis Cap. 8. Quamquam in eo nati fontis miraculo referendo, ut loco ſuo probavimus, ceſpitaverit. Chryſoſtomus demum Homil. 49. in Geneſim, quid Chriſti nativitas commune cum noſtra, quid diverſum à noſtra habuerit, paucis exponens, nihil de ea ſordium communi hominum conditione adhærentium immunitate pronunciat: *Hunc autem ingreſſum noſtri omnium Domini digniorem eſſe oportet, quàm noſtrum; Regius enim fuit introitus. Oportebat enim, & partim cum noſtra nativitate communicare, & partim alienum eſſe; & utraq; hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de utero prodire commune habet nobiſcum: abſque nuptiali autem congreſſu naſci, ſupra noſtram eſt nativitatem. Naturale eſt, conceptum fieri in utero: ſupra naturam humanam eſt, abſq; commixtione eſſe prægnantem. Et propterea utraq; ut & excellentiam, & communionem, quam habet tecum, addiſcas. Conſidera autem quanta ſapientia hæc facta ſint. Neque eminentia obfuit aſſimilationi, & affinitati ejus nobiſcum; neque noſtra affinitas & ſimilitudo ejus obſcuravit excellentiam: ſed operibus utraque oſtenſa ſunt. Et alia perfectè habuit nobiſcum, alia non habuit, ſed ab eis totus liber fuit*.

Quapropter, cum hujuſmodi ſordes externæ, de quibus hactenus ſermo fuit, ad nativam naſcentis hominis conditionem pertineant; nec miracula in ipſo etiam Chriſto temerè, ac ſine probatis teſtibus fingere liceat; earum quoque aliquas Chriſti naſcentis corpuſculo, non ſecùs ac nobis adhæſiſſe, non dubitaverim affirmare: *Qui per omnia tentatus eſt pro ſimilitudine abſque peccato*, ad Hebræos Cap. 4. v. 15. Si qui verò ad pietatem, ac religionem pertinere velint, ut ab iis omnibus immunis fuiſſe dicatur: reſpondeant, cur toto mortalis vitæ decurſu humanæ naturæ

Digitized by Google

contumelias, ſordes, inquinamenta, non ſecùs ac nos ipſi perpeſſus ſit? Quid flagris cædi, quid coſpui, quid ſpinis in ludibrium coronari, quid Cruci ſuſtigi, atque inter iniquos reputari voluerit? Cùm & hæc omnia, ſi de ſumma facie ſpectentur, vero homine Deo indigniora videri poſſint. Ego interim cum Hieronymo, (qui, quod poſtulet pietas, probè noverat) liberè exclamabo: *Junge, ſi libet, naturæ contumelias, navem menſibus uterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolitò involutus. Ingerantur dura Præſepia, vagitus parvuli, octava diei circumciſio, tempus purgationis, ut putetur immundus. Non erubeſcimus, non ſilemus. Quantò ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tantò plus illi debeo. Lib. contra Helvidium Cap. 9.*

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXX.

De loco Chriſti Naſcentis.

I. DE prima, eaque potiſſima ſuſceptæ de Chriſto nato diſputationis parte fœliciter expeditus, ad ſecundam accedo, in qua mihi de peracti ſacri natalis loco, cæteriſque illius adjunctis diſſerendum eſt.

Chriſtum Bethleemi natum ſcribit Matthæus Cap. 2. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem* Juda *&c.* Et Lucas pariter Cap. 2. *Aſcendit Joſeph à Galilæa de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem.... Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies* Mariæ, *ut pareret.* Quod futurum prænunciaverat Micheas Cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Bethleem Judà Matthæus dixit, hoc eſt, ſitam in ſorte tribus Juda, ut ab altera diſtingueret, quæ erat in Galilæa de Tribu Zabulon: Bethleem verò *Ephrata* Michæas nuncupavit à nomine parentis conditoris ipſius, qui eam ex Matris quoque nomine appellatam voluit. Cur autem Bethleemi Ephrata natus Jeſus Chriſtus, numquam Bethleemites, aut Ephratæus in Euangelio ſit dictus, ſed Nazarenus ſemper, & Galilæus, inde eſt, quòd nonniſi in Parentum tranſitu Bethleemi ſit editus, qui fixam Nazarethi in Galilæa habitationem habebant, ubi & ipſe primum eſt educatus.

Movere hic obiter aliquem poterit, quòd celebre Michææ Oraculum de Chriſto Bethleemi naſcituro longè ſecùs Matthæus recitet Cap. 2. quàm in ipſo Prophetæ contextu habeatur. Sic enim eſt apud Matthæum: *Et tu Bethleem terra* Juda, *nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Sic verò apud Micheam: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Nempe illic *nequaquam minima* dicitur Bethleem, quæ iſthic *parvula* nuncupatur. Scrupulum evellit Hieronymus, Matthæum Prophetæ verba, non à ſe ipſo recitaſſe, inquiens, ſed nomine Scribarum, & Principum Sacerdotum, qui ab Herode de natali Chriſti ſolo interrogati, Bethleemum Judæ illicò reſponderunt, datumque reſponſum productis Michææ verbis confirmarunt, corruptis tamen, ac vitiatis; quam ille vitiationem, ac corruptionem noluit referendo corrigere, & emendare: ut innoteſceret univerſis, quanta tunc eſſet in Scribis, & Sacerdotibus ignorantia Scripturarum, qui vel unum Prophetę Oraculum in reſponſi confirmationem proferre juſſi, corruptum, & vitiatum recitarunt. Quidni quoque dicamus (ſi quis Michææ verba à Matthæo proprio nomine recitata velit) in eumdem planè ſenſum redire omnia: ſeù veriùs, Matthæum relicta figura verborum, neglectoque cortice, ſenſum Michææ intimatum retuliſſe. Quia quod eſt apud Michæam: *Et tu Bethleem*

Digitized by Google

leem Ephrata parvulus es in millibus Juda, per admirationem, & interrogationem negantem dictum eſt; tametſi ſcriptione ipſa non adnotetur, quia Hebræi admirationis, & interrogationis puncta ſcribendo non habent: perinde, ac ſi dixiſſet: *Tu ne parvula es in millibus Juda, ex qua mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael?* Uti Matthæi Cap. 3. dum de Joanne Baptiſta dicitur: *Quid exiſtis in Deſertum videre? Arundinem vento agitatam, hominem mollibus veſtitum?* Quod utique non affirmando dicitur, ſed negando. At id obiter dictum velim, plenius fortè dicturus alibi.

II. Interea tamen, quia nomine Bethleemi, alteriuſve cujuſque urbis, ipſa quoque ſuburbia veniunt, agerque conjunctus; non otioſe hic queri ſolet: num intra Civitatem ipſam ſit natus, an autem in ſuburbio, aut etiam in agro conjuncto. Natum extra Bethleemum in agro ſuburbano fidentèr pronuncio; non quidem ſub dio, ſed in ſpelunca diverſorio conjuncta, terræque, ſeu ſaxo excavata, quæ brutis animantibus recipiendis deſtinata erat. Quæ quatuor, partim ex Patribus, partim ex Euangelio apertiſſimè colliguntur.

Ac primùm, in ſpelunca natum Chriſtum Dominum conceptis verbis affirmant, Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes lib. 1. contra Celſum, Hieronymus Epiſt. 18., Pſeudo-Athanaſius Sermone de Nativitate, Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 15.

Speluncam hanc in agro ſuburbano fuiſſe ſitam, quod hic potiſſimè quæritur, teſtes ſunt Euſebius lib. 7. de Demonſtratione Euangelica Cap. 2. *Agrum juxta Bethleemum demonſtrari* aſſerens, *ubi Virgo enixa Infantem depoſuit.* Juſtinus loco paulò ante laudato ſpeluncam *juxta Bethleemum poſitam* ſcribens: Burchardus in Deſcriptione Terræ Sanctæ parte 1. *Juxta muros Civitatis*. Suadet hoc idem Hiſtoria Euangelica: Paſtores enim, qui Chriſtum natum hac ipſa nocte feſtinantes adoratum venere, *cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum*; ſeu, ut Textus Grecus habet, erant in agro ſtabulantes, ἀγραυλοῦντες, hoc eſt, ſub dio cum grege cubantes: qui vix, ac ne vix quidem in urbem muris tunc temporis cinctam de nocte aditum habuiſſent, nec natum pupulum de facili inveniſſent, & adiiſſent, ſi intra Urbem natus eſſet. Herodes quoque à nato Judæorum Rege ſibi metuens, quem Bethleemi ex Michææ oraculo natum inaudiverat, pueros, non modò in Bethleem natos juſſit occidi, *ſed in omnibus finibus ejus*: haud alia profectò de cauſa, quàm quòd Bethleemi nomine non Urbem modò, ſed & ſuburbia, & conjunctum agrum, adhuc etiam & fines ejus intelligi poſſe, certò ſciret.

Fuiſſe hanc ipſam ſpeluncam diverſorio conjunctam, ac recipiendis brutis animantibus deſtinatam ex Euangelio longè certiùs. Cum Virginem puerperam natum puerum in præſepio, quod continendo brutorum pabulo deſervit, reclinaſſe dicat, *quia non erat eis locus in diverſorio.* Hinc Eccleſiæ Patres, Auguſtinus Serm. 2. de Epiphania, Zeno Veronenſis Serm. 3. de Nativitate, Pſeudo-Athanaſius Serm. de Cenſu, ſeu de Nat., D. Epiphanius Orat. de Laudibus B. Virginis (ſi tamen illius eſt) Chriſtum *in ſtabulo natum* dicunt.

Terræ demum, ſeu ſaxo excavatam fuiſſe ſpeluncam obſervant: Hierony-

Digitized by Google

ronymus, quo nemo meliùs rem ſcire potuit, Epiſt. 17. *parvum terræ foramen* nuncupans; Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini *Antrum* vocitans; & Venerabilis Beda lib. de Locis Sanctis Cap. 8. *Semiantrum* appellans. Idque nec ſingulare, nec præter morem, ſed ex ipſa natura ſoli. Strabo quippe, aliique Geographi notant, totam illam regionem petroſam eſſe, multaſque in illo tractu fuiſſe domos ſaxis incluſa; vel potiùs cellas, quibus ſeſe homines religionis cauſa includerent.

III. Idem de Præſepio, in quo natus puerulus reclinatus eſt, facilè ſtatuerim. Et ſanè fuiſſe illud *exciſum in rupe*, ſcribit Burchardus in deſcriptione Terræ Sanctæ par. 1. Cap. 7., è quo non admodum diſſidet D. Joannes Chryſoſtomus Serm. ad Cap. 2. Lucæ, *Lateritium* fuiſſe obſervans, ſeu ex luto coctili confectum. Viſitur tamen etiamnum hodiè Romæ ad S. Mariam Majorem *Ligneum*, gemmiſque ornatum. Quid ergo, ſuppoſitum ſuſpicabimur, ac pro arbitrio fictum, ut fidelium piè colentium religioni illudatur? Abſit. Sed poſſunt hæc facilè conciliari. Burchardus enim, & Joannes Chryſoſtomus, non de ipſo vaſe loquuntur, quod conſtat fuiſſe ligneum, ſervaturque nunc Romæ: ſed de ſtructura illa exigua, quæ ipſum Præſepe ligneum continebat, quæque vel lapidea erat, vel lateritia. Ad majorem quippe firmitudinem vas ligneum lapideæ, ſeu lateritiæ cavitati incluſum erat; & utrumque perindè Præſepe non incongruè nuncupatur. Ut ſileam, laudatum Sermonem dubium eſſe S. Chryſoſtomi fœtum, viderique Scriptoris Latini admodum recentioris.

IV. Majoris longè momenti fuerit, ad exactam Hiſtoriæ limam exigere popularem opinationem, ſolita Pictorum libertate, atque audacia roboratam, de Bove, & Aſino ad Chriſti naſcentis Præſepe alligatis, eumdemque flatu ſuo, halituque foventibus. Hujus primum Architectum fuiſſe crediderim Auctorem poematis Lactantio perperam adſcripti *de paſſione Domini*; ut quæ à Pictoribus incrementum acceptura erat inepta fabella, à Poetis ortum haberet. Pictoribus enim, ac Poetis ſumma ſemper cognatio fuit, audendique æqua poteſtas. Tantas verò ſucceſſu temporum radices egit, ut in virorum etiam eruditorum libris, ac in ipſis Cardinalis Baronii Annalibus Eccleſiaſticis locum invenerit. Verùm nihil ea de re Lucas, qui Chriſti nativitatem, non modò accuratè, ſed etiam curioſè deſcripſit. Nec Angelus, qui Paſtoribus ſigna dedit, ne in cognoſcendo recens nato Salvatore fallerentur, puerum in medio duorum Animantium poſitum dixit; quo eum inſolito ſigno faciliùs dignoviſſent.

Dedit fingendæ fabellæ occaſionem percelebris Iſaiæ locus Cap. 1. perperàm: ac præpoſterè intellectus: *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepè Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit*. Cum enim eo loci Profeta Euangelicus Judæorum in Deo benefactore ſuo cognoſcendo tarditatem, & ingrati animi vitium coarguat exemplo brutorum animantium, quæ etiam heros ſuos, ac Dominos, à quibus pabula ſua recipiunt, probè norunt; imò exemplo Bovis tardioris animantis, ac ipſius etiam Aſini brutorum animantium ſtultiſſimi, qui præſepe, ubi ſua illi Dominus ejus pabula parat, tandem aliquando cognoſcit: exiſtimarunt nonnulli, Iſajam Prophetam in ſingularem aliquem Bovem, Aſinumque digitum intendiſſe,

Digitized by Google

diſſe, qui rerum omnium Dominum recens natum, & in Præſepio vagientem agnoverint; eoque freti oraculo perperam intellecto, Bovem, Aſinumque Chriſti Præſepio addiderunt. Quis hic manifeſtum Iſajæ oraculi abuſum non videat? Quod enim de bobus, aſiniſque Dominus ſuos temporales, & præſepia, ubi ſua illis parantur pabula, cognoſcentibus generatim affirmat Iſajas; illi de peculiari bove, & aſino, qui rerum omnium Dominum, & Præſepe, ubi jaceret, agnoverint, dictum accipiunt: nudamque objurgationem, reprehenſionemque a Propheta Judæis factam, brutorum quidem animantium exemplo, rei in brutis animantibus naſcente Domino obventuræ vaticinationem interpretantur. Longè aliter Patres, ac in illis diſertiſſimè Hieronymus in Cap. 1. Iſajæ; *Senſus*, inquit, *perſpicuus eſt: Ego eos adoptavi in filios, & feci populum peculiarem, & partem meam, & funiculum hereditatis meæ, appellavique eos primogenitos: illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincerentur, & intelligerent paſtorem, & nutricium ſuum. Nec comparavit eos canibus, quod ſagaciſſimum genus animantium eſt, & pro parvo cibo Dominorum tecta defendit: ſed ſtolidioris ſenſus bovi, & aſino, quorum alterum carpenta trahens, duriſſimas terræ glebas vertit vomere; alterum portat onera, & hominum in gradiendo laborem temperat: unde & jumenta appellantur ab eo, quòd juvent homines. Poteſt hic locus & de Deo Patre intelligi: ſed magis refertur ad Filium, quòd non cognoverit eum, neque ſuſceperit populus Iſrael.*

Certè Jeremias quoque Iſajam imitatus eamdem illam Judæorum in Deo benefactore ſuo dignoſcendo tarditatem coarguit exemplo Milvi, Turturis, Hirundinis, & Ciconiæ, quæ opportunum adventus ſui tempus probè norunt: *Milvus in Cœlo cognovit tempus ſuum: Turtur, & Hirundo, & Ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini*. Quidni ergo pari licentia Pictores, Milvum, Turturem, Hirundinem, & Ciconiam juxta Chriſti naſcentis Præſepe volitantes nobis effingunt? Aut ut video, qui bovem, aſinumque juxta Præſepe locarunt, ut flatu, halituque natum puerulum calefacerent; aves circumvolantes abigere, ne importuno alarum ſuarum flabello ventulum facerent, tenellique populi corpuſculum frigore enecarent.

V. Non me fugit, Patres aliquos, ac in illis maximè Origenem, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, itemque Nyſſenum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Paulinum, Prudentium, alioſque ſcripſiſſe non ſemel, bovem, aſinumque Chriſti naſcentis Præſepe cognoviſſe; illudque tunc tandem fuiſſe impletum, quod ſcripſerat Iſajas: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus Præſepe Domini ſui*. At & illud novi, Patres illos figuratè, & allegoricè locutos eſſe, eoque bovis, & aſini ſubjugalium animantium ſymbolo paſtores genere, & religione Judæos ferendo Moſaicæ legis oneri aſſuetos intellexiſſe, qui ex dato ſibi ſigno ab Angelo natum Salvatorem in Præſepio cognoverunt. Neque enim neceſſe eſt, Veteris Teſtamenti oracula, quæ in Novo dicuntur impleta, ad litteram ſemper, atque hiſtoricè exitum habuiſſe: ſatis eſt, ſi ſecundùm allegoriam exitum obtinuerint. Sic Joannis Cap. 19. cum obſervaſſet Euangeliſta, Judæos duobus latronibus de cruce pendentibus fregiſſe crura, Chri-

ſto

ſto verò nequaquam; ſubjungit, factum id eſſe: *Ut Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo*: quod tamen ad litteram, & hiſtoricè de Agno Paſchali dictum fuerat Exodi 12., quem, cum Judæi comederent, oſſa comminuere non debebant: nec niſi ſecundùm allegoriam in Chriſto Jeſu exitum habuit. Sic etiam Matthæi 12., cum obſervaſſet Euangeliſta, Chriſtum infantem poſt obitum Herodis Ægypto in terram Iſrael fuiſſe deductum, ſubjungit: factum id eſſe, *ut impleretur, quod dictum eſt à Domino, per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum*: quod tamen ad litteram, & hiſtoricè de populo Iſraelitico dictum erat, Oſeæ Cap. 11. quem Deus ut filium ſuum ex Ægypto deduxit: nec niſi ſecundum allegoriam in Chriſto Domino impletum aſſeritur. Pari itaque jure in paſtoribus Chriſti naſcentis Præſepe cognoſcentibus per allegoriam impletum eſt, quod de bobus, & aſinis Dominorum ſuorum præſepia cognoſcentibus ad litteram, & ſecundùm hiſtoriam dictum erat ab Iſaja; quin propterea neceſſe ſit, bovem, aſinumque Chriſti Præſepio alligare. Quotquot etiam Eccleſiæ Patres bovem, aſinumque Chriſti Præſepe noviſſe dixerunt, bovem, aſinumque figuratos, & allegoricos intellexere; Paſtores nimirum, & Magos Chriſti in Præſepio vagientis adoratores: illos quidem, utpote Judæos, ferendo legis jugo dudum aſſuetos; iſtos uti Gentiles jugo liberos, & exleges: non bruta, ac ſtulta illa animantia.

Hanc porrò laudatorum Patrum mentem eſſe, atque ſententiam, vel ex uno, qui omnium inſtar eſt, Ambroſio diſcimus, qui, cùm celebratum Iſajæ oraculum Chriſto naſcente impletum doceat lib. 2. Comment. in Lucam; ſic tamen bovem, aſinumque vagientem in Præſepio Chriſtum noviſſe, ait, ut neglecta proprietate ſermonis Myſterium unicè ſpectet; geminumque populum, Judaicum, & Gentilem bovis, aſinique nominibus per figuram expreſſos intelligat, quos Chriſtus ad Præſepe ſuum cœleſti voce, ac luce pertractos ſpiritualiter pavit, Ambroſij verba tibi habe: *Quod in pannis eſt Chriſtus, vides: quod in Cœlis eſt, non vides? Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoſcentis mugitus? Agnovit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſina Præſepe Domini ſui: imò Præſepium dixerim, ſicut ſcripſit, qui tranſtulit. Nihil enim apud me diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu. Nam ſi Orator illorum*, (Demoſt. pro Cteſiphonte) *qui phaleras ſermonum ſequuntur, negat, in hoc poſitas eſſe fortunas Græciæ, hoc, an illo verbo uſus ſit, ſed rem ſpectandam putat: ſi ipſi Philoſophi eorum, qui totos dies in diſputationibus conſumunt, minùs latinis; & receptis ſermonibus uſi ſunt, ut propriis uterentur: quantò magis nos negligere verba debemus, ſpectare Myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas, quòd operum miracula Divinorum nullis venuſtata ſermonibus veritatis limine refulſerunt? Denique aſinam illam rationalem, non ſucco deliciarum, ſed ſucco ſpiritalis alimonię Præſepia Sancta paverunt. Hic eſt Dominus, hoc Præſepe, quo nobis Divinum Myſterium revelatum eſt; irrationales Gentes pecudum more intro Præſepia viventes, alimoniæ ſacræ ubertate paſcendas eſſe. Agnovit ergo aſina, ſpecies, ſcilicet, & forma gentilium, Præſepe Domini ſui. Et ideò dicit: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.*

VI. Alteram fingendæ fabellæ occaſionem arripuere nonnulli ex altero Scripturæ oraculo nihilo meliùs intellecto juxta ſeptuaginta Interpre-

tum Verſionem, ſcilicet, cum obſervaſſent viri boni Cap. 3. Abacuch Prophetæ, ubi Verſio noſtra vulgata habet: *In medio annorum notum facies*, ſeptuaginta Interpretes vertiſſe: *In medio duorum animalium cognoſceris*; Propheticum dictum Chriſto naſcenti accommodarunt, quaſi is in medio duorum brutorum a fidelibus fuerit agnitus; bovemque idcircò, aſinumque ſtolidiſſima animantia naſcentis Præſepi adſtituerunt.

Itane verò Eccleſiæ Patres, probatique Interpretes locum illum de Chriſto naſcente inter bruta animantia cognito intellexere? Minimè gentium. Imò Hieronymus in ſuis ad Abacuch Commentariis, S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 32., S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 12. quatuor dicti Oraculi expoſitionis dedere toto Cœlo diverſas. Primam, ut Deus *in medio duorum animalium* cognitus ſit, nimirum inter duos latrones, dum in cruce penderet. Secundam, in medio duorum Seraphin, de quibus in Iſaia ſermo eſt Cap. 6.: aut in medio duorum Cherubin, qui extrema Arcæ fœderis partes occupabant, Exodi 25.; familiare quippe Patribus eſt, Angelos animalia rationalia nuncupare. Tertiam, in medio utriuſque populi, Gentilis, ſcilicèt, & Judaici. Quartam, in medio duorum Teſtamentorum, quæ perinde ad Dei cognitionem perducunt. Nemoque Patrum, veterumque Interpretum bovem mihi, aſinumque commentus eſt, in quorum medio Deus homo factus, & vagiens à fidelibus agnitus ſit. Niſi fortè mihi quiſpiam obtrudere velit Homiliam 33. Tomi 6. Joannis Chryſoſtomi, ubi inepta illa de Chriſto naſcente bovem inter, & aſinum agnito interpretatio legitur. Verùm nemo Criticam Diſciplinam extremis, ut ajunt, labris attigit, qui Homiliam illam uti ſpuriam, & apocrypham ad quiſquilias non amandet. Atque hinc graviſſimum, ac planè decretorium momentum deduco, ad bovem illum, aſinumque à Chriſti naſcentis Præſepio procul arcendos. Si enim exiſtimaſſent Eccleſiæ Patres, Deum factum hominem in Præſepio à paſtoribus agnitum illic bovem inter, & aſinum vagiiſſe: hanc certè primam omnium Prophetici Oraculi interpretationem dediſſent, quæ vel vna modò, vel certè præcipua a vulgatæ fabellæ defenſoribus datur; nulla quippe facilior, atque commodior ea in hypotheſi fingi poteſt: nec ad violentas illas de duobus Iſaiæ Seraphinis, de duobus Arcæ Cherubinis, de duobus Teſtamentis interpretationes confugiſſent. At nemo Patrum hanc mihi interpretationem commentus eſt. Imò, ſi quis Oraculum illud in Chriſto naſcente impletum dixit, ad ſenſum allegoricum divertit; duoque animalia, Ethnicum, & Judaicum populum intellexit: Ut Auctor Homiliæ de Cenſu apud S. Athanaſium: *In Præſepio reclinatur, ut humani generis brutalitatem emendet, & duorum animalium cibus fieret. Quorum verò animalium? Ethnici, Judaicique populi, de quibus ſcriptum eſt: In medio duorum Animalium cognoſceris*. Quem perinde allegoricum ſenſum à Pſeudo Athanaſio, & D. Ambroſio datum uſurpat Eccleſia; dum die Chriſti natalitio in ſolemni precum Officio ita canit: *O magnum Myſterium, & admirabile Sacramentum! Ut animalia viderent Dominum natum jacentem in Præſepio. Domine audivi auditum tuum, & timui, conſideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium jacentem in præſepio*. Nimium petitam ex

duo-

Digitized by Google

duobus animalibus ab Iſaia, & Abachuco memoratis allegoriam, tunc demum impletum miratur Eccleſia, dum uterque populus, Gentibus, ſcilicet, & Judaicus Chriſtum in Præſepio vagientem agnovit: non bruta illic animantia ponit, unde petatur allegoria.

Non omiſerim ad uberiorem fabellæ confutationem lectionem illam latinam, unde maximè præſidium petunt: *In medium duorum animalium cognoſceris*, arbitrariam omninò eſſe. Septuaginta enim Interpretes Textum Hebraicum non latinè, ſed græcè verterunt: in Græco autem illorum Textu habetur, *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ*, quod perinde *in medio duarum vitarum* reddi poteſt, ac *in medio duorum animalium*; ſola nimirum accentuum, quorum olim non erat uſus, mutationem facta. Longèque veriſimillius eſt, ſeptuaginta Interpretes priorem ſenſum animo intendiſſe, quàm poſteriorem: cùm hebraica vox *Schanim*, non animalia ſignificet, ſed annos; quæ vox ad *vitarum* ſignificatum propriùs accedit. Unde & Hieronymus hebraicè longè doctiſſimus *in medio annorum*, non in medio *animalium* vertere maluit. Jam ex quo decantata illa lectio, *in medio duorum animalium*, exploſa eſt, ruit ab imo jactatæ fabellæ fundamentum de bove, & aſino ad Chriſti Præſepe alligatis.

VII. Verùm opponet fortaſſe quiſpiam: ſi Chriſtus in ſpelunca recipiendis, ut diximus, brutis animantibus deſtinata natus eſt, quid convenientius, quàm fuiſſe illic bruta aliqua animantia: maximè cum Diverſorium, cui conjuncta erat, hoſpitibus plenum eſſet, quorum multos in aſino, aut in equo iter egiſſe, veriſimillimum eſt? Egregiè id verò! Ecquis ſciat, an ad ipſum Diverſorium ſpelunca illa pertineret, ut, illo hoſpitibus, & viatoribus pleno, plena quoque jumentis eſſet iſta? Potuit enim Diverſorio coniuncta eſſe, nec tamen ad Diverſorium pertinere, nec illius hoſpitum jumenta colligere. Et certè, cum diſtinctè ſignificet Lucas, Virginem puerperam natum puerulum in Præſepio reclinaſſe, *quia non erat eis locus in Diverſorio*; haud obſcurè innuit, Præſepe Diverſorii partem non fuiſſe, & ad illud minimè pertinuiſſe. Ad hæc, ſi pro multitudine hoſpitum totum Diverſorium occupantium ſtabulum jumentis refertum veriſimiliter colligis; quid ergo aſellum unicum in ſcenam in dulcis naſcentis pupuli Præſepio admotum? Nihil itaque boni ſucci ex ea hoſpitum totum Diverſorium implentium conſideratione elici poteſt ad everſam fabulam inſtaurandam. Idcirco alii paulò acutiores (Suarez Tract. 1. de Relig. lib. 9. Cap. 5.) non jumenta hoſpitum, quæ plura profectò fuiſſent, ſed ſacræ familiæ comminiſci maluerunt: aſellum quidem, cui per iter gravida Virgo inſederit, & bovem à Joſepho adductum, ut venditus, ad profectionis, & Bethleemiticæ commorationis expenſas ſufficeret. At ii fabulas fabulis nectunt, non temerè modò, ſed inconſultè. Virgo enim ex ſententia Patrum ſinè gravamine gravida erat, nulloque idcircò jumento ad iter egebat. Fulgentius Sermone de laudibus Mariæ: *Cùm eſſet gravida, ſalubri levitate plaudebat*. Bernardus Sermone in illud Apocalypſis, *ſignum magnum* &c. *Portabat onus leve, portabat, à quo portabatur*. Joſeph vero haud ita benè de rebus domeſticis conſtitutus erat, ut in profectionis expenſas bo-

Digitized by Google

vis prætium inſumeret; quod ſi Cauponibus, & ſtabulariis ſolvendum habuiſſet, locum profectò obtinuiſſet in Diverſorio, nec tecto fuiſſet excluſus. Ut ſileam, minùs ſolliciti, minùſque prudentis viatoris eſſe, bovem ſpiſſigradum animal ad itineris expenſas divendendum per vias circumducere, ac non potiùs ante profectionem ipſam divendere, redactamque pecuniam ſecum ferre. Ruit igitur undequaque malè confuta fabella.



EXER;

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXI.

De tempore Chriſti Naſcentis: deque Paſtoribus ejuſdem adoratoribus.

I. LOci circumſtantiis, in quarum examine verſati ſumus hactenùs, eæ planè innexæ ſunt, quæ temporis eſſe dicuntur: de quibus ne fileamus omninò, vetat ſuſcepti dignitas argumenti. Scire quippe maximè juvat, quo tempore Myſterium illud impletum ſit, quo temporis plenitudo facta eſt: dicente Apoſtolo ad Galatas Cap.4.v.4. *Ubi veniet plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Quocirca quatuor hæc quæri poſſunt? quo nimirum anno, quo Menſe anni, qua die Menſis qua hora diei Chriſtus Dominus natus ſit? de quibus, ſin minùs quantùm Chronologi, at certè quantùm Theologi officium poſtulat, diſputabimus.

II. Quoad annum tria maximè vertuntur in controverſiam. Quo nimirum anno natus ſit, computando à creatione Mundi? 2. Quo anno Imperii Cæſaris Auguſti? Quandoquidem liquet ex Euangelio Lucæ 2., ſub Auguſto natum eſſe Chriſtum, dum *exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis.* 3. Quo anno Regni Herodis? Cum ex Matthæi Euangelio perinde conſtet, natum eſſe illum *in diebus Herodis Regis*. Cap. 2. Pro quarum quæſtionum enodatione infinita dicenda eſſent, quæ nos per multos etiam dies occuparent: ſed à viro memoriter dicente ex Cathedra fusè, ac minutatim pertractari non poſſunt: quippè quæ virum poſtulant ſedentem ad pluteum, qui ſubjecta Charta, admoto calamo, ac etiam adhibitis calculis, ſexcentas propemodùm computationes faciat.

Idcircò miſſa implexarum quæſtionum Chronologicarum tractatione, id compendio dicam juxta accuratiores ævi noſtri Chronologos: Chriſtum natum eſſe anno quater milleſimo à creatione Mundi; annos, videlicet, computando juxta Textum Hebraicum, & vulgatam Scripturæ Sacræ verſionem: anno 41. Imperii Cæſaris Auguſti: anno demum 36. Regni Herodis definente.

Primæ computationis probatio petitur ex diſtincta enumeratione annorum, quibus quælibet Mundi ætas ad Chriſtum uſque perduravit.

Prima Mundi ætas à creatione ad Diluvium annos complectitur 1656., Menſem unum, dies 26.

Altera à Diluvio uſque ad vocationem Abrahæ annos complectitur 426., Menſes 4., dies 18.

Tertia à vocatione Abrahæ ad exitum ex Ægypto annos complectitur 430.

Quarta ab exitu ad poſita fundamenta Templi annos complectitur 479., dies ſeptemdecim.

Quin-

ſcribere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò Laicus, ſegregetur. Quamquam, ut verum fatear, minoris auctoritatis, ac ponderis habendi ſint Trullanæ Synodi Canones, quos numquam Romana probavit Eccleſia, Juſtiniano licèt adnitente, & confirmationem ſummis precibus poſtulante.

VII. Nihilo magis Theologis illis aſſentior, qui Chriſti corpus undecumque illime ex utero virgineo prodiſſe volunt. Sed ad Toſtatum Epiſcopum Abulenſem, (Quæſt. 20. in Cap. 12. Levit.) & Chriſtianum Lupum publicum in Academia Lovanienſi Profeſſorem (Not. ad Can. 79. Trull. Syn.) lubentiùs accedo, qui puerum Jeſum externis illis naturæ contumeliis, ſordibuſque inſperſum ex materno utero prodeuntem oſtendunt; quæ nativam naſcentis hominis conditionem conſequuntur, illibatamque Matris virginitatem, natique Filii ſanctitatem minimè lædunt. Qui enim per omnia nobis ſimilis factus eſt, excepto peccato, humanæque naturæ ſordes, & contumelias toto vitæ decurſu non horruit; quid illas naſcendo horruiſſe putandus eſt? Et ſanè Eccleſiæ Patres, quos, & pietatis, & religionis Magiſtros audire juvat, haud ita propenſos invenio, ut naſcentis pueri corpuſculum ab externis illis ſordibus communi naſcentium lege adhærentibus liberum faciant. Etſi enim, & à pariente Virgine, & à Chriſto naſcente fæces, ac ſordes longè ablegent: maximè verò Auguſtinus Oratione de quinque Hæreſibus, Epiphanius Hæreſi 69., Leo Magnus Serm. 2. de Nativitate, Zeno Veronenſis Sermone itidem 2., Hyldephonſus libro de perpetua Virginitate, Bernardus Serm. 3. de Purificatione, Auctor libri *de Operibus Cardinalibus* apud Cyprianum Serm. de Nativitate: num tamen communi illo vocabulo externas etiam corporis ſordes intelligant, quæ, nec moralem, nec legalem immunditiam præ ſe ferunt, à quibus naſcentis populi corpuſculum liberum velint, meritò ambigitur. (Si vel unum, alterumve minoris auctoritatis exceperis, Pſeudo-Cyprianum, & Hyldephonſum, quos de externis illis corporis ſordibus locutos nemo neget.) Imò cùm eas communiter ſordes ablegent Patres, quia Chriſtus ſordes, & maculas noſtras abluturus venit, & quia de Virgine Matre natus eſt: quis non videat, illos de ſordibus animi, & ad moris genus quomodolibet attinentibus eſſe locutos? Maximè cùm, qui illis princeps eſt Auguſtinus, ad Manichæorum hæreſim pertinere dicat, ſordes illas, de quibus diſſerit, Chriſto, ejuſve Matri tribuere velle. Ecquis enim ad tam execrandam hæreſim pertinere ſibi fingant, ſi quis externas aliquas ſordes, vel ex ipſa ſecundinarum illuvie, vel ex viſcoſo humore uteri, vel ex confecti in utero cibi reliquiis, vel demum ex venæ umbilicaris ſectione corpori Chriſti naſcentis adhæſiſſe pronunciaverit? Cùm nihil hæc, aut nati Filii ſanctitati, aut parientis Matris virginitati officiant: imò majorem illi, ſi rectè ſapimus, omnium noſtrum amorem, honoremque concilient. *Tantò enim ab omnibus digniùs honorandus eſt, quantò pro hominibus, & indigna ſuſcepit.* Greg. Magn. Homil. 6. in Euang.

VIII. Addo, Patres nonnullos has ipſas pro communi naſcentium ſorte immunditias, ac ſordes in Chriſti naſcentis corpuſculo in ipſius humilita-

militatis, amoriſque erga homines argumentum diſtinctè notaſſe. Sic Tertullianus lib. de Carne Chriſti Marcionem Hæreſiarcham, qui carum ſordium humanæ naturæ communiter adhærentium obtentu, veram Chriſto Domino carnem denegabat, ne eas verus homo Deus naſcendo ſenſiſſet, his verbis exagitat, Cap. 4. *Sed videris, ſi tibi diſplices, aut ſi alter natus es. Certè Chriſtus dilexit hominem illum in nuuditiis in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum ..... Credimus nos in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus ſit.* Sic & Origenes Homil. 4. in Lucam: *Videbat*, inquit, *Chriſtus in Matris utero immunditiam corporum viſceribus ejus hinc inde vallatus, terrenæ fæcis patiebatur anguſtias; unde aſſimilat ſe vermi, & dicit: Ego ſum vermis, & non homo.* Sic Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtachium: *Dei Filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt Filius. Novem menſibus in utero, ut naſcatur, expectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur; & ille pugillo Mundum includens præſepis continetur anguſtiis.* Quo loco, dum Chriſti corpus *cruentum* ex utero prodiiſſe afferit Hieronymus, non utique materno ſanguine menſtruo *cruentum* intelligit, quem nullum unquam fuiſſe religio docet, ne ex legis præſcripto cenſeretur immunda: ſed ſanguine ex venæ umbilicaris ſectione defluente; uti Cardinalis Toletus exponit, Annot. 35. in Cap. 2. Lucæ. Sed & piiſſimus, ac religioſiſſimus Beda ſordes illas uſque adeò certas habet, ut ad eas abſtergendas, *petram in Bethleemi ſpelunca cavatam lavacrum Dominico Corpori præbuiſſe*, memoriæ prodiderit, lib. de locis ſanctis Cap. 8. Quamquam in eo nati fontis miraculo referendo, ut loco ſuo probavimus, ceſpitaverit. Chryſoſtomus demum Homil. 49. in Geneſim, quid Chriſti nativitas commune cum noſtra, quid diverſum à noſtra habuerit, paucis exponens, nihil de ea ſordium communi hominum conditione adhærentium immunitate pronunciat: *Hunc autem ingreſſum noſtri omnium Domini digniorem eſſe oportet, quàm noſtrum; Regius enim fuit introitus. Oportebat enim, & partim cum noſtra nativitate communicare, & partim alienum eſſe; & utraq; hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de utero prodire commune habet nobiſcum: abſque nuptiali autem congreſſu naſci, ſupra noſtram eſt nativitatem. Naturale eſt, conceptum fieri in utero: ſupra naturam humanam eſt, abſq; commixtione eſſe prægnantem. Et propterea utraq; ut & excellentiam, & communionem, quam habet tecum, addiſcas. Conſidera autem quanta ſapientia hæc facta ſint. Neque eminentia obfuit aſſimilationi, & affinitati ejus nobiſcum; neque noſtra affinitas & ſimilitudo ejus obſcuravit excellentiam: ſed operibus utraque oſtenſa ſunt. Et alia perfectè habuit nobiſcum, alia non habuit, ſed ab eis totus liber fuit.*

Quapropter, cum hujuſmodi ſordes externæ, de quibus hactenus ſermo fuit, ad nativam naſcentis hominis conditionem pertineant; nec miracula in ipſo etiam Chriſto temerè, ac ſine probatis teſtibus fingere liceat; earum quoque aliquas Chriſti naſcentis corpuſculo, non ſecùs ac nobis adhæſiſſe, non dubitaverim affirmare: *Qui per omnia tentatus eſt pro ſimilitudine abſque peccato*, ad Hebræos Cap. 4. v. 15. Si qui verò ad pietatem, ac religionem pertinere velint, ut ab iis omnibus immunis fuiſſe dicatur: reſpondeant, cur toto mortalis vitæ decurſu humanæ naturæ

Digitized by Google

contumelias, ſordes, inquinamenta, non ſecùs ac nos ipſi perpeſſus ſit? Quid flagris cædi, quid coſpui, quid ſpinis in ludibrium coronari, quid Cruci ſuſtigi, atque inter iniquos reputari voluerit? Cùm & hæc omnia, ſi de ſumma facie ſpectentur, vero homine Deo indigniora videri poſſint. Ego interim cum Hieronymo, (qui, quod poſtulet pietas, probè noverat) liberè exclamabo: *Junge, ſi libet, naturæ contumelias, novem menſibus uterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolitò involutus. Ingerantur dura Præſepia, vagitus parvuli, octava diei circumciſio, tempus purgationis, ut putetur immundus. Non erubeſcimus, non ſilemus. Quantò ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tantò plus illi debeo. Lib. contra Helvidium Cap. 9.*

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXX.

De loco Chriſti Naſcentis.

I. DE prima, eaque potiſſima ſuſceptæ de Chriſto nato diſputationis parte fœliciter expeditus, ad ſecundam accedo, in qua mihi de peracti ſacri natalis loco, cæteriſque illius adjunctis diſſerendum eſt.

Chriſtum Bethleemi natum ſcribit Matthæus Cap. 2. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda &c.* Et Lucas pariter Cap. 2. *Aſcendit Joſeph à Galilæa de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem.... Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies* Mariæ, *ut pareret.* Quod futurum prænunciaverat Michęas Cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Bethleem Judà Matthæus dixit, hoc eſt, ſitam in ſorte tribus Juda, ut ab altera diſtingueret, quæ erat in Galilæa de Tribu Zabulon: Bethleem verò *Ephrata* Michæas nuncupavit à nomine parentis conditoris ipſius, qui eam ex Matris quoque nomine appellatam voluit. Cur autem Bethleemi Ephrata natus Jeſus Chriſtus, numquam Bethleemites, aut Ephratæus in Euangelio ſit dictus, ſed Nazarenus ſemper, & Galilæus, inde eſt, quòd nonniſi in Parentum tranſitu Bethleemi ſit editus, qui fixam Nazarethi in Galilæa habitationem habebant, ubi & ipſe primum eſt educatus.

Movere hic obiter aliquem poterit, quòd celebre Michææ Oraculum de Chriſto Bethlemi naſcituro longè ſecùs Matthæus recitet Cap. 2. quàm in ipſo Prophetæ contextu habeatur. Sic enim eſt apud Matthæum: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Sic verò apud Michęam: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Nempe illic *nequaquam minima* dicitur Bethleem, quæ iſthic *parvula* nuncupatur. Scrupulum evellit Hieronymus, Matthęum Prophetæ verba, non à ſe ipſo recitaſſe, inquiens, ſed nomine Scribarum, & Principum Sacerdotum, qui ab Herode de natali Chriſti ſolo interrogati, Bethleemum Judæ illicò reſponderunt, datumque reſponſum productis Michææ verbis confirmarunt, corruptis tamen, ac vitiatis; quam ille vitiationem, ac corruptionem noluit referendo corrigere, & emendare: ut innoteſceret univerſis, quanta tunc eſſet in Scribis, & Sacerdotibus ignorantia Scripturarum, qui vel unum Prophetę Oraculum in reſponſi confirmationem proferre juſſi, corruptum, & vitiatum recitarunt. Quidni quoque dicamus (ſi quis Michææ verba à Matthæo proprio nomine recitata velit) in eumdem planè ſenſum redire omnia: ſeu veriùs, Matthæum relicta figura verborum, neglectoque cortice, ſenſum Michææ intimatum retuliſſe. Quia quod eſt apud Michæam: *Et tu Beth-*

Digitized by Google

leem Ephrata parvulus es in millibus Juda, per admirationem, & interrogationem negantem dictum eſt; tametſi ſcriptione ipſa non adnotetur, quia Hebræi admirationis, & interrogationis puncta ſcribendo non habent: perinde, ac ſi dixiſſet: *Tu ne parvula es in millibus Juda, ex qua mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael?* Uti Matthæi Cap. 3. dum de Joanne Baptiſta dicitur: *Quid exiſtis in Deſertum videre? Arundinem vento agitatam, hominem mollibus veſtitum?* Quod utique non affirmando dicitur, ſed negando. At id obiter dictum velim, plenius fortè dicturus alibi.

II. Interea tamen, quia nomine Bethleemi, alteriuſve cujuſque urbis, ipſa quoque ſuburbia veniunt, agerque conjunctus; non otioſe hic queri ſolet: num intra Civitatem ipſam ſit natus, an autem in ſuburbio, aut etiam in agro conjuncto. Natum extra Bethleemum in agro ſuburbano fidentèr pronuncio; non quidem ſub dio, ſed in ſpelunca diverſorio conjuncta, terræque, ſeu ſaxo excavata, quæ brutis animantibus recipiendis deſtinata erat. Quæ quatuor, partim ex Patribus, partim ex Euangelio apertiſſimè colliguntur.

Ac primùm, in ſpelunca natum Chriſtum Dominum conceptis verbis affirmant, Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes lib. 1. contra Celſum, Hieronymus Epiſt. 18., Pſeudo-Athanaſius Sermone de Nativitate, Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 15.

Speluncam hanc in agro ſuburbano fuiſſe ſitam, quod hic potiſſimè quæritur, teſtes ſunt Euſebius lib. 7. de Demonſtratione Euangelica Cap. 2. *Agrum juxta Bethleemum demonſtrari* aſſerens, *ubi Virgo enixa Infantem depoſuit.* Juſtinus loco paulò ante laudato ſpeluncam *juxta Bethleemum poſitam* ſcribens: Burchardus in Deſcriptione Terræ Sanctæ parte 1. *Juxta muros Civitatis.* Suadet hoc idem Hiſtoria Euangelica: Paſtores enim, qui Chriſtum natum hac ipſa nocte feſtinantes adoratum venere, *cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum*; ſeu, ut Textus Grecus habet, erant in agro ſtabulantes, *ἀγραυλοῦντες*, hoc eſt, ſub dio cum grege cubantes: qui vix, ac ne vix quidem in urbem muris tunc temporis cinctam de nocte aditum habuiſſent, nec natum pupulum de facili inveniſſent, & adiiſſent, ſi intra Urbem natus eſſet. Herodes quoque à nato Judæorum Rege ſibi metuens, quem Bethleemi ex Michææ oraculo natum inaudiverat, pueros, non modò in Bethleem natos juſſit occidi, *ſed in omnibus finibus ejus*: haud alia profectò de cauſa, quàm quòd Bethleemi nomine non Urbem modò, ſed & ſuburbia, & conjunctum agrum, adhuc etiam & fines ejus intelligi poſſe, certò ſciret.

Fuiſſe hanc ipſam ſpeluncam diverſorio conjunctam, ac recipiendis brutis animantibus deſtinatam ex Euangelio longè certiùs. Cum Virginem puerperam natum puerum in præſepio, quod continendo brutorum pabulo deſervit, reclinaſſe dicat, *quia non erat eis locus in diverſorio.* Hinc Eccleſiæ Patres, Auguſtinus Serm. 2. de Epiphania, Zeno Veronenſis Serm. 3. de Nativitate, Pſeudo-Athanaſius Serm. de Cenſu, ſeu de Nat., D. Epiphanius Orat. de Laudibus B. Virginis (ſi tamen illius eſt) Chriſtum *in ſtabulo natum* dicunt.

Terræ demum, ſeu ſaxo excavatam fuiſſe ſpeluncam obſervant: Hierony-

ronymus, quo nemo meliùs rem ſcire potuit, Epiſt. 17. *parvum terræ foramen* nuncupans; Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini *Antrum* vocitans; & Venerabilis Beda lib. de Locis Sanctis Cap. 8. *Semiantrum* appellans. Idque nec ſingulare, nec præter morem, ſed ex ipſa natura ſoli. Strabo quippe, aliique Geographi notant, totam illam regionem petroſam eſſe, multaſque in illo tractu fuiſſe domos ſaxis incluſa; vel potiùs cellas, quibus ſeſe homines religionis cauſa includerent.

III. Idem de Præſepio, in quo natus puerulus reclinatus eſt, facilè ſtatuerim. Et ſanè fuiſſe illud *exciſum in rupe*, ſcribit Burchardus in deſcriptione Terræ Sanctæ par. 1. Cap. 7., è quo non admodum diſſidet D. Joannes Chryſoſtomus Serm. ad Cap. 2. Lucæ, *Lateritium* fuiſſe obſervans, ſeu ex luto coctili confectum. Viſitur tamen etiamnum hodiè Romæ ad S. Mariam Majorem *Ligneum*, gemmiſque ornatum. Quid ergo, ſuppoſitum ſuſpicabimur, ac pro arbitrio fictum, ut fidelium piè colentium religioni illudatur? Abſit. Sed poſſunt hæc facilè conciliari. Burchardus enim, & Joannes Chryſoſtomus, non de ipſo vaſe loquuntur, quod conſtat fuiſſe ligneum, ſervaturque nunc Romæ: ſed de ſtructura illa exigua, quæ ipſum Præſepe ligneum continebat, quæque vel lapidea erat, vel lateritia. Ad majorem quippe firmitudinem vas ligneum lapideæ; ſeu lateritiæ cavitati incluſum erat; & utrumque perindè Præſepe non incongruè nuncupatur. Ut ſileam, laudatum Sermonem dubium eſſe S. Chryſoſtomi fœtum, viderique Scriptoris Latini admodum recentioris.

IV. Majoris longè momenti fuerit, ad exactam Hiſtoriæ limam exigere popularem opinationem, ſolita Pictorum libertate, atque audacia roboratam, de Bove, & Aſino ad Chriſti naſcentis Præſepe alligatis, eumdemque flatu ſuo, halituque foventibus. Hujus primum Architectum fuiſſe crediderim Auctorem poematis Lactantio perperam adſcripti *de paſſione Domini*; ut quæ à Pictoribus incrementum acceptura erat inepta fabella, à Poetis ortum haberet. Pictoribus enim, ac Poetis ſumma ſemper cognatio fuit, audendique æqua poteſtas. Tantas verò ſucceſſu temporum radices egit, ut in virorum etiam eruditorum libris, ac in ipſis Cardinalis Baronii Annalibus Eccleſiaſticis locum invenerit. Verùm nihil ea de re Lucas, qui Chriſti nativitatem, non modò accuratè, ſed etiam curioſè deſcripſit. Nec Angelus, qui Paſtoribus ſigna dedit, ne in cognoſcendo recens nato Salvatore fallerentur, puerum in medio duorum Animantium poſitum dixit; quo eum inſolito ſigno faciliùs dignoviſſent.

Dedit fingendæ fabellæ occaſionem percelebris Iſaiæ locus Cap. 1. perperàm: ac præpoſterè intellectus: *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepè Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit*. Cum enim eo loci Profeta Euangelicus Judæorum in Deo benefactore ſuo cognoſcendo tarditatem, & ingrati animi vitium coarguat exemplo brutorum animantium, quæ etiam heros ſuos, ac Dominos, à quibus pabula ſua recipiunt, probè norunt; imò exemplo *Bovis* tardioris animantis, ac ipſius etiam Aſini brutorum animantium ſtultiſſimi, qui præſepe, ubi ſua illi Dominus ejus pabula parat, tandem aliquando cognoſcit: exiſtimarunt nonnulli, Iſajam Prophetam in ſingularem aliquem Bovem, Aſinumque digitum intendiſſe,

Digitized by Google

diſſe, qui rerum omnium Dominum recens natum, & in Præſepio vagientem agnoverint; eoque freti oraculo perperam intellecto, Bovem, Aſinumque Chriſti Præſepio addiderunt. Quis hic manifeſtum Iſajæ oraculi abuſum non videat? Quod enim de bobus, aſiniſque Dominus ſuos temporales, & præſepia, ubi ſua illis parantur pabula, cognoſcentibus generatim affirmat Iſajas; illi de peculiari bove, & aſino, qui rerum omnium Dominum, & Præſepe, ubi jaceret, agnoverint, dictum accipiunt: nudamque objurgationem, reprehenſionemque à Propheta Judæis factam, brutorum quidem animantium exemplo, rei in brutis animantibus naſcente Domino obventuræ vaticinationem interpretantur. Longè aliter Patres, ac in illis diſertiſſimè Hieronymus in Cap. 1. Iſajæ; *Senſus*, inquit, *perſpicuus eſt: Ego eos adoptavi in filios, & feci populum peculiarem, & partem meam, & funiculum hereditatis meæ, appellavique eos primogenitos: illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincerentur, & intelligerent paſtorem, & nutricium ſuum. Nec comparavit eos canibus, quod ſagaciſſimum genus animantium eſt, & pro parvo cibo Dominorum tecta defendit: ſed ſtolidioris ſenſus bovi, & aſino, quorum alterum carpenta trahens, duriſſimas terræ glebas vertit vomere; alterum portat onera, & hominum in gradiendo laborem temperat: unde & jumenta appellantur ab eo, quòd juvent homines. Poteſt hic locus & de Deo Patre intelligi: ſed magis refertur ad Filium, quòd non cognoverit eum, neque ſuſceperit populus Iſrael.*

Certè Jeremias quoque Iſajam imitatus eamdem illam Judæorum in Deo benefactore ſuo dignoſcendo tarditatem coarguit exemplo Milvi, Turturis, Hirundinis, & Ciconiæ, quæ opportunum adventus ſui tempus probè norunt: *Milvus in Cœlo cognovit tempus ſuum: Turtur, & Hirundo, & Ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Quidni ergo pari licentia Pictores, Milvum, Turturem, Hirundinem, & Ciconiam juxta Chriſti naſcentis Præſepe volitantes nobis effingunt? Aut ut video, qui bovem, aſinumque juxta Præſepe locarunt, ut flatu, halituque natum puerulum calefacerent; aves circumvolantes abigere, ne importuno alarum ſuarum flabello ventulum facerent, tenellique populi corpuſculum frigore enecarent.

V. Non me fugit, Patres aliquos, ac in illis maximè Origenem, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, itemque Nyſſenum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Paulinum, Prudentium, alioſque ſcripſiſſe non ſemel, bovem, aſinumque Chriſti naſcentis Præſepe cognoviſſe; illudque tunc tandem fuiſſe impletum, quod ſcripſerat Iſajas: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus Præſepe Domini ſui.* At & illud novi, Patres illos figuratè, & allegoricè locutos eſſe, eoque bovis, & aſini ſubjugalium animantium ſymbolo paſtores genere, & religione Judæos ferendo Moſaicæ legis oneri aſſuetos intellexiſſe, qui ex dato ſibi ſigno ab Angelo natum Salvatorem in Præſepio cognoverunt. Neque enim neceſſe eſt, Veteris Teſtamenti oracula, quæ in Novo dicuntur impleta, ad litteram ſemper, atque hiſtoricè exitum habuiſſe: ſatis eſt, ſi ſecundùm allegoriam exitum obtinuerint. Sic Joannis Cap. 19. cum obſervaſſet Euangeliſta, Judæos duobus latronibus de cruce pendentibus fregiſſe crura, Chri-

ſto

ſto verò nequaquam; ſubjungit, factum id eſſe: *Ut Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo*: quod tamen ad litteram, & hiſtoricè de Agno Paſchali dictum fuerat Exodi 12., quem, cum Judæi comederent, oſſa comminuere non debebant: nec niſi ſecundùm allegoriam in Chriſto Jeſu exitum habuit. Sic etiam Matthæi 12., cum obſervaſſet Euangeliſta, Chriſtum infantem poſt obitum Herodis Ægypto in terram Iſrael fuiſſe deductum, ſubjungit: factum id eſſe, *ut impleretur, quod dictum eſt à Domino, per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum*: quod tamen ad litteram, & hiſtoricè de populo Iſraelitico dictum erat, Oſeæ Cap. 11. quem Deus ut filium ſuum ex Ægypto deduxit: nec niſi ſecundum allegoriam in Chriſto Domino impletum aſſeritur. Pari itaque jure in paſtoribus Chriſti naſcentis Præſepe cognoſcentibus per allegoriam impletum eſt, quod de bobus, & aſinis Dominorum ſuorum præſepia cognoſcentibus ad litteram, & ſecundùm hiſtoriam dictum erat ab Iſaja; quin propterea neceſſe ſit, bovem, aſinumque Chriſti Præſepio alligare. Quotquot etiam Eccleſiæ Patres bovem, aſinumque Chriſti Præſepe noviſſe dixerunt, bovem, aſinumque figuratos, & allegoricos intellexere; Paſtores nimirum, & Magos Chriſti in Præſepio vagientis adoratores: illos quidem, utpote Judæos, ferendo legis jugo dudum aſſuetos; iſtos uti Gentiles jugo liberos, & exleges: non bruta, ac ſtulta illa animantia.

Hanc porrò laudatorum Patrum mentem eſſe, atque ſententiam, vel ex uno, qui omnium inſtar eſt, Ambroſio diſcimus, qui, cùm celebratum Iſajæ oraculum Chriſto naſcente impletum doceat lib. 2. Comment. in Lucam; ſic tamen bovem, aſinumque vagientem in Præſepio Chriſtum noviſſe, ait, ut neglecta proprietate ſermonis Myſterium unicè ſpectet; geminumque populum, Judaicum, & Gentilem bovis, aſinique nominibus per figuram expreſſos intelligat, quos Chriſtus ad Præſepe ſuum cœleſti voce, ac luce pertractos ſpiritualiter pavit, Ambroſij verba tibi habe: *Quod in pannis eſt Chriſtus, vides: quod in Cælis eſt, non vides? Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoſcentis mugitus? Agnovit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſina Præſepe Domini ſui: imò Præſepium dixerim, ſicut ſcripſit, qui tranſtulit. Nihil enim apud me diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu. Nam ſi Orator illorum*, (Demoſt. pro Cteſiphonte) *qui phaleras ſermonum ſequuntur, negat, in hoc poſitas eſſe fortunas Græciæ, hoc, an illo verbo uſus ſit, ſed rem ſpectandam putat: ſi ipſi Philoſophi eorum, qui totos dies in diſputationibus conſumunt, minùs latinis; & receptis ſermonibus uſi ſunt, ut propriis uterentur: quantò magis nos negligere verba debemus, ſpectare Myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas, quòd operum miracula Divinorum nullis venuſtata ſermonibus veritatis limine refulſerunt? Denique aſinam illam rationalem, non ſucco deliciarum, ſed ſucco ſpiritalis alimoniæ Præſepia Sancta paverunt. Hic eſt Dominus, hoc Præſepe, quo nobis Divinum Myſterium revelatum eſt; irrationales Gentes pecudum more intro Præſepia viventes, alimoniæ ſacræ ubertate paſcendas eſſe. Agnovit ergo aſina, ſpecies, ſcilicet, & forma gentilium, Præſepe Domini ſui. Et ideò dicit: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.*

VI. Alteram fingendæ fabellæ occaſionem arripuere nonnulli ex altero Scripturæ oraculo nihilo meliùs intellecto juxta ſeptuaginta Interpretum

Digitized by Google

tum Verſionem, ſcilicet, cum obſervaſſent viri boni Cap. 3. Abacuch Prophetæ, ubi Verſio noſtra vulgata habet: *In medio amorum notum facies*, ſeptuaginta Interpretes vertiſſe: *In medio duorum animalium cognoſceris*; Propheticum dictum Chriſto naſcenti accommodarunt, quaſi is in medio duorum brutorum a fidelibus fuerit agnitus; bovemque idcircò, aſinumque ſtolidiſſima animantia naſcentis Præſepi adſtituerunt.

Itane verò Eccleſiæ Patres, probatique Interpretes locum illum de Chriſto naſcente inter bruta animantia cognito intellexere? Minimè gentium. Imò Hieronymus in ſuis ad Abacuch Commentariis, S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 32., S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 12. quatuor dicti Oraculi expoſitionis dedere toto Cœlo diverſas. Primam, ut Deus *in medio duorum animalium* cognitus ſit, nimirum inter duos latrones, dum in cruce penderet. Secundam, in medio duorum Seraphin, de quibus in Iſaia ſermo eſt Cap. 6.: aut in medio duorum Cherubin, qui extrema Arcæ fœderis partes occupabant, Exodi 25.; familiare quippe Patribus eſt, Angelos animalia rationalia nuncupare. Tertiam, in medio utriuſque populi, Gentilis, ſcilicèt, & Judaici. Quartam, in medio duorum Teſtamentorum, quæ perinde ad Dei cognitionem perducunt. Nemoque Patrum, veterumque Interpretum bovem mihi, aſinumque commentus eſt, in quorum medio Deus homo factus, & vagiens à fidelibus agnitus ſit. Niſi fortè mihi quiſpiam obtrudere velit Homiliam 33. Tomi 6. Joannis Chryſoſtomi, ubi inepta illa de Chriſto naſcente bovem inter, & aſinum agnito interpretatio legitur. Verùm nemo Criticam Diſciplinam extremis, ut ajunt, labris attigit, qui Homiliam illam uti ſpuriam, & apocrypham ad quiſquilias non amandet. Atque hinc graviſſimum, ac planè decretorium momentum deduco, ad bovem illum, aſinumque à Chriſti naſcentis Præſepio procul arcendos. Si enim exiſtimaſſent Eccleſiæ Patres, Deum factum hominem in Præſepio à paſtoribus agnitum illic bovem inter, & aſinum vagiiſſe: hanc certè primam omnium Prophetici Oraculi interpretationem dediſſent, quæ vel una modò, vel certè præcipua a vulgatæ fabellæ defenſoribus datur; nulla quippe facilior, atque commodior ea in hypotheſi fingi poteſt: nec ad violentas illas de duobus Iſaiæ Seraphinis, de duobus Arcæ Cherubinis, de duobus Teſtamentis interpretationes confugiſſent. At nemo Patrum hanc mihi interpretationem commentus eſt. Imò, ſi quis Oraculum illud in Chriſto naſcente impletum dixit, ad ſenſum allegoricum divertit; duoque animalia, Ethnicum, & Judaicum populum intellexit: Ut Auctor Homiliæ de Cenſu apud S. Athanaſium: *In Præſepio reclinatur, ut humani generis brutalitatem emendet, & duorum animalium cibus fieret. Quorum verò animalium? Ethnici, Judaicique populi, de quibus ſcriptum eſt: In medio duorum Animalium cognoſceris*. Quem perinde allegoricum ſenſum à Pſeudo Athanaſio, & D. Ambroſio datum uſurpat Eccleſia; dum die Chriſti natalitio in ſolemni precum Officio ita canit: *O magnum Myſterium, & admirabile Sacramentum! Ut animalia viderent Dominum natum jacentem in Præſepio. Domine audivi auditum tuum, & timui, conſideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium jacentem in præſepio.* Nimium petitam ex

duo-

duobus animalibus ab Iſaia, & Abachuco memoratis allegoriam, tunc demum impletum miratur Eccleſia, dum uterque populus, Gentibus, ſcilicet, & Judaicus Chriſtum in Præſepio vagientem agnovit: non bruta illic animantia ponit, unde petatur allegoria.

Non omiſerim ad uberiorem fabellæ confutationem lectionem illam latinam, unde maximè præſidium petunt: *In medium duorum animalium cognoſceris*, arbitrariam omninò eſſe. Septuaginta enim Interpretes Textum Hebraicum non latinè, ſed græcè verterunt: in Græco autem illorum Textu habetur, *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ*, quod perinde *in medio duarum vitarum* reddi poteſt, ac *in medio duorum animalium*; ſola nimirum accentuum, quorum olim non erat uſus, mutationem facta. Longèque veriſimilius eſt, ſeptuaginta Interpretes priorem ſenſum animo intendiſſe, quàm poſteriorem: cùm hebraica vox *Schanim*, non animalia ſignificet, ſed annos; quæ vox ad *vitarum* ſignificatum propriùs accedit. Unde & Hieronymus hebraicè longè doctiſſimus *in medio annorum*, non in medio *animalium* vertere maluit. Jam ex quo decantata illa lectio, *in medio duorum animalium*, exploſa eſt, ruit ab imo jactatæ fabellæ fundamentum de bove, & aſino ad Chriſti Præſepe alligatis.

VII. Verùm opponet fortaſſe quiſpiam: ſi Chriſtus in ſpelunca recipiendis, ut diximus, brutis animantibus deſtinata natus eſt, quid convenientius, quàm fuiſſe illic bruta aliqua animantia: maximè cum Diverſorium, cui conjuncta erat, hoſpitibus plenum eſſet, quorum multos in aſino, aut in equo iter egiſſe, veriſimillimum eſt? Egregiè id verò! Ecquis ſciat, an ad ipſum Diverſorium ſpelunca illa pertineret, ut, illo hoſpitibus, & viatoribus pleno, plena quoque jumentis eſſet iſta? Potuit enim Diverſorio coniuncta eſſe, nec tamen ad Diverſorium pertinere, nec illius hoſpitum jumenta colligere. Et certè, cum diſtinctè ſignificet Lucas, Virginem puerperam natum puerulum in Præſepio reclinaſſe, *quia non erat eis locus in Diverſorio*; haud obſcurè innuit, Præſepe Diverſorii partem non fuiſſe, & ad illud minimè pertinuiſſe. Ad hæc, ſi pro multitudine hoſpitum totum Diverſorium occupantium ſtabulum jumentis refertum veriſimiliter colligis; quid ergo aſellum unicum in ſcenam in dulcis naſcentis pupuli Præſepio admotum? Nihil itaque boni ſucci ex ea hoſpitum totum Diverſorium implentium conſideratione elici poteſt ad everſam fabulam inſtaurandam. Idcirco alii paulò acutiores (Suarez Tract. 1. de Relig. lib. 9. Cap. 5.) non jumenta hoſpitum, quæ plura profectò fuiſſent, ſed ſacræ familiæ comminiſci maluerunt: aſellum quidem, cui per iter gravida Virgo inſederit, & bovem à Joſepho adductum, ut venditus, ad profectionis, & Bethleemiticæ commorationis expenſas ſufficeret. At ii fabulas fabulis nectunt, non temerè modò, ſed inconſultè. Virgo enim ex ſententia Patrum ſinè gravamine gravida erat, nulloque idcircò jumento ad iter egebat. Fulgentius Sermone de laudibus Mariæ: *Cùm eſſet gravida, ſalubri levitate plaudebat*. Bernardus Sermone in illud Apocalypſis, *ſignum magnum* &c. *Portabat onus leve, portabat, à quo portabatur*. Joſeph vero haud ita benè de rebus domeſticis conſtitutus erat, ut in profectionis expenſas bo-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXI.

De tempore Chriſti Naſcentis: deque Paſtoribus ejuſdem adoratoribus.

I. LOci circumſtantiis, in quarum examine verſati ſumus hactenùs, eæ planè innexæ ſunt, quæ temporis eſſe dicuntur: de quibus ne ſileamus omninò, vetat ſuſcepti dignitas argumenti. Scire quippe maximè juvat, quo tempore Myſterium illud impletum ſit, quo temporis plenitudo facta eſt: dicente Apoſtolo ad Galatas Cap. 4. v. 4. *Ubi veniet plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Quocirca quatuor hæc quæri poſſunt? quo nimirum anno, quo Menſe anni, qua die Menſis qua hora diei Chriſtus Dominus natus ſit? de quibus, ſin minùs quantùm Chronologi, at certè quantùm Theologi officium poſtulat, diſputabimus.

II. Quoad annum tria maximè vertuntur in controverſiam. Quo nimirum anno natus ſit, computando à creatione Mundi? 2. Quo anno Imperii Cæſaris Auguſti? Quandoquidem liquet ex Euangelio Lucæ 2., ſub Auguſto natum eſſe Chriſtum, dum *exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*. 3. Quo anno Regni Herodis? Cum ex Matthæi Euangelio perinde conſtet, natum eſſe illum *in diebus Herodis Regis*. Cap. 2. Pro quarum quæſtionum enodatione infinita dicenda eſſent, quæ nos per multos etiam dies occuparent: ſed à viro memoriter dicente ex Cathedra fusè, ac minutatim pertractari non poſſunt: quippè quæ virum poſtulant ſedentem ad pluteum, qui ſubjecta Charta, admoto calamo, ac etiam adhibitis calculis, ſexcentas propemodùm computationes faciat.

Idcircò miſſa implexarum quæſtionum Chronologicarum tractatione, id compendio dicam juxta accuratiores ævi noſtri Chronologos: Chriſtum natum eſſe anno quater milleſimo à creatione Mundi; annos, videlicet, computando juxta Textum Hebraicum, & vulgatam Scripturæ Sacræ verſionem: anno 41. Imperii Cæſaris Auguſti: anno demum 36. Regni Herodis definente.

Primæ computationis probatio petitur ex diſtincta enumeratione annorum, quibus quælibet Mundi ætas ad Chriſtum uſque perduravit.

Prima Mundi ætas à creatione ad Diluvium annos complectitur 1656., Menſem unum, dies 26.

Altera à Diluvio uſque ad vocationem Abrahæ annos complectitur 426., Menſes 4., dies 18.

Tertia à vocatione Abrahæ ad exitum ex Ægypto annos complectitur 430.

Quarta ab exitu ad poſita fundamenta Templi annos complectitur 479., dies ſeptemdecim.

Quin-

Quinta à fundatione Templi ad finem Captivitatis Babylonicæ annos complectitur 475., Menſes 11., dies 29.

Sexta à ſoluta Captivitate per Cyrum ad Chriſtum natum annos complectitur 531., Menſes 2., dies 3.

Quibus omnibus in ſummam deductis, à Creatione Mundi uſque ad Chriſtum natum exurgit annus quater milleſimus, ſeu anni ter mille nongenti nonaginta novem, Menſes duo, dies tres.

Dixi porrò; annos quater mille à creatione ad Chriſtum uſque numerari, facta computatione juxta Textum Hebraicum, & vulgatam Scripturæ Sacræ Verſionem. Si enim annos computare lubeat juxta Verſionem ſeptuaginta Interpretum, creſcit annorum numerus in immenſum. Quia ſeptuaginta Interpretes annos nongentos ſuperaddunt ætati primæ, annos verò octingentos, & undeviginti, necnon Cainanis generationem ſuperaddunt ætati ſecundæ: quod quo caſu, quave fatali codicum depravatione contigerit, nemo hactenus fœliciter demoſtravit, etſi alias alii conjecturas attulerint. Atque hinc eſt, cur Martyrologium Romanum Chriſti natalem diem conſignet ànno à Creatione Mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono; quia eo primùm tempore editum eſt, quo Eccleſia Romana Verſione ſeptuaginta Interpretum communiter utebatur. Quamquàm & ea Martyrologii computatio fallat, ſtando etiam ſeptuaginta Interpretum calculis; ſecundùm quos anni computandi eſſent quinquies mille ſeptingenti undevigenti. Verùm Eccleſia non eo uſque ſuam demittit dignitatem, ut de quæſtionibus Chronologicis ex tribunali pronunciet, quarum examen privatorum induſtriæ, & eruditioni committit.

III. Jam verò natum eſſe Chriſtum anno 36. Regni Herodis deſinente, & 41. Imperii Auguſti, (quæ altera poſitæ aſſertionis noſtræ propoſitio eſt) facilè colligitur ex Flavio Joſepho, quo nemo unquam Hiſtoriam Herodianorum diligentiùs ſcripſit. Notat enim illic lib. 17. Antiquitatum Judaic. Cap. 8., mortuum eſſe Herodem anno 37. poſt adeptum à Romanis Judææ Regnum: Chriſtus autem anno mortem Herodis antecedente natus eſt, uti conſentiunt univerſi; eum itaque natum eſſe neceſſe eſt anno Regni Herodis 36. Ex quo rurſus habemus, natum illum eſſe anno Imperii Auguſti 41., quandoquidem annum Imperii ſui quintum agebat Auguſtus, dum Herodem Judæorum Regem conſtituit; uti quam plurimis momentis demonſtrat Cardinalis Noriſius in Cenotaphiis Piſanis diſſert. 2.; adeòque annum 41. Imperii ſui numerabat Auguſtus, dum Herodes regni ſui 36. agebat.

Non me fugit, eam Chriſti nativitatis epocham, tametſi acceptiſſimam nunc, probatiſſimamque, multis patere difficultatibus, quæ ſua quoque egeant ſolutione: at, ut eas Chronologicas controverſias ex ſuſcepto inſtituto non moveo, ita difficultates illas ſolvendas Chronologis mitto.

III. De Menſe autem, ac de die, quo Chriſtus eſt ortus, non una Veterum ſententia fuit. S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum nonnullorum ætatis ſuæ curioſorum opinationes percenſet, quorum alii Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum natum aſſererent die 20. Aprilis, alii die 20. Maii; quas ille opiniones minimè refellit, ſed intactas planè relinquit. In eam ſententiam poſtremis hiſce temporibus deſcenderunt Viri in Republica litteraria non infimæ notæ, ſed Proteſtantes, Joſephus Scaliger, Sethus Calviſius, Samuel Banagius, ea maximè ratione ducti, quod incredibile videatur, Chriſtum media hieme, ut vulgò creditur, fuiſſe natum. Tum quia notat Lucas Cap. 2., Paſtores Chriſto naſcente cuſtodiiſſe *vigilias noctis ſuper gregem ſuum*; hoc eſt, ut alibi adnotavimus, ſub dio cum grege cubaſſe: quod media hieme anni tempeſtate præfrigida factum, veriſimile non ſit. Tum quia ex Cæſaris Edicto deſcriptio totius Orbis indicta tunc erat: *Et ibant omnes in Civitatem ſuam, ut profiterentur*, & deſcriberentur: quibus itineribus ſuſcipiendis hibernum tempus minùs eſt opportunum.

Leviora tamen illa ſunt, quàm ut nos à vulgari opinatione dimoveant, qua Chriſtus Menſe Decembri natus communitèr creditur. Judææ quippe regio temperatiſſima eſt; adeò ut viris ruſticis, & agreſtibus, modò ſtragulis involvantur, ſub dio cubare nil vetet. Certè in Anglia, Cœlo haud ita mitti, toto anno armenta in agris ſub dio pernoctant, teſtibus Caſaubono Exercitatione 2. contra Baronium ad primum Chriſti annum, & Montacutio lib. de vita Chriſti. Imò in Dania, regione algidiſſima, idem fit, teſte Langio Dano lib. 2. de annis Chriſti part. 2. Cap. 2. Nihil itaque eo ſaltem ex capite vetat, Chriſtum media hieme natum eſſe.

Neque tamen, qui Chriſtum media hieme natum agnoſcunt, de Menſe, & die omninò conveniunt. Univerſæ propemodum Egyptiorum Eccleſiæ Chriſtum natum exiſtimant die 6. Januarii; eaque de cauſa hac ipſa ſexta die quatuor ſimul Myſteria celebrabant, Nativitatem, Epiphaniam, Baptiſmum, & primum Chriſti miraculum in Cana Galilææ peractum: quòd hæc omnia eadem illa die ſexta Januarii, diſtinctis tamen annis, contigiſſe arbitrarentur. Hujus nobis Eccleſiarum Ægyptiacarum diſciplinæ teſtes ſunt S. Epiphanius hæreſi 51., Caſſianus Collatione 10., & Theophylus Alexandrinus Epiſt. 16., quam tamen ut minùs incongruentem, falſaque opinione fultam impugnat S. Hieronymus in Commentariis ad Caput. 1. Ezechielis Prophetæ. Nec immeritò, univerſa enim Eccleſia, cum Latina, tum Græca pro certa, & imperturbata Majorum traditione ſemper habuit, Chriſtum die 25. Decembris natum eſſe. Cujus traditionis teſtes locupletiſſimi ſunt S. Joannes Chryſoſtomus Tom. 5. Homil. 33., S. Gregorius Nyſſenus Orat. in Sancta Lumina, S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate Cap. 5., & Epiſt. 119., Auctor Conſtitutionum Clement. lib. 5. Cap. 23., Oſorius lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 2., Anaſtaſius Epiſcopus Nyſſenus quæſt. 92.

Quare putidæ fabellæ arguitur, quod Joannes Nyſſenus in vulgata per Combefiſium Epiſtola conteſtatur, Natalem Chriſti diem Romæ ſub Julio dumtaxat Summo Pontifice ad 25. Decembris definitam eſſe, Patribus diem hanc jam ab antiquo definitam conſtanter affirmantibus. Imò notat citato jam loco S. Joannes Chryſoſtomus, eum Chriſti natalem

diem

Digitized by Google

diem Romæ inveniri potuiſſe in publicis Tabulis deſcriptionis factæ ex Edicto Cæſaris Auguſti. Quo certè nullum certius ad fingendam Chriſti naſcentis epocham documentum deſiderari è quoquam poſſet; modò tamen, dum ea diei determinatio facta eſt, extitiſſent etiamnum Tabulæ illæ; quod nec affirmat Sanctiſſimus Pater, nec eſt admodum veriſimile. Hanc porrò diem 25. Decembris, quo anno natus eſt Chriſtus, in diem Hebdomadæ primam, quæ Dominica eſt, incidiſſe ajunt ſextæ OEcumenicæ Synodi Patres, & Nicephorus Callixtus lib. 1. Hiſt. Cap. 12.

Ex hac etiam conſtanti Eccleſiæ, cum Latinæ, tum Græcæ perſuaſione, quòd Chriſtus natus ſit die 25. Decembris, manavit & altera opinatio, qua vulgò creditur, eumdem fuiſſe conceptum die 25. Martii. Cujus tamen nullum aliud fundamentum eſt, quàm quòd pueri novem integris Menſibus in maternis uteri geſtari ſoliti ſint: tot enim à die 25. Martii ad diem 25. Decembris numeramus. Verùm; quia contingit aliquando, pueros ultra novem Menſes in matrum uteris geſtari; ſæpè verò breviori tempore in lucem proferuntur; idcircò certam ea de re probationem Eccleſia non habet, ſed meram probabilitatem. Interea tamen jam à primis Eccleſiæ ſæculis non modò Latini; & Græci, ſed & Syri, Chaldæi, Coptæ, Dominicæ Conceptionis feſtum die 25. Martii celebrarunt. Eccleſia nihilominùs Hiſpanienſis illud olim celebrabat die 18. Decembris ex decreto Concilii X. Toletani: Eccleſia verò Mediolanenſis die Dominica ante feſtum Chriſti natalitium; ſpectata, ſcilicet, feſtorum cognatione, non habita ratione dierum, quibus utrumque Myſterium peractum eſt: aut etiam quòd dies Martii 25. ad Quadrageſimæ finem ſæpiùs incidat, & in Chriſti morte commemoranda ſit occupatus.

Mirum fortè videri queat, Auguſtinum, qui Chriſtum die Martii vigeſima quinta conceptum, & vigeſima quinta Decembris natum conſtantiſſimè doceat; eumdem tamen ſexta die poſt nonum Menſem à ſua Conceptione in lucem editum docuiſſe, ac veluti Traditionem Eccleſiaſticam propugnaſſe: cùm tamen novem dumtaxat Menſes interfluxiſſe, perſpicuum ſit. *Novem menſes*, inquit Sanctiſſimus Doctor, *& ſex dies, parientibus fœminis imputantur. Non quia omnes ad ſextum diem poſt nonum menſem perveniunt: ſed quia ipſa perfectio Corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur; ſicut à Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſia cuſtodit auctoritas* lib. 4. de Trinit. Cap. 5. Verùm mirari deſinet, quiſquis adverterit, Auguſtinum lunares Menſes novem intellexiſſe: qui cùm dierum ſint viginti novem cum dimidio, paulòque ampliùs; ſex ſibi dies adjungi poſtulant, ut ad novem ſolarium Menſium ſpatium accedant,

IV. Reſtat ut de hora dicamus, qua natus eſt Chriſtus. Qua de rem mirum, quàm diverſæ fuerint ſententiæ Veterum. Tertia hora diei natum Chriſtum putavit Heſychius apud Anaſtaſium Nyſſenum Epiſcopum: Anaſtaſius verò hora ſeptima natum voluit. Sed quaſnam illi computaverint horas, ignoratur: num diei naturalis, qui incipit à media nocte; num verò diei Judaici, qui incipit à Solis ortu. Anaſtaſius autem Synaita ad veſperam natum ſcribit, lib. 7. in Exameron. Utrique autem pro arbitrio ſenſiſſe videntur: probationes enim, ſi quærimus,

nullam

nullam afferunt. Certè Chriſtum de nocte natum eſſe, liquet ex Euangelio Lucæ Cap. 2., ubi narrata Chriſti nativitate, ſubjungitur è veſtigio: *Paſtores erant in eadem regione vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum:* quota tamen eſſet hora, quota noctis vigilia, non innuitur: horas tamen noctis duodecim numerabant; vigilias noctis omninò quatuor, pro more, ſcilicet, Judæorum. Nihilominus in eam ſententiam conſpirant Interpretes fermè omnes, ut ſit natus de media nocte. Idque partim ex antiqua Eccleſiæ traditione, quæ idcircò eam noctis partem anniverſariis comprecationibus celebrat jam à primis ſæculis, ut multis oſtendit Albinus Flaccus de Divinis Officiis Cap. 1., partim ex propheti a Sapientiæ Cap. 18. *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus durus debellator in medium exterminii terram proſilivit:* quod de Divini Verbi facti hominis nativitate dictum, plerique Patrum ſunt arbitrati.

Atque ex hac ipſa temporis nota, quo Chriſtum Virgo Mater enixa eſt, multò facilius intelligas, ab omni veri ſpecie alienum eſſe, quod nonnulli commenti ſunt, (Benſon. in Pſal.46,) & ex S. Brigittæ revelationibus confirmare tentarunt, Joſephum pariente Virgine abfuiſſe. Ecquis enim Sanctiſſimum Sponſum domo de media nocte abſuiſſe, ſibi perſuadeat, uxoremque partui proximam vel momento reliquiſſe? Contrà verò Petrus Damiani Serm.62. *Adeſt & Joſeph, ſed ab utroq; remotus, & in exceſſu mentis miratur, & mirari ſatis nõ poteſt, qualiter ſit ad tantæ dignitatis admiſſus arcanũ.*

V. Ad circumſtantias temporis Chriſti naſcentis omninò pertinet Paſtorum adventus, qui ab Angelo moniti feſtinantes, ac nulla interpoſita mora adoratum venere. Undenam illi venerint, ac quoto numero fuerint, non incurioſè quæſieris. Ex eo illos veniſſe loco, ubi Angelicum nuncium exceperant, nihil dubium eſt: ubinam autem nuncium exceperint, id verò quæritur. Juxta Eder *turrim gregis* vulgò dictam, quæ Bethleemum inter, & Jeroſolymam ſita erat, cùm illic de nocte greges paſcerent, Angelicum nuncium excepiſſe, indeque adoratum veniſſe, ſcribit D. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, exponens illud Geneſis Cap. 35. v. 21. *Egreſſus inde Jacob; fixit tabernaculum trans turrim gregis;* ubi ſic habet: *Hunc locum Hebræi eſſe volunt, ubi poſtea Templum ædificatum eſt, & turrim Eder turrim gregis ſignificare, hoc eſt, congregationis, & cœtus. Quod & Michæas teſtatur dicens: tu turris gregis nebuloſa filia Sion: illoque tempore Jacob trans locum, ubi Templum ædificatum eſt, habuiſſe tentoria. Sed ſi ſequamur ordinem viæ paſtorum, juxta Bethleem locus eſt, ubi, vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora ſua pavit, loco nomen imponens: vel, quod eſt, quodam vaticinio futurum jam tunc Myſterium monſtrabatur.* Et in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium: *Haud procul inde deſcendit Paula ad turrim Eder, ideſt, gregis, juxta quam pavit Jacob greges ſuas, & paſtores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis.* Erat porrò extructa turris hæc in loco paſcuoſo, in quam ſeſe reciperent paſtores, gregemque colligerent contra Cœli injurias: unde illi nomen Eder inditum eſt. Eder enim hebraicè *collectionem pecorum* ſonat.

Digitized by Google

VI. Jam quod ad numerum attinet, Paſtores Chriſti naſcentis adoratores tres tantùm vulgò creduntur. Hinc Beda libro de locis Sanctis Cap. 8. *Ad orientem in turre gregis mille paſſus à Bethleem Civitate ſegregata eſt Eccleſia, trium paſtorum Divinæ Nativitatis conſociorum monumenta continens*. Et Haymo Halbertatenſis: *Diſtat turris gregis uno milliario à Bethleem in qua etiam hodie trium paſtorum corpora requieſcunt*. Ubi tamen non affirmatur, Paſtores Chriſti naſcentis adoratores plures tribus non fuiſſe; quamquam trium dumtaxat corpora illic quieſcere referantur. Idcircò Caſaubonus, Exercitatione 2. in Baronium, quatuor fuiſſe contendit, quorum nomina ex pervetuſto Codice Græco anonymo in Palatina Vittembergenſi Bibliotheca aſſervato repræſentat: *Miſael*, *Achael*, *Stephanum*, *& Cyriacum*. Viro Heterodoxo; etſi non ſit integra danda fides in iis, quæ religionem utcumque contingunt; quid tamen iſto in capite negemus, modò (quod neſcimus) antiquæ, & probatæ notæ ſit Codex ille, ex quo quatuor paſtorum nomina deſcripta ſunt? De cætero enim, quod objiciunt aliqui, *Stephanum*, *& Cyriacum* græca eſſe nomina, quæ viris Judæis, quales profectò paſtores erant, minimè congruant, futilitatis plenum eſt. Quis enim neſciat, Judæos, qui ex tempore Græcis paruerant, varia quoque græca nomina ſortitos eſſe; primumque Diaconum genere Judæum, & patria Hieroſolymitanum *Stephanum* fuiſſe dictum? Nihil itaque ex eo capite repugnat, quatuor illos fuiſſe paſtores Chriſti naſcentis adoratores: modò, ut dixi, græci Codicis à Caſaubono laudati ſtaret fides: qua de re judicium ferre non poſſum.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXII.

De fictis prodigiis, quæ Chriſto naſcente patrata dicuntur; ac maximè de ſilentio priſcis Gentilium Oraculis indicto.

I. QUæ viro Theologo cura eſt, ne veris, quibus Chriſti nativitas illuſtrata eſt, prodigiis defraudetur; ea quoque ne falſis, & commentitiis celebretur, debet eſſe. Ut enim vera negare miracula, impietatis eſt; ita falſa comminiſci, ſuperſtitionis: pariſque in Eccleſia Catholica periculi eſt, & fictis delectari, & certa reſpuere. Ea me ratio induxit, ut qui certa Chriſto naſcente patrata prodigia vindicavi hactenùs, ac pergam in ſequentibus vindicare; falſa quoque queis ortus ejus fingitur illuſtratus, refellerem, impugnarem. In iis verò illud maximè, quo ſilentium priſcis Gentilium Oraculis Chriſto naſcente ſtatim indictum à viris etiam eruditis exiſtimatur; quæ res, ut majoris longè momenti eſt, ita accuratioris inquiſitionis, diligentioriſque criterii.

II. Primò igitur ad criſim veniat decantatum illud, & ab incerto Scriptore Homiliæ cujuſdam Petro Damiani adſcriptæ omnium primò celebratum prodigium de Romano Pacis Templo, qua nocte Chriſtus Bethleemi natus eſt, momento temporis corruente; cui non pauci rerum Eccleſiaſticarum Scriptores, iique non ignobiles ſubſcripſere, maximè verò Surius, & Lipomanus, qui rem in hunc fermè modum patratam retulere. *Cum Romani in victorioſæ antiquitatis memoriam Templum ſingulari ſchemate facere decreviſſent; ab omni illa Deorum, imò Dæmonum multitudine quæſierunt, uſquequò durare poſſet tam excellentis operis operoſa conſtructio? Reſponſum eſt: Donec Virgo pareret. Illi ad impoſſibilitatem Oraculum detorquentes, Templum Æternum ſolemnem illam machinam vocaverunt. Nocte autem iſta, cum de virginali thalamo virgineus flos Maria egreſſus eſſet, ita cecidit, & confractum eſt illud murale, & columnarum opus, ut vix apparerent veſtigia ruinarum.*

Ruere narrationem illam totam multò certiùs, quàm ipſum Pacis templum explorata res eſt. Nullum enim ante Chriſti ortum templum Pacis Romæ fuit, quod illo naſcente ruere poſſet. Seu enim à Veſpaſiano Imperatore poſt devictos Judæos primùm fuerit excitatum, uti Baronio viſum eſt, & ex Svetonio, & Flavio Joſepho ſat benè colligitur: ſeu à Claudio extructum primò, tum à Veſpaſiano poſt ruinam inſtauratum, amplificatum, ornatumque fuerit, ut aliis probatur magis, & ex Sexto Aurelio Victore deducitur. Illud certè liquet, nullum Chriſto naſcente Pacis templum Romæ extitiſſe, quod rueret, aut ruere poſſet. Joſephus lib. 7. de Bello Judaico Cap. 24. *Poſt triumphos verò, & Romani Imperii firmiſſimum ſtatum, Veſpaſianus Paci templum ædificari decrevit. Itaque*

Digitized by Google

mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperet, effectum eſt. Svetonius in Veſpaſiano Cap. 9. *Fecit & nova opera; templum Pacis Foro proximum, Diviq; Claudii in Celio monte, captum quidem ab Agrippina, ſed à Nerone prope funditùs deſtructum.* Plinius lib. 34. Cap. 8. & lib. 36. Cap. 15. *Templum Pacis Veſpaſiani Imperatoris Auguſti pulcherrimum opus.* Sextus Aurelius Victor in Epitome Hiſtoriarum in Veſpaſiano: *Capitolium, Ædem Pacis, Claudiique monimenta reparavit.* S. Hieronymus in Cap. 3. Joelis Prophetæ: *Veſpaſianus, & Titus Romæ templo Pacis ædificato, vaſa templi, & univerſa donaria in delubro illius conſecrarunt: quæ Græca, & Romana narrat hiſtoria.*

Alio ex capite laudata narratio falſi convincitur: quod templum Pacis *Æternum* a Romanis dictum referat, & quidem occaſione reſponſi ab omni illa Deorum, ſeu potiùs Dæmonum multitudine dati. Neque enim ipſa templi moles, Paci à Veſpaſiano dicata, ſed pax ipſa, *Æterna* dicta eſt; ut ex veteri inſcriptione liquet, quæ Romæ in ædibus Farneſianis lapidi inſculpta legitur. De qua Baronium lege in Apparatu, & in Annalibus ad annum Chriſti 77. Nec occaſione fatidici Dæmonum reſponſi æternitatis nota Paci à Veſpaſiano data eſt: ſed quòd is projecta Flavii Joſephi adulatione deluſis, redonatam tunc Orbi pacem æternùm duraturam exiſtimaret; ſeque principem illum ſtultè crederet, de quo ab Iſaia ſcriptum fuerat Cap. 9. *Vocabitur nomen ejus..... princeps pacis, & multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* De reliquo Pacis templum arſit temporibus Commodi, ut eſt apud Herodianum, & Galenum lib. de Theriaca, hujuſque ruinæ magnificentiſſimi ædificii apparatum oſtendunt propè montem Palatinum, ubi quondam via erat, quæ *Sacra* dicebatur.

III. Prodigium alterum alii referunt, à quo non prorſus abhorret Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos: nempe *Genitricem Dei Mariam infantem in ulnis geſtantem ſublimem in aere ab Auguſto Cæſare fuiſſe conſpectam, monente Sybilla.* Quis patentem falſitatem non deprehendat? Nulla quippe ſub Auguſto Cæſare Sybilla ſuperſteserat, quæ Imperatorem, ut intenderet oculos, admonere poſſet. Cumana enim omnium ultima vixit Olimpiade quinquageſima, & Tarquinii ſuperbi temporibus Romæ fuit, ſi qua Solino Polyhiſtori fides eſt. Chriſtus verò ſub Auguſto Mundo illuxit Olimpiade 193., annis circiter ſupra quingentos ſeptuaginta poſt Sybillas. Si quis autem ita fabulam cum Cardinali Baronio velit intelligi, ut Auguſtus à Sybilla dicatur monitus, quia id futurum didicerat, lectis ejuſdem Carminibus à Virgilio Egloga 4. recitatis.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, & toto ſurget gens aurea Mundo,
Caſta Lucina fave &c.

Qui, quæſo, iis carminibus monitus eſſet Auguſtus, ut vel de Chriſto noſtro in iis prænunciato cogitaret; cum hæc non de Chriſto, ſed de Salonio

Salonio Aſinii Pollionis filio dicta retulerit Virgilius Myſteriorum noſtrorum planè rudis? Quid etiam, quòd nulla illius oſt enti apud vetere Scriptores; ſeu ſacros, ſeu prophanos extat memoria? Tametſi Patrum benè multi Sybillarum carmina ad Chriſtianæ Religionis confirmationem retulerint, & Chriſto ipſi naſcenti accomodarint, ut Origenes lib. 5. contra Celſum, Juſtinus Martyr in Oratione ad Antonium Pium, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Lactantius lib. 1. Divinarum Inſtitutionum Cap. 6. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 23., quo caſu nihil inſtituto magis congruum erat, quàm datum Auguſto Cæſari Sybillæ monitum inſinuare, ſi quam forte illius notitiam habuiſſent.

IV. Tertium prodigium ponunt aliqui, Jani templum naſcente Chriſto occluſum, quod antea fuerat reſeratum. Ad id perperam prodigii loco haberetur. Ter enim Jani fores occluſit Auguſtus, ut patet ex Svetonio in Auguſto Cap. 22. *Janum Quirinum ſemel, atque iterum à condita urbe memoriam ante ſuam clauſum, multo breviore temporis ſpatio, terra, marique pace parta, ter cluſit.* Hoc eſt, ut commentatur Joannes Schildius 1. Anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo vigeſimoquinto, poſt victum Antonium: 2. Anno ſeptingenteſimo vigeſimonono, quùm ex bello Cantabricò Romam rediiſſet. 3. Circa tempora nativitatis Regis, & Pontificis Summi Jeſu Chriſti Domini noſtri, uno verbo, quoties illi ſumma pace frui datum eſt; is quippe mos erat à Numa inſtitutus. Quare, cùm naſcente Chriſto totus Orbis eſſet in pace compoſitus, quid mirum, ſi Jani fores occluſiſſet Auguſtus? Aut quid illud inter naſcentis Chriſti prodigia numeretur? Maximè cum & hunc morem Jani claudendi ſervarint Imperatores Romani Chriſti ad ſuperos vocato. Clauſit enim Nero anno Urbis conditæ 811.: Clauſit Veſpaſianus anno 824. Imò, quod mirere magis, ſub Chriſtianis Imperatoribus ſervatum eſt aliquandiu hoc inſtitutum, uti teſtis eſt Ammianus Marcellinus lib. 16., qui clauſi ab ipſo Conſtantino Jani mentionem facit.

V. Quartum prodigium ſequitur fontis olei, quem Romæ ea nocte manaſſe ajunt; qua Chriſtus natus eſt, ac per dies aliquo defluxiſſe. Cui prodigio aliud additur, de tribus, ſcilicet, Solibus, qui paulatim in eumdem orbem cojerint. Verùm, utcumque res ipſa fuerit, fruſtra inter Chriſti naſcentis prodigia ponitur. Cùm utrumque prodigium annis circiter quadraginta ante Chriſti nativitatem contigiſſe teſtentur, Euſebius in Chronico, Oſorius lib. 6. Cap. 18., & Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos.

VI. Succedit quintum Chriſto naſcenti intimius, ſi tamen veritate niteretur, prodigium, ſcilicet à Venerabili Beda narratum lib. de locis Sanctis Cap. 8., fontis aquæ è petra ſpeluncæ, in qua Chriſtus natus eſt, ſubitò ſcaturientis ad Infantis ablutionem, qui ad Bedæ uſque tempora perennarit. Verùm recentior eſt Venerabilis Beda, quam ut de prodigio Chriſto naſcente patrato integram fidem faciat, nullo facti teſte adhibito, vade nullo producto. Nec enim poſt annos circiter octingentos reſcire per ſeſe potuit, quid Chriſto naſcente in ſpelunca contigerit. Hieronymus verò qui facrum illum locum multis annis incoluit, deſcripſitque,

ſcripſitque, tam curioſè, quam eleganter, nihil de prodigiali illo fonte vel leviter innuit, quem certè teſtis oculatus noviſſet, ſi ad Bedæ uſque tempora perennaſſet. Sed nec Beda ipſe, qui hujuſce portenti teſtis etſi parum idoneus vulgò producitur, fontem è petra miraculo natum dicit: ſed rem ſimpliciter narrat, ut nihil in ea prima ſcaturigine prodigiale ex ejus narratione colligere liceat: *Petra*, inquit, *juxta murum cavata primum Dominici Corporis lavacrum de muro miſſum ſuſcipiens hactenus ſervat: quæ, ſi qua fortè occaſione, vel induſtria fuerit exhauſta, nihilominùs continuò cum reſp.cit, ſicut antea fuerat plena, redundat.* Non itaque Beda judice prima fontis ſcaturigo, ſed illius, ſi forte exaruiſſet, reſtitutio prodigialis habenda eſt.

VII. Nunc in illud majori cura, majorique ſtudio inquirendum eſt naſcentis Chriſti prodigium, quod uti in ejus gloriam maximè cedere viſum eſt, ita majori conſtantia a pleriſque aſſeritur, defenditur, vindicatur: a Nicephoro lib. 1. Hiſt. Cap. 17., a Suida in Hiſtoria V. *Auguſtus*, à Cedreno in Compendio, à Baronio in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos. Prodigium illud intelligo, quo Chriſtus natus priſcis Gentilium Oraculis, ac maximè Apollini Delphico ſilentium dicitur indixiſſe: ut planè Chriſto naſcente de repentè conticuerit, nec ultra quærentibus uſitata reſponſa dederit. Cujus rei tam inſolitæ cauſam, cum ab ipſomet Apolline quæſiiſſet Auguſtus, illud demum de Tripode reſponſum acceperit, non latinè quidem, ſed græcè.

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans.
Cedere loco jubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc taciti diſcedite noſtris.

Fateor, me tanto prodigio fidem dediſſe aliquando, ſummorum virorum, a quibus traditum eſt, auctoritate deluſum: at re poſtmodum penitiùs inſpecta, ac maturiùs examinata, deprehendi, eſſe falſiſſimum. Sive enim factam primùm in priſcis Oraculis, ac præſertim Apolline immutationem, obſcurationem, remiſſionem ſpectes, unde paulatim a priſca apud Gentiles exiſtimatione deciderant: ſive illorum integram defectionem, ceſſationem, intermiſſionem attenderis, cum, ſcilicet, penitùs conticuere; non a Chriſti Natali, ſed aliunde petenda origo eſt. Obſcuratio ſiquidem, atque remiſſio diu ante Chriſtum annis ampliùs ſexaginta originem habuit: integra autem defectio, ac ceſſatio longè poſt Chriſtum, imò poſt annos à Chriſto nato circiter quadringentos. Quæ duo ubi ſemel in aperto fuerint, ruet undecumque jactata fabella de ſilentio falſis Gentilium Oraculis indicto naſcente Chriſto.

VIII. Ac primum quidem quod attinet, perſpectum eſt, jam ab ipſa Ciceronis ætate annis ante Chriſtum natum circiter ſexaginta, ac diu ante minori in prætio eſſe cœpiſſe Delphicum Oraculum, quòd minorem in ejus reſponſis veritatem experirentur ipſimet Ethnici. Conſtat id ex Quinto Ciceronis fratre, apud Ciceronem lib. 1. de Divinatione ita loquente: *Numquam illud Oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuiſſet, niſi omnis ætas Oraculorum illorum veritatem eſſet experta. Jam diù idem nō facit. Ut igitur nunc minore gloria eſt, quia minùs Oraculorum veritas excellit; ſic tunc, niſi ſumma veritate, in tanta gloria non fuiſſet.* Cur porrò minore veritate jam

tunc

tunc ſtarent Oracula illa rationem inquirens, non aliam eſſe, ait, niſi quòd vetuſtate loci evanuiſſet falſus ille terræ anhelitus, quo ſolebat antea Pythiæ mens incaleſcere.

Hinc ipſam nudum factam in Delphicis Oraculis immutationem agnoſcit Cicero ipſe lib. 2. de Divinatione; quamquam allatam à Quinto rationem minimè probet fieri non poſſe, inquiens, ut Divina vis, qualis profectò fatidica erat, loci vetuſtate evanuerit. Sed & inſuper alteram inductam in Oraculis mutationem, & obſcurationem agnoſcit; quòd non ultra Carmine redderentur ut antea, ſed proſa, ſolutaque oratione; quæ res Apollinem in contemptum adduxiſſet ob id maximè, quòd adſtrictus numeris ſermo Deorum proprius eſſet. *Pyrrhi temporibus*, inquit Cicero, *jam Apollo verſus facere deſierat ...... Cur iſto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modò noſtra ætate, ſed jamdiu, ut nihil poſſit eſſe contemptius?* Si qua ergo Oraculi Delphici obſcuratio, & immutatio fuit, hæc non à Chriſti natali, illiuſve occaſione, ſed diu ante originem habuit. Quæ prima aſſerti noſtri pars eſt.

IX. Sed nec penitus ſiluiſſe poſt Chriſtum prophana Gentilium Oracula, (quæ pars aſſerti noſtri altera eſt) ac in illis maximè Delphicum illud toto Orbe celeberrimum, ſexcenta momenta evincunt, ac ipſius etiam Plutarchi ſuffragium, quo nonnulli perperam abutuntur. Quamquam enim peculiarem Tractatum *de Oraculorum defectu* adornarit ſub Trajano Imperatore, quo ſolo inſpecto titulo, plerique deluduntur, ut ea omnino, ac penitus defeciſſe ſibi perſuadeant; ſi quis tamen Tractatum diligentèr evolverit, expenderitque, nullo negotio deprehendet, Oracula ex parte tantùm defeciſſe tunc, ac ſubſtitiſſe ex iis aliqua; atque in illis maximè Apollinem Delphicum, qui ſua etiam tunc reſponſa Conſultoribus redderet, etſi minore quàm antea celebritate, atque frequentia; quod ad præſens inſtitutum noſtrum abundè ſufficit. Plutarchi diſertiſſima verba ſunt: *Videamus Oracula, quæ in his ſunt locis, obſolevisse: atq; adeò duobus, aut tribus exceptis, omnia defeciſſe.* In iis porrò exceptis Delphicum Apollinem fuiſſe, (quod hic maximè quæritur) qui etiam tunc Conſultoribus reſponderet, manifeſtiſſimum eſt; ſubjungit enim paucis interiectis: *Poſtquam Dei voluntati Græcia urbibus crevit, & locus Apollinis frequentari hominum copia cæpit, duabus uſi ſunt Vatibus, quæ per vices ad cortinam ſederent; eratq; etiam tertia deſignata, tamquā aſſidens iis. Nunc unica eſt Antiſtita: neq; incuſamus, cum ejus opera Conſultoribus ſufficiat. Non igitur incuſandus eſt Apollo; divinatio enim, quæ reliqua eſt, omnibus ſufficit, & unumquemq; adeptum quod voluit, dimittit.* Et Tractatu ſequenti, qui peculiariter agit de Inſcriptione templi Delphici foribus adſcripta, ita habet: *Apollo noſter, cum difficultates vitæ incidentes ſublevet, atq; diſſolvat, edendis Oraculorum reſponſis; eas tamen, quæ circa doctrinam ſunt, relinquit, proponit e excutiendas ei animi facultati, quæ ſtudio ſapientiam ſectatur.* Extabat ergo etiam Plutarchi ætate, ac ſub Trajano Imperatore Delphicum Oraculum, ſuaque Conſultoribus reſponſa dabat, quanta ſublevandis vitæ difficultatibus abundè ſufficerent. Non itaque naſcente Chriſto Domino penitus conticuerat.

Quare dum legimus apud Juvenalem, Satyra 6. *Delphis Oracula ceſſant*,

&apud

& apud Lucanum lib. 5. *Delphica ſedes ſiluit*; ad ſenſum Plutarchi, qui & Lucano, & Juvenali ſuperſtes vixit, intelligendi veniunt: ſiluiſſe nimirum, atque ceſſaſſe Oracula fundi ea celebritate; Conſultorumque frequentia, qua antea fundebantur; dum vix tres Antiſtites implendo muneri ſatis eſſent: non omninò tamen ſiluiſſe, atque ceſſaſſe, quandoquidem una ſaltem Antiſtita, teſte Plutarcho, ad cortinam ſedebat, quæ propoſitas difficultates diſſolvebat. Aut certè *ceſſaſſe Oracula Delphis*, dixere Lucanus, & Juvenalis ad certum tempus, dum Nero Imperator, teſte Dione, & Pauſania, Delphicum Templum ſtatuis, ac redditibus ſpoliavit, multorum hominum cæde polluit, violavitque; ita tamen ut ſubinde in ſtatum priſtinum redierint univerſa. Quamquam tamen ſi Juvenalis, & Lucanus conciliari cum Plutarcho non poſſent, nemo non videt, in ea opinionum diſſenſione Plutarcho rem totam ex inſtituto, ac pro Philoſophi, & Hiſtorici munere pertractanti potius ſtandum eſſe, quàm Poetis, rem obiter, ac ſolita genti huic licentia inſinuantibus. Maximè cum & hac ipſa ætate, qua florebant, ac ſecutis inde temporibus data Delphica Oracula benè multa Scriptores alii conteſtentur. Quæ res ſtatutam à nobis aſſertionem, (non ceſſaſſe prorsùs Oraculum Delphicum naſcente Chriſto) magis, magiſque confirmat: eſtque idcircò diligentiùs demonſtranda.

X. Svetonius in Nerone Cap. 40. conceptiſſimis verbis habet: *Eum, conſulto Delphis Appolline, audiviſſe: Septuageſimum, ac tertium annũ cavẽdum ſibi eſſe*; quod ita intellexit Nero, quaſi eo demum vitæ ſuæ anno obiturus eſſet. Cum contra de ætate Galbæ dixiſſet Apollo; à quo nimirum ſeptuageſimum tertium annum agente Imperium Neroni ereptum eſt.

Philoſtratus in vita Appollonii Tyannæi, qui Domitiano Imperante vixit: *Appollonius*, inquit, *inviſit omnia Græciæ Oracula, maximè verò Delphinum Dodonæum. & Amphiaræum* .... Tum multis interjectis: *Apollinem Delphicum adeas in media Græcia oraculi illuſtrem: paucis verbis, ut ipſe probabis, Conſultoribus reſpondet nullis prodigiis editis; quamquam & Parnaſſum concutere, & Caſtalios fontes in vina vertere, facillimum ei fuerit. Verùm ille ſimpliciter narrat, nec inutilitèr potentiam oſtentat.*

Dio Chryſoſtomus, Adrianum Imperatorem Oraculum Delphicum conſuluiſſe, ſcribit, reſponſumque tuliſſe obſcurum admodum, & intricatum. Quodnam verò fuerit illud, nuſpiam legere contigit.

Spartianus rem narrat lepidè feſtivam, ſcilicet, cum extincto utroque Antonio de Imperio contenderent Severus Septimus, Peſcennius Niger, Clodius Albinus; à Delphico Apolline quæſitum eſt: quis horum melior Reipublicæ futurus videretur? Ad quod ille ſimplici carmine reſpondit: *Optimus eſt Niger, & bonus Afer, peſſimus Albus*. Nigri nomine Peſcennium Nigrum intelligens; nomine Afri Severum Septimum ex Africa oriundum; Albi nomine Clodium Albinum. Interrogatus ſubinde: quis horum futurus eſſet Imperator? Reſpondit: *Afer erit, Nigri ſanguis fundetur, & Albi*: atque ita res accidit; Severus enim patria Afer Imperium obtinuit, Peſcennius Niger, & Clodius Albinus ferro perierunt.

Euſebius lib. 2. de Vita Conſtantini Cap. 49. ad id uſque temporis ſtetiſſe

tiſſe Oraculum Delphicum, ſuaque, tametſi falſa reſponſa dediſſe, profitetur. Notat enim: *Apollinem* ſub id temporis, hoc eſt, ſub initiis Conſtantini Imperatoris, *Apollinem*, inquam, *ex antro quodam, & tenebricoſo receſſu, non ex Sacerdotis ore oraculum iſtud dediſſe: Juſtos, qui in terris verſabantur, impedimento ipſi fuiſſe, quominùs vera loqueretur: & propterea falſa oracula ex tripode edita eſſe.* Oracula ergo reddebat etiam tum, tametſi falſiſſima: quod inſtituto meo probando, confirmandoque perinde eſt. Abſit enim ut vera ſemper oracula ab ipſo reddita putem, etiam dum floreret maximè. Satis mihi eſt, ſi qualiacumque illa fuerint, ea tamen ad Conſtantinum uſque reddita fuiſſe convincam. Poſt hæc, Delphicum Apollinis Templum expilari juſſit Conſtantinus, uti laudatus narrat Euſebius lib. 3. de ejus vita Cap. 22. Non id tamen obfuit, quominùs poſt Conſtantinum ipſum Julianus Apoſtata, cùm bellum meditaretur in Perſas, eumdem cum reliquis Oraculis conſuluerit, grataque, tametſi falſa reſponſa exceperit. Teſtis mihi ſit Theodoretus lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 18. *Antequam arma ſumeret*, inquit ille, *miſit nuntios ad Delphos, ad Delum, & Dodonem, ad alia denique Oraculorum loca ſciſtitatum Vates: num bellum ei gerendum ſit? Illi autem bellum ſuſcipere jubent, pollicenturq; victoriam*, falsò tamen; confoſſus enim Julianus in prælio, paulò poſt [illegible] periit.

Num alia ſecutis temporibus reſponſa dederit Apollo Delphicus, haud ſatis ſcio; id tamen non dubitaverim affirmare, nulla poſterioris ævi, & à ſacris, & à prophanis Scriptoribus memoriæ commendari. Ut planè ultima verba, ac ſummum vale Juliano Apoſtatæ dediſſe videatur, anno poſt Chriſtum natum circiter quadrigenteſimo.

Ex dictis hactenùs cernitis, opinor, quantum illi à vero aberrent, qui ſilentium Apollini indictum dictitant neſciente Chriſto, ultimaque reſponſa Auguſto Imperatori reddita fabulantur; quæ nonniſi poſt annos quadringentos Juliano Apoſtatæ reddita ſunt. Quamquam & alio ex capite in fumum abeat tota illa conſulti ab Auguſto Apollinis fabula. Quòd nempe nobis Imperatorem Auguſtum exhibeat, qui præſens Delphis Apollinem conſulat de puero hæbreo, ſeu Chriſto jam nato, quæratque ex eo tanti ſilentii cauſam. Puer enim hebræus, ſeu Chriſtus anno Imperii Auguſti 41. natus eſt: Auguſtus verò poſt annum Imperii ſui 21., quo pridem in Græciam perrexerat, non ultra illuc iter intendit. Quo itaque pacto Delphis præſens Apollinem conſuluit poſt annum Imperii ſui 40. Concilient iſta qui poſſunt.

XI. Aſt erit fortè, qui piè, ac religiosè nobis objiciat: numquid non ad majorem Chriſti nati gloriam cederet, ſi derepentè ſilentium falſis Numinibus indictum eſſet, ne ultra malus genius falſis oraculis homines luderet? Quid magis congruum, quàm, ut, nata inter homines veritate, ſilentium patri mendacii imponatur? Bellè id quidem, ac religiosè ſatis. Velim tamen ego viciſſim, à diis illis, ac religioſis quæſitoribus percunctari, noſtrum ne ſit, humana ratione inveſtigare: quid magis, quidue minùs in Dei gloriam cedat? *Quis novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit*, ut hæc, aut illa miracula edat quæ nobis in ejus gloriam magis cedere videbuntur? Certè ſi rem humana ratione metiri velimus,

Digitized by Google

in majorem etiam Chriſti nati gloriam cedere videretur, ſi, naſcente illo, omnia de repentè toto Orbe falſorum Numinum ſimulacra corruiſſent: ſi prophana gentium omnium fana momento collapſa eſſent: ſi omnium Nationum barbararum Reges, ac Principes adoraturi conveniſſent: ſi tota de repentè Synagoga ad fidem converſa in ejus clientelam ſe contuliſſet. Ergone rem ita geſtam dicemus, facti veritate palam, apertèque repugnante? Abſit planè. Quid honor ejus, quid gloria poſtulet, novit ille: quid rei fuerit, noſtrum eſt inveſtigare, veritatemque ad certos hiſtoriæ calculos exigere, procul ablegatis religioſis illis Commentis, piiſque vigilantium hominum ſomniis, quæ nullum in ſchola Theologica locum habent. Neque tamen indicti tandem aliquando ſilentii gloriam alteris quàm Chriſto fidei noſtræ conſummatori, tribuimus, qui eam, quanta quanta eſt, Euangelicæ prædicationi adjudicamus. Ea quippe effectum eſt, ut homines veritatem paulatim edocti, patrem mendacii Dæmonem conſulere, & auſcultare deſierint, prophanam gentilitatem exuerint: *Converſi ab his vanis ad Deum vivum, qui fecit Cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt*. Act. 14. v. 14.

EXER.

EXERCITATIO XXXIII.

De Chriſto Circumciſo.

I. QUàm fuſo, ac redundanti ſermone de Chriſti Nativitate dixerat Lucas, tam brevi, atque conciſo de ejuſdem Circumciſione dixit, Cap. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*. Ea res nos quoque in eam mentem adduxit, ut qui de Chriſto naſcente fusè, latèque diſputavimus, de eo jam circumciſo breviter, ac parcè dicamus. Neque enim pluribus opus eſt iis expediendis, ſolvendiſque difficultatibus, quæ hujuſce Myſterii occaſione moveri poſſunt, haud ita graves, & ſcopuloſæ. Sitne re ipſa Chriſtus Dominus circumciſus? Qua ratione, quave de cauſa? Ubinam, & a quo? Quid demum de reſciſſo præputio ſentiendum? Quæ omnia paucis, ſi Deus dederit, expediemus.

II. Monſtro fortaſſe ſimillimum videatur, illud quoque in quæſtionem venire potuiſſe, fueritne re ipſa Chriſtus Dominus circumciſus? Fuit tamen, qui dubium moverit: non modò quia nulla in Chriſto Domino Circumciſionis neceſſitas videbatur, verùm etiam quia peractam Circumciſionem inficiari videtur Euangelium, ſi attentiùs perpendatur. Dum enim inquit Lucas: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus*; Chriſtum profectò non aſſerit circumciſum; ſed ſolùm Jeſu nomen fuiſſe illi impoſitum, dum Circumciſionis tempus elapſum eſt; à deſignato enim Circumciſionis tempore ad nominis impoſitionem tranſitum facit, tacita Circumciſionis adminiſtratione. Imò dum Jeſu nomen illi impoſitum eſt, ita Circumciſionis tempus elapſum erat, ut jam debitè adminiſtrari non poſſet. Hæc enim octavo ipſo die conferebatur: nomen autem Jeſu Chriſto impoſitum fuit, *poſtquam conſummati ſunt dies octo*: ſeu poſtquam tranſacti ſunt dies illi. Perperam ergo tunc creditur circumciſus.

Verùm puræ, putæque cavillationes illæ ſunt, ex mera periodi Euangelicæ æquivocatione obortæ. Hebraiſmus ſiquidem illic eſt. Hebræorum enim verba actum ſæpè ſignificant inchoatum, non perfectum: ſic Lucæ 2. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius..... tulerunt illum in Jeruſalem*: hoc eſt, dum impleti fuere: & Marci Cap. 8. *Oportet filium hominis poſt tres dies reſurgere*; ideſt, die tertio. Quare, *poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer*, idem illic ſonat, ac poſtquam cæpti ſunt conſummari, quod utique fit, dum ſeptem diebus tranſactis, octava demum Circumciſioni diſtincta inchoatur. Ac tunc quidem circumciſus eſt Chriſtus. Neque refert, quòd illum circumciſum expreſsè non aſſerat Euangelium: ſatis quippe eſt, quòd dies octo conſummatos dicat, ut circumcideretur, ad quid enim id adnotaſſet, niſi re ipſa circumciſus eſſet? Ma-

Digitized by Google

ximè cum Jeſu nomen ei tunc inditum dicat, quod nonniſi in Circumciſione ſolebat imponi: ut ex Joannis Circumciſione compertum eſt, Lucæ Cap. 1. v. 59. Idcircò autem circumciſum puerum diſtinctè, apertèque non dixit Lucas, uti profectò Jeſu nomen illi impoſitum conceptiſſimis verbis aſſeruit, quia conſuetum erat, ac lege præceptum, ut infantes octavo die circumciderentur; idcircò id tamquam indubitatum, manifeſtumque ſupponere maluit, quàm diſtinctè narrare: at quia Jeſu nominis impoſitio propria, ac peculiaris illi fuit, ideò de illa peculiariter dixit.

Subjungit ad ſolutionis cumulum Cardinalis Cajetanus, deeſſe in vulgata Verſione conjunctionem, *&*, quæ extat in Græco Textu: *Et vocatum eſt nomen ejus Jeſu*, quæ manifeſtè ſupponit, fuiſſe puerum circumciſum, & præterea eidem Jeſu nomen impoſitum: adeòque Vulgatum Textum caſu aliquo fuiſſe conciſum, ſicque omninò reſtituendum eſſe: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, circumciſus eſt, & vocatum eſt nomen ejus Jeſus &c.* At totum id pro arbitrio fictum eſt. Quamquàm enim conjunctio καὶ in hodierno Græco Textu legatur, nullum tamen in eo conciſæ, ac vitiatæ propoſitionis veſtigium exſtat, longèque certius eſt, conjunctionis hujus additamentum hodiernorum Græcorum Codicum vitium eſſe: cùm Verſiones Syriaca, & Arabica, quæ ad Græci Textus fidem jam à primis ſæculis expreſſæ ſunt, vetereſque Patres, cùm Græci, tùm Latini locum illum Lucæ abſque ulla conjūctione retulerint. Fruſtra itaque ad propoſitæ difficultatis ſolutionem ſuffugium iſtud Cajetani quæſierimus, quæ ſatis abundè aliundè ſoluta eſt.

III. Etſi porrò nulla Chriſto Circumciſionis neceſſitas fuerit, tùm quòd nullum in eo delendum eſſet originale peccatum, tùm quòd Legiſlator legi non eſſet obſtrictus; congruentes tamen rationes aderant longè nullæ à D. Auguſtino Serm. 9. de Nativ., à S. Leone Magno Serm. 2.; à D. Thoma 3. par. quæſt. 37. art. 1. delibatæ, quarum iſtæ potiſſimæ ſunt. 1. Ut ſe verum ſecundùm carnem Abrahæ filium demonſtraret 2. Ne Judæi eum ut incircumciſum averſarentur, illiuſque prædicationem repellerent; incircumciſi enim nec docere in Templo poterant, nec Sacrorum participes fieri. 3. Ut in ſimilitudinem carnis peccati factus eſſet, remedium, quo caro peccati mundari conſueverat, non reſpueret. 4. Ut legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret: juxta illud ad Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*. 5. Ut illius interim Divinitas occultaretur Diabolo. 6. Ut jam à puero paſſionem ſuam inchoaret; illi enim præ cœteris pueris dolorem intulit Circumciſio, quia jam tunc rationis uſum habebat. Ultima, ne Judæi, qui Divinam ejus generationem, & impeccantiam ignorabant, ſcandalum ex neglecta Circumciſione paterentur, eumdemque legis violatorem haberent.

IV. Cavendus hic tamen venit popularis error, quo Chriſtus in Templo, ac etiam à Summo Sacerdote circumciſus communiter creditur, Pictoribus pro more ſuo falſam, abſonamque opinationem foventibus, Circumciſio quippe ritu Judaico; nec in Templo, nec in Synagogis fieri ſolita erat, ſed in privatorum domibus, alioque quocumque libero

loco

loco, in quem cognati, & amici convenirent. Id à prima illius inſtitutione videas. Abraham domi circumciſus eſt: idemque filium, vernaſque omnes domi circumcidit, Gen. Cap. 17. v. 23. 24. 25. 26. Sephora filium ſuum in Diverſorio, dum iter ageret, circumcidit, Exodi Cap. 4. v. 25. Joſue totum trajecto deſerto populum circumcidit in Valle præputiorum, Joſue Cap. 5. v. 3. Utque ad ipſa Chriſti Domini tempora veniamus, Joannes Baptiſta domi citra dubium circumciſus eſt; cùm præſens Circumciſioni mater ejus adeſſet, quæ cognatis Zachariæ nomen puero imponentibus dixit: *Nequaquam, ſed vocabitur Joannes*, Lucæ Cap. 1. v. 59. Hæc enim octo dumtaxat dierum puerpera cum eſſet, domo exire non poterat, ut in Templum, aut etiam in Synagogam ſeſe conferret, ſed ex præſcripto legis in ſanguine purificationis ſuæ per dies trigintatres manere tenebatur. Levit. Cap. 12. v. 4. Falluntur que, qui putant, Joannem, aut in Templo, aut in Synagoga fuiſſe circumciſum, non domi, propterea quòd ſcriptum ſit: *Factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum*; nemoque in domum ſuam ad Circumciſionem venire dicatur. Non enim Joannis parentes Zacharias, & Elizabeth domum ad Circumciſionem pueri veniſſe dicuntur, ſed cognati, & amici, illi, ſcilicet, *qui vocabant eum nomine patris ſui Zachariam*, ut expreſsè notatum eſt, quique à Joannis parentibus reprehenſi ſunt, Joannem vocari jubentibus.

In ſpelunca itaque Bethleemitica circumciſus eſt Chriſtus. Ita S. Epiphanius Hereſi 20. *Natus eſt in Bethleem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Jeruſalem, in ulnas acceptus à Simeone*. Ita & Nicephorus Callixtus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 12. *In die octavo, Dominico ſcilicet, circumciditur in Bethleem in domo Joſephi*, ubi nimirum hoſpitabatur: propriam enim domum Bethleemi in Judæa non habebat, ſed Nazarethi in Galilæa. Nec leve hujus momentum extat in Euangelio, ubi diſtinctè notatur, Chriſti parentes Bethleemi manſiſſe uſque ad diem quadrageſimum, quo primùm tempore Jeroſolymam perrexere: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſis, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino &c.* Ut quid ergo octavo die in Jeroſolymæ Templo fingitur circumciſus? Et quidem à Summo Sacerdote, quæ altera fabulæ pars eſt longè putidior.

Circumciſio enim Miniſterium Sacerdotale non erat, ac ne Leviticum quidem, ſed merè Laicum. Patres-familias miniſterium iſtud obibant, ut conſtat ex Geneſi Cap. 17. v. 23. 24. 25. 26., & Cap. 21. v. 4.: ex Actibus Apoſtolicis Cap. 7. v. 8. Imò id Miniſterii plerùmque matres obibant: ut Sephora Exodi 4. v. 25., ac mulieres duæ religioſæ ab impio Rege Antiocho de muro dejectæ, lib. 2. Machab. Cap. 6. v. 10., & lib. 1. Cap. 1. v. 63. Ab alterutro ergo parente fuiſſe Chriſtum Dominum circumciſum, certò liquet: à quo tamen, diſputatur. A Maria circumciſum ſcribunt Auctor libri de vera Circumciſione inter apocrypha Hieronymi Tom. 9. *Chriſtus octava die circumciditur à Maria*; & Auctor Libelli de lamentatione Virginis inter apocrypha D. Bernardi: *Virgo Chriſtum genuit, lactavit, octava die circumcidit*. At ex ſpuriis Opuſculis omni

prorſus

prorſus auctoritate vacuis nihil certi elicias. A Joſepho itaque Chriſtum Dominum circumciſum fuiſſe, longè probabiliùs exiſtimaverim. Primùm quidem, quia id diſertiſſimè docet S. Ephrem Syrus in Oratione *de Transfiguratione*, ubi, cum Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe probandum aggreſſus eſſet, argumentum quoque ex illius Circumciſione petit inquiens: *Si non erat vera caro; quem ergo Joſeph circumcidit?* Secundò, quia in veteri lege eo miniſterio viri Càpita familiarum pro more defungebantur: mulieres nonniſi extra ordinem abſentibus viris, atque urgente neceſſitate; adeòque nec Virgo, tametſi robore mentis infracto ad omnes Dei voluntates exequendas, recedere ab eo uſu voluiſſe, cenſenda eſt. Hocque miniſterium Joſepho, ut moris erat, ultrò commiſit.

V. Gemina nunc quæſtio relinquitur, haud ita ſolutu facilis: Num extet etiamnum in terris ad publicam fidelium venerationem Chriſti præputium? Ac ubinam? Priorem quæſtionem perantiquam aliqui putant, quòd nonnihil ea de re legerint in Commentariis Titi Boſtrorum Epiſcopi, qui ſub Juliano Apoſtata floruit: obiitque ſub Valente Imperatore anno 365. Verùm ſcire illos oportet, Commentarios illos Titi Boſtrenſis eſſe non poſſe, in quibus paſſim citantur Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Iſidorus Peluſiota, qui adhuc pueri erant, cum Titus extremum diem objerat. Non à Patribus ergo, ſed à Theologis de Schola controverſia mota eſt, difficultatem præbente Dominici corporis integritate, quem poſt ejuſdem reſurrectionem retinendam eſſe, nemo dubitat. Chriſtum enim integro corpore ſurrexiſſe, ac nunc in Cœlis regnare, in confeſſo eſt apud omnes: ſi ergo ad ejus integritatem, præputium pertinet, illud certè reſurgendo reſumpſit: ſi porrò reſumpſit, quo pacto, quoque modo ſervatur in terris? Vix credas, quot hic nugas Theologi nonnulli loquantur, ut iſta concilient. Sunt, qui Chriſtum reſurgentem ex alia quapiam materia præputium efformaſſe, ſibique aptaſſe dicant: atque adeo, & extare præputium etiamnum in terris, & ſuo quoque præputio inſtructum eſſe Chriſti corpus in Cœlis. Ita Theophylus Raynaudus lib. 2. de Chriſto, Sect. 3. Cap. 3. At ſi ſic eſt, non ſuo, ſed alieno præputio auctum eſt Chriſti corpus; adeòque nec integrum eſt: perinde, ac ſi cui naſus abſciſſus eſt, alium ſibi quacumque arte naſum aptaret. Ecquid etiam abſurdum magis, quàm Chriſtum ſibi fingere, aliud ſibi præputium aptantem, ut proprium in terris relinqueret, quod ad proprii corporis integritatem pertineret?

Quapropter illud è contrario ſtatuendum exiſtimo: idcircò Chriſti præputium etiamnum in terris ad publicam venerationem aſſervari, quòd hujuſmodi exigua pars ad corporis reſurgentis integritatem minimè pertineat, præſertim in Abrahæ Filio, viroque Judæo, qualis profectò Chriſtus erat, quia ita illius conditio poſtulabat. Certè Chriſtum reſurgentem veſtigia vulnerum retinuiſſe, Thomæ increduli Hiſtoria ſatis evincit, Joannis Cap. 20. Hæc enim ſpectanda, atque tangenda Apoſtolo dubitanti palam exhibuit. Ea autem veſtigia vulnerum retinuit in ſignum reportati triumphi. Quidni ergo veſtigium perindè ſuſceptæ olim Circumciſionis retinuiſſet; leviſſimam, ſcilicet, cicatricem ex abſciſſo

præpu-

præputio relictam in ſignum ſuſceptæ olim carnis ex Abrahamo?

Sed eſt, inquiet aliquis, pars illa quantumvis exigua ad humani corporis integritatem omninò pertinens. Sit ita ſanè, ſi corpus Humanum nudè ſpectemus; minimè tamen, ſi corpus, ut viri Judæi eſt, attendamus. Sic enim particula illa velut excrementitia reputatur, quæ ad corporis munditiam reſecanda eſt. Quare rem totam moraliter ſpectando, Chriſti corpus, ea licèt exigua parte minutum, integrum eſt. In eum fermè modum Doctor Angelicus quæſtionem ſolvit de ſublata Adamo coſta, ex qua formata eſt Heva, ſolitam agitari: Num, ſcilicet, ad humani corporis integritatem attineret, nec ne? Numne, ea ſublata, mutilus manſerit Protoparens? Pertinebant, inquit ille, ad humani corporis integritatem, antequam auferretur; non ut erat Adamus peculiaris, ac privatus homo, ſed ut erat humani generis caput, ex quo ſecundùm Divinam deſtinationem Heva formanda erat: atque ita ea coſta minutus Adamus, mutilus idcircò non fuit. 1. Par. quæſt. 92. Art. 3. ad 2.

VI. Quæſtionem alteram, ubinam in terris præputium extet, nemo certò definiet in tàm diverſis, tamque repugnantibus Hiſtoricorum narrationibus, quas ſecum conciliare impoſſibile ſit. Romani eo theſauro gloriantur; quem primò ad Carolum Magnum ab Angelo delatum, & ab eo Aquiſgrani in Templo Divæ Mariæ depoſitum dicunt: de in Caroſium translatum: ac demum in Baſilica Lateranenſi Romæ, in loco, quem *Sancta Sanctorum* appellant, reconditum arbitrantur. Attamen Diva Brigitta lib. 6. Revelationum Cap. 112. ſibi à Virgine Deipara revelatum ſcribit, fuiſſe illud idem furto ſublatum, atque calcatum à milite anno 1527. in direptione Urbis Romæ: ac tùm demum in pagum neſcio quem Agri Romani tertiò translatum in Templum Sanctorum Cornelii, & Cypriani. Quod idem memoriæ prodidit Cardinalis Toletus Annotatione 31. in Caput 2. Lucæ. Antuerpienſes eodem perinde theſauro gloriati ſunt, quem ante annos ampliùs ſexcentos ad populares ſuos translatum autumant ab Henrico Noeſio Regii Sacelli Præfecto, regnante Jeroſolymis Godefrido Bullonio. Ita Bollandus Tom. 1. de Actis Sanctorum. Inde tamen ſublatum alii volunt ſub annum 1556., quo immani Calvinianorum furore Belgii Templa, atque Sacraria direpta ſunt. Ita Franciſcus Coſterus Medit. 4. Servari Pariſiis, ac etiam Brugis, ſcribit Joannes Gerſonius ſermone in feſto Paſchatis habito: qua de re nihil unquàm audivi, dum Pariſiis degerem. Bellerofontius lib. 1. Coſmographiæ Pictavis quondam olim ſervatum monet in celebri Abbatia Carofolii: ſed Calviniſtarum inſano furore ſublatum decimo ſexto vertente ſæculo. Odo Giſſeus lib. 1. Hiſtoriæ Anicienſis Cap. 17., aliique benè plures Anicii ad hanc uſque diem ſervatum conteſtantur.

Ecquis porrò pugnantes narrationis tam multas conciliare potis erit? Rideo enim Vindelinum in Supplemento Gabrielis in 4. diſt. 44. quæſt. 1.; qui, ut litem tot inter contendentes obortam amicè dirimat, minutulas ejuſdem præputii particulas diverſis de tanto theſauro gloriantibus Urbibus impartitus eſt, ut Salomonis Judicium imitaretur: *nec mibi*

nec

nec tibi, ſed dividatur. Hanc etenim partitionem præputii exiguitas minimè patitur, quod vix minimæ ungulæ humanæ latitudinem æquat. Ridendus ille multò magis, qui replicatum divinitùs pro locorum multitudine præputium comminiſcitur. Cum etenim perpetuum miraculum iſtud eſſet, abſque gravi auctoritate, contra quam nulla detur exceptio, fingi non poteſt. Nihil itaque certi ea de re ſtatui poteſt. Factum benè, quòd ab hujuſmodi controverſiis Chriſtiana Religio minimè pendeat.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXIV.

De Magis Chriſti naſcentis adoratoribus.

I. NEcdum à Chriſti naſcentis cunis avellimur, ad quas iteratò nos ducunt Magi adoratores ex Oriente cum muneribus advocati ad clientelam novo Regi profitendam, ejuſdemque gloriam in patriam reduces profitendam. Horum adventum his verbis deſcribit Matthæus Cap. 2. Euangelii: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam dicentes, ubi eſt: qui natus eſt, Rex Judaorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Quocirca quatuor maximè vocantur in controverſiam. Cujus conditionis, & ſortis homines fuerint Magi illi? Quoto numero, quove nomine? Cujates eſſent, quave ſpeciatim è regione Orientis venerint? Quandonam Bethleemum adventarint? Quæ omnia haud levibus difficultatibus implicantur, quæ noſtram induſtriam deſiderent, ac laborem.

II. Ut ergo de Magorum conditione dicamus primùm; illud ante omnia citra dubium habeto: Magorum nomine viros magicis artibus addictos, ſortilegos, necromanticos nequaquam intelligi: ſed Sapientes, Philoſophos, ſyderalis ſcientiæ peritos deſignari; qui eo ſpecialiter nomine ab Orientalibus nuncupabuntur. In id quippe conſentiunt univerſi, nec ipſe repugno. Verùm Reges illos fuiſſe, quod plerique putant, perfractè nego, multis evinco. Si enim Regia dignitate aucti fuiſſent; Matthæus illos nobis à nobiliori titulo deſignaſſet, nec ſimpliciter *Magos* dixiſſet, ſeu Philoſophos, & ſyderalis ſcientiæ peritos: ſic enim, & Chriſti naſcentis gloriam, & delati palam honoris famam, ac celebritatem auxiſſet. Regium quoque apparatum, & comitatum, aut deſcripſiſſet Matthæus, aut innuiſſet, quò illuſtrior in Judæorum oculis fieret ſalutatio, glorioſior adoratio. Certè ubi Chriſtus filium Reguli ſanitati reſtituit, hanc parentis dignitatem ſilentio mittendam non cenſuit Sacer Scriptor, ne patrati miraculi celebritatem imminueret: & Regiam in Chriſti adoratoribus dignitatem ſilentio miſſam effutiemus, unde tanta delato honori celebritas acceſſiſſet, ac fama? Abſit.

Quid, quòd Herodes Magos illos alloquitur tamquàm inferioris conditionis homines, ac etiam pro imperio cum illis agit? *Mittens eos in Bethleem dixit: ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi.* Itane, quæſo, Orientis Reges miſiſſet Herodes, juſſis etiam ſuis, ac præceptis oneratos?

Ad hæc, incredibile eſt, Reges exteros in alienam ditionem ingreſſuros fuiſſe, nullis præmiſſis Nunciis, ac Legatis ad Herodem. Nec Herodes illorum ingreſſum de facili præmiſiſſet. Quique turbatus dicitur, audito pueri Regis ortu, multò Magis de Regum exterorum in Judæam

 inopi-

inopinato ingreſſu commotus fuiſſet ſtatim, atque illos noviſſet ingreſſos. Incredibilius eſt longè multò, Reges, quorum pro dignitate tantillus fuiſſet comitatus, Bethleemo clamculum diſcedere potuiſſe, quin ſtatim internoviſſet Herodes ſexto dumtaxat milliario degens: tantumdem enim Bethleemo diſtat Jeroſolyma. Nec juſta temporis mora expectanda fuiſſet Herodi, ut intelligeret, ſe a Regibus in patriam per aliam viam reverſis fuiſſe illuſum.

Confirmat idem vel maximè, quòd nullus veterum Patrum Regiam Magis illis dignitatem attribuerit; nullus illos à Regia dignitate commendarit, ſed à ſapientia, ſyderumque cognitione. Primus omnium Theophylactus hanc illis dignitatem attribuit; qui certè, nec probatæ auctoritatis, nec venerandæ antiquitatis Scriptor eſt, qui fidem in hujuſmodi quæſtionibus integram faciat: quippe qui ſæculo dumtaxat undecimo floruit.

III. Neque verò huic noſtræ ſententiæ repugnare putanda eſt prophetia Pſalmi 71. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Aut prophetia Iſajæ 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*. Hæc enim peculiariter dicta non ſunt de Magis Chriſti naſcentis adoratoribus, ſed generatim, & universè de Regibus gentium, nationumque barbararum ad Chriſti cultum quomodolibet advocandis. Quòd autem Eccleſia ea Prophetarum oracula uſurpet, & accomodet celebrationi Divinorum Officiorum in Sacris Epiphaniæ ſolemniis, idcircò fit, quia Magorum iſtorum adorationem celebrando, generalem Gentilium vocationem ad fidem perindè celebrat; cujus quidem vocationis inchoatio fuit vocatio Magorum ad cunas Chriſti naſcentis. Ita S. Leo Serm. 2. de Epiphania: *Agnoſcamus, dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti vocationis noſtræ, fideique primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus*. Et S. Auguſtinus Serm. 2. de Epiphania, qui eſt 30. de tempore: *Magis dies iſte primus illuxit, anniverſaria nobis feſtivitate rediit. Illi erant primitiæ gentium, nos populi gentium*.

Certè quicumque pertinaciter voluerit, laudatum oraculum Pſalmi 71. peculiariter, ac ſingulariter de Magis Chriſti naſcentis adoratoribus fuiſſe pronunciatum, ut hinc Reges illos fuiſſe colligat; concedat quoque, neceſſe eſt, fuiſſe illos Reges, non qualeſcumque, ſed Reges Tharſenſes, Inſulanos, Arabes, Sabæos, ac etiam Æthiopes. Quid plura? Concedat, neceſſe eſt, omnes Reges terræ ad Chriſti naſcentis præſepe convolaſſe; ſic enim habet integer Pſalmiſtæ locus: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent: Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. Quod idem de altero Iſajæ oraculo dici poteſt. Quis ergo non videat, dictum id eſſe generatim, & universè de vocatione gentium ad fidem, quæ prædicationis Euangelicæ fructus futurus erat: ab Eccleſia autem in Epiphaniæ ſolemnitate idcircò recitari, quòd in Magis Chriſti naſcentis adoratoribus primitiæ vocationis gentium celebrentur; ut ex Patrum Sermonibus ea die habitis perſpicuum eſt.

Digitized by Google

Erit fortè, qui illos Reges fuiſſe probet, propterea quòd theſauros ſuos aperuiſſe dicantur, ad ſuorum oblationem donorum: *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera*. At ſi quis eſt, qui tam labili fundamento nitatur, is profectò ancipiti vocabulo ludit, luditurque. Theſaurus enim arca quæcumque dicitur, qua prætioſæ res continentur, ſivè privati ſit, ſivè principis. Hinc illud Lucæ 12. *Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*. Quod omnibus à Chriſto Domino dictum eſt.

IV. Alterum controverſiæ caput: quoto, ſcilicet, numero Magi fuerint, haud ita facilè definierim. Tres vulgò fuiſſe creduntur, levi profectò, ne dicam, nullo planè fundamento. Ex antiquis enim Eccleſiæ Patribus unus Leo Magnus nobis numerum hunc definivit paſſim in Sermonibus de Epiphania, ac longo poſt illum intervallo ignotus Auctor Sermonum Euſebio Emiſſeno perperam adſcriptorum: ſilent cæteri Patres. Quin etiam Auctor Operis imperfecti in Matthæum apud S. Joannem Chryſoſtomum Homil. 2., Magos Chriſti adoratores duodecim fuiſſe docet, quos *Perſarum ſapientiores, & Myſteriorum Divinorum amatores* appellat. Duodecim perinde numerat Petrus Abaelardus Serm. 4. de Epiphania. Idcircò porrò tres tantùm fuiſſe vulgò creduntur, quia tria oblata munera memorat Euangelium, *aurum, thus, & myrrham*: quaſi ſingula obtulerint ſinguli. Quis id porrò certò ſciat? Imò omnia ſingulos obtuliſſe, probabilius eſt: tum quòd ita plerique Patrum exiſtiment, maximè verò S. Ambroſius lib. 2. in Lucam; & S. Gregorius Magnus Homil. 10. in Euangelia: tum quòd ita ratio ſuadere videtur. Cùm enim ea ab ipſis oblata ſint munera tamquam ſymbola fidei ſuæ, qua Chriſtum, & Regem, & Deum, & mortalem hominem agnoſcebant; omnia ſingulos obtuliſſe neceſſe eſt, cùm titulos illos omnes in Chriſto agnoſcerent ſinguli.

V. Incertiora ſunt longè multò, quæ Magis affiicta ſunt nomina, de quibus nihil auditum ante finem duodecimi ſæculi. Quis autem tunc temporis ea certò retegere potuit, nullo præeunte totius retrò antiquitatis lumine? Idcircò tam horrendè variatum hac in parte. Ab aliis quippe *Gaſpar*, *Melchior*, *Balthaſar* nuncupantur: ab aliis, *Appellius*, *Ametus*, *Damaſcus*: ab aliis *Galgalad*, *Magalad*, *Serachim*: ab aliis, *Ator*, *Sator*, *Parator*. Quodque dolendum magis, ad pravas, & magicas artes exercendas excogitata ſunt nomina, ſi credimus Caſaubono, Exercitatione 2. contra Baronium §. 10. Unde & nata ſuperſtitio eſt, potiſſimúm apud Græcos recentiores: ſi quis in die Epiphaniæ tria Magorum nomina capiti ſitulæ novæ inſcripſerit, hunc plenam à cujuſcumque venenati ſerpentis morſu liberationem conſecuturum. Credat Judæus apella, non ego.

Sed quò demum fingendi, fabulandique cacoethes homines abripit? Inventus eſt non ita pridem, anno, ſcilicet, 1636., qui integrum volumen in Gallia vulgarit, ut oſtenderet, Magos a Matthæo memoratos Chriſti naſcentis adoratores haud alios fuiſſe, quàm Henochum, Eliam, & Melchiſedechum, quos è Paradiſo terreſtri, ubi vitam ducerent, ad Chriſti præſepe ſtella deduxerit. Tam inauditi paradoxi probationes ſi quæris, toto volumine nullam invenies; niſi quòd Magi à Matthæo me-

morati ex Oriente venerint, ad quam terræ partem ſitum olim Paradiſum terreſtrem ſcripſit Moyſes Geneſis 2., tum etiam quòd Chriſto gloriosior, & honorificentior videatur exhibita à viris illis ſanctiſſimis adoratio, quàm quæ à Magis communis conditionis hominibus eſſet exhibita. Sic nempè ratiocinari ſolet *gens ratione carens, & mentem paſta chimeris*. Hinc enim perinde colligas, totum veterum Patriarcharum, & Prophetarum Ordinem ad Chriſti cunas adoratum veniſſe. Tædet, pigetque, in tam ſtolido commento refellendo operam ludere. Dicam tamen, ruere ab imis fundamentis. 1. Enim Melchiſedech in Paradiſo terreſtri ſuperſtes non eſt: quidquid aliqui de Enocho, & Elia commenti ſint. 2. Magi adoratores primitiæ gentium ad Chriſti fidem vocatarum dicuntur à Patribus: Elias autem Judæus erat; Enoch verò prima Mundi ætate vixit, qua nulla adhuc erat Gentilium, Judæorumque diſtinctio: Melchiſedech tandem Dei Summi Sacerdos; omnes homines ſancti, nulla unquam gentilitatis labe polluti. 3. In Eliam, & Enoch non cadit ultra ſomnus, ut docent, qui de illorum ſtatu diſſerunt: Magos verò dormiiſſe Bethleemi notat Matthæus, dum illos Angelicum reſponſum *ne redirent ad Herodem* in ſomnis accepiſſe dicit. 4. Cur non illos propriis nominibus deſignaſſet Euangeliſta ad Chriſti naſcentis gloriam amplificandam; quemadmodum diſtinctè notantur Moyſes, & Elias Chriſti transfigurati teſtes, ac ſocii?

VI. Sed relicta inſulſi figmenti confutatione, ne, ſi prolixiùs confutetur, à nobis honorari videatur, ſermonem ad alia convertamus, quæ majori otio, atque criterio diſcutienda ſunt. Cujates nimirum fuerint, ac unde venerint Magi adoratores, qui à Matthæo ſimpliciter *ex Oriente* veniſſe dicuntur, nulla peculiari regione, ac natione adnotata?

Quadruplex ea de re circumfertur opinio. Prima Chaldæos illos fuiſſe, & ex Chaldæa veniſſe ponit. At minùs verè: tum quod Chaldæa reſpectu Judææ Aquilonaris ſit, non Orientalis; unde totiès Prophetæ malum à Chaldæis inferendum Judæis *ab Aquilone* oriturum dicunt: tum etiam quòd Chaldæa Judæis vicina, atque notiſſima obſcuro illo, ac generali nomine *Orientis* ab Euangeliſta deſignata non eſſet: *Ecce Magi ab Oriente venerunt*.

Altera Magos ex Meſopotamia veniſſe opinio ponit, illoſque ex poſteris Balaami fuiſſe, qui Chriſtum ſub Stellæ ſymbolo oriturum prænunciaverat, Num. 24. Ita Origenes, & Baſilius Magnus ea ratione nixi, quòd Balaami vaticinium, de ſtella aliquando ex Jacob oritura, in ejus poſterorum memoria viguerit, & Magos ad novi ſyderis expectationem erectos ad novum Regem quærendum ſtatim, atque ſtella illis affulxit, excitarit. At id perperam, & incaſſum. Quamquam enim Balaam Meſopotamus fuerit, non tamen in Meſopotamia, ſed in Moab, quò fuerat advocatus, vaticinium fudit: nec ad ſuos reverſus vaticinium inter ſuos commendavit: ſed contrà potiùs, ad finem uſque vitæ nefariis ſtudiis vacavit, ac malè periit. Inſuper Meſopotamos Aſtrologiæ ſtudiis vacaſſe, non legimus. Nec admodum à Judæa diſtat Meſopotamia, qualem Magorum patriam deſignat Euangeliſta.

Tertia

Tertia Magos Arabes ex Arabia accerſit opiniò, non deſerta illa, quidem, & petræa, ſed ex fœlice, quæ Judææ comparatione Orientalis eſt. Sic ſanè Juſtinus Martyr, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius; qui tamen ea in parte Patres alios majori numero repugnantes habent. Nec immeritò. 1. Quòd Arabia non ita diſtet à Judæa, nempe ſolò itinere octidui. 2. Quòd Magorum nomen ſit apud Arabes inauditum. 3. Quòd in aliis novi Teſtamenti locis, ubi de Arabia fit ſermo, proprio nomine nuncupetur, ut ad Galatas Cap. 1., & 4. Ultimò quòd momenta, quibus ea opinio maximè nititur, facilè exſufflantur. Nititur enim oraculo Davidis Pſalmo 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*; quòd tamen ſpeciatim de Magis adoratoribus dictum non eſſe, demonſtravimus: aliàs Reges, non modò Arabes, ſed & Sabæi, Tharſenſes, & Inſulani perinde dicendi eſſent ob ea, videlicet, quæ præcedunt: *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Nititur & oraculo Balaami Num. 24. quod in Arabia fuſum exiſtimatur; cum Moab Arabiæ regio ſit juxta D. Hieronymum lib. de Locis Hebraicis. At quid, quæſo, neceſſe eſt, Magos ex ea regione profectos eſſe, ubi fuſum eſt olim oraculum illud: *Orietur Stella ex Jacob: conſurget Virgo de Iſraël* Num. 24.? Cum & illius notitia ad alios quoque populos pervenire potuerit, ut ea notitia excitarentur, ad novum Regem ſtella affulgente quærendum: imò cum nulla hujus oraculi notitia habita, ſecretiori Dei inſpiratione excitari potuerint.

Poſtrema tandem ſententia, cui ſubſcribo lubentiùs, Magos, & Perſas fuiſſe, & ex Perſide veniſſe contendit. Quam & tuentur S. Joannes Chryſoſtomus, S. Clemens Alexandrinus, S. Cyrillus pariter Alexandrinus, ac ipſe etiam D. Thomas 3. parte quæſt. 36. art. 7. In hanc quippe ſententiam optimè quadrant univerſa, quæ hactenus deſiderari ſignificavimus. Perſis enim Judææ Orientalis eſt. A Judæa verſus Orientem remotiſſima eſt; quippe quæ diſtat leucis circiter quingentis. Nuſpiam in novo Teſtamento ex proprio nomine deſignatur. Magorum nomen, ac profeſſio apud Perſas celebris erat. Adoratio cum oblatione munerum de more Perſarum erat. Munera demum Chriſto oblata, maximè verò thus, & myrrham, ſi fortè ex ſua regione non habebant, qua de re dubitatur, ex Arabia fœlici, per quam illis iter agere neceſſe fuit, comparare facilè potuerunt. Aliunde verò nihil huic ſententiæ opponi video, niſi miſeram, futilemque ratiunculam falſa ſuppoſitione nixam: nimirum impoſſibile fuiſſe, ajunt, ut intra duodecim circiter dies quingentarum leucarum iter ex Perſide in Judæam confecerint Magi. Id, ſcilicet, falſum eſſe demonſtrabo, quod tanta fiducia ponunt: Magos duodecimo, aut etiam decimo tertio die poſt Chriſti natale Bethleemum adventaſſe. Quæ quarta præſentis concertationis quæſtio, altera exercitatione expedienda.

VII. Interea illud obiter non omiſerim obſervare, Magos, undecumque tandem advenerint, ſeu ex Perſide, ut probabilius dixi, ſeu ex Arabia, ſeu demum ex Chaldæa, ut aliis viſum eſt; ex una tamen, eademque regione veniſſe omnes, ac illa quidem Orientali, uti Textus

Evan-

Euangelicus notat. Quid ergo Pictores audaces Magorum unum colore ſemper fuſco, atque ſubnigro, cœteros verò colore albo nobis adumbrant, quaſi pro varia aeris temperie varium colorem nacti eſſent? Manavit fabella ex Collectaneis Venerabili Bedæ perperam adſcriptis, ubi Magorum primus ſenex, & canus, prolixa barba, & capillis fuiſſe dicitur: alter juvenis, imberbis, & rubicundus: tertius integrè barbatus colore fuſco. Sed ad quartam de tempore adventus illorum quæſtionem accedendum eſt.

EXER-

EXERCITATIO XXXV.

De tempore adventus Magorum.

I. EGimus ſuperiori Diſputatione de Magorum Chriſti adororatorum conditione, quam vulgarem, minimè verò Regiam diximus: de numero, quem dubium, & incertum oſtendimus: de patria, quam Perſidem demonſtravimus. Supereſt, ut de illorum adventus tempore, quod peculiarem difficultatem ingerit, diſputemus. Quibus de Stella duce, ac de illorum in patriam reditu, nonnihil addendum erit ad plenam, & integram hujuſce argumenti tractationem.

II. Principio itaque controverſia illa in medium veniat: Quandonam Jeroſolymam, ac ſubinde Bethleemum pervenerint Magi? In qua non parùm Eccleſiæ Patres, & Sacrarum Scripturarum Interpretes inter ſeſe diſſidentes invenio, quorum nobis ſententiæ ad examen vocandæ ſunt. Nonnulli, in quibus princeps eſt S. Epiphanius Hæreſi 51., Magos adventaſſe putant biennio integro poſt natalem Chriſti diem, ea ratione nixi, quòd Herodes, teſte Matthæo Cap. 2., à Magis *diligenter didicerit tempus ſtellæ, quæ apparuit eis*; poſtea verò, ut vidit, ſe ab iis eſſe illuſum, occidi juſſerit omnes pueros, *à bimatu, & infrà ſecundùm tempus, quòd exquiſierat à Magis*. Unde colligi videtur, ſtellam illis biennio apparuiſſe, antequam Jeroſolymam adventaſſent. Stella porrò illis non apparuit, niſi dum natus eſt Chriſtus, minimè verò antequam naſceretur, ut aliqui ſomniarunt: cùm hæc Regis Judæorum jam nati, non autem naſciturì ſignum fuerit; unde & dicebant: *Ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum, vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Igitur biennio poſt Chriſti natalem diem Magi Jeroſolymam pervenere.

Speciosum id quidem, ac de ſumma facie prorsùs invictum: ſi tamen ſpectes intimiùs, duplici difficultate ea laborat opinio prorsùs inſuperabili. 1. Quia, ſi biennio dumtaxat poſt Chriſti natalem diem Magi Jeroſolymam adventaſſent, Herodem in vivis non inveniſſent: ſed diu ante defunctum. Anno enim Regni ejus 36. natus eſt Chriſtus: is verò anno Regni 37. extinctus eſt. 2. Puerum Jeſum Bethleemi non inveniſſent; quippè quem parentes ejus die ab ortu quadrageſimo ad purificationis officium implendum Jeroſolymam tulerant: inde verò non ultra Bethleemum rediere, *ſed reverſi ſunt in Galilaam, in Civitatem ſuam Nazareth*, ut habetur Lucæ Cap. 2. Quod ergo in hujus ſententiæ præſidium fertur; Herodem, ſcilicèt, pueros occidi juſſiſſe *à bimatu, & infra ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*, non ita accipiendum eſt, quaſi verba illa *ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis* ad iſta referantur *à bimatu*; ut ſignificetur, tempus ſtellæ apparentis, quod à Magis exquiſierat Herodes, fuiſſe biennium: ſed potiùs ut referantur ad illa *& infra*, ut ſit ſenſus: Herodem ita pueros à bimatu, & infra natos occidi juſſiſſe, ut tamen illos

illos occidi noluerit, qui ab eo dumtaxat tempore nati erant, ex quo ſtella Magis apparuerat, quia certò noverat, nullum iſtorum Chriſtum eſſe poſſe: cùm is ante ſtellæ ortum natus eſſet. Uno verbo puerorum cædendorum, non initium, ſed terminum fecit Herodes: *ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*. Si autem importunè quæſieris, quorsùm Herodes iratus pueros à bimatu occidi juſſerit, tametſi ex ſtellæ ſigno certo ſciret, Chriſtum tunc bimulum eſſe non poſſe? Reſpondet S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 7. in Matthæum: *Factum id eſſe pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis*; ut ſibi meliùs conſuleret. Quamquam enim tempus ſtellæ didiciſſet à Magis, dubitare tamen potuit, num fortè Chriſtus aliquantò antea natus eſſet, quàm ſtella illis conſpicua fieret. Quidni etiam dicamus: Herodem fortaſſe ſuſpicatum eſſe, Chriſtum, cui ſydera famulabantur, ſpeciem referre poſſe ætate ſua majorem, quæ illi cauſa fuerit, cædendorum puerorum initium altiùs repetendi. Certè quamquam ex prophetico Michææ oraculo, omniumque Principum Sacerdotum, & Scribarum teſtificatione certus eſſet Herodes, Chriſtum Bethleemi fuiſſe naſciturum; pueros tamen non modò Bethleemi, ſed & in omnibus finibus ejus juſſit occidi *pro abundantia cautionis*: & mirabimur, eoſdem illum occidi juſſiſſe à bimatu, tametſi Chriſtum bimum non eſſe, probè ſciret?

III. Alii ergo ea rejecta D. Epiphanii opinatione, quæ in tam duros ſcopulos impingit, in oppoſitam è diametro ſententiam abiere: Magos, ſcilicèt, die à Chriſti natali tertiadecima dumtaxat, quæ, videlicèt, in ſextam Januarii incidit, Bethleemum adventaſſe, idque duplici titulo 1. quòd Matthæus illorum adventum narret uti rem ſtatim à Chriſti nativitate peractam: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam*: qua loquendi formula narrantur res ſubitæ, ac velut improviſæ 2. quòd Eccleſia Catholica Magorum adorationem jam à primis ſæculis celebret die 6. Januarii.

Sed & huic opinationi, tametſi à multis defendi ſolitæ, multa, eaque gravia repugnant. Primò, quia tam brevi temporis intervallo Magi ex Oriente tam longum iter agere nequivere; præſertim ſi ex Perſide acceſſiſſe ſupponantur, leucis ſupra quingentis à Jeroſolymis diſtante. Ut mittam, illos conſpecta ſtella Chriſti jam nati nuncia, antequam ſeſe itinerari darent, conſultationem habere debuiſſe aliquam; componere, ac parare res ſuas; munera deſtinare, atque ſeligere: quibus omnibus perficiendis una ſaltem dies inſumpta eſt. Ut mittam, etiam illos aliquandiu Jeroſolymis ſubſtitiſſe, moraſque traxiſſe, ut cum Herode colloquerentur, iſque viciſſim omnes Principes Sacerdotum, & ſcribas populi in conſultationem advocaret, *ubi Chriſtus naſceretur?* Quæ res unum, alterumve fortaſſe diem abſumpſit. Quomodo ergo intra decem circiter dies quingentas, & eò ampliùs leucas confeciſſent, etſi illos Dromedariis uſos concederemus? Eaque de cauſa coguntur benè multi hujus vindices opinionis eò confugere, ut dicant, ſtellam Magis ante natalem Chriſti diem apparuiſſe, illoſque proindè ante Chriſti Domini ortum itineri ſe dediſſe, ut poſſent die 6. Januarii Bethleemum adventare, quod Euangelico Textui vim facit longè maximam.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, ſtare ea ſententia non poteſt, quia, ut ſcribit Matthæus, ſtatim atque perſenſit Herodes, ſe à Magis illuſum eſſe, horrendam illam puerorum cædem edixit. Hæc verò nonniſi diebus poſt purificationem aliquot peracta eſt; dum Virgo Deipara, illiuſque ſponſus Jeroſolymis diſceſſiſſent, & Nazarethum perrexiſſent, atque inde ab Angelo moniti in Ægyptum aufugiſſent; hoc eſt, elapſo utut minimùm Menſe integro poſt illam ſextam Januarii diem, qua Magos adventaſſe volunt. Quis autem facilè ſibi fingat, unius Menſis ſpatium neceſſarium Herodi fuiſſe, ut ſe à Magis per aliam viam reverſis deluſum intelligeret: puerorumque carnificinam ediceret? Maximè cùm ſexto dumtaxat milliario Bethleem diſtaret Jeroſolymis. Non ergo adventarunt Magi die ſexta Januarii.

IV. Inquiunt tamen ii: Matthæus Magorum adventum narrat uti rem proximè geſtam, ex quo Chriſtus eſt ortus: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda.... ecce Magi ab Oriente venerunt*. Sit ita ſanè: at numquid non ſatis ſubitus erit adventus, & Chriſti natali ſatis proximus, ſi ſub finem Januarii E.G. poſt triginta dumtaxat dies contigiſſe dicatur, ut & hoc pacto vitentur incommoda, quæ paulò ante notabamus? Si enim Magorum adventum ponamus die circiter 26. Januarii, omnia facilè componuntur. Sufficiens in primis conficiendi longi itineris mora conceditur Magis: confectis enim in dies ſingulos leucis circiter ſexdecim, (quod viro citatis equis, aut etiam placidis dromedariis vecto facillimum eſt) leucæ quingentæ intra Menſem conficiuntur. Illuſio etiam a Magis Herodi facta ſat proximè cum imperata puerorum cæde cohæret, ne Herodes rebus ſuis, quæ illum adeò malè torquebant, indormiiſſe putetur. Magorum denique adventus ſatis proximè diei natali Chriſti conjungitur, ut jure dixerit Matthæus: *Cùm natus eſſet Jeſus.... ecce Magi ab Oriente venerunt*. Sanè, ut patenti exemplo, ac non longiùs acceſſito, Doctores illos hac in parte convincam, quæſierim ab eis: quodnam ſpatium temporis interponant inter diſceſſum Magorum in regionem ſuam, & monitum Angeli Joſepho datum, ut unà cum puero, & ſponſa ſua fugeret in Ægyptum? Profectò integri Menſis interſtitium juxta illorum ſententiam concedere compelluntur. Et tamen Matthæus pari loquendi formula uſus, narrato Magorum diſceſſu, è veſtigio ſubjungit: *Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Quidni ergo de adventu Magorum, tametſi poſt Menſem integrum à Chriſti natali die contigit, dicere potuit: *Cum natus eſſet Jeſus... ecce Magi ab Oriente venerunt?* Quamquàm etiam, ſi rem omninò ſubitam, proximèque conjunctam ea loquendi formula deſignari ſemper fateremur; quidni quoque ſubjungeremus: particulam *ecce* ad profectionem Magorum ex Oriente, quæ ſtatim nato Chriſto, viſaque ſtella ſuſcepta eſt, eſſe referendam, non ad illorum adventum Jeroſolymam, qui nonniſi aliquanto poſt tempore contingere potuit?

V. Alterum, quod in ſuæ ſententiæ præſidium adferunt, longè futilius eſt. Quaſi verò Eccleſia Catholica Magorum adorationem die 6. Januarii contigiſſe pro certo ponat, quia eamdem illam hac ipſa die anni-

verſaria celebratione recolit? Ecquis, quæſo, hanc regulam fixit, ut iis ſemper diebus Myſteria celebrentur, quibus re ipſa peracta ſunt? Si ſic eſt, puerorum innocentum cædes ante Magorum adorationem ponenda erit: illam enim ante iſtam Eccleſia celebrat, ac etiam inter feſta Chriſti natalitia ponit ante Epiphaniam. Non igitur in hujuſmodi ſolemnitatibus decernendis ordinem temporum obſervat ſemper Eccleſia, ſed rationes plerùmque myſticas. Certè Eccleſia Græca propemodum univerſa Chriſti natale una cum Magorum adoratione die 6. Januarii celebrabat ante ſæculum quintum; ergone eadem die utrumque Myſterium peractum exiſtimabat? Ac nunc etiam Eccleſia Latina hac ipſa die 6. Januarii tria ſimul Myſteria celebrat, Magorum adorationem, Chriſti baptiſmum, & primum miraculum in Cana Galilææ peractum; ergone pro certo habet Eccleſia, tria hæc eadem die, diſtinctis licèt annis recurrentibus, fuiſſe celebrata? Minimè gentium. Non ergo temporum ordo, ſed myſtica ratio in hujuſmodi quærenda eſt. Quia nimirum Chriſti manifeſtatio generatim, & universè hac una die 6. Januarii celebratur, id enim ſonat Epiphaniæ nomen; quæ quidem manifeſtatio triplici illo Myſterio facta eſt, Magorum adoratione, ſuſcepto baptiſmate, & primo in nuptiis Canæ patrato miraculo: ſic enim primò manifeſtatus eſt gentibus, ſecundò Judæis, tertiò diſcipulis.

VI. Omnibus ergo, quæ hactenùs dicta ſunt, in ſummam deductis, rejectiſque extremis illis, ſeu Patrum, ſeu Interpretum opinionibus; qui, aut Magos die dumtaxat poſt Chriſti ortum tertiadecima Bethleemum adventaſſe ponunt: aut contrà ſuum demum adventum ad biennium diſtuliſſe contendunt; illud uti certiſſimum ſtatuo, Magos ſub finem Januarii, die nimirùm 26., aut 27. ad Chriſti cunas acceſſiſſe. Sic enim, aut dixi, probavique, omnia bellè cohærent, univerſaque contrariarum opinionum vitantur incommoda.

Quòd autem non ultra illorum protrahamus adventum, nec poſt Deiparæ Virginis purificationem, quæ die 2. Frebruarii facta eſt, differamus; illud præſertim in cauſa eſt, quia hac in hypotheſi, Chriſtus, illiuſque Parentes Sanctiſſimi non ultra a Magis Bethleemi inventi fuiſſent: quippe qui, Bethleemo relicto, Jeroſolymam venerant, ut purgationis legem implerent; relictaque ſubinde Jeroſolyma, in Nazareth Galilææ reverſi fuerant, Luca teſte Cap. 2. *Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem, Domini reverſi ſunt in Galilæam, in Civitatem ſuam Nazareth*. Atque ita Magorum adoratio, ſi ultra purificationem protrahatur, non in Bethleem, ſed in Nazareth; non in Judæa, ſed in Galilæa peracta eſſet, Euangelio, & Patribus palam; apertèque repugnantibus. Euangelio, inquam, Matthæi Cap. 1., ubi diſertè notatur: Herodem Magos Bethleemum miſiſſe Chriſtum adoraturos. Patribus verò, qui Chriſtum a Magis Bethleemi adoratum ſummo conſenſu definiunt; hocque uno inter ſeſe diſſentiunt, quòd alii adoratum dicant in hac ipſa ſpelunca, in qua natus eſt: alii (maximè verò S. Epiphanius Hæreſi 51.) adoratum velint in quadam domo, ſeu in Diverſorio jam tandem hoſpitibus vacuo, in quod Parentes Sanctiſſimi natum puerum tranſtuliſſent: qua de cauſa ab Euangeliſta de Ma-

gis

Digitized by Google

gis dictum ſit: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*; nemo tamen horum, Chriſtum Nazarethi in Galilæa adoratum, commentus eſt. Dicam interim obiter, nutare illud D. Epiphanii fundamentum, quo Chriſtum non jam in ſpelunca, ſed in domo adoratum exiſtimavit. Quia Hebræi, quorum idiomate Matthæus Euangelium ſcripſit, quemcumque locum, ubi quis degit, etiam vile tugurium, antrum, ſpeluncam, imò volucrum nidum, *domum* appellant, cujus rei exempla ſexcenta dare facilè fuerit. Pſal. 83. *Paſſer invenit ſibi domum*. Pſal. 48. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum*, Pſal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos*. Pſal. 103. *Herodii domus dux eſt eorum, montes excelſi cervis, petra refugium herinaciis*.

VII. Poſtrema jam quæſtio reliquitur de ſtella Magorum duce: quæ illius natura fuerit: qui motus, ut iter agentibus ab Oriente in Occidentem ſignaret viam?

Veram illam fuiſſe ſtellam, ac Firmamento affixam, impoſſibile eſt. Affixa enim Firmamento viam Magis ſignare non potuiſſet; in tanta, videlicet, altitudine. Stellæ veræ motum circularem habent; iſta rectum ab Oriente in Occidentem. Illæ de nocte dumtaxat fulgent; iſta de die, cùm tunc maximè iter Magis agendum eſſet. Illæ perpetuæ ſunt, iſta temporanea; impleto enim officio evanuit. Illæ omnibus perindè conſpicuæ ſunt; iſta ſolis Magis, quibus etiam, quamdiu Hieroſolymis ſubſtiterunt, ſeſe occultavit.

Quid ergo erat? Auctor libri *de Mirabilibus Scripturæ locis* apud Auguſtinum lib. 3. Cap. 40. Spiritum S. fuiſſe, ait, qui ſicut ſub Columbæ ſpecie deſcendit in Chriſtum baptizatum; ita per ſpeciem ſtellæ Magos direxit. Veriùs, ac certiùs fuiſſe creditur Metheorum aliquod ex aere condenſato ab Angelo efformatum in modum, ac ſpeciem Stellæ, ingenti lumine perfuſum, & ab Angelo ex Oriente in Occidentem motum in media aeris regione, ut Magis ſignaret iter: perinde ac columna ignis, & nubes, quæ filios Iſrael per Deſertum deduxit. Ita S. Joannes Chryſoſt. in Cap. 2. Matth.; S. Fulgentius Serm. de Epiphania, S. Baſilius Homil. de Humana Chriſti natura, & S. Thomas, 3. q. 9.36. a. 7.

Miror, Interpretes non paucos, ac etiam magni nominis, Janſenium, Cajetanum, Clarium, Parradium, nullum huic ſtellæ motum ab Oriente in Judæam tribuiſſe: ſed eam, vel Judææ incubantem, & fixam ex ipſo Oriente à Magis viſam eſſe, unde noverint illi, quò ſibi eſſet eundum; quo pacto ſtella polaris, immota licèt, nautis monſtrat iter: vel vice verſa, ſtellam Orienti incubantem, & in ea aeris parte fixam, viſamque à Magis natum Cœli Dominum indicaſſe: illos verò nullo ductore in Judæam veniſſe, propterea quòd ex Balaami prophetia Numer. Cap. 24. noviſſent, quid ſtella illa inſolita indicaret. At ſtellam hanc ipſo ſuo motu ſignaſſe iter, nec uno ſemper, eodemque ſtetiſſe loco; probat Matthæi phraſis Cap. 2. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer*. Probat Sacer Hymnus in Eccleſia cani ſolitus: *Ibant Magi, quam viderant, ſtellam ſequentes præviam*. Probant Patrum teſtimonia: S. Joannis Chryſoſt. Serm. 15. *Ambulante Ma-*

go ſtella ambulat ; ſedente ſtat, dormiente excubat. S. Leonis Magni Serm. 2. de Epiphania : *Magos ad Chriſtum adorandum prævia Stella perduxit*, S. Thomæ 3. parte quæſt. 36. art. 7. ſtellæ hujus motum ex inſtituto propugnantis.

VIII. Magos, peracto ſalutationis, & adorationis officio, *per aliam viam reverſos in regionem ſuam* Matthæus obſervat. At quam diſtinctè in reditu viam tenuerint, nec notat ille, nec inquirunt Interpretes; ſatis officio ſuo conſultum arbitrati, ſi illos publica in reditu hoſpitia declinaſſe moneant, ne ab Herode, quem illuſerant, itinere prohiberentur, & comprehenderentur. Si quid tamen ſummæ auctoritatis viro tribuendum eſt Arnobio juniori, qui vertente ſæculo quinto Eccleſiam illuſtravit: Magos navigio evaſiſſe putaverim: ſic enim in Herodis Regia æſtimatum fuiſſe, ſcribit in Commentariis ad Pſal. 47. *Quo tempore*, inquit ille, *non eſt inventus Dominus, & infantes occiſi ſunt, etiam navigia Regio ſunt juſſu vexata, quibus Magi, qui non redierant ad Regem, credebantur fugere potuiſſe.* Quid hoc ſit, *Herodem vexaſſe navigia*, haud ſatis intelligo: (tametſi *vexatam tempeſtate claſſem* Svetonius dicat in Auguſto) niſi fortè Naviculari os, qui ad aufugiendum naviculas præbuiſſe putabantur, vexaſſe, pœniſque graviſſimis affeciſſe.

EXER-

EXERCITATIO XXXVI.

De Virgine poſt dies 40. in Templo purificata, deque Chriſto Domino ibidem oblato.

I. VIrginis purificatæ, & Chriſti Domini in Templo oblati Myſterium his verbis enarrat Lucas Cap. 2. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus, ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur: & ut darent hoſtiam, ſecundùm quòd dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos Columbarum.* Tum ſubinde narrat Euangeliſta occurſum Simeonis viri juſti, & timorati, qui Chriſtum in ulnas ſuas accepit, ſacrumque Canticum cecinit. Nos, ut rectam hujuſce Myſterii intelligentiam demus, quatuor, quæ gravem difficultatem pariunt, inveſtigabimus 1., Cujuſnam hic purgatio deſcribatur? *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*: Chriſtine? an Virginis? an amborum? 2. An legibus ibidem memoratis ſummo jure Chriſtus, & Deipara tenerentur? 3. Quis fuerit Simeon ille, qui Chriſtum in ulnas ſuas excepit? Sacerdoſne, qualem vulgus exiſtimat, an autem vir Laicus juſtitia, & prophetiæ dono illuſtris? 4. Fabulas nonnullas de Virgine purgationis officium implente refellemus. Erit igitur hoc hodiernæ, ac fortè etiam ſequentis exercitationis argumentum.

II. Erit dubio procul, qui primo rerum aſpectu miretur vehementius, primum illud in controverſiam vocari, cujuſnam hìc purgatio intelligatur? Chriſtine, an Deiparæ Virginis, an amborum? Et tamen nihil apud Sacros Interpretes majori contentione agitari video. Quæſtionem dubiam facit Verſionis vulgatæ Textus Latinus: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*. Cùm enim pronomen illud *ejus* utriuſque generis ſit. perinde ad Chriſtum, & ad Virginem Matrem referri poteſt; ut, vel illius, vel iſtius purgatio deſignetur. Imò, ſi juxta Grammaticæ leges ad eam perſonam referri pronomen oportet, cujus proximè mentio facta fuit; citra dubium referetur ad Chriſtum, de quo proximè antea dicitur; *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*; ſequitur que nullo interjecto medio, imò cum copula periodum conjugente: *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus &c.*, ut planè ipſius Chriſti Domini, non Deiparæ Virginis purgatio adnotari videatur.

Hanc eamdem quæſtionem involvit, obſcuratque longè magis Textus Græcus, à quo tamen dilucidari, ac ſolvi debuiſſet, ſi unus, idemque in omnibus exemplaribus legeretur: obſcuritatem tamen parit Exemplarium varietas. Alia enim habent *αὐτοῦ ejus* maſculini generis, ut nimirum referatur ad Chriſtum; quaſi illius hìc purgatio deſcribatur: alii Codices habent *αὐτῆς, ejus* generis feminini, ut ad Virginem referatur;

quaſi

quaſi de illius hic purgatione ſermo fiat. Alii demum habent αὐτῶν, hoc eſt, *eorum*; ut nimirum ad utrumque referatur, tanquam utriuſque perinde, & Chriſti, & Deiparæ purgatio deſcribatur. Hinc orta diſſidia Patrum. Priorem enim lectionem, ac ſenſum de Chriſti purgatione amplectuntur nonnulli Veteres à Toleto recenſiti annotatione 37. in Lucam, qui idcircò duos pullos columbarum pro purgatione Filii recens nati offerri ſolitos arbitrantur: quare de purgatione legali Chriſti Domini ſecundùm hominum opinionem illic agi contendunt. Secundam lectionem, ac ſenſum Venerabilis Beda, ac plerique recentiores excipiunt, deque ſolius Virginis purgatione dictum interpretantur. Tertiam lectionem amplectuntur Origenes Homil. 14. in Lucam, Auctor Homiliæ de Occurſu apud S. Joannem Chryſoſtomum, & Euthymius in ſuis ad Lucam Commentariis: nempe de illorum purificatione Euangeliſtam locutum exiſtimant; ſic tamen, ut eo pronomine *illorum*, Chriſti, & Mariæ purgationem intelligat Origenes: Mariæ verò, & Joſephi purgationem pſeudo-Cryſoſtomus interpretetur: trium demum, Mariæ, Joſephi, & Chriſti purgationem explicet Euthymius.

Quis non hic Babelicam confuſionem intueri ſibi putet? Sed quid nos interim in tanto pugnantium opinionum conflictu? Non aliam ſanè, niſi quam, & Eccleſia Catholica, & recta ratio Sacris Litteris innixa magis probat, ſententiam amplectimur. Eam nempe, quæ ſolius Mariæ purgationem recitari hoc loco contendit, non Chriſti, non amborum, non denique Joſephi cum illis.

Sic ſanè Eccleſia Catholica Sacrarum Scripturarum interpres digniſſima, quæ Sacrum illud Euangelium recitans inter media Sacra die Purificationis feſto, loco τῦ *ejus*, explicatè, ac diſtinctè legit *Maria*: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi &c.*, Sacramque illam ſolemnitatem in publicis precum Officiis, ac in Martyrologio *Purificationem* Virginis vocitat, non Chriſti, non amborum, non denique Joſephi cum illis.

Suffragatur, & ratio diſertiſſima. Agitur enim de purgatione facienda *ſecundùm legem Moyſi*: at purgatio hæc Matris erat, cujus erat immunditia eluenda, non pueri, non viri: ſic quippe lex habet, Levitici Cap. 12. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne Sanctum non tanget nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies Purificationis ſuæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ.* Totum id de immunditia matris dictum eſt, ac de illius purificatione: nihil dè Filio, niſi quòd octavo die circumcidi debeat; nihil planè de viro. Totoque illi aberrant oſtio, qui, ut quamdam nati pueri immunditiam legalem nobis obtrudant, à qua ipſe quoque peculiari purgatione mundari debuerit, ajunt: oblationem agni anniculi, aut pullorum columbarum fieri ſolitam fuiſſe pro filii purgatione. Minimè verò, ſed hæc quoq; oblatio pro matris purgatione fiebat. Clariora Scripturæ verba ſunt, quàm ut

res in dubium verti poſſit: *Deferet agnum amiculum in holocauſtum*, ſubjungit Moyſes, *& pullum columbæ pro peccato, & tradet Sacerdoti, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluvio ſanguinis*. De Mariæ igitur purgatione unicè loquitur Euangelium. Si qua verò in Græcis Codicibus diverſitas eſt, iis uti puris, atque germanis ſtandum eſt, qui lectionem retinent vero, ac germano Scripturæ ſenſui cogruentiorem: quales profectò ii ſunt, qui habent *αὐτῆς*, purgatorio *ejus* in genere feminino, ut ad ſolam Virginem referatur.

At ecce, opponunt nobis Gammaticæ Magiſtelli, in illa Matthæi propoſitione, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*: pronomen illud referri oportet ad eam perſonam, cujus antea mentio facta eſt; atque ita ad Chriſtum Dominum; de quo proximè antea ſermo fuit: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* At obſervent, rogo illos, totam illam de Chriſto Domino periodum præcedentem, qua ejus Circumciſio narratur, velut intra parentheſim fuiſſe concluſam: atque ita pronomen illud *ejus* in Euangelica propoſitione ad eam referri perſonam, de qua ante parentheſim ſermo fuit: fuit autem ſermo de Deipara Virgine: *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*, ad Mariam itaque, non ad Chriſtum pronomen illud referendum eſt. Ejus itaque, non Chriſti purificatio illic agitur: maximè cum id ſequentia Euangelii verba evidenter oſtendant.

III. Succedit nunc ſuo ordine quæſtio altera de legibus Moſaicis, quibus in eo purgationis officio peragendo ſeſe Virgo Deipara, & Chriſtus Dominus ſubjecere: num iis ſummo jure tenerentur, an autem iis ſoluti, & liberi eſſent? Sunt illæ numero tres: duæ priores ad Matrem parturientem ſpectantes; tertia ad Filium genitum unicè pertinens. Prima extat Levitici Cap. 12. v. 2., ut ſi mulier maſculum peperiſſet, per dies quadraginta maneret immunda. Altera ibidem. v. 6., ut mulier eo pacto ſecundùm legem immunda, pro ſui purificatione obtinenda, Deo in holocauſtum offerret agnum anniculum; ac pullum turturis, vel columbæ in victimam pro peccato, ſi dives eſſet: ſin autem pauper, par turturum dumtaxat offerret, aut duos pullos Columbarum. Tertia lex Exodi 13. legitur, ut, ſi nata proles ſit maſcula, & primogenita, ſiſtatur, & offeratur Deo tamquam ipſi debita, & conſecrata, ob liberationem primogenitorum Hebræorum à Deo factam, quando ab Angelo exterminatore cæſa ſunt primogenita Pharaonis, & Ægyptiorum; ita tamen ut proles oblata Deo à parentibus redimi poſſet quinque ſiclis; hoc eſt, libellis circiter decem, & octo monetæ Venetæ.

IV. Virginem Deiparam utraque lege ad mulieres parturientes ſpectante liberam fuiſſe, communis eſt Patrum aſſertio, cui ſolus viſus eſt refragari Origenes Homil. 14. in Lucam. Ratio duplex in promptu eſt. 1., quia pro mulieribus, quæ ſuſcepto ſemine peperiſſent, latæ ſunt leges illæ: *Mulier*, inquit Moyſes Levitici 12., *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit*: at Virgo Deipara abſque ſuſcepto ſemine peperit; ea itaque lege ſoluta erat. 2. quia immunditia illa legalis, quæ à parturientibus contrahebatur, quæque ſubinde ex legis præſcri-

pto

Digitized by Google

pto purganda erat, non aliunde quam ex fluxu ſanguinis menſtrui contrahebatur: *Immunda erit ſeptê diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ*; & poſt pauca: *Mundabitur à profluvio ſanguinis*: at fluxus ſanguinis menſtrui non fuit in Deipara: tùm quia Virgo peperit, ac ſinè clauſtri virginalis effractione fœtum effudit: tum quia, cùm Spiritus Sancti opera concepiſſet, ille ſolus ſanguis fuit in Virgine, qui ad nutrimentum fœtus in utero neceſſarius erat; quo fœtu egreſſo ex utero, ſanguis ille totus ad ubera converſus eſt, lacque factum eſt in cibum nati infantis. Nullus ergo ſuperfluus erat ſanguis menſtruus, atque adeò nulla erat immunditia, nullaque neceſſitas purgationis à lege præſcriptæ.

Non defuere tamen importuni cavillatores, qui priorem rationem hanc noſtram, quæ Patrum etiam fermè omnium eſt, uti futilem exſufflare tentarint, ut Virginem purgationis legi ſubditam dicerent, propterea quòd *ſemen*, eo Levitici loco *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*, pro ipſa prole accipi putent, non pro ſemine virili, ex quo fit proles, ut planè ſexcentis aliis Scripturæ locis accipitur: *Regnabit ſemen tuum poſt te* lib. 2. Regum Cap. 7. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus* Pſalmo 88. *Non erit de ſemine ejus, qui regat populum meum Iſrael* Jerem. 22. *Locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula*, Lucæ 2. Adeò ut Moſaicæ legis ſenſus ſit: Mulier, ſi ſuſcepta prole peperit maſculum, immunda erit. Quo caſu Virgo Deipara eadem illa lege involveretur, utpote quæ prolem pepererat.

Verùm quamquàm Divinis in Litteris nomine *ſeminis* editam prolem intelligi ſæpè contingat; repugnat tamen Textus Hebraicus, ut hanc illi ſignificationem in ea, quam expendimus, lege Moſaica tribuamus. Siquidem pro eo, quod habet Latinus Interpres: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine*, Textus Hebraicus habet: *Si ſuſcepto ſpermate*, aut potiùs unico paſſivæ ſignificationis verbo id totum exprimit, quaſi ſi barbarè dixerimus: *Mulier ſi ſpermatizata pepererit*, in quam ſignificationem locum illum verterunt ſeptuaginta Interpretes, & quotquot hebraicè ſciunt. Addo, verba hæc, *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*, à Moyſe poni tanquam rationem, ob quam mulier immunda ſit: at immunda profectò non eſt ob id ſolùm, quòd prolem ediderit, ſed quòd illam ediderit ex immundo ſemine; igitur non prolem ſuſceptam, ſed virile ſemen planè ſignificant. Quid etiam quòd mulier verè, proprièque *prolem ſuſcipere* non dicitur, ſed vir: cùm enim mulier prolem viro pariat tamquam ipſius ſeminis fructum, non vir mulieri; prolem ex muliere ſuſcipere dicitur vir, non mulier ex viro. Quod ergo in Levitico dicitur: *mulier ſi ſuſcepto ſemine*, de ſuſcepta prole nequit intelligi, ſed de ſuſcepto virili ſemine ad prolem pariendam. Stat igitur invicta probatio.

V. Gravioris longè, majoriſque momenti fuerit definire, num perindè Chriſtus altera lege de primogenitis Deo ſiſtendis, conſecrandiſque eximeretur. Et quidem primo rerum intuitu ea lege videtur excluſus; ſic enim lex habet lib. Exodi Cap. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quàm de jumentis*: Chriſtus autem vulvam maternam naſcendo non aperuit, ſed clauſtris

pudoris

pudoris intactis, & obſeratis per uteri penetrationem exivit, ut fusè aliàs demonſtravimus: non itaque ea lege tenebatur. Nihilominùs ubi Eccleſiæ Patres conſulo, & attentiùs obſervo, quemadmodum, & conſulere, & obſervare neceſſe eſt, ſi volumus eſſe Theologi, ut debemus rem longè aliter eſſe deprehendo; Chriſtumque ea lege comprehenſum invenio; quem niſi me Patrum moveret auctoritas, liberum voluiſſem. Sic quippe ſumma conſenſione definiunt Tertullianus lib. de Carne Chriſti ſub finem, Origenes Homil. 14. in Lucam, S. Ambroſius lib. 2. in eumdem Lucam, S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Auctor Homiliæ de occurſu Domini inter Opera D. Chryſoſtomi, S. Gregorius Nyſſenus Homil. ejuſdem Argumenti, S. Amphilochius Iconii Epiſcopus Homil. de Purificatione, S. Iſidorus lib. 1. Epiſt. 23., Teophylactus, & Euthymius in ſuis ad Lucam Commentariis, S. Joannes Damaſcenus Oratione de Dormitione B. Virginis. Quorum omnium hæc una vox eſt, non modò Chriſtum ea primogenitorum lege comprehendi, ſed longe veriùs, certiùſque quàm cæteros quoſque primogenitos: imò ob illum ipſum fuiſſe legem hanc conſtitutam; cui, & Deo ſiſti, uti lex illa ferebat, & conſecrari maximè congruebat, quippe qui verè, & propriè Sanctus erat.

VI. Eccur verò, inquiet aliquis, ea lege concluditur Chriſtus, quæ de ſolis maſculini ſexus primogenitis *vulvam aperientibus* lata eſt? Si mea hic reſponſio quæreretur, reponerem facilè, eam Sacris Scripturis familiarem eſſe loquendi formulam, qua ii notari ſolent, qui primi omnium è materno utero prodeunt, quocumque tandem pacto res illa contingat, ſeu vulvæ apertione, quæ communis naſcentium conditio eſt, ſeu ſola uteri penetratione, quod Chriſti Domini privilegium fuit. Moyſemque idcircò *Sanctificandum*, hoc eſt, offerendum Deo dixiſſe primogenitum, non qualemcumque, ſed *qui aperit vulvam*, ſeu qui primus omnium ex utero materno prodit in lucem: quia primogenitus inter maſculos eſſe poteſt, qui tamen vulvam non aperiat, ſi priùs fœmina nata ſit: & rurſus primogenitus poteſt eſſe viri, non autem uxoris, quæ filium ex præcedenti Matrimonio ſuſcepit. Mea hæc, ſi fortè quæreretur, reſponſio foret, qua objectionem illam eluderem. Verùm quia non mea, ſed Sanctorum Patrum, quorum hìc ſententiam expendo, reſponſio quæritur: reponunt ii vice verſa tantùm abeſſe, ut ex iis legis Moſaicæ verbis, *primogenitum, quod aperit vulvam* momentum peti poſſis, quo Chriſtus ea lege eximatur, ut potiùs inde gravius repetant argumentum, quo Chriſtum hac ipſa lege concludant; hac etenim nota Chriſtum maximè deſignatum exiſtimant. Cætera quippe primogenita, inquiunt illi, tam in hominibus quàm in Jumentis, non tam naſcendo vulvam aperiunt, quàm apertam inveniunt: præcedente, ſcilicet, copula, quæ vulvam cœperat aperire, antequam pueri naſcentis dilapſu aperiatur ex integro: Chriſtus verò nulla præeunte copula conjugali natus ex Virgine vulvam, quam nullo pacto, nullove modo apertam invenit, naſcendo ſolus aperuit. Ita concordi ſententia citati Patres, Origenes, Tertullianus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius, Hieronymus, Amphilochius, Iſidorus, Thophylactus, Euthymius, Joannes Damaſcenus locis à me paulò ante laudatis.

Abſit tamen, ut tot Eccleſiæ Patres Sanctiſſimos, atque doctiſſimos Deiparæ Virginis puritati injurios exiſtimemus, dum vulvam ejus naſcente Chriſto *apertam* dixere. Abſit, inquam. Vulvam ſiquidem *aperire*, nihil aliud in illorum Codicibus ſonat, quàm *perviam facere*, ne Chriſto exeunti eſſet impedimento; quod tamen ſine fractura, uterique dilatatione factum eſt, ſed prodigioſa penetratione; atque ita illæſa virginitate, clauſtriſque pudoris prorſus intactis. Utrumque enim laudati Patres affirmant: *Ita Chriſtus partus tempore procreatur, vulvamque aperit, ut interim virginitatis clauſtra minimè labefactet*, inquit S. Joannes Damaſcenus Oratione de dormitione B. Virginis.

VII. Nec Patribus peculiaris eſt illa loquendi formula, qua *apertum* pro *pervio* ponitur: *aperire* pro *pervium facere*; etſi aliunde ſtet integrum, ac minimè diſruptum. Sic Matth. Cap. 3. de Chriſto baptizato legimus: *Ecce aperti ſunt ei Cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbã*. Et Marci Cap. 1. de eodem Chriſto Domino: *Vidit Cęlos apertos*. Et Actorum 7. Stephanus, dum lapidaretur: *Ecce*, inquit, *video Cęlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei*: non certè quòd Cœlorum ſoliditas diſrupta, diſciſſaque fuerit; id enim omnes Interpretes negant, nec erat neceſſarium ut fieret: ſed quòd Cœlorum ſoliditas, quantacumque ſit, oculorum obtutibus pervia fuerit; nulloque fuerit impedimento, quominùs Chriſtus Dominus Spiritum S. è Cęlo deſcendentem viderit, & Stephanus Chriſtum intuitus ſit ſedentem à dextris Dei. Eo ſenſu, eademque phraſi *apertam vulvam* dixere Patres naſcente Chriſto: non quòd fractura facta, oriſque dilatatione patuerit; ſed quòd naſcenti Chriſto pervia facta ſit, penetratione prodigioſa; nulloque fuerit impedimento, quominùs Chriſtus ex utero virgineo ſpontè prodierit.

VIII. Sentio non defuturos, qui eam Patrum ſententiam, tametſi, & defenſorum auctoritate, & rationum pondere communitam cavillari velint: Chriſtumque ea primogenitorum Deo conſecrandorum lege ſolutũ oſtendere moliantur. At eorum momenta, quandoquidem rei gravitas poſtulat, ſequenti exercitatione majori otio diluemus: cæteraſque ſimul quæſtiones, quas ad hujuſce Myſterii explicationem nos agitaturos recepimus, Deo favente expediemus.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXVII.

Superioris exercitationis proſecutio; ubi etiam de Simeone Chriſtum in ulnas ſuas excipiente.

I. CHriſtum Dominum primogenitorum lege fuiſſe obſtrictum, qua Deo dicari, & conſecrari jubebantur, ſat benè in ſuperiori prælectione ex Patrum doctrina dedimus manifeſtum; ut nullum ea de re dubium ſubſit apud eos, qui Veterum auctoritate ducúntur. Verùm quia non deſunt, qui in his etiam, quæ ex Sacrarum Scripturarum notitia pendent, ſuo malint, quàm alieno Majorum judicio regi; quíque Patrum ſententiam cavillari ambiant potiùs, quàm reverenter excipere, idcircò facturos nos operæ pretium exiſtimavimus, ſi eorum antea cavillos retunderemus, quàm ad cæteras, quas ſuſcepimus enodandas quæſtiones, progrediamur.

II. His ergo momentis in contrarium enituntur ad Patrum doctrinam obſcurandam. Si Chriſtus ea Exodi lege tenebatur, Cap. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*, quia ſpecialiter Matris vulvam naſcendo aperuit; cum contra alia primogenita non tam naſcendo vulvam aperiant, quàm apertam inveniant, uti Patres argumentantur: ſolus ergo Chriſtus ea lege dicendus erit obſtrictus, quia ſolus ille naſcendo vulvam aperuit? Præterea, ſi in memorata Exodi lege *vulvam aperire* idem ſonat, ac vulvam ſibi perviam facere, ſeu ex ea primùm prodire, quocumque id modo contingat, ſeu penetratione, ut Chriſto contigit, ſeu effractione, oriſque illius dilatatione, ut contingit in nobis; (quæ Patrum à nobis laudatorum interpretatio eſt) fruſtra Moyſes dixit: *Primogenitum, quod aperit vulvam*; cùm ſatis ei fuiſſet dicere *Primogenitum*; ex quo enim filius primogenitus eſt, è vulva primus egreditur. Inſuper, Legiſlator lege à ſe lata minimè tenetur: Chriſtus autem, utpote Deus, eam de primogenitis Deo offerrendis legem edixerat. Ultimo, impium videtur, Chriſtum legi huic ſubditum dicere, dum interim Virgo Mater purificationis lege ſoluta dicitur.

Hæc ut paucis expediam, breve tibi ad ſingula habeto reſponſum. 1. Chriſtum Dominum ex ſententia Patrum ſpecialiori quodam modo vulvam naſcendo aperuiſſe, ſeu ſibi perviam feciſſe, quia hæc nullo antea pacto, ac ne virili quidem operationi pervia fuerat, quod alteri filio primogenito nemini contigit: idèoque ſpeciali titulo lege Exodi fuiſſe obſtrictum: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*. Cætera tamen primogenita ſuo quoque modo ea lege teneri: tùm quia ſuo quoque modo vulvam naſcendo aperiunt, fractura, ſcilicet, oriſque illius integra apertione, quæ antea congreſſu virili fieri cæpta erat: tùm quia, quæ priùs actu venereo abruptio cœpta eſt, ab iis facta cenſetur, quorum gratia, ſeu pro quorum generatione facta fuit.

2. Moyſem non fruſtra in lata Exodi lege dixiſſe: *Primogenitum, quod*

aperit vulvam: quia lex de primogenitis ſtricto ſenſu acceptis, ac maſculini generis lata eſt. Talia autem non ſunt primogenita maſculina, niſi naſcendo vulvam aperiant. Si enim puellæ generatio præceſſerit, quæ vulvam prius aperuerit, primogenita ſtricto ſenſu non erunt.

3. Legislatorem ſua quandoque lege teneri, non coactione quidem, ſed directione: dum, videlicet, lata lex eſt de rebus Legislatoris conditioni, & dignitati minimè repugnantibus. Imò teneri tunc magis quàm ſubditum, ſi, quod præceptum eſt, Legislatori quàm ſubdito magis congruat. Eſtque tunc in Legislatore obligatio rationis, æquitatis, ac etiam liberæ electionis, non obligatio coactionis, neceſſitatis, atque imperii. Porrò Deo dicari, & conſecrari, quod iſta lege jubetur, Chriſto magis, quàm alteri cuicumque primogenito congruebat. Neque obeſt, quòd Chriſtus naſcendo Sanctus eſſet, atque ita Deo ſpecialiter conſecratus. Alia quippe ſanctitas ſubſtantialis eſt, quæ Chriſto à natura conveniebat; alia legalis, quæ externa in Templo dedicatione, & oblatione peragebatur, cujus etiam bruta animantia capacia ſunt. Namque & illa, ſi primogenita eſſent, ſanctificari, ſeu conſecrari ex lege jubebantur: Exodi 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quàm de jumentis: mea ſunt enim omnia.* Quemadmodum ergo Chriſto Domino ſecundùm ſubſtantiam Sancto non repugnabat ſanctificatio adventitia, & ex accidenti, quæ gratiæ habitualis infuſione perficitur; ita eidem ſecundùm ſubſtantiam Sancto, & conſecrato legalis ſanctificatio, & conſecratio minimè repugnabat.

4. Atque hinc facilè noveris, cur Chriſtum primogenitorum ſanctificandorum, ſeu conſecrandorum lege concluſerint Eccleſiæ Patres; non item tamen Deiparam Virginem puerperarum purgandarum lege obſtrinxerint. Quia prioris legis obligatio nihil Chriſti dignitati repugnat; uti profectò Virginis puritati officit altera, quæ eas ſolas obſtringit puerperas, quæ ſuſcepto virili ſemine peperere. Idcircò priorem ex ipſiuſmet legis directione ſervavit Chriſtus, eidemque verè, ac religiosè obtemperavit: poſteriorem, non ex ejuſdem directione Maria ſervavit, ſed prudenti, pia, humilique œconomia; ne Judæis Divinam ejus fœcunditatem ignorantibus ſcandalo eſſet: neve legem, cui communiter putabatur obnoxia, contemnere videretur.

III. Iis difficultatibus expediti, alteram de Simeone quæſtionem ingredimur: quis ille fuerit veneranda canitie ſenex, juſtus, ac timoratus, Spiritu Sancto plenus, qui Chriſtum infantem in ulnas ſuas excepit, dum à piis Parentibus induceretur in Templum? Sacerdoſne fuerit, qui Chriſtum pro Sacerdotii ſui munere, & officio è Parentum manibus exceperit, Deoque, uti lex præcipiebat, obtulerit? An autem vir laicus, qui Chriſtum ex pietatis, & religionis ſenſu exultabundus exceperit Deo benedicturus, quòd Salutare ſuum tandem aliquando miſiſſet in Mundum? Sacerdotem de more vulgus exiſtimat, Pictoribus pro more ſuo errorem foventibus, qui Simeonem Pontificali indutum veſte, habituque penicillo adumbrant. Temerè prorsùs, & imprudenter.

Dedit fingendæ fabulæ occaſionem circumſtantia loci, & temporis, quæ

pium

Digitized by Google

pium illud officium vir pius, ac religioſus implevit. Cùm enim in Euangelio legerint, Chriſtum puerum a Simeone in ulnas exceptum eſſe, quo tempore à Parentibus inferretur in Templum, ut Domino ſiſteretur, imprudenter æſtimatum eſt, Simeonem illum ipſum fuiſſe Sacerdotem, qui Chriſtum è Parentum manibus exceptum ſtiterit Deo. Verùm, ſi Euangelium paulò attentiùs lectitaſſent, rem longè alitèr accidiſſe deprenendiſſent, jactatúmque Simeonis Sacerdotium ad fabulas amandaſſent. Enimverò Sacerdotes ſtabant in interiori Templi parte juxta Tabernaculum Domini, ibique pueros è Parentum manibus exceptos Deo ſiſtebant pro munere, & officio ſuo. Simeon autem puerum Jeſum in ulnas excepit, fortuito velut occurſu extra Templum, aut certè ad fores illius: dum nempè in Templum veniens Sanctiſſimus Senex in Chriſti Parentes incurrit, qui eum in Templum inſerebant, ut illic Domino ſiſteretur: *Et venit*, inquit Lucas Cap. 2., *in ſpiritu in Templum: & cum inducerent puerum Jeſum parentes eius, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum*. Quod uſque adeò verum eſt, ut Eccleſia Græca, quæ jam à primis ſæculis pium illum Simeonis actum, quo Chriſtum in ulnas ſuas excepit, & Sacrum Canticum cecinit, ſolemniter colit, hanc ipſam ſolemnitatem *Occurſus Domini ſolemnitatem* appellet, ὑπαπαντος: rata, ſcilicet, id occurſu veluti fortuito factum eſſe. Hinc tot illi apud Eccleſiæ Græcæ Patres Sermones, & Homiliæ *in occurſu Domini*. Unde & Sanctiſſimus Senex, Chriſto in ulnas excepto, Deum quidem benedixiſſe dicitur in Euangelio, non Chriſtum Deo obtuliſſe; quod utique feciſſet, ſi eum uti Sacerdos, & legalis ſanctificationis adminiſter accepiſſet.

Accedit, quòd puerorum oblatio in Templo non fieret, niſi poſtquam illorum Matres legi purgationis ſatisfeciſſent in ſemota Templi parte, præſcriptaque munera obtuliſſent: ante enim id temporis cenſebantur immundæ: *Omne ſanctum non tangebant, nec ingrediebantur in Sanctuarium*, Levit. 12. Simeon autem pium illum, de quo agimus hic, actum exercuit, dùm puerum Jeſum parentes ejus in Templum inducerent: cum nondum illius Mater purgationis legem impleſſet, ſed adhuc pergeret impletura. Actus igitur ille Simeonis ſacerdotalis oblationis actus non erat; quo nempe Sacerdos acceptum è Matris manibus puerum Deo ſiſtebat, offerebatque.

IV. De reliquo Simeonem, non modò Sacerdotale Miniſterium ea in occaſione non obiiſſe, ut vulgus putat, ſed nec Sacerdotem re ipſa fuiſſe, evincit Euangelii, Eccleſiæ, ac Patrum omnium, cum Græcorum, tùm Latinorum ſilentium eloquentiſſimum. Lucas enim Sanctiſſimi Senis elogium adornans varios ejus titulos congerit, tacito tamen Sacerdotio: *Homo erat*, inquit, *in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus expectans redemptionem Iſrael, & Spiritus S. erat in eo*: quamquàm aliis in occaſionibus Sacerdotis titulum, ubi congruit, non modò non prætermittat Lucas, verùm etiam primo loco ponat. Eccleſia etiam, tùm in ſacro præcum officio, tùm in Martirologio ad diem octavam Menſis Octobris, ubi natalem Beati Simeonis ſenis diem conſignat, Sacerdotis dignitatem perinde ſilet; quam tamen, ubi res poſtu-

lat,

lat, diligentiſſimè notat. Eccleſiæ Patres omnes ad unum, cum Sanctiſſimum Senem ab aliis titulis celebrent longè multis, numquam tamen à Sacerdotio commendant. Niſi quis forte obtrudere mihi velit librum *de naturali communione Eſſentiæ Divinæ* S. Athanaſio affictum; librum *de vitis Prophetarum* S. Epiphanio perperam attributum; Homiliam *de Occurſu Domini* S. Cyrillo ſuppoſitam, ubi à Sacerdotio Simeon celebratur. At ſpuriis, & apocryphis monumentis omnium Criticorum aſſenſu rejectis fides nulla eſt, auctoritas nulla.

Unus forſan erit S. Auguſtini Sermo legitimus, nempe 13. de tempore, ſeu Sermo 9. de Nativitate, qui nobis obiici poſſit, ubi ita loquitur Sanctiſſimus Doctor: *In Templo præſentabatur, & à Simeone ſene, annoſo, probato, coronato agnoſcebatur*: quo ultimo epitheto Simeonem *Sacerdotem* ab Auguſtino ſubindicatum aliqui volunt; propterea quòd non alia illius corona intelligi poſſit, niſi Mitra Sacerdotalis. Rideo objectionis ſubtilitatem, quam nunquam ex Cardinalis Toleti cerebro prodiſſe exiſtimaſſem. Eccur quæſo, Auguſtinus Simeonem *Senem probatum, coronatum* appellans, non aliam illius coronam intellexit, niſi Mitram Sacerdotalem? Quis non videat, Auguſtinum ad locum Jacobi Apoſtoli Capite 1. Epiſtolæ Catholicæ alludere: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: adeòque Simeonem *probatum, & coronatum* dicere, non corona ulla temporali, ſeu Sacerdotali, ſeu regia; ſed corona æternæ vitæ, quam *repromiſit Deus diligentibus ſe*. Illud itaque certum, indubitatumque, Patrum neminem à dignitate Sacerdotali Simeonem celebraſſe, commendaſſe. Quo vel uno, quamquam non ſuppeterent alia, commentitia dignitas exſufflatur.

Sed eſt aliud, quod me multò plus moveat: non deeſſe, ſcilicet, Patres, qui eumdem conceptiſſimis verbis *laicum* dixerint: Theophylactus nimirum, & Euthymius mediæ ætatis Scriptores in ſuis in Euangelium Commentariis. Theophylacti verba ſunt Enarratione in Cap. 2. Lucæ: *Non erat Simeon Sacerdos, ſed homo Deum amans, & expectans, quando veniat Chriſtus conſolaturus Hebræos*. Euthymii verò in quatuor Euangelia Cap. 3. de Simeone. *Spiritus S. erat ſuper eum: Spiritus S. prophetiæ. Non erat autem Sacerdos, ut mihi interim videtur: aliàs enim & hoc omninò manifeſtaſſet Euangeliſta tamquam magnam viri dignitatem*. Quibus ſubinde ſunt ſuffragati Janſenius, Parradius, Tillemontius, aliique non pauci, qui Laicum diſtinctè docuerunt, & commentitium Sacerdotis titulum data opera impugnarunt.

Quapropter quod apud Lucam legimus Cap. 2. v. 24., Simeonem illum Chriſti Parentibus *benedixiſſe*; non de benedictione Sacerdotali, ſed de laicali venit intelligendum: qua nimirum Seniores, Patres familias, Reges, Judices, Duces, aliave dignitate præſtantes viri, tametſi laici, ſoliti erant in veteri Teſtamento aliis benedicere: cujus rei exempla ſexcenta dere facilè fuerit. Satiſque mirari non poſſum, tam futili momento Interpretes aliquos uſos eſſe, ut Simeonem Sacerdotem fuiſſe nobis evincerent. Quaſi verò Sacerdotes fuerint quoquot in veteri Teſtamento

aliis

aliis benedixiſſe leguntur. Aut aliud eæ benedictiones fuerint, quàm bonæ præcationes, quibus proſpera quæque aliis obventura etiam laici precabantur, aut etiam ſpondebant, ac promittebant, ſi prophetiæ dono illuſtres eſſent?

V. Alteram de Simeone iſto vulgatam à pleriſque fabellam non moror: huic, ſcilicet, præ ſenio luminibus orbato videndi facultatem, Chriſto in ulnas excepto, derepentè fuiſſe reſtitutam. Ruit ſe ipſa malè conſuta fabella. Si enim, quod illi putant, non modò Sacerdos erat Sanctiſſimus Senex, verùm etiam ſacerdotale miniſterium obibat; quomodò cæcus erat; cum ſinè oculorum uſu ſacrum miniſterium obire non potuiſſet? Ut ſileam, ex præſcripto Moſaicæ legis, & cœcos, & claudos, & gibbos, & quovis alio membro minutos, aut deformes ab Altaris miniſterio fuiſſe ſubmotos. Fabulam malè conſutam, ac ſe ipſa ruentem evertit inſuper, & Lucæ, & Patrum omnium ſilentium, qui rem adeò prodigialem, quæque ad Chriſti, & Simeonis gloriam cederet maximè, non utique omiſiſſent, ſi, uti fingitur, accidiſſet: quemadmodum reſtitutam Zachariæ Joannis Baptiſtæ parenti loquendi facultatem, nato, ac circumciſo filio, non ſiluere; quòd id ad utriuſque gloriam commendandam conduceret maximè.

VI. Paris futilitatis eſt, quæ de Virgine purgationis officium implente à pleriſque jactatur fabula. Eam, ſcilicèt, non unà ſimul cum mulieribus virum paſſis in Templo præcari voluiſſe, ſed altero in loco virginibus ad orationem deſtinato: qua de re, cum ſcandalum Judæi paterentur, eamque loco pellere tentaſſent, Zachariam Joannis parentem Sacerdotis vices agentem partes illius ſuſcepiſſe, ibidemque manere, atque præcari juſſiſſe; quòd illam, & Dei Matrem, & Virginem probè ſciret. Quæ demum cauſa fuerit, cur à Judæis Templum inter, & Altare per livorem, atque invidiam ſit occiſus: de quo idcircò à Domino dictum ſit Matth. 23. v. 35. *Veniet ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum, & Altare.*

Vix ulla melioribus titulis gloriatur fabula. Id quippe concordi narratione referunt Origenes Tract. 26. in Matthæum, S. Gregorius Nyſſenus Oratione de Chriſti Nativitate, S. Baſilius Homil. de humana Chriſti generatione, S. Cyrillus Alexandrinus Tractatu adverſus Antropomorphitas; (ſi tamen Cyrilli verè eſt, ac non potiùs audacioris plagiarii, qui Gregorii Nyſſeni Orationem exſcripſit) ut ſileam magna Græcorum Menæa ad diem 5. Septembris. Fabula tamen eſt, *ex Apocryphorum ſomniis derivata*, ut admonet Hieronymus in Cap. 24. Matthæi, *eademque facilitate contemnitur, qua profertur*. Nec eam laudati Patres ſuffragio ſuo probant; (ne te Sanctorum virorum auctoritas moveat) ſed tanquam in ore vulgi poſitam referunt; cui, nec ipſi fidem adjungunt, nec ab aliis adjungi volunt. Hinc Origenes, à quo primùm popularis traditionis nomine narrata eſt: *Venit ad nos*, inquit, *quædam traditio talis, &c.* tùm ea recitata ſubjungit: *Sunt tamen, qui hujuſmodi traditioni non credunt*, non ſtomachatur. Ecquis verò credat vel mediocriter ſapiens, quæ tam patenter Virginis mode-

modeſtiæ, humilitati, ac prudentiæ repugnant? Implebat enim tunc Virgo Mater præſcriptum à lege purgationis officium, quæ puerperis virum paſſi, ſeu *ſuſcepto ſemine* parientibus indicta erat: quia tametſi ea lege ſummo jure non teneretur, cùm nec virum concipiendo paſſa eſſet, nec ſuſcepto ſemine Chriſtum eſſet enixa; ſervari tamen legem illam expediebat, ut virginei partus Myſterium, quod in ea peractum erat, ad certum ſaltem tempus maneret occultum. Quid porrò tam imprudens, tam a vera modeſtia, & humilitate alienum, quam ſeipſam palam in Templo Virginem prodere, Virginum ſtationem affectare, ambire, occupare: Myſterium, quod interim Deus mortalibus vellet occultum, Judæis undecumque confluentibus prodere; idemque, effuſo etiam Zachariæ ſanguine, publicè conteſtari? Abſit, ut Virginem eo probro honoremus, dum illius honori conſultum volumus.

Nihil hìc ad fabulam exſufflandam quærere juvat, quo mortis genere vitam finierit Zacharias? Sit ne Templum inter, & Altare à Judæis occiſus? Illiuſne, an alterius meminerit Chriſtus, dum Juſtorum omnium ſanguinem ſuper Judæos venturum comminatur, *à ſanguine Abel juſti, ad ſanguinem Zachariæ Filii Barachiæ*? Qua de re quantùm digladientur Scripturarum Interpretes, nemo neſcit. Hoc dico tantùm, quod præſentis eſt inſtituti; mortis ejus cauſam eam eſſe non poſſe, quæ à nugivendis obtenditur, quòd Mariam purgationis officio defunctam Virginem peperiſſe palam aſſereret, & contra Judæorum obmurmurationes, eamdem è Virginum ſtatione depellere adnitentium auctoritate defenderet. Quandoquidem Divinæ, ac virgineæ fœcunditatis Myſterium nondum mortalibus reſeratum ignorabat ipſe; aut ſi fortè peculiari quodam afflatu noverat, nondum tamen Judæis propalandum eſſe ſciebat; imò, ne Judæis tunc innoteſceret, purgationis officium impleri, probè noverat. Alteram illatæ necis cauſam retulit S. Petrus Alexandrinus in Regulis Eccleſiaſticis à quinta Synodo OEcumenica probatis: Joannem, ſcilicèt, puerulum ab Herode quæſitum ad necem, illius furori pia parentis cura ſubductum; de quo pleniùs, ubi de Herodiana puerorum cæde, dicemus. Alii placida morte ſublatum Zachariam exiſtimant, nihil ut certi ea in re ſtatui poſſit, quàm non fuiſſe illum Marianæ virginitatis martyrem, nec pro ea tuenda, probandaque Judæorum ferro occubuiſſe.

VII. Supervacaneam arbitror alteriùs næniæ confutationem, quæ Chriſti parentes duos pullos columbarum pro more pauperum obtuliſſe, ait, *ſtudio humilitatis, ac paupertatis*; quamquàm Magorum muneribus aucti agnum anniculum pro more divitum offerre commodè potuiſſent. Ipſa ſui levitate nænia diſſipatur: quę Magos, contra quod jam oſtendimus, Reges fuiſſe ponit, qui Chriſtum adoratum, illiuſque parentes opibus auxerint: Quodque ineptum magis, ne dicam impium, ut Chriſti parentes præbeat humiles, facit irreligioſos, & legis Moſaicæ violatores. Non enim in parentum arbitrio poſitum erat, quod mallent pro nata prole donum offerre, pauperumque, ni tales eſſent, conditionem affectare: ſed ſua quibuſque dona pro ſtatu, & conditione ex lege præſcripta erant: iique dumtaxat duobus columbarum pullis defungebantur, qui pro cen-

ſus

ſus tenuitate agnum offerre non poſſent. Levit. 12. *Quòd ſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, aut duos pullos columbarum.* In legem itaque Moyſis peccaſſent haud dubiè Chriſti Parentes, ſi, cum commodè poſſent agnum, duos dumtaxat columbarum pullos, aut duos turtures obtuliſſent. Hac porrò pauperum oblatione defunctos fuiſſe Chriſti parentes, disertè teſtatur Lucas; *Tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino..... & ut darent hoſtiam, ſecundùm quòd dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Haud alia certè de cauſa, quàm quod ita res illis eſſet anguſta domi, ut agnum offerre non poſſent.

EXERCITATIO XXXVIII.

De fuga in Ægyptum.

I. DE Herodiana puerorum Bethleemiticorum cæde proxima Exercitatione dicturus, nonnulla de Joſephi cum Puerulo Jeſu, & Maria conjuge fuga in Ægyptum arrepta præmittere cogor: per hanc enim Chriſtus Dominus Herodis furori ſubductus eſt. Tria illius occaſione ſeſe offerunt expendenda, quæ viros etiam ſummos in diverſas ſententias adduxerunt. 1. Quandonam, & undenam Joſeph fugam arripuerit? 2. Quantùm temporis in Ægypto ſint commorati? 3. Quæ portenta, atque prodigia in Ægypto patrata ſint, dum illuc pervenere? Mirum enim, quam multa jactentur.

II. Hìc autem, ne in ipſo limine impingamus, illud principii loco ponendum eſt: Divinum mandatum Joſepho in ſomnis ab Angelo denunciatum, ut fugeret in Ægyptum, hiſque verbis apud Matthæum Cap. 2. expreſſum: *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſt ibi, uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Mandatum, inquam, illud Joſepho dumtaxat datum eſſe, poſtquam Jeroſolymis purificationis, & oblationis officio defuncti ſunt. Si enim ante id temporis datum eſſet: cum Joſeph confeſtim, atque hac ipſa nocte conſurgens, ut ait Evangeliſta ſeceſſerit in Ægyptum, ubi & aliquandiu ſubſtitit: nullus illi, illiuſque conjugi relictus fuiſſet locus implendi Jeroſolymis purificationis officii; quod tamen die poſt partum quadrageſimo peractum eſſe, certiſſimum eſt. Hoc primum ſinè dubitatione ponendum.

Accedit alterum nihil minùs indubitatum: peracto purgationis officio, Joſephum unà cum puero Jeſu, & ſacra Conjuge in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth, ubi fixam habitationem habebant, perrexiſſe. Diſertiſſima ſunt Lucæ Verba Cap. 2. *Ut autem perfecerunt omnia ſecundùm legem Moyſi, reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth*. Ubi verba hæc *ut perfecerunt, reverſi ſunt* denotant, illos reverſos eſſe ſtatim, atque perfecta ſunt hæc.

Hinc neceſſaria conſecutione deduco, mandatum fugæ arripiendæ Joſepho datum fuiſſe Nazarethi; illumque ex Nazaretho fugam re ipſa arripuiſſe; non ex Bethleemo, ut multis viſum eſt; multò minùs ex Jeroſolymis, ut aliquibus placuit. Non, inquam, ex Bethleemo fugam arripuit: quia ante purificationem, dum degerent Bethleemi, nondum fugiendi mandatum acceperat, ut palam oſtendi: poſt purificationem autem non ultra Bethleemum ſunt reverſi, ſed Nazarethum in Galilæam, ut ſcribit Lucas. Nec etiam ex Jeroſolymis fugam arripuere in Ægyptum, cum inde non Ægyptum, ſed Nazarethum abierint; nullo adhuc fugiendi accepto mandato.

III. Duo

III. Duo tamen ſunt, quæ huic noſtræ ſententiæ genuinum videntur infringere. Primum, quòd Matthæus Cap. 2. mandatum Joſepho datum de fuga arripienda recenſeat ſtatim poſt diſceſſum Magorum: *Qui cum receſſiſſent*, inquit ille, *ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: ſurge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Cum itaque adorationis officium Bethleemi impleverint Magi; conſequens & illud videtur, ut & Bethleemi datum fuerit Joſepho mandatum aufugiendi in Ægyptum. Grave id fateor, nec diſſimulo; verùm, ſi id conſequens eſſet, potiori longè jure ſequeretur, datum fuiſſe fugæ mandatum ſtatim, atque receſſere Magi, atque ita ante purificationem: ii enim aliquantò ante purificationem adorationis officio defuncti fuerant. Quod tamen nemo non videt eſſe falſiſſimum: ſic enim, Joſepho hac ipſa nocte ſuſcepti mandati in Ægyptum aufugiente, purificatio Jeroſolymis impleta non eſſet. Quid ergo, hæret hic nobis aqua? Minimè verò. Sed Auguſtino duce periculum devitamus. Obſervat ſiquidem Sanctiſſimus Doctor lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, Sacros Scriptores res plerùmque diverſo tempore, & loco peractas eadem narratione, eodemque ſermonis contextu recitare: dum, videlicet, quæ intermedio tempore geſta ſunt, certis de cauſis ſilentio mittenda putant. Cum itaque Matthæus totum Virginis purificatæ, & Chriſti Jeſus in Templo oblati Myſterium ſilentio prætermiſerit, & Lucæ narrandum reliquerit; nihil profectò mirum, ſi ſtatim, narrata Magorum adoratione, illorumque diſceſſu, mandatum Joſepho de fuga in Ægyptum maturanda ab Angelo denunciatum recitaverit: ut ſubinde imperatam ab Herode puerorum ſtragem à Luca prætermiſſam deſcriberet. Non quòd illa duo eodem tempore, eodemque loco contigerint.

Alterum, quod ſtatutæ ſententiæ repugnare videatur, iſtud eſt: quòd, ſi Nazarethi in Galilæa ſubſtitiſſet Joſephus unà cum familia ſua, dum illi aufugiendi mandatum denunciatum eſt, nulla illius neceſſitas extitiſſet. Idcircò enim juſſus eſt Joſephus fugere in Ægyptum quia *futurum erat, ut Herodes puerum quæreret ad perdendum eum*: at illum non quæſivit Herodes ad necem in Galilæa, ſed *in Bethleem, & in omnibus finibus ejus*, ubi pueros bimulos juſſit occidi: nulla ergo fuiſſet aufugiendi neceſſitas. Quaſi verò? Quidni ergo pari ratione dicamus, (etſi tunc Bethleemi Joſephus ſubſtitiſſe fingatur,) nihil fuiſſe neceſſe, ut fugeret in Ægyptum regionem longinquam; cum ſimpliciter extra Bethleemum aufugiens, illiuſque fines, Herodis furorem evaſiſſet; qui Bethleemi dumtaxat, & in finibus ejus, pueros juſſit occidi? Idcircò ergo in Ægyptum cum puero Jeſu fugere juſſus eſt, quia non ſola puerorum Bethlemiticorum ſtrage, quæ Bethleemi fines non exceſſit: ſed aliis quibuſque modis, & artibus nati pueri vitæ inſidiatus eſt Herodes, quacumque pateret ejus imperium; nec ipſe ſolus, ſed & unà cum illo Sacerdotes, & Scribæ, ut obſervat D. Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Matthæum. Idcircò extra fines dominationis, & poteſtatis Herodis aufugere juſſus eſt Joſeph; atque in Ægyptum ſeſe recipere, ubi nihil Herodes auctoritatis, & poteſtatis haberet. Non enim in Judæa dumtaxat, ſed & in Galilæa dominabitur Herodes

Digitized by Google

rodes Magnus, qui Regnum tunc Judæorum integrum obtinebat. Illius quippe diſciſſio; atque diviſio in quatuor partes, ac Tetrarchias poſt Herodis dumtaxat obitum facta eſt: in Judæam, ſcilicet, proprii nominis dictam, (quæ Jeroſolymam, ac loca finitima complectabatur; Samariam, & Idumæam, quæ pars data eſt Archelao, & Filio ejus; Galilæam, quæ data eſt alteri Herodi cognomento Antipæ; Ituream, & Traconitidem, quæ Philippo conceſſa fuit; Abilinam demum, quæ Lyſaniæ ceſſit in ſortem: ut ex Lucæ Euangelio Cap. 3. colligere eſt, & ex Joſepho lib. 10. Antiq. Cap. 10.

IV. Conſultò ergo in Ægyptum extra ditionem Herodis aufugere cum tota familia juſſus eſt Joſeph. Quantum autem temporis eorum illic commoratio tenuerit, non infima quæſtio eſt. Hanc ego commorationem, longè quàm vulgus putat, breviorem fuiſſe perſuaſum habeo: mirorque vehementiùs Scripturarum Interpretes, alios quidem ad annum quintum, alios ad ſeptimum, alios ad nonum eamdem illam protraxiſſe; quæ, ſi quid ſapio, vix annum integrum tenuit. Id ex Euangelio colligo cum Flavii Joſephi Hiſtoria collato. Ita quippe Matthæus habet poſt narratam puerorum Bethleemiticorum ſtragem: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto dicens: ſurge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri; qui conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael.* Quod idem compendio dixerat v. 15. *Erat ibi* (in Ægypto) *uſque ad obitum Herodis.* Porrò Herodes hoc ipſo anno, quo ſtragem puerorum edixit, & filium ſuum Antipatrum jam diu carcere detentum juſſit interfici, miſera tabe confectus eſt ſub Paſchatis feſtum, ut ſcribit Joſephus lib. 16. Antiquitatum: adeòque tertio vix Menſe poſt fugam Joſephi in Ægyptum, quæ ſub medium Februarii ſuſcepta fuerat. Quid ergo Joſephi in Ægypto commorationem ultra annum protrahamus? Sed etſi daremus, reverſionis mandatum, quod Joſeph impiger obiit, non illicò, ac ſtatim atque Herodes extinctus eſt: fuiſſe illi ab Angelo denunciatum; ſed tunc tantùm, dum Archelaus defuncto Herodi parenti ſuo ſucceſſit in Regno Judææ; propterea quòd ſubjungit Matthæus: *Audiens autem Joſeph, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire, & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ:* idem perinde colligeremus. Cum enim Archelaus poſt ſex circiter Menſes patri ſuo Herodi ſucceſſerit in Regno Judææ; (quod tamen ſub Tetrarchiæ dumtaxat titulo obtinuit ab Auguſto) quid ultra annum Joſephi in Ægypto commoratio protrahatur? Quandoquidem defuncto Herode, & Archelao Judææ Regnum auſpicante reverſus eſt.

V. Sed ad graviora nos vocat ea Chriſti Domini, qualiſcumque fuerit, in Ægypto commoratio; ad prodigiorum nimirum examen, quæ in ejus in terram illam acceſſu, factaque ibidem commoratione patrata dicuntur. Sunt hæc numero multa, ac planè ſtupenda à Cardinali Baronio publicata, & propugnata; quæ idcircò accuratiori inquiſitione noſtra indigeant, atque cenſura. Primum illud, potiſſimumque commemoratur, multa ſimul, ac ſtupenda complexum: falſorum Numinum ſimulacra,

ſimulacra, quibus Ægyptus Idololatriæ ſedes abundabat, Chriſto puero adventante, derepentè corruiſſe. Quod ab Iſaja diu antea prænunciatum exiſtimat. Cap. 19. ſcribente: *Ecce Dominus aſcendet ſupra nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur Simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus*. Facti teſtes, qui rem totam diſtinctè, ac dilucidè referant, duos profert Scriptor Eminentiſſimus, Sozomenum, & Evagrium: cæteri quippe ab eodem producti, tantùm abeſt, ut facta in Ægypto referant, ut negent potiùs, deſtruantque. Sozomeni hæc verba ſunt lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 21. *Memorant arborem eſſe, quæ Perſis dicitur, Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cujus fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum eſt, Joſeph cum propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria Sancta Deipara fugiſſet, veniſſe Hermopolim; atque ſimul ut portæ appropinquavit, ſtatim arborem, licè planè maximam, adventu Chriſti turbatam eſſe, atque ad ſolum uſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audivi, à me commemorata ſunt. Quæ quidem, ſi quid ego judico, vel ſignificabat jam Chriſtum in Urbe adeſſe, vel, ut eſt veriſimile, non modò arborem, quam incolæ propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, Dæmone jam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum everſorem, qui in eo loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſpontè commotam eſſe: verùm etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, adventante tum Chriſto, juxta prophetiam Iſajæ concuſſas. Itaque, Dæmone inde abacto, arbor, quò rei geſtæ teſtimonium eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberavit. Atque ut Ægyptii, & Palæſtini iſtarum rerum, ſic alii ſinguli aliarum, quæ apud ipſos geſtæ ſunt, teſtes locupletes exiſtunt*. Subſcribit, preſſiùs licèt, & compendioſiùs Evagrius in Vitis Patrum lib. 2. Cap. 7. *Vidimus, & alium Sanctum virum nomine Appollonium apud Thebaidam in finibus Hermopolis, ad quam Civitatem Salvatorem cum Maria, & Joſeph de Judææ finibus veniße tradunt ſecundùm prophetiam Iſajæ: vidimus ergo ibi, & Templum ipſum, in quod, ingreſſo Salvatore, corruiſſe omnia Idola in terram, & comminuta eſſe memorabantur*.

At qui, quæſo, iſti ſunt, qui rerum adeò prodigialium, annis ante illorum ætatem circiter quingentis patratarum, fidem nobis integram faciant? Aut quis illis Divinus afflatus affulſit, ut nullo præeunte Veterum teſtimonio, atque ſuffragio patrata, Chriſto vix nato, prodigia, atque portenta noverint, referantque? Ut ſileam, ne certa quidem, atque indubia fide patrata prodigia ab utroque narrari; ſed ex obſcura neſcio qua traditione, cujus & fontem ignorent, aliorumque narratione: *Memorant*, inquiunt, *tradunt*, *traditum eſt*. Quod autem de Iſajæ Oraculo, & ipſi, & Baronius innuunt, quaſi eam Ægyptiorum Simulacrorum everſionem prænunciaverit citato Capite 19., futiliſſimum eſt. Aliò enim animum intendit Propheta Sanctiſſimus, ſeu nativum, propriumque verborum ſenſum attenderis, ſeu etiam allegoricum. Priori quippe ſenſu id ſibi vult unum, Deum verum, ultoremque ſcelerum, veloci, celerique impetu, Aſſyriorum exercitu concitato, ingreſſurum, ac vaſtaturum Ægyptum, Fana illius direpturum, eademque Diis aureis, atque argenteis ſpoliaturum. Quod à Sennacherib, & à Nabuchodonozor impletum

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, notiſſimum eſt. Altero ſenſu hoc innuit alterum: Deum in utero Virginis tanquam in nube levi Mundum hunc aliquando ingreſſurum, & Idololatriam longè latèque diffuſam eliminaturum, deleturum. Quæ certa Patrum interpretatio eſt; maximè verò Hieronymi: *Juxta tropologiam, aſcendit Dominus ſupra nubem levem, corpus Sanctæ Virginis Mariæ, quod nullo humani ſeminis pondere prægravatum eſt: vel certè corpus ſuum, quod de Spiritu Sancto conceptum eſt, & ingreſſus eſt in Ægyptum hujus Mundi: ſtatimque omnia Ægypti Simulacra cõmota ſunt: ita ut divinationes, & univerſa fraus Idololatriæ, quæ deceptum poſſidebat Orbem, ſe fractam eſſe ſentiret*: nempe ſucceſſu temporis, & beneficio prædicationis Euangelicæ. Nihil hic, ſi priorem ſenſum ſpectes, de pueri Jeſu Herodis ſævitiam effugientis in Ægyptum ingreſſu: nihil, ſi ſpectes alterum de peculiari Simulacrorum Ægyptiorum everſione, dum illuc puer Jeſus ingreſſus eſt.

VI. Cæteri à Baronio producti teſtes Simulacrorum, puero Jeſu in Ægyptum ingrediente, everſorum, tantùm abeſt, ut patrata prodigia referant, ut potiùs apertiſſimè negent. Euſebius enim lib. 6. Demonſtrationis Euangelicæ Cap. 20. memoratam Iſajæ prophetiam expendens juxta Aquilæ Verſionem, priorem dumtaxat illius partem, quæ futurum Domini ingreſſum in Ægyptum portendebat, *ad verbum exitum ſortitam eſſe* docet: alteram autem, quæ commota, everſaque Simulacra prænunciabat, non item: *Scriptura dixit*, inquit ille, *ecce Dominus aſcendit ſuper craſſitudinem, & venit in Ægyptum: craſſitudinem levem corpus de Spiritu Sancto conceptum appellans. Igitur etiam ipſa hæc Prophetiæ particula ad verbum exitum ſortita eſt, quo tempore Angelus Domini in ſomnis viſus ipſi Joſeph dixit: ſurgens accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, donec dicam tibi. Tunc igitur ipſe Dominus Deus Verbum puerilem ætatem ingreſſus, & ſuo corpori, quod ex Sancta Virgine acceperat, conjunctus in terra Ægyptiorum diverſatus*. At ſi, quod jactatur, everſorum Simulacrorum prodigium re ipſa contigiſſet, utraque prophetiæ pars *ad verbum* tunc temporis exitum habuiſſet, uti profectò Baronius exiſtimat: non itaque Euſebio judice commota tunc ſunt, everſaque Ægyptriaca Simulacra. Subjungit idem Euſebius, Dæmones quidem in Simulacris latitantes, Chriſto in Ægyptum ingreſſo, novam quamdam, Divinamque virtutem ad ſe accedentem noviſſe; adeòque fuiſſe commotos, perturbatos, atque convictos; *intrinſecùs* tamen, & *inviſibiliter*: non ita tamen externè, apertè, ac manifeſtè, niſi ubi cœpit à Chriſto, & Apoſtolis Euangelium prædicari. Non itaque manufacta ipſa Dæmonum Simulacra tunc primùm commota, everſaque ſunt, Chriſto puero Ægyptum ſubeunte: quæ ſanè externa, apertaque Dæmonum commotio, & perturbatio fuiſſet. *Si, qui priùs incolebant Ægyptum*, Euſebii verba ſunt loco laudato, *vitioſi, pravique Dæmones per multa ſæcula in Simulacris latitantes, animaſque Ægyptiorum omni ſuperſtitionis errori addicentes, ac ſubjicientes, cum ſenſiſſent novam quamdam, Divinamque virtutem ad ſe acceſſiſſe, illicò commoti ſunt, & fluctuationem, ac perturbationem in ſe ipſis pertulerunt, corque ipſorum, & vis intelligendi intrinſecùs in ipſis convicta ſunt, ceſſeruntque, ac fugata ſunt ab ea virtute, quæ viſum effugiens, illos compellebat, & ignis inſtar ineffabili quadam ratione adurebat. Et tunc qui-*

dem

dem inviſibiliter Dæmones talia paſſi ſunt; cum Salvator noſter Jeſus Chriſtus in Ægyptum cum viſibili corpore pervenit. At verò poſtquam plenè ipſius Euangelium ad Ægyptios, ſicut ad reliquas gentes perlatum eſt, &c.

Haud alia Divo Athanaſio mens ſtetit, quem alterum everſorum in Ægypto Simulacrorum teſtem Baronius adhibet. Deum enim lib. de Incarnatione Verbi, ejuſque corporali in nos adventu ſcribit: *Qui juſtorum, aut Regum in Ægyptum deſcendit, & ejus deſcenſu Idola in Ægypto ceciderunt? Abraham deſcendit, nihilo tamen minùs Idololatria ubique viguit. Natus eſt ibi Moyſes, æquè tamen illic baſit religionis error:* Et poſt pauca: *Certè eam in Judæa naſceretur, Perſæ adoratum venere. Hic eſt, qui antequam in humana ſpecie appareret, de adverſariis Dæmonibus victoriam, & de Idololatria triumphum reportavit. Nam quotquot ubique ſunt gentes, ejurantes patrium ritum, & Idolorum impietatem, ſuam jam in Chriſtum ſpem conſtituunt, eique ſua nomina dant, ut etiam vel ipſis oculis deprehendere licet. Alioquin Ægyptiorum ſuperſtitio non quievиſſet, niſi Dominus omnium in corpore quaſi in nube vectus eò deſcendiſſet, & Idolorum errores compeſcuiſſet omnes, in ſe, & per ſe ad Patrem transferens.* Dum, inquam, hæc ſcribit Athanaſius, à proprio ad figuratum ſenſum divertit, Ægyptique nomine Mundum univerſum per tropologiam intelligit, juxta celebre Tertulliani dictum lib. contra Judæos Cap. 9. *Ægyptus totus Orbis intelligitur ſuperſtitionis, & maledictionis elogio:* cujus Idololatrica ſuperſtitio Chriſti adventu; ſeu Incarnatione paulatim ſublata eſt: non peculiari illo ſuo in terram Ægypti acceſſu, dum Herodis ſævitiam effugeret. Quod perinde ſignificatum voluit Auctor Homiliæ 3. in diverſa Euangelii loca apud Origenem, dum Angelicum monitum Joſepho datum Oratoris in morem ita paraphraſticòs explicat: *Fuge in Ægyptum propterea, ut deſtruantur manufacta eorum, ut confringantur, & pereant Idola ipſorum: propterea, ut Dæmones turbentur, ut Regum fabricæ in Idolis deſtruantur, ut fiat in adventu Domini fugitivorum ſervorum, atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, ut impleas, quæ dicta ſunt: ecce Dominus ſedet in nube puſilla, & veniet in Ægyptum, & commovebuntur omnia manufacta Ægypti..... Fuge in Ægyptum, ut fugiant de Ægypto, qui ibi ſunt Dæmones, & appropient ibidem Angeli Sancti, qui Deum conſequuntur, qui Sanctis junguntur: ut pro multitudine Templorũ, atque abominationũ multarũ multitudo exuperet Eccleſiarum: pro Idolorum turbis; turba abundent fideliũ, atque colentiũm Dominũ: pro vitiis, & erroribus multis, multa caſtitas, multaque Sanctitas ſuperabundet, multaque virginitas.*

Hanc unam utriuſque, cum Athanaſii, tum Pſeudo-Origenis mentem eſſe, quam diximus, eoſque à Baronii commento procul abfuiſſe, duo certò demonſtrant. Primò, quia Idololatriam ex integro depulſam, univerſaque Simulacra, Idolaque planè omnia, Chriſto in hanc Ægyptum ingreſſo, concuſſa, everſaque dicunt: cum tamen Baronius, & quotquot cum illo corruentium ad Chriſti adventum Ægyptiacorum Simulacrorum commentum adſtruunt, non omnia illa, ſed illorum dumtaxat aliqua corruiſſe contendant: *Non omnia, quæ tunc erant in Ægypto, corruerunt Simulacra; ſed de his aliqua*, inquit Baronius; idque prudenter, & cautè. Nam Ægypti Idololatriam, illiuſque Fana, ac Simulacra ad annum Chriſti 389. perennaſſe, Auctor eſt Baronius ipſe, qui Canapi,

Iſidis,

Iſidis, Serapidis templa tunc demum à Theodoſio Imperatore everſa fuſè; latèque deſcribit in Annalibus. Athanaſius igitur, & Pſeudo-Origenes, Mundum figuratam Ægyptum intellexere, cujus Idololatriam Chriſtus Incarnatione ſua, ſuoque in hunc Mundum adventu depulit, profligavit, eliminavit. Secundò hoc idem evincit, quia Pſeudo-Origenes, (qui peculiarem Ægyptum, quò Chriſtus aufugit, videtur intellexiſſe) non modò Chriſti in Ægyptum acceſſu procuratam, ſcribit, integram Idololatriæ everſionem, ſed ſublimiorem Sanctitatem, pietatem, ac religionem illùc invectam dicit. At nemo eſt, qui ſublimem illam ſanctitatem, pietatem, ac religionem ex tunc à Chriſto in Ægyptum inductam ſibi fingat: id enim tertio dumtaxat ſæculo geſtum eſt, dum Ægypti deſerta loca tot Religioſorum, ac Virginum agmina occupabant; *Ægyptuſque tota imago erat Cæli, imò totius Mundi templum*, ut loquitur Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei Cap. 14. Igitur quòd everſam, Chriſto Ægyptum ſubeunte, Idololatriam dixerit Pſeudo-Origenes, non ex tunc factum, impletumque debet intelligi externa Simulacrorum everſione; ſed ſuo ſubinde tempore, Chriſti Domini operante virtute.

VII. De reliquo, quamquam prodigialem illam Simulacrorum everſionem, Chriſto in Ægyptum aufugiente, factam rejiciam, ac refellam; non ideò tamen cætera prodigia, ſi qua fortè infanti Jeſu à Patribus tribuuntur, inficiari omninò velim; quæ Caſauboni, aliorumque Proteſtantium audacia eſt ea ſola ratione, quòd Chriſtum *initium ſignorum*, ſeu miraculorum feciſſe dicatur Joan. 2. *in Cana Galilaæ*; dum vocatus ad nuptias aquam vertit in vinum. Pari quippe titulo alia quæque in Euangelio narrata miracula rejicienda forent, aut certè miraculi loco habendum non eſſet, quòd de Virgine natus ſit; quòd ejus ortus fuerit ab Angelo paſtoribus denunciatur; quòd ſtella duce, viamque monſtrante, ab Oriente ad illius cunas advenerint Magi; quòd annorum dumtaxat duodecim factus, nulliſque ſtudio litteris comparatis, Synagogæ Doctores quæſitis; atque reſponſis in admirationem traxerit; quòd, illo demum in Jordane baptizato, Cœlum ſit apertum, voxque Æterni Patris audita. Hæc enim omnia ante celebratas in Cana nuptias contigere.

Quòd itaque *initium ſignorum in Cana Galilaæ* ſit factum; nullumque à Jeſu infante miraculum fuerit editum; (quæ Patrum quorumdam, ac ipſius Divi Thomæ aſſertio fuit, in Cap. 2. Joannis) accipiendum id eſt de miraculis diſtincta voce, imperioque ſub ſenſum cadente patratis, qualia certè nulla ante ſuſceptum publicum miniſterium à Chriſto Jeſu peracta ſunt: non de iis, quæ occulta, ſecretiori virtute patrata fuere. Ut ſileam, Div. Joannem Chryſoſtomum Hom. 22. in Joannem, Theophylum, Euthymium celebratum illud Euangelii dictum, *hoc fecit initium ſignorum Jeſu in Cana Galilaæ* ſic accipere, ut non omnium ubivis geſtorum prodigiorum initium fuerit; ſed eorum dumtaxat, quæ in Cana peracta ſunt. Quorcirca ſtudioſam Juventutem monere juvat: librum *de Infantia Salvatoris*, non idcircò à Gelaſio Summo Pontifice confixum eſſe, quòd miracula a Jeſu infante edita dixerit; ſed quòd qualiumcumque miraculorũ ineptam, inſulſamque farraginem, teſte nullo, auctore nullo venditarit.

EXER-

EXERCITATIO XXXIX.

De puerorum cæde ab Herode Rege imperata.

I. MYſterii Chriſti naſcentis, & à Magis adorati appendix potiſſima eſt horrenda illa puerorum ſtrages, quæ ab Herode edicta fuit, eoque conſilio, ut Chriſtum, quem natum Judæorum Regem inaudiverat, in ipſis incunabulis de medio tolleret. Quare, explicata Chriſti nativitate, ejuſdemque adoratione à Magis peracta, reliquum eſt, ut de illa puerorum cæde nonnihil adjiciamus. Hanc hiſce verbis Matthæus enarrat Cap.2. *Videns Herodes quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Mirum priſcos Hiſtoriæ Herodianæ Scriptores, Nicolaum Damaſcenum, Flavium Joſephum de ſtrage adeò terra, atque horrenda, quæque publici facti res erat, nihil planè ſuis libris inſerviſſe. Maximè cùm Joſephus ingentia Herodis ſcelera, intentatas filiorum ſuorum cædes non ſiluerit. Hujus tamen horrendæ carnificinæ mentionem ingerit Macrobius Scriptor Ethnicus lib. 2. Saturnalium Cap. 4., cujus ſuffragium apud Gentiles ſaltem integram fidem faciet. Nobis ſatis, ſuperque Matthæi auctoritas eſt.

Cædis hujus explicandæ cauſa, quatuor pro ſuſcepto munere inveſtigabimus. 1. Quo tempore indicta fuerit ab Herode? 2. Quotus fuerit puerorum occiſorum numerus? 3. An eo quoque numero cenſendus veniat Herodis ipſius filius bimulus: numine Joannes ipſe fuerit etiam tunc quæſitus ad necem? 4. demum, an pueri Bethleemitæ impio ferro ſublati veri Chriſti Martyres ſint habendi.

II. Fuere enimverò non pauci, qui eam puerorum ſtragem ab Herode indictam dixerint biennio dumtaxat poſt diem Chriſti natalitium; eo maximè fundamento nixi, quòd pueros illos occidi juſſerit Herodes, *à bimatu, & infra ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*: quaſi biennio dumtaxat, poſtquam ſtella Magis primùm conſpicua facta eſt, occiſi ſint parvuli. Atque illi quidem, quibus ita viſum eſt, in duas æquis fermè partibus ſententias abeunt. Alii, quorum princeps eſt Divus Epiphanius hæreſi 51.; cædem ad biennium dilatam idcircò putant, quòd Magos nonniſi biennio poſt Chriſti natalem diem Bethleemum adventaſſe ſibi fingant: contra quos, ſatis opinor, in ſuperioribus diſputavimus, ubi Magorum adventum ad diem 26., aut 27. Januarii fiximus. Alii ex adverſo, quos ducit Euſebius lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap.8., cum Magos non longè poſt Chriſti natalem diem adventaſſe concedant, dilatam tamen ab Herode puerorum cædem exiſtimant ad biennium uſque: tùm quòd ille

variorum criminum accuſatus apud Cæſarem Romam pergere coactus eſſet, ut objecta dilueret: tùm quòd variorum periculorum terroribus agitatus à cura interficiendorum puerorum aliquandiu deſtiterit.

Quàm id falſum, quàm ab omni veri ſpecie remotiſſimum ſit, quiſquis pauliſper attenderit, facilè deprehendet. Pueros enim occidi juſſit Herodes ſtatim, atque intellexit, ſe à Magis eſſe deluſum: Matth. 2. v.16. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros &c.* At factum ſibi ludum intelligere facilè potuit intra ſex, aut ſeptem ut ſummè dies poſt diſceſſum Magorum, quos ipſemet in Bethleem miſerat de nato puero diligenter interrogaturos, cùm ſexto dumtaxat milliario diſtet Bethleem Jeroſolymis. Quid ergo indictam illicò puerorum cædem ad biennium protrahamus? Eò vel maximè, quòd Herodes anno Chriſti natale proximè ſequenti extinctus ſit, poſt Menſes circiter quinque, ut ex Flavio Joſepho ſæpiùs demonſtravimus.

Falſa inſuper omninò eſt, quæ dilatæ ad biennium puerorum cædis ratio fingitur. Falſum, inquam, Herodem poſt Chriſti natalem diem Romam fuiſſe profectum. Ter enim dumtaxat Romam variorum negotiorum occaſione iter intendit: ut partim ex Joſepho colligitur lib. 16. Antiquitatum Judaic. Cap. 1., & 2., partim ex Dione lib. 54. Primùm quidem anno à Roma condita 737., duodecimo verò ante Chriſti Domini ortum: tùm anno à Roma condita 742., anno ante Chriſtum ſeptimo: ac demum anno à Roma condita 746., triennio antequam Chriſtus Dominus naſceretur, ut multis oſtendit Cardinalis de Noris diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis. Nuſquam verò poſt Chriſti natalem diem perrexit illò, imò nec pergere potuit; cum acerbis ſemper doloribus, & acutiſſimo morbo poſtremis vitæ ſuæ Menſibus vexaretur, teſte Flavio Joſepho lib. 16. Antiquatum Judaicarum.

Quis autem verbis Euangelicis, quibus hujuſce ſententiæ vindices innituntur, ſenſus ſit, *occidit multos pueros à bimatu, & infra ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis,* fusè aliàs, dum de Magorum adventu diceremus, expoſuimus; quin telam hanc denuò retexere, neceſſe ſit.

III. Puerorum cæſorum numerum non definit Euangelium, nec quotus ille fuerit ex priſcis Patribus liquet. Græci in ſuis Menologiis, & Æthiopes in Liturgia ſua numerum extendunt ad quatuordecim millia, præter omnem veri ſpeciem. Quandoquidem Bethleem viculus dumtaxat erat, imò *Caſtellum*, ut legitur Joan. 5. v. 42., cujus etiam fines anguſtiſſimi erant, extra quos carnificinam illam non extendit Herodes. Quis porrò ſibi fingat, in tam anguſto terræ angulo, ſpatio duorum dumtaxat annorum, quatuordecim puerorum millia in lucem prodiiſſe? Imò iis longè plura? Siquidem, ultra pueros illos occiſos gladio, alii intra biennium illud nati, perinde fuiſſent ante carnificinam illam placida morte ſublati. Pari etiam circiter numero intra biennium illud in lucem prodiiſſent puellæ in eo occiſorum puerorum numero minimè computatæ; cùm in eas ſævitum ab Herode non fuerit, à quibus nihil ſibi timere poterat, qui Chriſtum marem, non fœminam fore, non ignorabat.

bat. Pueri ergo utriuſque ſexus ſupra triginta millia intra biennium nati fingi deberent in Bethleem, & finibus ejus, ſi quatuordecim millia puerorum maſculorum Herodiano gladio cecidiſſent. Quod quis credat? Cùm vix totidem in populoſa provincia biennio naſcantur. Is itaque puerorum Bethleemi occiſorum numerus ad cæteras Græcorum fabulas amandandus eſt. Quamquam magnum pro loci conditione fuiſſe numerum non negaverim.

IV. Ejuſdem furfuris eſt fabella altera, multorum licèt ſermone pervagata, in eo, ſcilicet, puerorum occiſorum numero fuiſſe quoque ipſius Herodis filium bimulum, quem crudeliſſimus pater unà cum Bethleemitis pueris, eademque de cauſa necari juſſerit. Falſitas patet ipſa per ſeſe, ac in ipſos incurrit oculos. Tunc enim nullus erat Herodi bimulus filius; imò nec eſſe poterat, viro jam ſenio confecto, qui annum tunc vitæ ſeptuageſimum numerabat, teſte Joſepho. Sed etſi filium fortè bimulum tunc temporis habuiſſet, nihil illi cauſæ erat, cur in eum ſuſpicioſus pater animadverteret, ſæviretque gladio. Tantùm enim abeſt, ut à proprio filio tenello adhuc, atque lactante ſibi timeret, ne ſibi, ſuiſque poſteris Judææ ſceptrum eriperet; ut potiùs per eum Judææ ſceptrum in ipſius familia ſervatum iri, ſperare potuiſſet, ac etiam debuiſſet. Cui & illud accedit, pueros tantùm in Bethleem Judæ natos, ejuſque finibus occidi juſſos eſſe: ſi quem autem tunc Filium habuiſſet Herodes bimulum, ac tenellum, hunc non Bethleemi, ſed Jeroſolymis in Regia genuiſſet: non igitur ab impio patre cum cæteris Bethleemitis, eademque de cauſa occidi juſſus eſſet.

Dedit huic fabulæ ortum Macrobii dictum perperam intellectum, lib. 2. Saturnalium Cap. 4. *Cum audiſſet Auguſtus, inter pueros, quos Herodes Rex Judæorum intra biennium juſſit occidi, filium quoque ejus occiſum eſſe, ait: meliùs eſſe, Herodis porcum eſſe, quam filium.* Hinc etenim æſtimatum eſt, hoc ipſo in numero bimulorum ab Herode Rege occiſorum ipſius quoque filium fuiſſe à Cæſare computatum. At longè aliter ſe res habet. Halludit enim Macrobius ad Antipatrum Herodis filium ætate grandævum; quem pater diu ante in carcere detentum tandem juſſit occidi, quòd in ipſum perfidè conſpiraſſet: aitque, illum fuiſſe occiſum *inter pueros* Bethleemitas, & bimulos; hoc eſt, eo circiter tempore, quo illi occiſi ſunt: non autem fuiſſe illum de numero puerorum illorum, eademque de cauſa occiſum eſſe. Norunt enim Latinæ linguæ periti, particulam *inter* tempus plerùmque deſignare, non adnumerationem. Cicero Philipp. 2. *Inter cœnam hoc illi accidit*; hoc eſt, tempore cœnæ. Plautus in Ciſtellaria: *Inter rem iſtam agendam, heræ reſpondi*; hoc eſt, quo tempore rem iſtam agerem. Sic etiam, *Inter occiſos pueros Bethleemitas, occiſus eſt Antipater*, id ſignificat unum, quo tempore ſunt occiſi pueri Bethleemitæ, occiſus etiam eſt Antipater: quamquam ex eorum numero non eſſet ille, utpote ætate grandævus, & alia longè de cauſa ex hac vita ſublatus.

V. Meliori fortaſſe titulo pueris ab Herode Rege quæſitis ad necem Joannem Baptiſtam tenellum tunc, ac nondum anniculum ad-

numerat S. Petrus Alexandrinus in Regulis Eccleſiaſticis à ſexta Synodo œcumenica probatis, atque receptis: qui tamen pia Zachariæ parentis cura, ac diligentia impio tyranni ferro ſubductus ſit: quam ob cauſam Zacharias ipſe, Herode jubente, Templum inter, & altare ſubinde fuerit occiſus. S. Petri Alexandrini hæc verba ſunt: *Cum quibus* (pueris, ſcilicet, Bethleemitis) *Herodes & alium priùs natum infantem, cum interfecturus quæſiviſſet, & non inveniſſet, Patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum, & altare; cùm effugiſſet filius cum Matre Elizabeth*. Innuit hoc idem Nicephorus Callixtus lib. 1: Hiſt. Eccleſ. Cap. 8., qui Joannem Zachariæ filium *unà cum Matre Elizabetha in ſpelunca quadam ad regionem montanam* ſervatum ſcribit, ubi *Herodis ſanguinariam manum effugerit*. Num tamen integram amborum dictis fidem adjungam, anceps hæreo. Joannes enim in montanis Judææ natus erat, ibidemque à piis parentibus alebatur. Herodes autem procul inde pueros juſſit occidi, qui, ſcilicet, *erant in Bethleem, & in finibus ejus*. Niſi fortè dicamus, Herodem publico rumore excitatum eorum, quæ in pueri illius ortu mira, ac ſtupenda contigerant, de facili exiſtimaſſe, poſſe illum Chriſtum eſſe: (quod alii ſubinde Judæi per errorem putaverunt) novumque idcirco, ac peculiare de illo necando mandatum dediſſe. At nec id quidem affirmare auſim, ſilente Euangelio, nec niſi generale mandatum de pueris intra Bethleemum, illiuſque fines occidendis memorante.

VI. Jam verò pueros Bethleemitas pro Chriſto occiſos veri nominis Martyres eſſe, dubitare nefas eſt: cùm illos eo titulo celebret Eccleſia, eoſdemque eo nomine commendent priorum etiam ſæculorum Patres, ac in iis maximè S. Irenæus lib. 4. adverſus Hæreſ. Cap. 8., S. Cyprianus Epiſt. 56., S. Auguſtinus Serm. 10. de Sanctis, S. Petrus Chryſologus Serm. 152., Auctor Homiliæ 3. in diverſa Euangelii loca apud Origenem. Attamen quo jure eo ornentur titulo, à Theologis non immeritò diſputatur. Cùm enim Martyrii Laureola merito detur, nullumque ſinè uſu liberi arbitrii meritum eſſe poſſit: difficile captu eſt, quo pacto Martyres illi eſſe potuerint, qui ante rationis uſum pro Chriſto recens nato occiſi ſunt. Rurſus, cùm ea Martyrii corona fidei pugilibus conferatur, propterea quòd Chriſtum in ipſa ſanguinis effuſione profiteantur; haud facilè intelligitur, qua ratione, quove titulo Martyres illi eſſe valeant, qui Chriſtum, ut noſcere, ita confiteri omninò nequeunt, nondum rationis diluculum aſſecuti.

Idcircò nodum ut expediant nonnulli, contendunt, pueris illis novo miraculo fuiſſe acceleratum rationis viſum: quos refellit S. Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 2. ad 1. eo maximè nomine, quòd tam multa, tamque ſtupenda portenta abſque certa auctoritate fingi non debeant: qualis profectò nulla eſt in Scripturis, aut Patribus; quæ pueros tam multos tenellos, atque lactentes rationis uſu donatos affirmet, aut etiam innuat. Alii pueros illos ab Herode occiſos, ſuſceptæ jam circumciſionis beneficio, originis vitio purgatos reponunt, & ſanctitate donatos. At non id eſt, quod quæritur in præſentia: nec enim eos uti Sanctos dumtaxat, colit Eccleſia, verùm etiam uti Martyres peculiari in Cœlis

corolla

corolla donatos: nec ii omnes antea circumciſi putandi ſunt, quàm gladio necarentur; cùm eorum benè multos nondum octavum diem attigiſſe, veriſimillimum ſit. Iis itaque miſſis ſuffugiis fruſtra tentatis, atque quæſitis, ſic arbitror pronunciandum: pueris ab Herode pro Chriſto occiſis datam eſſe à Deo coronam Martyrii ex liberalitate, non ex merito proprio: quo fermè modo datur pueris baptizatis æterna gloria ſinè merito proprio, titulo dumtaxat hæreditatis. Id igitur pueris illis valuit effuſio ſanguinis ad coronam Martyrii obtinendam, quod illis Baptiſma valuiſſet ad gloriam, ſi eo luſtrati fuiſſent. Habent nihilominùs pueri illi pro Chriſto occiſi, (quantùm ad meritum attinet) aliquid, quod non habent pueri baptizati. Habent, inquam, quod in merito veluti materiale eſt: nempe opus bonum, & arduum; hoc eſt, profuſum ſanguinem, datamque pro Chriſto vitam: quamquam non habeant, quod eſt veluti formale in merito, nempe liberam boni operis ordinationem in Deum ob defectum liberi arbitrii. Pueri autem baptizati neutrum habent. Hincque eſt, cur priores Eccleſia colat, illorumque reliquias veneretur: non itidem poſteriores, illorumque mortales exuvias.

VII. De reliquo, an eodem perinde privilegio donentur cæteri quique pueri ab alio fortè tyranno in odium fidei, ac pro Chriſto interempti; non æquè apud Theologos certum eſt. Non deſunt enimverò, qui cum Joanne de Vitriaco lib. 1. Hiſt. Occid. Cap. 36. ſingulare illud puerorum ab Herode occiſorum privilegium arbitrentur; cæteris ante rationis uſum perinde occiſis non perinde communicatum. Quaſi Chriſtus Dominus, eo ſingularis liberalitatis beneficio nemini ſecutis temporibus conferendo, ortum ſuum, vitæque primordia illuſtrare voluerit. Repugnant nihiloſeciùs, ac multò probabiliùs melioris notæ Theologi, qui commune pueris omnibus pro Chriſto cadentibus privilegium arbitrantur. Qua de re peculiariter dicere, inſtituti noſtri non eſt; legendus tamen venit Guillelmus Eſtius in 4. Sentent. diſt. 4. §. 21.

EXER-

rodes Magnus, qui Regnum tunc Judæorum integrum obtinebat. Illius quippe diſciſſio; atque diviſio in quatuor partes, ac Tetrarchias poſt Herodis dumtaxat obitum facta eſt: in Judæam, ſcilicet, proprii nominis dictam, (quæ Jeroſolymam, ac loca finitima complectabatur; Samariam, & Idumæam, quæ pars data eſt Archelao, & Filio ejus; Galilæam, quæ data eſt alteri Herodi cognomento Antipæ; Ituream, & Traconitidem, quæ Philippo conceſſa fuit; Abilinam demum, quæ Lyſaniæ ceſſit in ſortem: ut ex Lucæ Euangelio Cap. 3. colligere eſt, & ex Joſepho lib. 10. Antiq. Cap. 10.

IV. Conſultò ergo in Ægyptum extra ditionem Herodis aufugere cum tota familia juſſus eſt Joſeph. Quantum autem temporis eorum illic commoratio tenuerit, non infima quæſtio eſt. Hanc ego commorationem, longè quàm vulgus putat, breviorem fuiſſe perſuaſum habeo: mirorque vehementiùs Scripturarum Interpretes, alios quidem ad annum quintum, alios ad ſeptimum, alios ad nonum eamdem illam protraxiſſe; quæ, ſi quid ſapio, vix annum integrum tenuit. Id ex Euangelio colligo cum Flavii Joſephi Hiſtoria collato. Ita quippe Matthæus habet poſt narratam puerorum Bethleemiticorum ſtragem: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto dicens: ſurge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri; qui conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael.* Quod idem compendio dixerat v. 15. *Erat ibi* (in Ægypto) *uſque ad obitum Herodis*. Porrò Herodes hoc ipſo anno, quo ſtragem puerorum edixit, & filium ſuum Antipatrum jam diu carcere detentum juſſit interfici, miſera tabe confectus eſt ſub Paſchatis feſtum, ut ſcribit Joſephus lib. 16. Antiquitatum: adeòque tertio vix Menſe poſt fugam Joſephi in Ægyptum, quæ ſub medium Februarii ſuſcepta fuerat. Quid ergo Joſephi in Ægypto commorationem ultra annum protrahamus? Sed etſi daremus, reverſionis mandatum, quod Joſeph impiger obiit, non illicò, ac ſtatim atque Herodes extinctus eſt: fuiſſe illi ab Angelo denunciatum; ſed tunc tantùm, dum Archelaus defuncto Herodi parenti ſuo ſucceſſit in Regno Judææ; propterea quòd ſubjungit Matthæus: *Audiens autem Joſeph, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire, & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ:* idem perinde colligeremus. Cum enim Archelaus poſt ſex circiter Menſes patri ſuo Herodi ſucceſſerit in Regno Judææ; (quod tamen ſub Tetrarchiæ dumtaxat titulo obtinuit ab Auguſto) quid ultra annum Joſephi in Ægypto commoratio protrahatur? Quandoquidem defuncto Herode, & Archelao Judææ Regnum auſpicante reverſus eſt.

V. Sed ad graviora nos vocat ea Chriſti Domini, qualiſcumque fuerit, in Ægypto commoratio; ad prodigiorum nimirum examen, quæ in ejus in terram illam acceſſu, factaque ibidem commoratione patrata dicuntur. Sunt hæc numero multa, ac planè ſtupenda à Cardinali Baronio publicata, & propugnata; quæ idcircò accuratiori inquiſitione noſtra indigeant, atque cenſura. Primum illud, potiſſimumque commemoratur, multa ſimul, ac ſtupenda complexum: falſorum Numinum ſimulacra,

mulacra, quibus Ægyptus Idololatriæ ſedes abundabat, Chriſto puero adventante, derepentè corruiſſe. Quod ab Iſaja diu antea prænunciatum exiſtimat. Cap. 19. ſcribente: *Ecce Dominus aſcendet ſupra nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur Simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus*. Facti teſtes, qui rem totam diſtinctè, ac dilucidè referant, duos profert Scriptor Eminentiſſimus, Sozomenum, & Evagrium: cæteri quippe ab eodem producti, tantùm abeſt, ut facta in Ægypto referant, ut negent potiùs, deſtruantque. Sozomeni hæc verba ſunt lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 21. *Memorant arborem eſſe, quæ Perſis dicitur, Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cujus fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum eſt, Joſeph cum propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria Sancta Deipara fugiſſet, veniſſe Hermopolim; atque ſimul ut portæ appropinquavit, ſtatim arborem, licè planè maximam, adventu Chriſti turbatam eſſe, atque ad ſolum uſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audivi, à me commemorata ſunt. Quæ quidem, ſi quid ego judico, vel ſignificabat jam Chriſtum in Urbe adeſſe, vel, ut eſt veriſimile, non modò arborem, quam incolæ propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, Dæmone jam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum everſorem, qui in eo loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſponte commotam eſſe: verùm etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, adventante tum Chriſto, juxta prophetiam Iſajæ concuſſas. Itaque, Dæmone inde abacto, arbor, quò rei geſtæ teſtimonium eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberavit. Atque ut Ægyptii, & Palæſtini iſtarum rerum, ſic alii ſinguli aliarum, quæ apud ipſos geſtæ ſunt, teſtes locupletes exiſtunt*. Subſcribit, preſſiùs licèt, & compendioſiùs Evagrius in Vitis Patrum lib. 2. Cap. 7. *Vidimus, & alium Sanctum virum nomine Appollonium apud Thebaidam in finibus Hermopolis, ad quam Civitatem Salvatorem cum Maria, & Joſeph de Judææ finibus veniſſe tradunt ſecundùm prophetiam Iſajæ: vidimus ergo ibi, & Templum ipſum, in quod, ingreſſo Salvatore, corruiſſe omnia Idola in terram, & comminuta eſſe memorabantur*.

At qui, quæſo, iſti ſunt, qui rerum adeò prodigialium, annis ante illorum ætatem circiter quingentis patratarum, fidem nobis integram faciant? Aut quis illis Divinus afflatus affulſit, ut nullo præeunte Veterum teſtimonio, atque ſuffragio patrata, Chriſto vix nato, prodigia, atque portenta noverint, referantque? Ut ſileam, ne certa quidem, atque indubia fide patrata prodigia ab utreque narrari; ſed ex obſcura neſcio qua traditione, cujus & fontem ignorent, aliorumque narratione: *Memorant*, inquiunt, *tradunt*, *traditum eſt*. Quod autem de Iſajæ Oraculo, & ipſi, & Baronius innuunt, quaſi eam Ægyptiorum Simulacrorum everſionem prænunciaverit citato Capite 19., futiliſſimum eſt. Aliò enim animum intendit Propheta Sanctiſſimus, ſeu nativum, propriumque verborum ſenſum attenderis, ſeu etiam allegoricum. Priori quippe ſenſu id ſibi vult unum, Deum verum, ultoremque ſcelerum, veloci, celerique impetu, Aſſyriorum exercitu concitato, ingreſſurum, ac vaſtaturum Ægyptum, Fana illius direpturum, eademque Diis aureis, atque argenteis ſpoliaturum. Quod à Sennacherib, & à Nabuchodonozor impletum

eſſe,

eſſe, notiſſimum eſt. Altero ſenſu hoc innuit alterum: Deum in utero Virginis tanquam in nube levi Mundum hunc aliquando ingreſſurum, & Idololatriam longè latèque diffuſam eliminaturum, deleturum. Quæ certa Patrum interpretatio eſt; maximè verò Hieronymi: *Juxta tropologiam, aſcendit Dominus ſupra nubem levem, corpus Sanctæ Virginis Mariæ, quod nullo humani ſeminis pondere prægravatum eſt: vel certè corpus ſuum, quod de Spiritu Sancto conceptum eſt, & ingreſſus eſt in Ægyptum hujus Mundi: ſtatimque omnia Ægypti Simulacra cōmota ſunt: ita ut divinationes, & univerſa fraus Idololatriæ, quæ deceptum poſſidebat Orbem, ſe fractam eſſe ſentiret*: nempe ſucceſſu temporis, & beneficio prædicationis Euangelicæ. Nihil hìc, ſi priorem ſenſum ſpectes, de pueri Jeſu Herodis ſævitiam effugientis in Ægyptum ingreſſu: nihil, ſi ſpectes alterum de peculiari Simulacrorum Ægyptiorum everſione, dum illuc puer Jeſus ingreſſus eſt.

VI. Cæteri à Baronio producti teſtes Simulacrorum, puero Jeſu in Ægyptum ingrediente, everſorum, tantùm abeſt, ut patrata prodigia referant, ut potiùs apertiſſimè negent. Euſebius enim lib. 6. Demonſtrationis Euangelicæ Cap. 20. memoratam Iſajæ prophetiam expendens juxta Aquilæ Verſionem, priorem dumtaxat illius partem, quæ futurum Domini ingreſſum in Ægyptum portendebat, *ad verbum exitum ſortitam eſſe* docet: alteram autem, quæ commota, everſaque Simulacra prænunciabat, non item: *Scriptura dixit*, inquit ille, *ecce Dominus aſcendit ſuper craſſitudinem, & venit in Ægyptum: craſſitudinem levem corpus de Spiritu Sancto conceptum appellans. Igitur etiam ipſa hæc Prophetiæ particula ad verbum exitum ſortita eſt, quo tempore Angelus Domini in ſomnis viſus ipſi Joſeph dixit: ſurgens accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, donec dicam tibi. Tunc igitur ipſe Dominus Deus Verbum puerilem ætatem ingreſſus, & ſuo corpori, quod ex Sancta Virgine acceperat, conjunctus in terra Ægyptiorum diverſatus*. At ſi, quod jactatur, everſorum Simulacrorum prodigium reipſa contigiſſet, utraque prophetiæ pars *ad verbum* tunc temporis exitum habuiſſet, uti profectò Baronius exiſtimat: non itaque Euſebio judice commota tunc ſunt, everſaque Ægyptiaca Simulacra. Subjungit idem Euſebius, Dæmones quidem in Simulacris latitantes, Chriſto in Ægyptum ingreſſo, novam quamdam, Divinamque virtutem ad ſe accedentem noviſſe; adeòque fuiſſe commotos, perturbatos, atque convictos; *intrinſecùs* tamen, & *inviſibiliter*: non ita tamen externè, apertè, ac manifeſtè, niſi ubi cœpit à Chriſto, & Apoſtolis Euangelium prædicari. Non itaque manufacta ipſa Dæmonum Simulacra tunc primùm commota, everſaque ſunt, Chriſto puero Ægyptum ſubeunte: quæ ſanè externa, apertaque Dæmonum commotio, & perturbatio fuiſſet. *Si, qui priùs incolebant Ægyptum*, Euſebii verba ſunt loco laudato, *vitioſi, pravique Dæmones per multa ſæcula in Simulacris latitantes, animoſque Ægyptiorum omni ſuperſtitionis errori addicentes, ac ſubjicientes, cum ſenſiſſent novam quamdam, Divinamque virtutem ad ſe acceſſiſſe, illicò commoti ſunt, & fluctuationem, ac perturbationem in ſe ipſis pertulerunt, corque ipſorum, & vis intelligendi intrinſecùs in ipſis convicta ſunt, ceſſeruntque, ac fugata ſunt ab ea virtute, quæ viſum effugiens, illos compellebat, & ignis inſtar ineffabili quadam ratione adurebat. Et tunc qui*

dem

dem inviſibiliter Dæmones talia paſſi ſunt; cum Salvator noſter Jeſus Chriſtus in Ægyptum cum viſibili corpore pervenit. At verò poſtquam plenè ipſius Euangelium ad Ægyptios, ſicut ad reliquas gentes perlatum eſt, &c.

Haud alia Divo Athanaſio mens ſtetit, quem alterum everſorum in Ægypto Simulacrorum teſtem Baronius adhibet. Deum enim lib. de Incarnatione Verbi, ejuſque corporali in nos adventu ſcribit: *Qui juſtorum, aut Regum in Ægyptum deſcendit, & ejus deſcenſu Idola in Ægypto ceciderunt? Abraham deſcendit, nihilo tamen minùs Idololatria ubique viguit. Natus eſt ibi Moyſes, aquè tamen illic baſis religionis error:* Et poſt pauca: *Certè eam in Judæa naſceretur, Perſæ adoratum venere. Hic eſt, qui antequam in humana ſpecie appareret, de adverſariis Dæmonibus victoriam, & de Idololatria triumphum reportavit. Nam quotquot ubique ſunt gentes, ejurantes patrium ritum, & Idolorum impietatem, ſuam jam in Chriſtum ſpem conſtituunt, eique ſua nomina dant, ut etiam vel ipſis oculis deprehendere licet. Alioquin Ægyptiorum ſuperſtitio non quieviſſet, niſi Dominus omnium in corpore quaſi in nube vectus eò deſcendiſſet, & Idolorum errores compeſcuiſſet omnes, in ſe, & per ſe ad Patrem transferens.* Dum, inquam, hæc ſcribit Athanaſius, à proprio ad figuratum ſenſum divertit, Ægyptique nomine Mundum univerſum per tropologiam intelligit, juxta celebre Tertulliani dictum lib. contra Judæos Cap. 9. *Ægyptus totus Orbis intelligitur ſuperſtitionis, & maledictionis elogio:* cujus Idololatrica ſuperſtitio Chriſti adventu; ſeu Incarnatione paulatim ſublata eſt: non peculiari illo ſuo in terram Ægypti acceſſu, dum Herodis ſævitiam effugeret. Quod perinde ſignificatum voluit Auctor Homiliæ 3. in diverſa Euangelii loca apud Origenem, dum Angelicum monitum Joſepho datum Oratoris in morem ita paraphraſticòs explicat: *Fuge in Ægyptum propterea, ut deſtruantur manufacta eorum, ut confringantur, & pereant Idola ipſorum: propterea, ut Dæmones turbentur, ut Regum fabricæ in Idolis deſtruantur, ut fiat in adventu Domini fugitivorum ſervorum, atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, ut impleas, quæ dicta ſunt: ecce Dominus ſedet in nube puſilla, & veniet in Ægyptum, & commovebuntur omnia manufacta Ægypti..... Fuge in Ægyptum, ut fugiant de Ægypto, qui ibi ſunt Dæmones, & appropient ibidem Angeli Sancti, qui Deum conſequuntur, qui Sanctis junguntur: ut pro multitudine Templorũ, atque abominationũ multarũ multitudo exuperet Eccleſiarum: pro Idolorum turbis; turbæ abundent fideliũ, atque colentium Dominũ: pro vitiis, & erroribus multis, multa caſtitas, multaque Sanctitas ſuperabundet, multaque virginitas.*

Hanc unam utriuſque, cum Athanaſii, tum Pſeudo-Origenis mentem eſſe, quam diximus, eoſque à Baronii commento procul abſuiſſe, duo certò demonſtrant. Primò, quia Idololatriam ex integro depulſam, univerſaque Simulacra, Idolaque planè omnia, Chriſto in hanc Ægyptum ingreſſo, concuſſa, everſaque dicunt: cum tamen Baronius, & quotquot cum illo corruentium ad Chriſti adventum Ægyptiacorum Simulacrorum commentum adſtruunt, non omnia illa, ſed illorum dumtaxat aliqua corruiſſe contendant: *Non omnia, quæ tunc erant in Ægypto, corruerunt Simulacra; ſed de his aliqua*, inquit Baronius; idque prudenter, & cautè. Nam Ægypti Idololatriam, illiuſque Fana, ac Simulacra ad annum Chriſti 389. perennaſſe, Auctor eſt Baronius ipſe, qui Canapi,

Iſidis,

Iſidis, Serapidis templa tunc demum à Theodoſio Imperatore everſa fuſè; latèque deſcribit in Annalibus. Athanaſius igitur, & Pſeudo-Origenes, Mundum figuratam Ægyptum intellexere, cujus Idololatriam Chriſtus Incarnatione ſua, ſuoque in hunc Mundum adventu depulit, profligavit, eliminavit. Secundò hoc idem evincit, quia Pſeudo-Origenes, (qui peculiarem Ægyptum, quò Chriſtus aufugit, videtur intellexiſſe) non modò Chriſti in Ægyptum acceſſu procuratam, ſcribit, integram Idololatriæ everſionem, ſed ſublimiorem Sanctitatem, pietatem, ac religionem illùc invectam dicit. At nemo eſt, qui ſublimem illam ſanctitatem, pietatem, ac religionem ex tunc à Chriſto in Ægyptum inductam ſibi fingat: id enim tertio dumtaxat ſæculo geſtum eſt, dum Ægypti deſerta loca tot Religioſorum, ac Virginum agmina occupabant; *Ægyptuſque tota imago erat Cœli, imò totius Mundi templum*, ut loquitur Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei Cap. 14. Igitur quòd everſam, Chriſto Ægyptum ſubeunte, Idololatriam dixerit Pſeudo-Origenes, non ex tunc factum, impletumque debet intelligi externa Simulacrorum everſione; ſed ſuo ſubinde tempore, Chriſti Domini operante virtute.

VII. De reliquo, quamquam prodigialem illam Simulacrorum everſionem, Chriſto in Ægyptum aufugiente, factam rejiciam, ac refellam; non ideò tamen cætera prodigia, ſi qua fortè infanti Jeſu à Patribus tribuuntur, inficiari omninò velim; quæ Caſauboni, aliorumque Proteſtantium audacia eſt ea ſola ratione, quòd Chriſtum *initium ſignorum*, ſeu miraculorum feciſſe dicatur Joan. 2. *in Cana Galilææ*; dum vocatus ad nuptias aquam vertit in vinum. Pari quippe titulo alia quæque in Euangelio narrata miracula rejicienda forent, aut certè miraculi loco habendum non eſſet, quòd de Virgine natus ſit; quòd ejus ortus fuerit ab Angelo paſtoribus denunciatur; quòd ſtella duce, viamque monſtrante, ab Oriente ad illius cunas advenerint Magi; quòd annorum dumtaxat duodecim factus, nulliſque ſtudio litteris comparatis, Synagogæ Doctores quæſitis; atque reſponſis in admirationem traxerit; quòd, illo demum in Jordane baptizato, Cœlum ſit apertum, voxque Æterni Patris audita. Hæc enim omnia ante celebratas in Cana nuptias contigere.

Quòd itaque *initium ſignorum in Cana Galilææ* ſit factum; nullumque à Jeſu infante miraculum fuerit editum; (quæ Patrum quorumdam, ac ipſius Divi Thomæ aſſertio fuit, in Cap. 2. Joannis) accipiendum id eſt de miraculis diſtincta voce, imperioque ſub ſenſum cadente patratis, qualia certè nulla ante ſuſceptum publicum miniſterium à Chriſto Jeſu peracta ſunt: non de iis, quæ occulta, ſecretiori virtute patrata fuere. Ut ſileam, Div. Joannem Chryſoſtomum Hom. 22. in Joannem, Theophylum, Euthymium celebratum illud Euangelii dictum, *hoc fecit initium ſignorum Jeſu in Cana Galilææ* ſic accipere, ut non omnium ubivis geſtorum prodigiorum initium fuerit; ſed eorum dumtaxat, quæ in Cana peracta ſunt. Quorcirca ſtudioſam Juventutem monere juvat: librum *de Infantia Salvatoris*, non idcircò à Gelaſio Summo Pontifice confixum eſſe, quòd miracula à Jeſu infante edita dixerit; ſed quòd qualiumcumque miraculorũ ineptam, inſulſamque farraginem, teſte nullo, auctore nullo venditarit.

EXER-

EXERCITATIO XXXIX.

De puerorum cæde ab Herode Rege imperata.

I. MYſterii Chriſti naſcentis, & à Magis adorati appendix potiſſima eſt horrenda illa puerorum ſtrages, quæ ab Herode edi-ta fuit, eoque conſilio, ut Chriſtum, quem natum Judæorum Regem inaudiverat, in ipſis incunabulis de medio tolleret. Quare, explicata Chriſti nativitate, ejuſdemque adoratione à Magis peracta, reliquum eſt, ut de illa puerorum cæde nonnihil adjiciamus. Hanc hiſce verbis Matthæus enarrat Cap.2. *Videns Herodes quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Mirum priſcos Hiſtoriæ Herodianæ Scriptores, Nicolaum Damaſcenum, Flavium Joſephum de ſtrage adeò terra, atque horrenda, quæque publici facti res erat, nihil planè ſuis libris inſeruiſſe. Maximè cùm Joſephus ingentia Herodis ſcelera, intentatas filiorum ſuorum cædes non ſiluerit. Hujus tamen horrendæ carnificinæ mentionem ingerit Macrobius Scriptor Ethnicus lib. 2. Saturnalium Cap. 4., cujus ſuffragium apud Gentiles ſaltem integram fidem faciet. Nobis ſatis, ſuperque Matthæi auctoritas eſt.

Cædis hujus explicandæ cauſa, quatuor pro ſuſcepto munere inveſtigabimus. 1. Quo tempore indicta fuerit ab Herode? 2. Quotus fuerit puerorum occiſorum numerus? 3. An eo quoque numero cenſendus veniat Herodis ipſius filius bimulus: numine Joannes ipſe fuerit etiam tunc quæſitus ad necem? 4. demum, an pueri Bethleemitæ impio ferro ſublati veri Chriſti Martyres ſint habendi.

II. Fuere enimverò non pauci, qui eam puerorum ſtragem ab Herode indictam dixerint biennio dumtaxat poſt diem Chriſti natalitium: eo maximè fundamento nixi, quòd pueros illos occidi juſſerit Herodes, *à bimatu, & infra ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*: quaſi biennio dumtaxat, poſtquam ſtella Magis primùm conſpicua facta eſt, occiſi ſint parvuli. Atque illi quidem, quibus ita viſum eſt, in duas æquis fermè partibus ſententias abeunt. Alii, quorum princeps eſt Divus Epiphanius hæreſi 51.; cædem ad biennium dilatam idcircò putant, quòd Magos nonniſi biennio poſt Chriſti natalem diem Bethleemum adventaſſe ſibi fingant: contra quos, ſatis opinor, in ſuperioribus diſputavimus, ubi Magorum adventum ad diem 26., aut 27. Januarii fiximus. Alii ex adverſo, quos ducit Euſebius lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap.8., cum Magos non longè poſt Chriſti natalem diem adventaſſe concedant, dilatam tamen ab Herode puerorum cædem exiſtimant ad biennium uſque: tùm quòd ille

variorum criminum accuſatus apud Cæſarem Romam pergere coactus eſſet, ut objecta dilueret: tùm quòd variorum periculorum terroribus agitatus à cura interficiendorum puerorum aliquandiu deſtiterit.

Quàm id falſum, quàm ab omni veri ſpecie remotiſſimum ſit, quiſquis pauliſper attenderit, facilè deprehendet. Pueros enim occidi juſſit Herodes ſtatim, atque intellexit, ſe à Magis eſſe deluſum: Matth. 2. v.16. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros &c.* At factum ſibi ludum intelligere facilè potuit intra ſex, aut ſeptem ut ſummè dies poſt diſceſſum Magorum, quos ipſemet in Bethleem miſerat de nato puero diligenter interrogaturos, cùm ſexto dumtaxat milliario diſtet Bethleem Jeroſolymis. Quid ergo indictam illicò puerorum cædem ad biennium protrahamus? Eò vel maximè, quòd Herodes anno Chriſti natale proximè ſequenti extinctus ſit, poſt Menſes circiter quinque, ut ex Flavio Joſepho ſæpiùs demonſtravimus.

Falſa inſuper omninò eſt, quæ dilatæ ad biennium puerorum cædis ratio fingitur. Falſum, inquam, Herodem poſt Chriſti natalem diem Romam fuiſſe profectum. Ter enim dumtaxat Romam variorum negotiorum occaſione iter intendit: ut partim ex Joſepho colligitur lib. 16. Antiquitatum Judaic. Cap. 1., & 2., partim ex Dione lib. 54. Primùm quidem anno à Roma condita 737., duodecimo verò ante Chriſti Domini ortum: tùm anno à Roma condita 742., anno ante Chriſtum ſeptimo: ac demum anno à Roma condita 746., triennio antequam Chriſtus Dominus naſceretur, ut multis oſtendit Cardinalis de Noris diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis. Nuſquam verò poſt Chriſti natalem diem perrexit illò, imò nec pergere potuit; cum acerbis ſemper doloribus, & acutiſſimo morbo poſtremis vitæ ſuæ Menſibus vexaretur, teſte Flavio Joſepho lib. 16. Antiquatum Judaicarum.

Quis autem verbis Euangelicis, quibus hujuſce ſententiæ vindices innituntur, ſenſus ſit, *occidit multos pueros à bimatu, & infra ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*, fusè alias, dum de Magorum adventu diceremus, expoſuimus; quin telam hanc denuò retexere, neceſſe ſit.

III. Puerorum cæſorum numerum non definit Euangelium; nec quotus ille fuerit ex priſcis Patribus liquet. Græci in ſuis Menologiis, & Æthiopes in Liturgia ſua numerum extendunt ad quatuordecim millia, præter omnem veri ſpeciem. Quandoquidem Bethleem viculus dumtaxat erat, imò *Caſtellum*, ut legitur Joan. 5. v. 42., cujus etiam fines anguſtiſſimi erant, extra quos carnificinam illam non extendit Herodes. Quis porrò ſibi fingat, in tam anguſto terræ angulo, ſpatio duorum dumtaxat annorum, quatuordecim puerorum millia in lucem prodiiſſe? Imò iis longè plura? Siquidem, ultra pueros illos occiſos gladio, alii intra biennium illud nati, perinde fuiſſent ante carnificinam illam placida morte ſublati. Pari etiam circiter numero intra biennium illud in lucem prodiiſſent puellæ in eo occiſorum puerorum numero minimè computatæ; cùm in eas ſævitum ab Herode non fuerit, à quibus nihil ſibi timere poterat, qui Chriſtum marem, non fœminam fore, non ignorabat.

Digitized by Google

bat. Pueri ergo utriuſque ſexus ſupra triginta millia intra biennium nati fingi deberent in Bethleem, & finibus ejus, ſi quatuordecim millia puerorum maſculorum Herodiano gladio cecidiſſent. Quod quis credat? Cùm vix totidem in populoſa provincia biennio naſcantur. Is itaque puerorum Bethleemi occiſorum numerus ad cæteras Græcorum fabulas amandandus eſt. Quamquam magnum pro loci conditione fuiſſe numerum non negaverim.

IV. Ejuſdem furfuris eſt fabella altera, multorum licèt ſermone pervagata, in eo, ſcilicet, puerorum occiſorum numero fuiſſe quoque ipſius Herodis filium bimulum, quem crudeliſſimus pater unà cum Bethleemitis pueris, eademque de cauſa necari juſſerit. Falſitas patet ipſa per ſeſe, ac in ipſos incurrit oculos. Tunc enim nullus erat Herodi bimulus filius; imò nec eſſe poterat, viro jam ſenio confecto, qui annum tunc vitæ ſeptuageſimum numerabat, teſte Joſepho. Sed etſi filium fortè bimulum tunc temporis habuiſſet, nihil illi cauſæ erat, cur in eum ſuſpicioſus pater animadverteret, ſæviretque gladio. Tantùm enim abeſt, ut à proprio filio tenello adhuc, atque lactante ſibi timeret, ne ſibi, ſuiſque poſteris Judææ ſceptrum eriperet; ut potiùs per eum Judææ ſceptrum in ipſius familia ſervatum iri, ſperare potuiſſet, ac etiam debuiſſet. Cui & illud accedit, pueros tantùm in Bethleem Judæ natos, ejuſque finibus occidi juſſos eſſe: ſi quem autem tunc Filium habuiſſet Herodes bimulum, ac tenellum, hunc non Bethleemi, ſed Jeroſolymis in Regia genuiſſet: non igitur ab impio patre cum cæteris Bethleemitis, eademque de cauſa occidi juſſus eſſet.

Dedit huic fabulæ ortum Macrobii dictum perperam intellectum, lib. 2. Saturnalium Cap. 4. *Cum audiſſet Auguſtus, inter pueros, quos Herodes Rex Judæorum intra biennium juſſit occidi, filium quoque ejus occiſum eſſe, ait: meliùs eſſe, Herodis porcum eſſe, quam filium.* Hinc etenim æſtimatum eſt, hoc ipſo in numero bimulorum ab Herode Rege occiſorum ipſius quoque filium fuiſſe à Cæſare computatum. At longè aliter ſe res habet. Halludit enim Macrobius ad Antipatrum Herodis filium ætate grandævum; quem pater diu ante in carcere detentum tandem juſſit occidi, quòd in ipſum perfidè conſpiraſſet: aitque, illum fuiſſe occiſum *inter pueros* Bethleemitas, & bimulos; hoc eſt, eo circiter tempore, quo illi occiſi ſunt: non autem fuiſſe illum de numero puerorum illorum, eademque de cauſa occiſum eſſe. Norunt enim Latinæ linguæ periti, particulam *inter* tempus plerùmque deſignare, non adnumerationem. Cicero Philipp. 2. *Inter cœnam hoc illi accidit*; hoc eſt, tempore cœnæ. Plautus in Ciſtellaria: *Inter rem iſtam agendam, heræ reſpondi*; hoc eſt, quo tempore rem iſtam agerem. Sic etiam, *Inter occiſos pueros Bethleemitas, occiſus eſt Antipater*, id ſignificat unum, quo tempore ſunt occiſi pueri Bethleemitæ, occiſus etiam eſt Antipater: quamquam ex eorum numero non eſſet ille, utpote ætate grandævus, & alia longè de cauſa ex hac vita ſublatus.

V. Meliori fortaſſe titulo pueris ab Herode Rege quæſitis ad necem Joannem Baptiſtam tenellum tunc, ac nondum anniculum ad-

numerat S. Petrus Alexandrinus in Regulis Eccleſiaſticis à ſexta Synodo œcumenica probatis, atque receptis: qui tamen pia Zachariæ parentis cura, ac diligentia impio tyranni ferro ſubductus ſit: quam ob cauſam Zacharias ipſe, Herode jubente, Templum inter, & altare ſubinde fuerit occiſus. S. Petri Alexandrini hæc verba ſunt: *Cum quibus* (pueris, ſcilicet, Bethleemitis) *Herodes & alium priùs natum infantem, cum interfecturus quæſivisset, & non invenisset, Patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum, & altare; cùm effugiſſet filius cum Matre Elizabeth*. Innuit hoc idem Nicephorus Callixtus lib. 1: Hiſt. Eccleſ. Cap. 8., qui Joannem Zachariæ filium *unà cum Matre Elizabetha in ſpelunca quadam ad regionem montanam* ſervatum ſcribit, ubi *Herodis ſanguinariam manum effugerit*. Num tamen integram amborum dictis fidem adjungam, anceps hæreo. Joannes enim in montanis Judææ natus erat, ibidemque à piis parentibus alebatur. Herodes autem procul inde pueros juſſit occidi, qui, ſcilicet, *erant in Bethleem, & in finibus ejus*. Niſi fortè dicamus, Herodem publico rumore excitatum eorum, quæ in pueri illius ortu mira, ac ſtupenda contigerant, de facili exiſtimaſſe, poſſe illum Chriſtum eſſe: (quod alii ſubinde Judæi per errorem putaverunt) novumque idcirco, ac peculiare de illo necando mandatum dediſſe. At nec id quidem affirmare auſim, ſilente Euangelio, nec niſi generale mandatum de pueris intra Bethleemum, illiuſque fines occidendis memorante.

VI. Jam verò pueros Bethleemitas pro Chriſto occiſos veri nominis Martyres eſſe, dubitare nefas eſt: cùm illos eo titulo celebret Eccleſia, eoſdemque eo nomine commendent priorum etiam ſæculorum Patres, ac in iis maximè S. Irenæus lib. 4. adverſus Hæreſ. Cap. 8., S. Cyprianus Epiſt. 56., S. Auguſtinus Serm. 10. de Sanctis, S. Petrus Chryſologus Serm. 152., Auctor Homiliæ 3. in diverſa Euangelii loca apud Origenem. Attamen quo jure eo ornentur titulo, à Theologis non immeritò diſputatur. Cùm enim Martyrii Laureola merito detur, nullumque ſinè uſu liberi arbitrii meritum eſſe poſſit: difficile captu eſt, quo pacto Martyres illi eſſe potuerint, qui ante rationis uſum pro Chriſto recens nato occiſi ſunt. Rurſus, cùm ea Martyrii corona fidei pugilibus conferatur, propterea quòd Chriſtum in ipſa ſanguinis effuſione profiteantur; haud facilè intelligitur, qua ratione, quove titulo Martyres illi eſſe valeant, qui Chriſtum, ut noſcere, ita confiteri omninò nequeunt, nondum rationis diluculum aſſecuti.

Idcircò nodum ut expediant nonnulli, contendunt, pueris illis novo miraculo fuiſſe acceleratum rationis viſum: quos refellit S. Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 2. ad 1. eo maximè nomine, quòd tam multa, tamque ſtupenda portenta abſque certa auctoritate fingi non debeant: qualis profectò nulla eſt in Scripturis, aut Patribus; quæ pueros tam multos tenellos, atque lactentes rationis uſu donatos affirmet, aut etiam innuat. Alii pueros illos ab Herode occiſos, ſuſceptæ jam circumciſionis beneficio, originis vitio purgatos reponunt, & ſanctitate donatos. At non id eſt, quod quæritur in præſentia: nec enim eos uti Sanctos dumtaxat, colit Eccleſia, verùm etiam uti Martyres peculiari in Cœlis

corolla

corolla donatos: nec ii omnes antea circumciſi putandi ſunt, quàm gladio necarentur; cùm eorum benè multos nondum octavum diem attigiſſe, veriſimillimum ſit. Iis itaque miſſis ſuffugiis fruſtra tentatis, atque quæſitis, ſic arbitror pronunciandum: pueris ab Herode pro Chriſto occiſis datam eſſe à Deo coronam Martyrii ex liberalitate, non ex merito proprio: quo fermè modo datur pueris baptizatis æterna gloria ſinè merito proprio, titulo dumtaxat hæreditatis. Id igitur pueris illis valuit effuſio ſanguinis ad coronam Martyrii obtinendam, quod illis Baptiſma valuiſſet ad gloriam, ſi eo luſtrati fuiſſent. Habent nihilominùs pueri illi pro Chriſto occiſi, (quantùm ad meritum attinet) aliquid, quod non habent pueri baptizati. Habent, inquam, quod in merito veluti materiale eſt: nempe opus bonum, & arduum; hoc eſt, profuſum ſanguinem, datamque pro Chriſto vitam: quamquam non habeant, quod eſt veluti formale in merito, nempe liberam boni operis ordinationem in Deum ob defectum liberi arbitrii. Pueri autem baptizati neutrum habent. Hincque eſt, cur priores Eccleſia colat, illorumque reliquias veneretur: non itidem poſteriores, illorumque mortales exuvias.

VII. De reliquo, an eodem perinde privilegio donentur cæteri quique pueri ab alio fortè tyranno in odium fidei, ac pro Chriſto interempti; non æquè apud Theologos certum eſt. Non deſunt enimverò, qui cum Joanne de Vitriaco lib. 1. Hiſt. Occid. Cap. 36. ſingulare illud puerorum ab Herode occiſorum privilegium arbitrentur; cæteris ante rationis uſum perinde occiſis non perinde communicatum. Quaſi Chriſtus Dominus, eo ſingularis liberalitatis beneficio nemini ſecutis temporibus conferendo, ortum ſuum, vitæque primordia illuſtrare voluerit. Repugnant nihiloſeciùs, ac multò probabiliùs melioris notæ Theologi, qui commune pueris omnibus pro Chriſto cadentibus privilegium arbitrantur. Qua de re peculiariter dicere, inſtituti noſtri non eſt; legendus tamen venit Guillelmus Eſtius in 4. Sentent. diſt. 4. §. 21.

EXER-

EXERCITATIO XL.

An, Chriſto in lucem edito, Joſeph ex Matrimonio cum Deipara inito aliquos ſuſceperit filios, qui idcircò fratres Domini dicti ſint?

I. POlemicæ controverſiæ de Joſephi filiis ex Deipara Virgine ſuſceptis poſt Chriſtum in lucem editum occaſionem dedit Scripturæ locus, non unus, & alter, ſed longè multiplex: ubi tam ſæpè Chriſti fratres, atque ſorores memorantur; quandoque quidem generatim, nonnumquam nominatim, & individuè. Joannis 2. v. 12. *Deſcendit Capharnaum ipſe, & Mater ejus, & Fratres ejus*. Matth. 12. v. 46. *Ecce Mater ejus, & fratres ſtabant foris*. Marc. 3. v. 31. *Veniunt Mater ejus, & fratres*. Matth. 13. v. 55. *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria? & fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas; & ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Marci 6. v. 3. *Nonne hic eſt faber filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis? Nonne & ſorores ejus hic nobiſcum ſunt?* Ad Galatas 1. v. 19. *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini*.

Hinc orta ſæculo quarto Helvidii hæreſis, Deiparam, poſt Chriſtum in lucem editum, ac delibata Virginitate, filios non paucos ex Joſepho ſuſceptos aſſerentis, qui idcircò *Fratres Domini* in Euangelio dicti ſint. Helvidium non longo ſecutus eſt intervallo Bonoſus, neſcio quis, maleferiatus Epiſcopus, contra quem Siricius Rom. Pont. elegantiſſimam ad Theophilum Alexandrinum, & Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopos dedit Epiſtolam, quam nonnulli Divo Ambroſio tribuerunt: ac tùm ſæculo ſeptimo Hiſpani nonnulli, quos eodem luto hærentes data opera confutavit Divus Hildephonſus Toletanus Epiſcopus. Quin & hac ipſa ætate noſtra Calviniani Miniſtri fermè omnes Helvidii blaſphemiam probabilem ſententiam dicunt, aut certè fidei minimè repugnantem exiſtimant, quòd nullo diſerto Scripturæ teſtimonio refellatur.

Agunt illi quidem ex Sectæ ſuæ principiis, quæ uti nullam, niſi Scripturam Sacram fidei regulam novit; ita nullum fidei caput admittit, niſi quod plano, & aperto Scripturæ Oraculo muniatur. Quod enim ex Ezechielis 44. Cap. à Polemiſtis noſtris afferri ſolet, ut Deiparam etiam poſt Chriſti Domini ortum ad obitum uſque Virginem probent: *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam*: ſecundùm proprium, & nativum verborum ſenſum de Virgine Deipara dictum non eſt, ſed de porta Sanctuarii; nec niſi per allegoriam Virgini accomodatur à D. Ambroſio lib. de Inſt. Virgin. Cap. 7., à D. Hieronymo lib. 2. Contra Pelag., & à D. Aug. Serm. 2., & 14. de Nat. D., uti & alii nonnulli Veteris Teſtamenti typi ad hoc idem pro-

probandum accommodati: Rubus, videlicet, ardens, & incombuſtus, Exodi 3. Vellus Gedeonis cæleſti rore perfuſum, Judic. 6. Virga Aaronis ſola Dei virtute effloreſcens Num. 17., è quibus nullum efficax petitur argumentum.

Factum tamen benè, quòd, in eo fidei Catholicæ capite aſſerendò, altera nobis fidei regula ſuffragetur, conſtans, ſcilicèt, & imperturbata Eccleſiæ Traditio, Patrum per omnia ſæcula ſibi ſuccedentium ſuffragiis aſſerta, & confirmata; quæ uti Deiparam poſt Chriſtum in lucem editum ad obitum uſque Virginem colllit, ita filios ex ejus cum Joſepho inito conjugio ſuſceptos nullos agnoſcit.

II. Utque ab eo ipſo, quod lapis offenſionis, & petra ſcandali Helvidio fuit, probandi initium faciam: eam *fratrum, & Sororum Chriſti Domini* appellationem nonnullis in Euangelio attributam ſic ſemper Traditio Patrum intellexit, ut non homines eodem patre, ac matre genitos ſonet; (quæ preſſa, & ſtricta horum nominum ſignificatio eſt,) non homines ex Deipara poſt Chriſtum Dominum genitos denotet: ſed quoslibet proxima Chriſto Domino cognatione conjunctos, pro more, ſcilicet, & uſu Divinarum Scripturarum, ubi fratres, ſororeſque dicuntur, qui proxima cognatione, aut etiam affinitate juncti ſunt. Sic Abraham Loth Nepotem ſuum alloquens Genes. 13. v. 8. *Ne quæſo ſit jurgium inter me, & te, inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus.* Et Cap. 20. v. 12. Idem Abraham de Nepte ſua loquens: *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, etſi non filia matris meæ.* Et Cap. 29. v. 15. Laban Jacob generum ſuum alloquens: *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi?*

Ita concorditer Patres Traditionis Eccleſiaſticæ teſtes impia, atque blaſphema Helvidii interpretatione ſummo conſenſu rejecta. Quamquàm quales illi cognati fuerint, quave Chriſtum Dominum cognatione contingerent, nec uno ſenſu explicent, nec una ſententia.

Nonnulli Joſephi filios fuiſſe putant, non ex Deipara Virgine, ſed ex priori uxore ſuſceptos, antequam Deiparæ jungeretur. Ita diſſertè S. Epiphanius Hæreſi 78., S. Gregorius Nyſſenus, ſeu veriùs Heſichius Presbyter Hieroſol. Orat. 2. de Reſurrectione, Euſebius lib. 2. Hiſtoriæ Eccl. Cap. 1., S. Hilarius in Caput. 1. Matth., Nicephorus lib. 2. Hiſtor. Cap. 3., Amphilochius, Theophilactus, Ambroſiaſter. In quam etiam ſententiam inclinant S. Joannes Chryſoſt. Homil. 5. in Matth., & D. Ambroſius lib. de Inſtit. Virg. Cap. 6. Quæ verò prior illa Joſephi coniux extiterit, non omnes inter ſeſe conſentiunt. *Eſcam* alii dicunt: quod ex Apocryphis hauſtum monent Origenes, & Hieronymus; nempe ex pſeudepigraphis Euangeliis Petri, & Jacobi. Alii Mariam vocitant, quæ Jacobi minoris mater in Euangelio dicta eſt: ſed perperam, & incongruè. Cum enim Chriſto de Cruce pendente ſuperſtes eſſet Maria Jacobi mater, Marci 15. *Erant autem mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris*; conſequens eſſet, Joſephum, aut binas ſimul habuiſſe uxores, Mariam ſcilicet, illam, & Deiparam, aut priorem dato libello repudiaſſe, quod nemo dixerit prudens.

Alii cognatos illos, *fratres Domini* nuncupatos in Euangelio, ſororis Deiparæ

paræ Virginis filios putant, atque ita Chriſti Domini conſobrinos. Deiparæ ſiquidem Sororem fuiſſe Mariam Cleophæ dictam non obſcurè inſinuat Euangelium Joannis 19. *Stabant autem juxta Crucem Jeſu, Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleopha*. Ita D. Hieronymus lib. contra Helvidium Cap. 7., & Epiſt. 150. quæſt. 4., Theodoretus in Caput. 1. Epiſtolæ ad Galatas, & Beda in Caput 3. Marci. Hoc uno inter ſe diſſidentes, quòd Hieronymus Mariam illam Deiparæ ſororem Cleophæ dictam putet à Patre, cæteri à marito. Quamquam ſint alii benè multi, qui, cum Deiparam Virginem unigenitam putent, Mariam Cleophæ ſororem illius in Euangelio dictam volunt latiori ſenſu, ac titulo dumtaxat affinitatis, ſeu quòd Joſephi ipſius ſoror eſſet; quæ autem viri ſoror eſt, eadem dicitur & uxoris:) ut Egeſippo viſum eſt apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Cap. 11., ſeu quòd ambæ germanis fratribus Matrimonio junctæ eſſent, illa Cleophæ, iſta Joſepho, quos fratres fuiſſe arbitrantur: ſeu demùm quòd eſſent tantummodo Conſobrinæ.

Quovis tamen ſenſu cognatos illos fratres Domini in Euangelio dictos voluerint Patres, quavis illos cognatione, ſeu affinitate Chriſtum contigiſſe docuerint; in id redeunt univerſæ illorum ſententiæ, ut Helvidii blaſphemiam perinde rejiciant, & fratres illos qualeſcumque in Euangelio memoratos à Deipara Virgine poſt Chriſtum Dominum genitos inficientur. Quod primum Eccleſiaſticæ Traditionis adverſùs impiam hæreſim momentum eſto.

III. Accedit alterum paris formæ, & efficaciæ. Quòd vulgatum Matthæi dictum Cap. 1. v. 25. *Joſeph non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*, (unde conſequens eſſe voluit Helvidius, Joſephum Deiparam carnaliter cognoviſſe, poſtquam illa Chriſtum enixa eſt) ita ſemper Traditio Patrum intellexerit, ut omnem Helvidianæ interpretationi locum eripuerit; Deiparamque numquam à Joſepho congreſſu maritali cognitam pronunciarit.

Alii quippe Patres de cognatione carnali, ſeu de congreſſu maritali locutum Matthæum omninò negant: ſed de notitia dignitatis, & excellentiæ Deiparæ Virginis, quam nondum plenè, antequam Chriſtum pareret, cognoviſſet Sanctiſſimus Sponſus. Sic ſanè S. Epiphanius Hæreſi 78., Auctor Operis imperfecti in Matthæum; diſertiſſime verò Auctor Sermonis de Natali Domini apud Athanaſium, cujus hæc verba ſunt ingenioſa æquè, ac pia: *Verè non cognoſcebat illam Joſeph, donec peperit filium ſuum primogenitum; quamdiu, ſcilicet, Virgo ipſa, quem conceperat, ferebat in ventre. Namque Joſeph quid in ea lateret ignorabat, & quale, quantumve illud eſſet, & quem ad finem res ſpectaret, non antea perſpectum habuit, quàm Virgo peperit. Tunc enim quanta eſſet ejus virtus, ac dignitas divinitùs ei collata manifeſtè cognovit. Tunc vidit mammam Infanti à Virgine datam, cujus virginalis flos intactus permanſerat. Tunc vidit, Virginem peperiſſe quidem, ſed nihil eorum ſenſiſſe, quæ parturientes pati ſolent. Tunc cognovit, petram illam de montis vertice abſciſſam mammam ſugendam dediſſe petræ illi ſpirituali, quæ mentis lumine comprehenditur. Tunc cognovit Joſeph clariſſimi præconis Prophetam Iſaiam de Virgine illa hoc ſcripſiſſe: Ecce Virgo concipiet.*

Alii

Digitized by Google

Alii cognitionem, de qua dixit Matthæus, interpretantur, uxoris, ut ita dixerim, acceptionem, quæ cognoſcendi jus eſt: quaſi Joſeph Mariam non acceperit in uxorem, donec peperit; cum antea eſſet illi tantummodò ſimpliciter deſponſata. S. Hilarii interpretatio eſt in eum Matthæi locum: *Cum antea deſponſata eſſet, in conjugem accipitur. Cognoſcitur itaque poſt partum, ideſt, tranſit in Conjugis nomen. Cognoſcitur, non admiſcetur. Ergo & Conjugis nomen ſponſa ſuſcipit, & poſt partum in conjugem recognita tantùm Jeſu Mater oſtenditur.*

Alii cognitionem ex facie intelligi malunt: quaſi Deiparæ vultus ſtatim à Divini Verbi conceptione tanto fulgore coruſcarit, ut à Joſepho nec aſpici, nec cognoſci poſſet, donec conceptum fœtum effuderit. Quæ pſeudo-Hilarii à D. Thoma laudati in Catena Aurea ſententia fuit.

Alii longè veriùs, cùm de cognitione carnali, ſeu de congreſſu maritali locutum Matthæum fateantur, illius tamen verba ſic accipiunt, ut congreſſum, antequam Chriſtum Virgo pareret, nullum habitum ſignificent; poſtea tamen habitum, nullatenus innuant. Quod ea plerumque ſit particulæ *donec* vis, ac poteſtas, ut rem non antea factam ſimpliciter notet, num verò de cœtero facta fuerit, planè ſileat. Sic Geneſis 8. v. 7. *Corvus non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ*: ante ſiccatas aquas corvum non eſſe reverſum ſignificat, non ideò tamen reverſum illum innuit, ex quo exſiccatæ ſunt aquæ, quem potiùs liquet, numquam eſſe reverſum. Job Cap. 27. v. 5. *Non recedam ab innocentia mea, donec deficiam*, ſeu donec moriar: quamdiu quis vivit, ab innocentia non recedendum ſignificat; non ideò tamen recedendum innuit, ex quo vivere deſiit, cum potiùs nemo poſt mortem ab innocentia recedere poſſit, qui ab ea, dum viveret, non receſſit; Pſalmo 119. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*: ante ſuſceptam Dei miſericordiam oculos ab illo non avertendos ſignificat; non ideò tamen avertendos innuit oculos à Deo, ſuſcepta illius miſericordia; cùm potiùs multò magis tunc ad eum convertendi ſint. Iſajæ 46. juxta ſeptuaginta Interpretes, *Donec ſeneſcatis, ego ſum, dicit Dominus*: ſeneſcentibus, ac pereuntibus Deum perennare ſignificat; non ideò tamen illum eſſe deſinere innuit, poſtquam illi ſenuerint, ac perierint, quem conſtat æternum eſſe. I. Cor. 15. v. 25. *Oportet, illam regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*: Chriſtum, dum illi interim ſubjiciuntur inimici, regnare ſignificat; non ideò tamen poſtquam illi ſubjecti fuerint, finem habiturum innuit regnum ejus, quod liquet, tunc glorioſius eſſe futurum. Ita planè quòd nunc verſamus Matthæi dictum, *Joſeph non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum*, eo ſenſu plerique Patres accipiunt, ut Joſephum, antequam Virgo Chriſtum pareret, eam non cognoviſſe ſignificet; quin tamen idcircò innuat, poſtquam illa Chriſtum peperit, cognoviſſe, quam contrà nunquam cognoviſſe certiſſimum eſt. Divi Joannis Chriſoſt. explicatio eſt Homil. 5. in Matth., S. Gregor. Nazianz. Orat. 36., S. Hieronymi lib. contra Helvidium, S. Iſidori Peluſiotæ Epiſt. 18. ad Herminium.

Quamquàm verò ſingulæ loci hujus Euangelici interpretationes à laudatis Patribus datæ non omninò congruant; in id tamen conſonant univerſæ, ut Helvidii errorem explodant, Deiparamque numquam à Joſe-

pho maritali congreſſi cognitam probent; quod hic ſuſcepimus demonſtrandum.

IV. Idem evincere facilè fuerit ex Patrum interpretatione alteri loco Euangelico data, qui perindè Helvidio fucum fecit. Matthæi Cap. 1. *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*: niſi de eo in antecedentibus cumulatiſſimè dictum eſſet, undè recta illius intelligentia repetenda eſt.

V. Sed quid opus eſt multis, quidve privata Patrum ſuffragia corradere neceſſe eſt, ut catholicam veritatem adversùs Helvidianos ponamus in tuto? Cùm hanc ipſam dedita opera, ac principe ſtudio totius Eccleſiæ nomine vindicarint Epiphanius Hæreſi 78., quæ eſt Antidicomarianitarum, Siricius Rom. Pont. Epiſt. 5. ad Theophilum Alexandrinum, & Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopos, contra Bonoſum, S. Ambroſius lib. de Inſt. Virgin. Cap. 6., S. Hieronymus libro integro de perpetua virginitate B. Virginis contra Helvidium, S. Hildephonſus, altero paris tituli vulgato libello, S. Bernardus Serm. 37. in Cantica, quibus obiter præluſit Origenes Homil. 7. in Lucam.

Unus tota retrò antiquitate inventus eſt Tertullianus, qui libro de Monogamia eliquatiſſimæ veritati repugnarit; Mariam poſt natum Jeſum *conjugale ſolviſſe debitum* inquiens. At, dum hæc ſcriberet Tertullianus, ab Eccleſia jam ſeceſſerat factus Montaniſta. Qua conſideratione excitatus Hieronymus lib. contra Helvidium Cap. 9. ita ejus teſtimonium eliſit: *De Tertulliano nihil ampliùs dico, quàm Eccleſiæ hominem non fuiſſe. Subſequens error detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.*

Non ita profectò Baſilius cognomento Magnus, quem iniquè traducit Caſaubonus, tanquam Helvidio faventem: quòd nempè Homilia 25. *de Humana Chriſti generatione* docuerit, *nihil pietati doctrinæ officere*, ſi dicatur, B. Virginem alios poſt Chriſtum Dominum filios peperiſſe. Nihil tale Sanctiſſimus Doctor, ſed aliud longè in animo, in oculis habet. Interpretatur nimirum hoc loco Oraculum Iſajæ, *Ecce virgo concipiet*, quo ſimpliciter prædictus eſt partus virgineus, quo Chriſtus in lucem edendus erat; de Virginitate autem poſt partum illum ad mortem uſque ſervanda à Chriſti Domini Matre nihil pronunciat ſacrum Oraculum. Quare rectè Baſilius monet, nihil doctrinæ Prophetiæ hujus officere, ſi dicatur, Beatam Virginem alios poſt Chriſtum filios peperiſſe; minimè tamen innuit, nihil id officere generali Eccleſiæ Catholicæ doctrinæ. Imò expreſsè ſubjungit: *Aures hominum Chriſti amantium non ſuſtinent hoc audire, quòd Dei Genitrix aliquando Virgo eſſe deſierit.* Quod vel unum Helvidio jugulum petit.

VI. Abiret nimis in longum ſuſcepta Diſputatio, ſi qua fide Eccleſiæ Catholicæ adverſus Helvidianum errorem Traditionem expendi; ita quæ ſecum ferat impia, & abſurda ſpurciſſimus error, percenſere velim accuratè, ac diligenter. Peſtringam tamen leviter, ac per ſumma capita, ne quid deſiderari à nobis poſſit.

1. Deiparæ filios poſt Chriſtum in lucem editam procreatos comminiſcitur, quos Chriſto ipſo ætate provectiores fuiſſe compertum eſt. Jacobus enim, & Simon, ſeu Simeon, qui fratres Domini dicuntur Matth. 13. v. 55.

3. v. 55., Chriſto annis longè majores extitere: ſi qua fides Euſeb io lib. 3. Hiſtoriæ Cap. 32., Epiphanio Hæreſi 78., Gregorio Nyſſeno, ſeu Heſichio Presbytero Hieroſol. Homil. 2. de Reſurrectione,

2. Virginem Deiparam, ſin minùs adulteram, at certè ſacrilegam facit; quæ poſt emiſſu n virginitatis votum, de quo tam multa in antecedentibus diximus, operi conjugali vacaverit.

3. Eadem impietate, eodemque ſacrilegio Joſephum implicat, Namque & is, ſin minùs dum Mariam conjugem duxit, at certè dum ejus fœcunditatem monente Angelo intellexit voto ſeſe Virginitatis obſtrinxit. De quo perinde diximus loco ſuo;

4. Deiparæ dignitati injuriam irrogat longè maximam. Quaſi hæc Chriſto Domino Filio Dei, & ſuo minimè contenta, alios filios procreare voluiſſet,

5. Joſephum templi Spiritus S. profanum violatorem facit; qui illius ſponſam virili ſemine polluere attentaſſet.

Quibus conſiderationibus permoti Eccleſiæ Patres, Helvidianam hæreſim, impiam, ſacrilegam, fœdiſſimam, ſpurciſſimam vocitarunt; eamdemque eo nomine proſcripſit; damnavitque quinta Synodus OEcumenica, *Mariæ Virginitatem ante partum; in partu, & poſt partum interminabilem* dicens,

VII. Eo ſe fortè titulo circumſpiciet fœda Hereſis, quòd plures alios ſecundùm naturam filios Chriſto adjungens, *primogeniti* titulum, quem Chriſto adjudicat Evangelium Matth. 2. v. 7. fœliciùs tueatur, ac vindicet. Ineptè profectò, ac etiam ſtultè. Chriſtus enim perinde primogenitus Virginis eſt, quamquam fratres ſecundùm naturam poſt ipſum genitos nullos habeat. Neque enim primogenitus dicitur, poſt quem natus eſt alter, ſed ante quem natus eſt nullus; ſeu qui primus prodit ex utero, ut ex cap. 18. Numerorum colligere eſt. Aliàs, cum Deus in Veteri Teſtamento primogenita hominum, mundorumque animantium ſibi juſſit offerri, Unigenita rejeciſſet: tamdiuque, ut offerentur primogenita, ſpectandum fuiſſet, donec ſecundò genita naſcerentur; ne fortè partu altero non ſecuto, unigenita tantùm, non primogenita cenſerentur. Quæ D. Hieronymi, ad Helvidii audaciam retundendam, obſervatio eſt,

EXERCITATIO XLI.

De Stirpe Chriſti Domini. Sit ne Chriſtus ortus è Tribu per Davidem: An autem ex Tribu Juda Levi.

1. NIhil in veteri Teſtamento frequentiùs inculcatum eſt, quàm promiſſum à Deo Meſſiam è Tribu Juda fuiſſe naſciturum, ac ſpeciatim è Davidica ſtirpe, quæ inter omnes Judaicæ Tribus familias nobiliſſima erat. Iſajæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Et v. 10. *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*. Quæ de Meſſia ex Davide Jeſſe filio originem habituro dicta eſſe, nemo neſcit. Unde & Deus de Davide loquens Pſal. 88. v. 30. *Ponam*, inquit, *in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies Cæli*: quod in Meſſia ex Davidis ſemine orituro impletum eſt, cujus regnum æternum futurum erat juxta promiſſum Davidi ſub juramento datum Pſal. 131. v. 10. *Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui. Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*.

Illud ergo ſummo ſtudio quærendum, an Jeſus noſter ex Judæ Tribu ſit ortus, ac ſpeciatim ex familia Davidica Judaicæ Tribus nobiliſſima. Fuere quippe non pauci Chriſtianæ Religionis hoſtes, qui, ut Jeſu noſtro Meſſiæ dignitatem eriperent, eumdem non ex Davidica ſtirpe, non ex Judæ Tribu oriundum, ſed potiùs ex Levitica procreatum commenti ſunt. Ita Celſus, contra quem Origenes; Porphyrius, contra quem Hieronymus; Julianus apoſtata; contra quem Cyrillus; Tatianus, contra quem Theodoretus; Fauſtus Manichæus, contra quem Auguſtinus data opera calamum acuerunt.

Triplici momento nituntur Chriſtianæ Religionis hoſtes. 1. Quòd Lucas Cap. 3. Euangelii ſtemma genealogicum adornans Chriſti noſtri per avos, atavoſque aſcendat ad Nathanem uſque, quem dicit Davidis filium extitiſſe: *Qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David*. Porrò, ſubjungunt ii, Nathan non verus, propriuſque ſecundùm naturam Davidis filius erat, ſed adoptivus dumtaxat, ex Uria Sacerdote de Tribu Levitica procreatus: quem, ſcilicet, in filium adoptaverat David, poſtquam Berſabeam uxorem Uriæ polluit adulterio, ſibique copulavit. Non itaque è Tribu Juda, & ex familia Davidica ortus eſt Jeſus noſter.

2. Quòd Jeſu Chriſti genus multò certiùs petendum ſit ex Maria Matre, quàm ex patre Joſepho: cum is à Matre Virgine, non à patre originem duxerit. Maria autem Jeſu Mater erat de Tribu Levi. Quandoquidem habetur Lucæ 1. cognatam illam fuiſſe *Eliſabeth de filiabus Aaron Uxoris Zachariæ Sacerdotis*. Ex illa itaque Tribu Jeſus erat.

3 Quòd non deſint Eccleſiæ Patres, qui Chriſtum Summum legis no-

væ,

væ, æternumque Sacerdotem ortum dicant de genere Sacerdotali, quod uni Leviticæ Tribui aſſertum erat.

Quapropter, niſi Meſſiæ titulum Jeſu noſtro iniquè eripi patiamur, id ſummo ſtudio probandum incumbit, illum è Tribu Juda, ac ex ipſa etiam Davidis familia ortum ducere. Verùm in eo evincendo, probandoque, haud levis eſt labor, imò à multis fruſtra poſitus.

II. Id etenim ut evincant Theologi benè multi, Sacrarumque Scripturarum Interpretes, Euangeliorum oracula colligunt benè multa, quibus liquet, Joſephum Chriſti Jeſu patrem de domo, & familia David extitiſſe: quaſi inde conſequens eſſe debeat, Chriſtum ipſum ex eadem quoque Tribu, familiaque Davidica traxiſſe originem. Equidem ubivis iſtiuſmodi teſtimonia obvia ſunt. Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria*. Lucæ 2. rationem afferens idem Euangeliſta, cur Joſeph juxta edictum Cæſaris Auguſti in Bethleem deſcribi debuerit, quæ Davidis Civitas erat in Tribu Juda, ait: *Eò quòd eſſet de domo, & familia David*. Explicatiùs verò Matthæus Cap. 1. Joſephi genealogiam adornans, eamdem ab Abrahamo, per Judam Jacobi filium, ac tum per Davidem, & Salomonem recta linea, rectoque filo deducit ad Joſephum uſque Mariæ virum. Ut planè nil certius, nihil apertius, quàm fuiſſe Joſephum de Tribu Juda, ac de familia Davidis. Verùm unde habent Theologi illi, conſequens inde eſſe, ut ex eadem quoque Tribu, atque familia Chriſtus ipſe originem duxerit? Id utique certa, ac neceſſaria conſecutione colligeretur, ſi Joſeph Chriſti pater ſecundùm naturam extitiſſet. At cùm ille, non ex Joſephò, ſed ex Maria dumtaxàt originem traxerit; nihil inde ad Chriſti Domini genus colligendum extundi poteſt, niſi hoc alterum perinde probetur: Deiparam Virginem, quæ ſola Parens illius jure naturæ vera eſt, ex Tribu Juda, familiaque Davidica originem ducere.

Haud me fugit, contendere Theologos illos, & hoc quoque ſatis, ſuperque probatum eſſe, Virginem, ſcilicet, ex Tribu Juda, familiaque Davidica prognatam eſſe, ex quo Joſeph illius Sponſus ex ea familia, ac Tribu ortus oſtenditur. Quia cùm ambo juſtiſſimi eſſent, non fuerunt Matrimonio juncti, niſi ſecundùm præſcripta Moſaicæ legis, quæ Matrimonia vetabat fieri, niſi inter homines ejuſdem Tribus, ac etiam ejuſdem cognationis, atque familiæ; ne Tribuum, & familiarum bona abalienarentur. Numer. 36. *Filiæ nubant, quibus volunt; tantùm ut ſuæ Tribus hominibus nubant: ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de Tribu in Tribum ..... Omnes viri ducent uxori de Tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient; ut hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur Tribus, ſed ita maneant, ut à Domino ſeparatæ ſunt.*

Id prima quidem fronte efficaciſſimum videtur, ac planè decretorium. Verùm, ſi res penitiùs attendatur, lex illa exceptiones patitur benè multas, atque ex ipſa legis ratione petitas; & exemplis frequentiſſimis confirmatas: uti monent Paulus Burgenſis, Cajetanus, Andreas Maſius, Mariana, Bonfrerius, aliique Sacrarum Scripturarum Interpretes.

pretes. Cum enim idcircò fuerit lex illa conſtituta, ne Tribuum poſſeſſiones per dotes filiabus conſtitutas permiſcerentur, tranſirentque de Tribu in Tribum; conſequens eſt, 1. ea lege fuiſſe ſolutas filias de Tribu Levi; quandoquidem Levitica Tribus nullas poſſeſſiones in partitione Terræ promiſſæ à Deo ſuſceperat: Deuter. Cap. 10. *Non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt.* 2. Conſequens eſt, ea lege fuiſſe ſolutas filias pauperculas, quæ abſque conſtituta ſibi dote, abſque ulla parentum hæreditate Matrimonio jungebantur. 3. Ea lege fuiſſe ſolutas puellas etiam prædivites, ac pingui hæreditate donatas, modò hæreditatem, quæ illis obtigerat, repudiarent, & avitis juribus cederent. Ceſſante enim fine legis, ceſſat & lex.

Pateſcit id longè clariùs ex Verſionibus, Arabica, Syriaca, ac etiam Septuaginta Interpretum; ubi quod in Verſione vulgata noſtra expreſſum non eſt, diſertiſſimè declaratur: *Quacumque filia poſſederit hæreditatem ex Tribu filiorum Iſrael, alicui ex Tribu domus patris ſui nubat; ut poſſideat quiſque filiorum Iſrael hæreditatem patris ſui.* Confirmatur etiam exemplis: Nam Aaron de Tribu Levi uxorem duxit Eliſabeth filiam Aminadab de Tribu Juda, Exodi 6. v. 23. David de Tribu Juda uxorem duxit Michol de Tribu Beniamin, 1. Reg. 18. Jojadas de Tribu Levi uxorem duxit Joſabeth filiam Joram de Tribu Juda, 2. Paralip. Cap. 22. Quid etiam quòd Judicum Cap. 21. Undecim Tribus jurarunt, ſe Tribu Beniamin non daturas filias propter ſcelus à Beniaminis perpetratum. Quod utique in pœnam, & ex vindictæ ſenſu non erant juraturæ Tribus illæ, ſi aliàs connubia illa ex communi lege prohibita fuiſſent.

Potuiſſet ergo Joſeph, quamquam de Tribu Juda, ac de domo David originem duceret, Mariam ſibi Conjugem ſumere ex Tribu Juda minimè prognatam, integra, ac ſalva Moſaica lege; modò illa, vel ex Tribu Levitica prognata eſſet, quod utique volunt adverſarii: vel etiam quacumque ex Tribu orta eſſet, modò paupercula eſſet, ac ſine hæreditate; quod creditu facile eſt, cùm fabro juncta fuerit: aut modò paternam hæreditatem repudiaret, ſi fortè dives eſſet, & hæres ex aſſe relicta. Adeòque non illicò probatum manet, Virginem Deiparam ex Tribu Juda, atque ex Davidis familia prognatam eſſe, ex quo Joſeph Sponſus ejus ex ea familia, atque Tribu prognatus oſtenditur.

Addiderim ex D. Gregorio Nazianzeno in Carmine de Chriſti Genealogia, legem illam de conjugiis intra eaſdem Tribus, atque familias contrahendis à tempore Captivitatis Babylonicæ prorsùs exoleviſſe, Tribuſque invicem Matrimoniis permixtas fuiſſe, atque confuſas: uti & bona poſt ſolutam Captivatem confuſa erant, atque permixta. Quod vel ipſius Joſephi exemplo compertum eſt, qui, cùm eſſet de Tribu Juda, habitabat in Nazaret de Tribu Zabulon. Nihil itaque lex illa Numerorum 36. obeſſe poterat, quominùs Joſeph Mariam, tametſi minimè Contribulem, uxorem duceret.

III. Eo ergo oblegato futili fundamento, Catholica veritas aliunde petenda eſt; ut Chriſtum è Tribu Juda, & ex Davidica familia prognatum ineluctabilitèr evincamus.

Hujus

Hujus rei decretorium teſtimonium habemus apud Apoſtolum, non uno, alterove loco, ſed tribus omninò. Ad Hebræos Cap. 7. *Manifeſtum eſt, quòd ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Imò probat ibidem ex inſtituto, Jeſum novæ legis Sacerdotem, & veteris conſummatorem ex alia Tribu fuiſſe oriundum quàm ex Levitica: *Si conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc neceſſe fuit, ſecundùm Ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm Ordinem Aaron dici?* Quo nihil difertius deſiderari à quoquam poteſt. Tum ad Romanos Cap. 1. de Chriſto Jeſu: *Qui factus eſt*, inquit, *ex ſemine David ſecundùm carnem.* Et 2. ad Timotheum 2. *Memor eſto Dominum Jeſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David.*

Confirmat hoc vel maximè, quòd Chriſtus ſæpenumerò in Euangelio Davidis Filius nuncupetur, non modò à Judæis; Divinam ejus ex Virgine generationem ignorantibus; qui cum eum Joſephi Filium crederent, Davidis quoque, ex quo Joſephum prognatum noverant, Filium reputabant: verùm etiam ab iis ipſis, qui illibatæ ipſius generationis Myſterium noverant; nempe à Matthæo ipſo Euangelium inchoante his verbis: *Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham*: ab Angelo Gabriele Lucæ 1. ad Virginem parituram legato: *Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Nec obeſt, ſi dixeris, Joſephum quoque Chriſti patrem ab iis ipſis in Euangelio nuncupari, qui eum ſola opinione patrem agnoſcerent, nempe ab ipſa Virgine Matre, Lucæ 2. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sat benè enim (ex Guillelmi Eſtii ſentẽtia) in antecedentibus demonſtravimus, Joſephum, non ſola opinione Patrem Chriſti Domini extitiſſe, ſed verè, ac jure ſummo, titulo, ſcilicet Matrimonii veri cum Virgine Matre initi, quamquàm non titulo copulæ conjugalis, quam cum illa nuſpiam habuit.

IV. Accedit ad cumulum probationis, quòd Virgo Deipara, ex qua Chriſtus verè, ac propriè carnalem originem traxit, de domo, & familia David extitiſſe convincatur. Liquet id ex Hiſtoria à Luca Euangeliſta deſcripta Cap. 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis, & ibant omnes, ut profiterentur ſinguli, in ſuam Civitatem. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, eò quòd eſſet de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Ex quo ita colligo ad ſtatutæ veritatis probationem. Unuſquiſque ex edicto Cæſaris Auguſti tenebatur deſcribi in Civitate ſua, ſeu in Civitate, quæ familiæ ſuæ caput eſſet: *Ibant omnes, ut profiterentur ſinguli, in ſuam Civitatem*: Et Joſeph ipſe idcircò aſcendit in Bethleem Civitatem David ibidem deſcribendus, *eò quòd eſſet de domo, & Familia David.* Porrò aſcendit ille, *ut deſcriberetur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*; erat igitur & ipſa de eadem domo, atque familia. Alioquin in alia Civitate, alterius, ſcilicet, Tribus deſcribenda fuiſſet, ſi ex alia Tribu duxiſſet originem.

Neque enim fingi poteſt, eam aliàs fuiſſe deſcriptam in alia Civitate alterius Tribus; veniſſe autem in Bethleem, non ut ibi deſcriberetur & ipſa, ſed ut viro ſuo deſcriptionem pergenti faceret comitatum. Ea quippe

Digitized by Google

pe verba, *cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*, non conjungit Euangeliſta cum verbo illo remotiſſimo *aſcendit Joſeph*, ſed cum verbo conjunctiſſimo *ut profiteretur*. Deinde niſi & ipſa Virgo ea in Civitate deſcribenda fuiſſet, incredibile eſt, Joſephum uxorem prægnantem, ac etiam partui proximam longæ viæ comitem, ſociamque è Galilæa in Judæam fuiſſe adducturum, non modò inutiliter, verùm etiam incommodè. Id itaque certum, indubitatumque, fuiſſe Mariam unà cum Joſepho Bethleemi deſcriptam, quòd & ipſa, non ſecùs ac Joſeph, eſſet de domo, & familia David.

V. Nunc Catholica veritate adverſus Gentiles, Judæos, & Apoſtatas bono in lumine collocata, reſtat, ut ad eorum momenta diluenda animum convertamus.

Agite itaque, videamus. Nathan, inquiunt illi, per quem ſtemma genealogicum à Davide ad Chriſtum deducit Lucas, verus non fuit ac ſecundùm naturam Davidis filius, ſed adoptivus ex Uria Sacerdote de Tribu Levitica procreatus, quem ſibi David adoptavit, in filium, dum Berſabeam uxorem Uriæ ſibi copulavit: non itaque de Tribu Juda per lineam Davidis ortus eſt Chriſtus, ſed veriùs de Tribu Levi.

Itane verò, non fuit Nathan verus Davidis Filius? Imo verus, veriſſimuſque perinde, ac Salomon. 1. Reg. Cap. 5. *Hæc ſunt nomina filiorum, qui nati ſunt David in Jeruſalem, Samna, & Sobab, & Nathan, & Salomon*. Et lib. 1. Paralip. Cap. 3. *In Jeruſalem nati ſunt ei filii, Samna, Sobab, & Nathan, & Salomon; quatuor de Berſabea filia Ammiel*; Nathan itaque natus eſt Davidi filius, non adoptatus à Davide. Putidumque figmentum eſt, quod nonnulli ſomniarunt, Chriſti progenitores ab Heli uſque ad Nathan à Luca recenſitos Summos fuiſſe Sacerdotes de Tribu Levi. Quandoquidem Joſephus lib. 20. Antiq. Judaic. Cap. 8. ſeriem Pontificum edens, neminem recenſet eorum, qui à Divo Luca inter Chriſti progenitores ſunt adnotati. Quamquam etſi daremus, Nathan verum Uriæ filium eſſe, non Davidis, perperam inde colligerent nugivendi, Chriſtum è Tribu Levitica prognatum eſſe. Unde enim habent, quod tanta fiducia dictitant, Uriam de Tribu Levi fuiſſe, ac etiam Sacerdotem? Imò erat ille longè veriùs de Tribu Juda. Is quippe ſexcentis plus minus vicibus in libris Regum vocatur *Hethæus* à patria; quæ regio in partitione Terræ promiſſæ ceſſerat in ſortem Tribui Juda.

VI. Subiungunt in erroris ſui præſidium, Mariam Jeſu Matrem fuiſſe de Tribu Levi; propterea quòd cognata ejus Eliſabeth ea de Tribu prognata eſſet de filiabus Aaron. Verùm quàm parùm ea conſecutio ex eo principio fluat, ex antedictis manifeſtum eſt. Potuit quippe Eliſabeth, quantumvis de Tribu Levi oriunda, cognata eſſe Beatæ Virginis, ortæ licèt de Tribu Juda: vel quia Eliſabethæ progenitorum aliquis uxorem duxit de Tribu Juda: vel quia viceverſa progenitorum aliquis Deiparæ Virginis uxorem duxit de Tribu Levi. Quod ſalva, & integra lege Moſaica fieri potuiſſe, plus ſatis oſtenſum eſt.

VII. Opponunt ultimò Patres nonnullos ultrò citròque fateri, Chriſtum Dominum ex genere Sacerdotum ortum eſſe, atque ita de Tribu

Levi-

Levi. (S. Aug. lib. 2. de Conſ. Cap. 2., Hilar. in Cap. 1. Matth., Greg. Naz. in Carmine Do manus, id aſſeruiſſe nonnullos; at bona illorum venia, minùs vere, & contra diſertum Apoſtoli dictum ad Romanos 7. *Manifeſtum eſt, quòd ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Addo tamen, nihil Patres illos Judæis, eorum teſtimonio abutentibus, ſuffragari. Quandoquidem Chriſtum, non ſolo Sacerdotali genere ortum dicunt, ſed utroque ſimul, *Regum, ſcilicet, & Sacerdotum*. Regium autem genus in Judæ Tribu perennabat. Adeòque tametſi Chriſtum è Tribu Levi ſenſu quodam ortum obſervent, ob inita, ſcilicèt, inter utramque Tribum Matrimonia; eumdem tamen ſimul, ac multò veriùs, è Tribu Juda ortum agnoſcunt.

Quocirca notatum hìc maximè velim, Nathanem Davidis filium, per quem Lucas ſtemma Chriſti Genealogicum deduxit, alium longè eſſe à Nathane Propheta, qui Davidem de adulterio reprehendit. Prior enim natus eſt in Jeruſalem, alter in Gabbath Galilææ; junior ille, ſenior iſte; ille de Tribu Juda, utpote filius Davidis; iſte incerta Tribu, quem tamen Levitem fecere nonnulli: quo duplici errore decepti, Chriſtum ex Nathane ſecundùm Lucam procreatum è Levitica Tribu commenti ſunt. Apoſtolo, ut ſæpè monuimus, repugnante. Ita planè ſtatuit Auguſtinus lib. 1. Retr. Cap. 26., contra quod antea docuerat lib. 83. quæſt. 61.

Cæterùm ad uberiorem generis Chriſti Domini notitiam comparandam, graviſſimaſque ea de re obortas difficultates eliquandas, de bina Chriſti genealogia à Matthæo, & Luca deſcripta diſſerendum eſt.

Nn EXER-

EXERCITATIO XLII.

De gemina Chriſti genealogia à Matthæo, & Luca deſcripta. Quo pacto ſecum invicem concilientur?

I. LAbirintum ingredior hodie intricatiſſimum, unde emergere difficillimum ſit. Geminam Chriſti Domini genealogiam intelligo, à Matthæo, & Luca deſcriptam infinitis difficultatibus implicitam, in quibus diluendis, enodandiſque plerique Eccleſiæ Patres, ac Scripturarum Interpretes deſudarunt. Eæ verò ad duo maximè capita revocantur, de quibus nobis eſt diſſerendum, ad integram, plenamque Chriſti Domini proſapiæ intelligentiam ſtudioſæ Juventuti tradendam. Primùm, quo pacto geminæ Genealogiæ ſecum invicem concilientur: Alterum, qua ratione cum Veteris Teſtamenti Hiſtoria congruant. De primo dicendum nunc, de altero in ſequenti.

II. Itaque, ut preſſiùs propoſitam quæſtionem attingam, triplicem utriuſque genealogiæ a ſe invicem diſcrepantiam, & diſſonantiam ob oculos ponam, quò ſimpliciùs implexæ, ac ſalebroſæ difficultates enodentur. Matthæus ergo Cap. 1. Euangelii, Chriſti genealogiam à Davide ducit per Salomonem, inquiens: *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, qua fuit Uriæ: Salomon autem genuit Roboam*. Lucas verò Cap. 3. eamdem genealogiam à Davide deducit per Nathanem, alterum ejuſdem filium, ſcribens ordine retrogrado. *Qui fuit Mena, qui fuit Nathan, qui fuit David* &c. Tum poſtea, Matthæus à Davide ad Joſeph Jeſu Chriſti patrem deſcendens, progenitores percenſet omninò diſtinctos ab iis, qui ſunt à Luca recenſiti, ſolis exceptis Salathiele, & Zorobabele, qui in utraque genealogia perinde notantur; quibus tamen patrem Jechoniam Matthæus aſſignat dicens: *Jeconias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*. Patrem verò Nerium Lucas attribuit inquiens: *Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*, videlicet, filius. Matthæus demum Jacob Joſepho patrem aſſignat ſcribens: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ*: Lucas verò Heli Joſepho patrem attribuit ſcribens: *Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*.

Expediendi, extricandique hujuſce triplicis nodi duæ potiſſimæ apparent viæ à magnis olim ingeniis excogitatæ. Primam, eamque planiſſimam Julius Africanus aperuit ineunte ſæculo tertio, quam ſecutis inde temporibus plerique Patrum, veterumque Scriptorum tenuerunt, Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 7., S. Hieronymus in Coment. ad Cap. 1. Matthæi, Gregorius Nazianzenus in Carmine de Chriſti genealogia, S. Ambroſius lib. 3. in Lucam Cap. 1., S. Auguſtinus lib. 2. Retractationum Cap. 7., & 12. (quamquam de ea antea dubitaſſet) Theophylactus, & Euthymius in Cap. 3. Lucæ, Nicephorus lib. 1. Hiſt. Eccleſ.

Eccleſ. Cap. 1 ∞, S. Thomas 3. par. quæſt. 31. art. 3. ad 2. Quam etiam conciliationis viam idem Julius Africanus à Chriſti ipſius Cognatis monſtratam conteſtatur, Epiſt. ad Ariſtidem: *Cognati*, inquit, *Salvatoris noſtri, ſive ad oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſive ut ſimpliciter rem docerent, veraci utique ſermone nobis hæc tradiderunt*. Matthæum, ſcilicèt Chriſti progenitores ſecundùm naturam percenſuiſſe: Lucam verò ſecundùm legem; quo vel uno objectæ omnes ſpecioſæ diſſonantiæ in concordiam revocantur.

Quod ut faciliùs percipiat ſtudioſa Juventus, recolenda lex eſt in Deuteronomio lata Cap. 25. v. 5. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael*. Quo caſu, filius ex ſecundo illo Matrimonio procreatus ſecundùm naturam quidem ſecundi mariti filius erat; ſecundùm legem tamen prioris mariti filius cenſebatur; quia non alio titulo genitus erat, quàm ut prioris ſinè liberis extincti ſemen ſuſcitaretur in Iſrael: unde & primo naſci dicebatur filius, non ſecundo. Hanc porrò legem, non de ſolis fratribus ſtrictiori ſenſu acceptis, eodem, ſcilicet, patre, ac matre genitis latam fuiſſe; ſed & de fratribus latiori ſenſu pro more Scripturarum acceptis, cognatis, ſcilicet, & propinquis intelligi oportere, ex Ruthæ hiſtoria preſpectum eſt, Capite 4., ubi, Chelione Ruthæ marito ſinè liberis defuncto, de jure ducendæ viduæ relictæ non ſtricti nominis fratres contendunt, ſed Cognati, atque propinqui; eamdemque Boos tandem obtinuit Chelionis defuncti, non frater utique, ſed propinquus.

Secundùm hanc itaque legem, (quæ & Leviratus dicta eſt, quia Levir mariti fratrem ſonat,) Heli ſinè liberis defuncto, viduam relictam in uxorem accepit Jacob; ſeu quòd eſſent illi fratres uterini, eadem quidem matre, non eodem tamen patre nati, ut putant aliqui; ſeu quòd propinqui, atque cognati dumtaxat eſſent: ſuſceptuſque ex eo Matrimonio Joſephus filius perinde dictus eſt Jacob à Matthæo, & filius Heli à Luca: prioris, inquam, filius ſecundùm naturam, à quo re ipſa genitus eſt; alterius verò ſecundùm legem Leviratus, cui ob ſuſcitatum ipſius ſemen eſt attributus. Quare nil mirum, ſi ea ſemel facta Joſephi parentum diſtinctione, Jacob nimirum, & Heli, utramque Chriſti genealogiam proſequantur Matthæus, & Lucas per avos, atavoſque omninò diſtinctos, & alius quidem ad Davidem per Salomonem perveniat, alius per Nathanem. Cum enim nonniſi uterini fratres eſſent Jacob, & Heli, aut etiam nonniſi Cognati, atque propinqui, alios profectò avos, atavoſque habebant, per quos aſcenſus ad primum ſtipitem factus eſt. Quòd autem Salathieli, & Zorobabeli, qui in utraque genealogia perinde notantur, patrem Jeconiam Matthæus aſſignet, Nerium verò Lucas; pari (ut antea de binis Joſephi parentibus diximus) caſu factum creditur: nempe quòd, Nerio ſinè liberis extincto, Jeconias Cognatus ejus, ac propinquus relictam illius viduam duxerit in uxorem, ex qua Salathielem habuerit, filium utique ſuum ſecundùm naturam, Nerii verò filium ſecundùm legem Leviratus. De quo plura in ſequenti.

Digitized by Google

III. En planiſſimam geminæ Chriſti genealogiæ ſecum invicem conciliandæ viam; expeditiſſimamque triplicis nodi propoſiti ſolutionem ex Leviratus lege petitam. Non deſinunt tamen aliqui in contrarium eniti, novoſque nodos innectere, his potiſſimum rationibus fulti. 1. Quòd laudata Deuteronomii lex de *fratribus ſimul habitantibus* lata ſit: Jacob autem, & Heli, ſi fratres dumtaxat uterini erant, aut etiam Cognati dumtaxat, ut dicitur, ſimul non habitarent, utpote ex diverſis parentibus nati. 2. Quòd ex lege Leviratus primogenitus ex ſecundo Matrimonio natus prioris mariti nomine vocandus eſſet: Jacob autem natum ex illo filium non vocaverit Heli, ſed Joſeph. 3. Quòd filius ex ſecundo illo Matrimonio procreatus nuſquam Sacris in Litteris filius defuncti mariti dicatur: adeòque nec Joſeph filius Heli dicendus fuiſſet, quamquam ex lege Leviratus ex ſecundo Matrimonio natus eſſet.

Sed hæc tria nullo negotio refelluntur. Quod enim in laudata lege dicitur, *quando habitaverint fratres ſimul*, de communi utriuſque habitatione, ſeu domo, quam incolerent, nequit intelligi. Tum quia prior, ex quo tempore uxorem Matrimonio duxerat, hæreditatem cum aliis fratribus jam diviſerat, & in alia domo ab iis ſeparatus habitabat, alias ingens fuiſſet confuſio familiarum. Tum quia lex illa, non de ſolis fratribus ſtricto ſenſu acceptis, ex eodem, ſcilicet, patre, eademque matre genitis intelligitur, ſed de fratribus etiam latiori ſenſu pro more Scripturarum acceptis, cognatis, ſcilicet, & propinquis; quod certè Ruthæ viduæ Hiſtoria demonſtrat. Ineptum autem eſt, fingere, propinquos omnes, cognatoſque eamdem ſemper domum, aut etiam civitatem inhabitaſſe. *Habitare* itaque *ſimul* in laudata Deuteronomii lege nihil ſonat aliud, quam ſimul, ſeu eodem tempore vivere; adeò ut adverbium *ſimul* non ſit loci, ſed temporis. Maximè cum verbum Hebraicum *Jaſab*, quod extat in Textu, non tantum *habitare*, ſed & *durare*, & *in vivis eſſe* perinde ſignificet. Quare is laudatorum verborum eſt ſenſus: Quamdiu duo fratres ſimul tempore vixerint, & poſtea illorum alter ducta uxore mortuus fuerit ſinè liberis, alter, qui ſuperſtes fuerit, illius viduam ducet in uxorem.

II. Rurſus, quòd eadem Leviratus lege fertur, *primogenitum ex vidua filium nomine prioris mariti appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael*, de nuncupatione ipſa, nominiſque impoſitione nequit intelligi; quaſi natus ſecundo Matrimonio filius prioris Mariti nomine debeat appellari. Neque enim E. G. natus ſecundo Ruthæ Matrimonio filius vocatus eſt Chelion, quod priori Marito nomen erat, ſed Obed. Verùm hunc ſenſum habet laudata lex: *primogenitum ex ea natum, prioris Mariti filium habebit, ac reputabit, illiuſque hæredem conſtituet, ut non deleatur memoria ejus ex Iſrael*. Quæ non modò trita Interpretum explicatio eſt, ſed ex ipſo legis fine, & inſtituto liquet apertè. Quorſum enim hæc lex, niſi ut ſuſcitetur ſemen viri ſinè liberis defuncti, perinde ac ſi ipſemet liberos genuiſſet? Porrò ſi quem ille, antequam ex hac luce decederet, filium genuiſſet, non illi utique nomen ſuum neceſſariò impoſuiſſet, ſed illum ut ſemen ſuum, ſurculum ſuum hæredem conſtituiſſet; eaque ſola ratione ſui memoriam, ac no-

men

men in Iſraele conſervaſſet. Nihil igitur aliud Leviratus lege ferebatur.

Poſtremum denique, quod obtruditur, tam falſum eſt, quam quòd maximè. Nihil enim Sacris in Litteris, ac in ipſamet lata lege diſertiùs, quam filium ex ſecundo illo Matrimonio procreatum prioris Mariti filium haberi, ac dici. Quid enim aliud ſonat, *primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*, niſi filium illius habebit, ac porrò dicet? Quid etiam illud de Onan Geneſ. 38. (cum lex illa nondum a Moyſe lata, uſu tamen, & conſuetudine anticipatò ſervaretur) *ſciens Onan non ſibi naſci filios, introjens ad uxorem fratris ſui ſemen fundebat in terra?* Quid, inquam, illud, niſi ſciens Onan, filium ex fratris ſui vidua naſciturum, fratris potiùs habendum, illiuſque potiori jure futurum, quàm ſuum, ſemen fundebat in terra? Potuit itaque Joſeph Heli filius haberi, ac dici, ex lege, ſcilicet, Leviratus; cùm a Jacob ex inito cum illius vidua Matrimonio genitus eſſet. Nihilque eſt, quod priori conciliationi à Julio Africano excogitatæ poſſit opponi.

IV. Alteram conciliandæ ſecum geminæ Chriſti genealogiæ viam aperuerunt alii, minoris quidem aùctoritatis viri, ſed pari, ut arbitror, ratione, ac veriſimilitudine fulti. Nempe Chriſti genealogiam à Matthæo contextam dicunt per progenitores Joſephi: à Luca verò per progenitores Deiparæ Virginis: unde orta ſit illa tam patens proximorum Chriſti Avorum ab utroque Euangeliſta recenſitorum varietas. Joſephi quippe, & Mariæ, ut erant diſtincti parentes, ita & avi, atavique diverſi, donec longiùs ductæ lineæ Genealogicæ in unam tandem, ut fermè ſit, coaluerint. Secundùm eam ſententiam, Heli à Luca initio poſitus ipſiuſmet Deiparæ pater eſt; adeòque verborum illorum, quibus genealogiæ initium dedit, *Jeſus, ut putabatur, filius Joſeph, qui fuit Heli*, duplex ſenſus debet eſſe: prior quidem, ut Joſeph ſit Heli filius civili modo, & jure Matrimonii, quia gener ejus erat; gener enim filius Soceri dicitur, ſicut, & Nurus Soceri filia. Alter, ut τὸ *qui fuit Heli*, non referatur ad Joſeph, ſed ad Jeſum ipſum, ut ſit ſenſus: Jeſus, qui putabatur eſſe filius Joſeph, erat revera filius Heli; filius, inquam, mediatus, quatenus erat filius B. Virginis, quæ filia erat Heli.

Hæc mihi conciliationis via ſemper arriſit: quia, præterquam nativa eſt, plana, expeditaque, illud inſuper habet commodi, quòd graviſſimum occupet argumentum adverſus alteram Julii Africani conciliationem fieri ſolitum in hunc modum. Idcirco Euangeliſtæ Chriſti D. Genealogiam texuerunt, ut Jeſum ortum oſtenderent de Tribu Juda, & de domo David: at id non plenè oſtenditur, texendo genealogiam Joſephi, qui tametſi titulo conjugii pater ejus eſſet, ad illius tamen generationem nihil operæ habuit: benè verò id conficitur, Mariæ genealogiam adornando, ex qua verè, proprièque Chriſtus ſecundùm carnem originem duxit: ea ergo genealogia texenda fuit.

V. In hac tamen ſecunda conciliationis via duo ſunt ſcrupuli eximendi, qui nonnullos recentiores malè torquent. Prior is eſt: quòd Chriſtus non modò ex Davidis genere naſciturus eſſet, verùm etiam per lineam Salomonis. Sic enim ſpoponderat Deus Davidem alloquens 2.

Reg.

Reg. Cap. 7. *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus: ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam Thronum Regni ejus uſq; in ſempiternum*: quod de Salomone dictum nemo non videt. Thronus autem Salomonis non eſt illi ſtabilitus in ſempiternum, niſi in perſona Chriſti ex illo prodituri, qui Judaicum ſceptrum in ſpirituale commutatum poſſidet in æternum. Porrò in hac ſecunda conciliationis via à nobis expoſita, Chriſtus ex Davide prognatus ſupponitur per lineam Nathanis, non Salomonis. Non ſtat itaque cum Divino promiſſo Davidi facto.

Miror, hoc argumento deludi aliquos ad propoſitum Syſtema rejiciendum: cùm idem planè in Lucæ genealogiam conterqueri poſſit, quovis illa ſenſu accipiatur, ac ſive ſit Genealogia Joſephi, ſive Mariæ. Perinde enim à Luca quæri poterit: quorsùm Chriſti genus ad Davidem referat per Nathanem; cùm Deus Davidi ſpoponderit, fore ut ex illo per Salomonem Meſſias eſſet oriturus illiusque Regnum *in ſempiternum* occupaturus? Idcircò, repono ego, in hoc ipſo Syſtemate noſtro Chriſtum à Davide perinde deſcendere per lineam Salomonis, ac per lineam Nathanis. Quia in ſerie progenitorum, qui à Luca ſunt adnotati, in texenda, ut diximus, Mariæ genealogia, occurrunt perinde Salathiel, & Zorobabel, qui ad Davidem etiam aſcendunt per lineam Salomonis, nempe per Jechoniam à Matthæo notatum; ſicut ad Davidem per lineam Nathanis aſcendunt per Neri, ſcilicet, a Luca recenſitum. Id ſolùm ſupereſt divinandum, cur Lucas, ut perveniat ad Davidem per Nathanem, Salathieli patrem aſſignet Neri: Matthæus verò, ut ad eumdem Davidem per Salomonem perveniat, Patrem Salathieli Jechoniam aſſignet. Ad id, ut monui, factum eſſe neceſſe eſt, per legem Leviratûs, ſecundùm quam Jechonias, ducta Nerii uxore vidua, ſecundùm naturam pater dictus eſt Salathielis, quem re ipſa genuit: Nerius verò ſecundùm legem pater illius eſt dictus, quia ipſi à lege Leviratus eſt attributus. At de hoc plura ſequenti.

Alter, quo tenentur aliqui, ſcrupulus eſt, quòd Mariæ pater Joachimus eſſet, qui tamen in hacce ſecunda conciliationis via Heli fuiſſe ſupponitur. Verùm ſcrupulum illum in anteceſſum exemimus, dum dubia, incertaque oſtenderemus eſſe nomina parentum Deiparæ Virginis, illoſque Joachimum, & Annam noncupatus, non utique nomine proprio, ſed myſticæ ſignificationis, quòd Anna *gratiam* ſonet, Joachim *præparationem Domini*. Potuit ergo Deiparæ pater ex nomine proprio *Heli* vocitari; ; ex myſtica ſignificatione *Joachimus*. Aut etiam potuit perinde binomius eſſe, quod tam multis familiare eſt.

VI. Illud potiori jure quiſpiā quęret à nobis: quorſum Matthæus Chriſti genus ex Abrahamo, & Davide velut ad oculum oſtenſurus, Joſephi genealogiam adornet, qui nullas in ejus generatione partes habuit? Quę enim juxta nos ratio Lucam movit, ut verum Chriſti genus per Mariæ progenitores oſtenderet, eadem quoque Matthæum, ut idem faceret, movere debuiſſet. Reſponſio in promptu eſt: Matthæum Joſephi genealogiam texuiſſe; ut argumento velut ad hominem Judæos vrgeret, qui

Chriſtum

Chriſtum verum, propriumque Joſephi filium habebant. Hac enim illorum opinione poſita, Chriſtus verus Abrahami, & Davidis filius probabatur, ex quo Joſeph talis eſſe oſtendebatur. Sic itaque utrumque Euangelii Scriptorem in texenda Chriſti genealogia Divinus Spiritus afflavit, ut Chriſti genus ex Davide ductum, quocumque poſſet modo fieri, univerſis oſtenderent; ſeu Patrem, ut moris erat, ſpectare alii vellent; ſeu Matrem, ut illibatæ generationis ratio poſtulabat, attendere alii mallent. Id etiam feciſſe Matthæum, probabile eſt, quòd Joſeph Mariam proxima fortè cognatione contingeret, eſſetque illius fortaſſe conſobrinus: quo caſu una utriuſque familia erat, idem ſtemma Genealogicum. Et quidem, tametſi lex Numerorum 36. non admodum urgeret, Judæi tamen, religioſi, ubi peculiaris cauſa non oberat, intra eamdem cognationem, atque familiam Matrimonio jungebantur. At mera hæc, ut dixi, probabilitas eſt, non certum, indubitatumque documentum. Hoc idem feciſſe Matthæum alii dicunt, quòd Hebræi ſoliti eſſent, Genealogias per patris avos, atavoſque, non itidem Matris deſcribere: adeòque egiſſe illum ex more, & conſuetudine Judæorum. Aſſentior planè, proboque; fecit is rectè ex fine, inſtitutoque ſuo, Judæos argumento, ut ajunt, ad hominem convincendi. At non ideò imprudenter, præter morem, & conſuetudinem fecit Lucas, per Matris primogenitores Chriſti genealogiam adornans: quia caſus ille ſingularis omninò erat, illiuſque genus deſcribebat, qui ſolus ex omnibus à Matre dumtaxat, non à Patre genus obtinuit.

EXER-

EXERCITATIO XLIII.

Quo pacto ambæ Chriſti genealogiæ cum hiſtoria veteris Teſtamenti concilientur?

I. MEdiam dumtaxat ſuſcepti operis partem expedivimus, dum binas Matthæi, & Lucæ genealogias mutuò ſecum conciliavimus, ne pugnare invicem videantur. Reſtat pars altera difficilior expedienda; earum, ſcilicet, cum veteri Teſtamento tentanda conciliatio. In multis quippe capitibus à ſacra veteris Teſtamenti hiſtoria quàm longiſſimè diſſidere videntur. Quare ſpecioſas illas diſſonantias, & Antilogias in certas claſſes diſtribuemus, quò faciliùs, & commodiùs in concordiam revocentur.

II. Prima diſſonantia ſic ſe habet: Apud Matthæum Cap. 1. *Joram genuit Oziam*: quarto autem Regum libro, Cap. 8., & 11. Joram genuit Ochoſiam, Ochoſias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam, Amaſias genuit Oziam. Tres itaque gradus genealogici apud Matthæum omittuntur.

At nec eſt illa propria nominis diſſonantia, nec Matthæi propoſitio *Joram genuit Oziam* abſolutè falſa eſt. Quia Joram ſin minùs *immediatè*, ut ajunt, at ſaltem mediatè Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula Nepotes, ac pronepotes filii dicuntur Avorum, & proavorum (ut dum Chriſtus dicitur filius David; Judæi filii Abrahæ) ita avi, proavique dici poſſunt genuiſſe Nepotes, ac pronepotes. Iſajæ 51. *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, quamquàm ætate Iſajæ annos circiter mille trecentos ab Abrahamo, & Sara Judæi numerent. Cur autem tres illi intermedii progenitores à Matthæo ſilentio miſſi fuerint, Ochoſias, Joas, & Amaſias, moralis ratio eſt: quia tres illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochoſiam ex Athalia filia Achabi: Deus autem Achabi progeniei maledixerat uſque ad mingentem ad parietem 3. Reg. Cap. 21., ideòque non erant in Chriſti genealogia recenſendi. Uti planè Tribus Dan in recenſione *ſignatorum ex omni Tribu filiorum Iſrael* prætermiſſa eſt, Apocal. Cap. 7, quia hæc a Dei cultu defecerat, ac ſeſe gentibus immiſcuerat; Judicum 18. Ideò tamen ſecuti deinceps Achabi poſteri in Chriſti genealogia ſunt recenſiti, quia Dei maledictio filiis interminata ob peccata patrum non protenditur ultra tertiam, & quartam generationem: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

III. Altera diſſonantia hujuſmodi eſt: Apud Matthæum *Joſias genuit Jechoni[illegible] & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.* Ubi duplex videtur erratu[illegible] Quia Joſias non genuit Jechoniam, ſed Joachin; Joachin verò ge[illegible]noniam, 4. Regum Cap. 24., & 25., unde gradus unus genealogicus

logicus videtur omiſſus. 2. Quia Joſias occubuit ante tranſmigrationem Babylonis, lib. 2. Paralip. Cap. 34. adeòque Jechoniam, & fratres ejus generare non potuit *in tranſmigratione Babylonis*.

Miſſis implexis, obſcuriſque variorum Interpretum ſolutionibus, idem fermè repono, quod antea; gradum unum fuiſſe omiſſum, at juſta de cauſa, & illæſa Euangelica veritate. Juſta, inquam, de cauſa, quia Joachin Joſiæ filius, & Jechoniæ, ſeu Joachini ſecundi pater, vir nequiſſimus fuit, & ob ingentia ſcelera ſepultura Aſini extra portam Civitatis ſepultus eſt, Jeremiæ Cap. 22. v. 19. Idcircò in Chriſti progenitorum ſerie ſilentio mittendus Matthæo viſus eſt, perinde ac Ochoſias, Joas, & Amaſias, de quibus antea dicebamus. Illæſa quoque Euangelica veritate id factum eſt: quippe ſtat ſemper, Joſiam genuiſſe Jechoniam non immediatè quidem, ut ajunt, ſed medio Joachino filio ſuo. Quæ loquendi ratio ex Sacrarum Scripturarum uſu maximè eſt. Neque refert, ſi dixeris, Jechoniam, ſeu Joachinum ſecundum, (binomius enim fuit) haud multò meliorem fuiſſe Joachino primo patre ſuo; adeòque pari ratione fuiſſe omittendum. Ne enim omitteretur & ipſe, peculiaris ratio obſuit: quia dignitas Regum Juda ex ſtirpe David in eo finem habuit; idcircò peculiaris ipſius mentio facienda fuit. Huc adde, non deeſſe, qui putent, omiſſionem illam Joachini Joſiæ filii à Matthæo ipſo conſultò factam non eſſe, ſed Scribarum, & Amanuenſium mendum id eſſe. Teſtatur enim Faber Stapulenſis, à Joanne Maldonato laudatus, legiſſe ſe Codicem Græcum ita referentem: *Joſias autem genuit Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. At num hæc veriùs peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joachinum de ſuo adjecit? Quod autem additur à Matthæo *in tranſmigratione Babylonis*, non refertur ad *genuit*, quaſi Joſias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in tranſmigratione Babylonis: obierat enim diù ante, quam tranſmigratio fieret: ſed refertur ad *Jechoniam, & fratres ejus*, quaſi dicat: Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in tranſmigratione Babylonis.

IV. Tertia diſſonantia videri iſta poteſt. Legimus apud Matthæum: *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*: Jeremiæ verò Cap. 22. v. 30. Jechoniam ſterilem legimus: *Pone*, inquit, *virum iſtum ſterilem*; quomodo ergo genuit Salathielem? Rurſus apud Lucam Cap. 3. Salathielem legimus Neri filium: *Salathiel, qui fuit Neri*. Demùm lib. 2. Paralip. Cap. 35. Salathiel genitus dicitur in ipſa tranſmigratione Babylonis: non itaque poſt tranſmigrationem.

Ad ſingula capita reſponſio in promptu eſt. In primis enim Jechonias abſolutè ſterilis dictus non eſt, cùm multos habuerit filios lib. 1. Paralipomenon Cap. 3. v. 17. recenſitos, ac ipſum, de quo hic agitur, Salathielem; ſed moraliter, ut ita dicam, quòd nullos de ſtirpe ſua Regni hæredes, & ſucceſſores habuerit; quod ex ipſis Jeremiæ verbis liquet apertè: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in* Juda. Ad ſecundum reponunt nonnulli, Salathielem, de quo Lucas, alium eſſe ab eo, de quo Matthæus. Ille

enim, inquiunt, filius fuit Neri à Davide deſcendens per Nathanem; iſte filius Jechoniæ à Davide deſcendens per Salomonem. At ſi ſic eſt, nullo jam certo documento evincemus, Chriſti progenitores à Luca notatos, infra Salathielem, à Davide etiam per Salomonem deſcendiſſe. Quod tamen neceſſe omninò eſt; cùm Chriſtus à Davide per Salomonem eſſet oriturus, Reg. 2. Cap. 7. Quare reponunt alii, Salathielem, de quo Matthæus, eumdem ac illum eſſe, de quo Lucas; filium tamen natura fuiſſe Jechoniæ, adoptione verò filium Neri; quòd mortuo Jechonia vero illius parente, à Nerio fuiſſet adoptatus: adeòque Lucam adoptionem ſpectaſſe potiùs, quàm naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, ſeu potiùs nepotem dicunt ex parte matris; quòd hæc Neri filia eſſet. At cur, quæſo, Lucas relicto patre ad maternum genus lineam genealogicam detorſiſſet? Quare veriùs repoſuerim ego, Salathielem ſecundùm naturam filium fuiſſe Jechoniæ; ſecundùm legem Leviratus filium Neri: quòd Nerio ſinè liberis extincto, Jechonias cognatus ejus relictam illius viduam uxorem duxerit, è qua Salathielem ſuſcepit. Tertium antilogiæ caput levius eſt, quàm ut quemquam morari poſſit: Matthæus enim Salathielem genitum ſcribens *poſt tranſmigrationem Babylonis*, eo nomine actum ipſum intellexit tranſmigrandi è Judæa in Babylonem: Auctor verò libri 2. Paralip. in ipſa tranſmigratione genitum ſcribens totum tempus intellexit commorationis in Babylone, quæ annos ſeptuaginta perduravit. Per id enim temporis Jechonias genuit Salathielem. Non itaque invicem collidunt Matthæus, & Scriptor Paralipomenon.

V. Quarta diſſonantia hæc eſt. Apud Matthęum *Salathiel genuit Zorobabel*. Contrà verò lib. 1. Paralip. Cap. 3. Zorobabel fuit filius Pedajæ, non Salathielis.

Sic ſanè. Verùm Zorobabel, de quo ſermo eſt lib. 1. Paralip., alius longè eſt ab eo, de quo ſermo eſt in genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, ſi alius ei pater aſſignetur. Zorobabel, de quo Matthæus, ille ipſe eſt, de quo ſermo eſt apud Eſdram, & Aggæam, qui ſemper Salathielis filius nuncupatur. 1. Eſdræ Cap. 3. v. 2., & 8., Cap. 5. v. 1. Aggææ Cap. 1. v. 12., Cap. 2. v. 3. Certè duorum Zorobabelium diſtinctio hunc maximè patet, quòd illis diverſi aſſignentur filii. Zorobabelis enim Euangelici filius dicitur Abiud: alterius Zorobabelis filii dicuntur Mozolla, & Hanania, lib. 1. Paral. Cap. 3.

VI. Quinta diſſonantia. Apud Lucam proximos Chriſti avos ita notatos legimus: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*. Nonnulli tamen Patres, Gregorius Nazianzenus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, interdum duobus mediis prætermiſſis, ita ſimpliciter legunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*.

Sit ita verò: Ergone Lucas in vitio eſt, ſi qui fortè Patres aliquando alitèr legerint? Aut etiam, ſi ſuperis placet, ex Patribus Euangelium emendabimus, ac non potiùs Patres ex Euangelio? Si qui ergo alicubi legerunt aliter, nonnulloſque inter ſcribendum genealogicos gradus prætermiſere; id, vel oſcitantia factum eſt, vel quòd in mendoſos fortaſſe

Codices,

Digitized by Google

Codices, ſi qui tamen ſunt hoc in capite, inciderint aliquando.

VII. Sexta, ac ultima diſſonantia gravior cæteris viſa eſt. Apud Lucam inter Patriarchas, qui tranſacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis pater, Cainan pater Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: cùm contra in libris Moſaicis, aliiſque veteris Teſtamenti, non uno in loco, ſed pluries, Cainane prætermiſſo, Arphaxad pater Sale fuiſſe dicatur. Geneſis Cap. 10. v. 24., Cap. 11. v. 12., & 13., Lib. 1. Paralip. Cap. 1. v. 18. Neque enim reponi poteſt, quod nuper recentiorem aliquem reſpondiſſe video: Arphaxad mediatè, ut ita loquar, genuiſſe Sale, nempe Cainane intermedio; uti dum Joram Oziam genuiſſe dicitur: Quandoquidem Geneſis Cap. 11. v. 12. expreſsè dicitur; *Arphaxad vixiſſe triginta quinque annis, & genuiſſe Sale*; quæ loquendi formula nullum mediæ alicui generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadum inter, & Sale, medius fuit Cainan ipſius Sale genitor; non jam Arphaxadus triginta quinque dumtaxat annorum fuit, dum Sale genitus eſt, ſed longè plurium; iis, videlicet, inſuper additis, quos Cainan ejus filius, dum Sale genuit, numerabat.

Quapropter alterutrum fateri cogimur, vel mendum irrepſiſſe in veteri Teſtamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit; vel irrepſiſſe mendum in Euangelio Lucæ, ubi peperam adjecta fuerit; Quia tamen facilius eſt, Scribarum audacia mendum ſemel tantùm irrepſiſſe Lucæ 3. per levem additionem præpoſterè factam; quàm irrepſiſſe omninò quater in veteri Teſtamento per ſtudioſam generationis unius detractionem; tot enim vicibus ibi legimus, Arphaxad genuiſſe Sale, omiſſo Cainane: probabilius multò eſt, Cainanis generationem Arphaxadum inter, & Sale in Lucæ Euangelio à Scribis, & Amanuenſibus fuiſſe inſertam. Id ut aſſeram, alia multa me movent, quamquam vel hoc unum, etſi deeſſent alia, abundè ſufficeret. Quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum, & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneſeos, & Paralipomenon, nulla in Verſionibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata noſtra. 2. Quia Beroſus Chaldæus, Eupolemon, Alexander Polyhiſtor, quorum fragmenta extant apud Joſephum lib. 1. Antiquitatum Cap. 8., & apud Euſebium lib. 9. Præparationis Euangelicæ, Cainanem illum apertè rejiciunt, Quippe qui Abrahamum decima poſt Diluvium generatione vixiſſe, concorditer ſcribunt; qui tamen, numerato Cainane, undecimus eſſet. 3. Quia Scriptores Hebræi vetuſtiores, & inſigniores, Joſephus, & Philo, eumdem in texenda Patriarcharum ſerie ſecundæ ætatis prætermittunt. Uti etiam Euſebius Cæſarienſis in Chronico; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tametſi in hodierna Septuaginta interpretum Verſione Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuiſſe illic infartam, & à primigeniis illius exemplaribus abfuiſſe: cum Philo Judæus, Joſephus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui Septuaginta Interpretum calculos ſequi ſolent, Cainanem illum in ſtemmate genea-

 logico

Digitized by Google

logico Patriarcharum omittant: notetque Procopius Gazæus ad Caput. 11. Geneſis, Cainanis generationem in Verſione ſeptuaginta Interpretum obelo fuiſſe confixam, in Hexaptis Origenis: *Hebraica*, inquit, *veritas habet, Salem genitum eſſe ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelo ſignata viſuntur*. 5. demum, quia abeſt idem ille Cainan è nonnullis pervetuſtis Codicibus Græcis, ipſius etiam Euangelii Lucæ, ac maximè à Codice Græco Latino quarti, ut plerique putant, Eccleſiæ ſæculi omnium probatiſſimo in Galliis olim aſſervato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigenſi. Unde maximè liquet, ne quidem apud Lucam extitiſſe primitùs Cainanem illum; ſed deinceps temerè, ac per ſummam audaciam fuiſſe inſertum.

VIII. Sed extat, inquis, Cainan ille in vulgata S. Lucæ Verſione, quæ à Concilio Tridentino ut authentica probata fuit. Ita ſanè: ſed abeſt, inquio ego, in vulgata veteris Teſtamenti Verſione, quæ perinde authentica eſt ejuſdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitium eſſe, neceſſe eſt, quantacumque ſit illa vulgatæ Verſionis authentia: multiplex tamen in veteri Teſtamento, ſimplex in Novo mendum erit: nam quater illic deeſt Cainan, iſtic ſemel abundat. Imò longè grauius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cum enim Moyſes Geneſis 11. non modò narret generationes omnes Patriarcharum à Noe uſque ad Abraham; verùm etiam diſtinctè notet, quoto quiſque vitæ ſuæ anno filium genuerit, quotve ſubinde annis poſt genitum filium ſupervixerit, ſi qua illic, Cainanis occaſione, mutilatio facta eſt; conſequens erit, non modò Cainanis generationem fuiſſe detractam, verùm etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; annoſque perinde, quos poſt Sale genitum ad mortem uſque numeravit. Si quid ergo vulgatæ Verſionis authentia nos movet, ne eam ſub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat, concedendum potiùs leve, ſimplexque mendum in Euangelio Lucæ, quàm multiplex, graviuſque in Moyſis Pentatheuco?

Ut fatear nihilominus, quod res eſt: nihil iſtius generis menda, ubicumque contigerint, vulgatæ Verſionis authentiæ officiunt. 1. Quia conſtat ex Criticis univerſis, ac ex ipſa Præfatione Clementinæ Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujuſmodi menda nonnulla, etiam ad præſens in ea Verſione reperiri; quorum ſcriptores aliqui elenchum, & indicem texuerunt. 2. Quia etiam poſtquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, à variis mendis levioribus repurgata fuit à Sixto V., & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authentiam ſatis eſt, ſi nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberret à vero. 4. Quia à Concilio Tridentino authentica dicta eſt comparatè ad reliquas Verſiones; non quòd fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda ſit, ad quorum potiùs fidem publica Eccleſiæ auctoritate emendari poſſet. Quæ omnia, ne quis forte audaciùs dicta putet; legat, ſi per otium vacat, Andream Vega lib. 15. de Juſtif. Cap. 9., Alphonſum Salmeronium Proleg. 3. in Euang., Robertum Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei Cap. 10., & 11., Sixtum Senenſem lib. 8. Bibilioth., Card. Pal-

lavicinum

Digitized by Google

lavicinum lib. 6. Hiſt. Concilii Tridentini Cap. 17., Serrarium in Prolegom. Cap. 19. quæſt. 18., & Præfationem recentioribus Bibiliis affixam, tibi hæc ipſa fuſiùs explicantur.

Quia verò hanc hodiernis Italiæ Theologis labem inuri video, ut, neglecta fide Majorum, in contraria nunc ſententia verſari credantur: placet dictis adjicere, quæ paucis ante diebus Orator Summus, idemque Theologus non vulgaris coram Eminentiſſimo Principe, ac delibato totius litteratiſſimæ Civitatis flore, è ſuggeſtu pronunciabat, dum de veterum linguarum ſtudio Sacrarum Scripturarum ſtudiis adjungendo, publicè diceret. *Græcos, inquiunt, & Hebraicos Codices, tum ipſa vetuſtate exeſos, tum etiam multorum audacia corruptos eſſe: huc ipſos Tridentini Concilii Patrés ſpectaviſſe, cum Vulgatam unanimi conſenſu probaverunt, & unam ex omnibus Sacrorum Bibliorum editionem Chriſtianis hominibus cõmendarunt. Non tantùm mihi à vobis conceditur otii, ut veteri calumniæ, ſæpiùſque retuſæ hodierna luce reſpondeam: id unum dicam, quod, ubi opus fuerit, graviſſimorum Scriptorum ſuffragiis confirmare poſſum; Vulgatam editionem, non Græcæ, aut Hebraicæ, ſed reliquis Latinis, quarum magna copia, & varietas in dies exibat, neceſſario illo Tridentinorum Patrum decreto præpoſitam fuiſſe. Multa quidem commoda, ac propè innumera in Chriſtianam Eccleſiam ad fidei, morumque leges componendas per Synodum Tridentinam redundarunt; ſed nihil tam grave accepimus, quàm quòd ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum Interpretationibus una illa probata eſt, quæ cæterarum optime, ac fideliſſima nutantia multorum ingenia tanquàm clavo firmàret, certiſque regionibus circumſcriberet. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Græcis codicibus, unde Latini omnes, cæterique manarunt, quippiam auctoritatis detractum eſt: ſtat adhuc eorum fides firmiſſimis præſidiis fulta, licetque in rebus dubiis ad prima illa Verbi Divini exempla, non modò ſinè crimine, verùm etiam cum laude provocare. Haud equidem nego, mutila quædam in illis eſſe, nonnulla verò etiam mendoſa; ſed & menda ipſa verendæ antiquitatis indicia ſunt, & partibus inſunt minimè neceſſariis; & in Vulgatam quoque, Librariorum incuria, ſi minuta qualibet animadvertimus, irrepſerunt. Nihil novi affero, nihil, quod ſummi Vulgatæ patroni, ſi ſeriò, & ex animo agant, negare poſſint. Sed vereor auditores, ne quemadmodum qui dignitates in Republica obtinere non poſſunt, privatum otium laudare ſolent, omnemque rei gerendæ rationem conquiſitis difficultatibus improbare; ita qui Græca, & Hebraica ſtudia, ſivè animi infirmitate, ſivè inertia defugiunt, eorum laudem maligniùs imminuant, tantumque Latinis concedant, ut modum, fidemque ſuperet.*

EXER-

EXERCITATIO XLIV.

De Infantia, & Adoleſcentia Salvatoris.

I. DE infantia, & adoleſcentia Salvatoris ab anno vitæ ſuæ altero, quo ex Ægypto eductus eſt, uſque ad annum circiter trigeſimum; quo Baptiſmate in Jordane tinctus eſt, cœpitque publicum miniſterium obire, unum dumtaxat, alterumve verbum habet Euangelium. Quæ res in cauſa fuit, cur infinitæ propemodum de puero, & adoleſcente Jeſu fabellæ à nebulonibus fuerint excogitatæ, quas breviter ſaltem expendere, atque diſpungere non gravabimur.

Mariam, & Joſephum conjuges Sanctiſſimos Nazarethi in Galilæa domicilium habentes quotannis unà cum puero Jeſu Jeroſolymam ire ſolitos ad Paſchalis ſolemnitatis celebrationem, narrat Lucas Cap. 2. Euangelii: *Ibant parentes ejus per ſingulos annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſcha.* Cujus quidem anniverſariæ excurſionis occaſione contigit aliquando, ut puer Jeſus annorum duodecim factus, parentibus in patriam redeuntibus, & incogitantibus, ſubſtiterit Jeroſolymis: à quibus per triduum ſollicitè quæſitus, in Templo tandem fuerit inventus, in medio Doctorum ſedens, audiens, & interrogans illos: cui, cum illi dolorem ſuum ex triduana illa amiſſione conceptum ſignificaſſent, repoſuit ille: *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* En quid ſummè de Jeſu puero, adoleſcente, imò jam viro facto ab anno vitæ ejus ſecundo ad trigeſimum uſque, quo tinctus eſt in Jordane, cœpitque publicum munus obire, referat Euangelium. De reliquo, quamnam tunc vitæ rationem, inſtitutumque tenuerit, quid egerit, factitarit, alto ſilentio prætermittitur.

II. Quare ne hanc Chriſti Domini vitæ partem indictam relinquamus, tria in præſenti inveſtigabimus, quæ ſola videntur difficultatem habere aliquam. 1. Qui fieri potuerit, ut Chriſti Jeſu parentes quotannis unà cum illo ad Paſchalem ſolemnitatem Jeroſolymam venerint? Habet enim id difficultatem longe graviſſimam. 2. Quid ſibi velit ea Chriſti Domini in Templo tandem inventi parentibus afflictis, atque dolentibus data reſponſio? *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Hinc enim arbitrati ſunt aliqui etiam ex Patribus, Beatam Virginem ea occaſione peccaſſe; quæ tam durè à Chriſto Domino fuit increpita. 3. Quamnam vitæ rationem, quod vitæ genus, & inſtitutum toto illo tempore tenuerit Chriſtus? Multi quippe multa nugantur, ac miras fabulas narrant.

III. Itaque ad rem veniamus. In anniverſaria illa peregrinatione à Chriſti parentibus Jeroſolymam fieri ſolita, de qua nobis eſt primo loco dicendum, difficultatem non movet conficiendi itineris longitudo. E Galilæa quippe Jeroſolymam uſque tridui dumtaxat, iter erat, quod

ſingulis

ſingulis annis confici facilè poterat, ac eti...u debebat ex Moyſis inſti-
tuto: nec modò ſemel, ſed & ter in ſingulos annos, niſi fortè Judæos
aliquos itineris longitudo faceret excuſatos: *Tribus vicibus per annum*, in-
quit Deus Exodi 22., & Deuteronomii 16., *apparebit omne maſculinum*
tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in ſolemnitate Azimorum,
in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum. At difficul-
tatem non levem creat Archelai in Judæa regnantis averſus à Chriſto ani-
mus ingenſque periculum, ne puerum Jeſum juberet occidi, ſi quotannis
Jeroſolymam, ſedem utique Regiam, adductus eſſet à parentibus ſuis.
Obſervat ſiquidem Lucas hoc ipſo Capite 2., Joſephum in Ægypto, ſuſce-
pto mandato ut una cum puero Jeſu, Virgineque Deipara in terram
Iſrael reverteretur; de Judæa, quæ Iſraelis potiſſima pars erat, repeten-
da ſtatim cogitaſſe: verùm mutaſſe conſilium, ac timuiſſe illò ire, cum
primum inaudivit, Archelaum illic *regnare pro Herode patre ſuo*: novoque
accepto monito, ſeceſſiſſe in Galilæam. Quomodo ergo ex hac ipſa Ga-
lilæa, in quam ſe receperat, ſingulis annis in Judæam, ipſamque Jero-
ſolymam ire cum tota familia ſolitus erat? Numquid non idem perinde
periculum ſuberat, regnante illic Archelao, Herodianæ crudelitatis non
minùs, quàm poteſtatis, & auctoritatis hærede?

Non indignus Auguſtino vindice nodus iſte viſus eſt, qui duplicem ad
illius ſolutionem viam aperit lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap.
10., vel Archelaum, à quo, & ſibi timebat Joſephus, & puero, in
exilium jam pulſum, non ultra in Judæa regnaſſe, dum Jeroſolymam
cum Sacra Prole Sanctiſſimi Parentes quotannis accederent: vel illos ad
paucos tantùm dies, & quidem latitantes Jeroſolymis ſubſiſtere fuiſſe
ſolitos: *Hoc mihi diſſolvere non eſſet difficile*, inquit Sanctiſſimus Doctor,
nec ſi aliquis Euangeliſtarum expreſſiſſet, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri
enim poterat, ut per diem feſtum, inter tam ingentem turbam latenter aſcenderent
non reverſuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec ſolemnitate præ-
termiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui. Cum verò etiam de Re-
gno Archelai, quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iſte quoque intellectus
patet: ut, quod Lucas dicit per omnes annos eos aſcendere ſolitos in Jeruſalem,
tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quòd ſi Archelai
regnum aliquantò diuturnius ulla præter Euangelium hiſtoria prodit, cui fides ha-
benda videatur: illud, quod ſuperiùs dixi, ſuffecerit, quòd ita timebant parentes
puer habitationem in Jeruſalem, ut tamen propter Dei timorem feſtivitatem
ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillimè poſſent. Neque enim in-
credibile eſt, captatis temporibus opportunis, vel dierum, vel horarum, accedere
homines ad ea loca, in quibus eſſe formidant. Num Auguſtino nota fuerit Flavii
Joſephi Hiſtoria, haud ſatis ſcio: illud tamen certum, nobilem Hiſtoricum,
cui certè in his danda fides eſt, lib. 17. Antiquitatum Judaicarum Cap. 15.
diſertè teſtari, Archelaum decem annis in Judæa regnaſſe, antequam in
exilium ab Auguſto Cæſare pelleretur. Adeòque perſpectum eſt, toto
illo Regni decennio, Joſephum cum puero Jeſu Jeroſolymam ſæpiùs aſcen-
diſſe; cùm Lucas generatim, & univerſum pronunciet, eum per omnes
annos aſcendere fuiſſe ſolitum ad ſolemnitatem Paſchalem. Ad nodi igi-
tur

Reg. Cap. 7. *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus: ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam Thronum Regni ejus uſq; in ſempiternum*: quod de Salomone dictum nemo non videt. Thronus autem Salomonis non eſt illi ſtabilitus in ſempiternum, niſi in perſona Chriſti ex illo proditùri, qui Judaicum ſceptrum in ſpirituale commutatum poſſidet in æternum. Porrò in hac ſecunda conciliationis via à nobis expoſita, Chriſtus ex Davide prognatus ſupponitur per lineam Nathanis, non Salomonis. Non ſtat itaque cum Divino promiſſo Davidi facto.

Miror, hoc argumento deludi aliquos ad propoſitum Syſtema rejiciendum: cùm idem planè in Lucæ genealogiam conterqueri poſſit, quovis illa ſenſu accipiatur, ac ſive ſit Genealogia Joſephi, ſive Mariæ. Perinde enim à Luca quæri poterit: quorsùm Chriſti genus ad Davidem referat per Nathanem; cùm Deus Davidi ſpoponderit, fore ut ex illo per Salomonem Meſſias eſſet oriturus illiuſque Regnum *in ſempiternum* occupaturus? Idcircò, repono ego, in hoc ipſo Syſtemate noſtro Chriſtum à Davide perinde deſcendere per lineam Salomonis, ac per lineam Nathanis. Quia in ſerie progenitorum, qui à Luca ſunt adnotati, in texenda, ut diximus, Mariæ genealogia, occurrunt perinde Salathiel, & Zorobabel, qui ad Davidem etiam aſcendunt per lineam Salomonis, nempe per Jechoniam à Matthæo notatum; ſicut ad Davidem per lineam Nathanis aſcendunt per Neri, ſcilicet, a Luca recenſitum. Id ſolùm ſupereſt divinandum, cur Lucas, ut perveniat ad Davidem per Nathanem, Salathieli patrem aſſignet Neri: Matthæus verò, ut ad eumdem Davidem per Salomonem perveniat, Patrem Salathieli Jechoniam aſſignet. Ad id, ut monui, factum eſſe neceſſe eſt, per legem Leviratùs, ſecundùm quam Jechonias, ducta Nerii uxore vidua, ſecundùm naturam pater dictus eſt Salathielis, quem re ipſa genuit: Nerius verò ſecundùm legem pater illius eſt dictus, quia ipſi à lege Leviratus eſt attributus. At de hoc plura ſequenti.

Alter, quo tenentur aliqui, ſcrupulus eſt, quòd Mariæ pater Joachimus eſſet, qui tamen in hacce ſecunda conciliationis via Heli fuiſſe ſupponitur. Verùm ſcrupulum illum in anteceſſum exemimus, dum dubia, incertaque oſtenderemus eſſe nomina parentum Deiparæ Virginis, illoſque Joachimum, & Annam nuncupatus, non utique nomine proprio, ſed myſticæ ſignificationis, quòd Anna *gratiam* ſonet, Joachim *præparationem Domini*. Potuit ergo Deiparæ pater ex nomine proprio *Heli* vocitari; ; ex myſtica ſignificatione *Joachimus*. Aut etiam potuit perinde binomius eſſe, quod tam multis familiare eſt.

VI. Illud potiori jure quiſpiā quæret à nobis: quorſum Matthæus Chriſti genus ex Abrahamo, & Davide velut ad oculum oſtenſurus, Joſephi genealogiam adornet, qui nullas in ejus generatione partes habuit? Quę enim juxta nos ratio Lucam movit, ut verum Chriſti genus per Mariæ progenitores oſtenderet, eadem quoque Matthæum, ut idem faceret, movere debuiſſet. Reſponſio in promptu eſt: Matthæum Joſephi genealogiam texuiſſe; ut argumento velut ad hominem Judæos urgeret, qui

Chriſtum

Chriſtum verum, propriumque Joſephi filium habebant. Hac enim illorum opinione poſita, Chriſtus verus Abrahami, & Davidis filius probabatur, ex quo Joſeph talis eſſe oſtendebatur. Sic itaque utrumque Euangelii Scriptorem in texenda Chriſti genealogia Divinus Spiritus afflavit, ut Chriſti genus ex Davide ductum, quocumque poſſet modo fieri, univerſis oſtenderent; ſeu Patrem, ut moris erat, ſpectare alii vellent; ſeu Matrem, ut illibatæ generationis ratio poſtulabat, attendere alii mallent. Id etiam feciſſe Matthæum, probabile eſt, quòd Joſeph Mariam proxima fortè cognatione contingeret, eſſetque illius fortaſſe conſobrinus: quo caſu una utriuſque familia erat, idem ſtemma Genealogicum. Et quidem, tametſi lex Numerorum 36. non admodum urgeret, Judæi tamen, religioſi, ubi peculiaris cauſa non oberat, intra eamdem cognationem, atque familiam Matrimonio jungebantur. At mera hæc, ut dixi, probabilitas eſt, non certum, indubitatumque documentum. Hoc idem feciſſe Matthæum alii dicunt, quòd Hebræi ſoliti eſſent, Genealogias per patris avos, atavoſque, non itidem Matris deſcribere: adeòque egiſſe illum ex more, & conſuetudine Judæorum. Aſſentior planè, proboque; fecit is rectè ex fine, inſtitutoque ſuo, Judæos argumento, ut ajunt, ad hominem convincendi. At non ideò imprudenter, præter morem, & conſuetudinem fecit Lucas, per Matris primogenitores Chriſti genealogiam adornans: quia caſus ille ſingularis omninò erat, illiuſque genus deſcribebat, qui ſolus ex omnibus à Matre dumtaxat, non à Patre genus obtinuit.

EXER-

EXERCITATIO XLIII.

Quo pacto ambæ Chriſti genealogiæ cum hiſtoria veteris Teſtamenti concilientur?

I. MEdiam duntaxat ſuſcepti operis partem expedivimus, dum binas Matthæi, & Lucæ genealogias mutuò ſecum conciliavimus, ne pugnare invicem videantur. Reſtat pars altera difficilior expedienda; earum, ſcilicet, cum veteri Teſtamento tentanda conciliatio. In multis quippe capitibus à ſacra veteris Teſtamenti hiſtoria quàm longiſſimè diſſidere videntur. Quare ſpecioſas illas diſſonantias, & Antilogias in certas claſſes diſtribuemus, quò faciliùs, & commodiùs in concordiam revocentur.

II. Prima diſſonantia ſic ſe habet: Apud Matthæum Cap. 1. *Joram genuit Oziam*: quarto autem Regum libro, Cap. 8., & 11. Joram genuit Ochoſiam, Ochoſias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam, Amaſias genuit Oziam. Tres itaque gradus genealogici apud Matthæum omittuntur.

At nec eſt illa propria nominis diſſonantia, nec Matthæi propoſitio *Joram genuit Oziam* abſolutè falſa eſt. Quia Joram ſin minùs *immediatè*, ut ajunt, at ſaltem mediatè Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula Nepotes, ac pronepotes filii dicuntur Avorum, & proavorum (ut dum Chriſtus dicitur filius David; Judæi filii Abrahæ) ita avi, proavique dici poſſunt genuiſſe Nepotes, ac pronepotes. Iſajæ 51. *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, quamquàm ætate Iſajæ annos circiter mille trecentos ab Abrahamo, & Sara Judæi numerent. Cur autem tres illi intermedii progenitores à Matthæo ſilentio miſſi fuerint, Ochoſias, Joas, & Amaſias, moralis ratio eſt: quia tres illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochoſiam ex Athalia filia Achabi: Deus autem Achabi progeniei maledixerat uſque ad mingentem ad parietem 3. Reg. Cap. 21., ideòque non erant in Chriſti genealogia recenſendi. Uti planè Tribus Dan in recenſione *ſignatorum ex omni Tribu filiorum Iſrael* prætermiſſa eſt, Apocal. Cap. 7, quia hæc a Dei cultu deſecerat, ac ſeſe gentibus immiſcuerat; Judicum 18. Ideò tamen ſecuti deinceps Achabi poſteri in Chriſti genealogia ſunt recenſiti, quia Dei maledictio filiis interminata ob peccata patrum non protenditur ultra tertiam, & quartam generationem: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

III. Altera diſſonantia hujuſmodi eſt: Apud Matthæum *Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.* Ubi duplex videtur erratum. 1. Quia Joſias non genuit Jechoniam, ſed Joachin; Joachin verò genuit Jechoniam, 4. Regum Cap. 24., & 25., unde gradus unus genealogicus

logicus videtur omiſſus. 2. Quia Joſias occubuit ante tranſmigrationem Babylonis, lib. 2. Paralip. Cap. 34. adeòque Jechoniam, & fratres ejus generare non potuit *in tranſmigratione Babylonis*.

Miſſis implexis, obſcuriſque variorum Interpretum ſolutionibus, idem fermè repono, quod antea; gradum unum fuiſſe omiſſum, at juſta de cauſa, & illæſa Euangelica veritate. Juſta, inquam, de cauſa, quia Joachin Joſiæ filius, & Jechoniæ, ſeu Joachini ſecundi pater, vir nequiſſimus fuit, & ob ingentia ſcelera ſepultura Aſini extra portam Civitatis ſepultus eſt, Jeremiæ Cap. 22. v. 19. Idcircò in Chriſti progenitorum ſerie ſilentio mittendus Matthæo viſus eſt, perinde ac Ochoſias, Joas, & Amaſias, de quibus antea dicebamus. Illæſa quoque Euangelica veritate id factum eſt: quippe ſtat ſemper, Joſiam genuiſſe Jechoniam non immediatè quidem, ut ajunt, ſed medio Joachino filio ſuo. Quæ loquendi ratio ex Sacrarum Scripturarum uſu maximè eſt. Neque refert, ſi dixeris, Jechoniam, ſeu Joachinum ſecundum, (binomius enim fuit) haud multò meliorem fuiſſe Joachino primo patre ſuo; adeòque pari ratione fuiſſe omittendum. Ne enim omitteretur & ipſe, peculiaris ratio obſuit: quia dignitas Regum Juda ex ſtirpe David in eo finem habuit; idcircò peculiaris ipſius mentio facienda fuit. Huc adde, non deeſſe, qui putent, omiſſionem illam Joachini Joſiæ filii à Matthæo ipſo conſultò factam non eſſe, ſed Scribarum, & Amanuenſium mendum id eſſe. Teſtatur enim Faber Stapulenſis, à Joanne Maldonato laudatus, legiſſe ſe Codicem Græcum ita referentem: *Joſias autem genuit Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. At num hæc veriùs peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joachinum de ſuo adjecit? Quod autem additur à Matthæo *in tranſmigratione Babylonis*, non refertur ad *genuit*, quaſi Joſias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in tranſmigratione Babylonis; objerat enim diù ante, quàm tranſmigratio fieret: ſed refertur ad *Jechoniam, & fratres ejus*, quaſi dicat: Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in tranſmigratione Babylonis.

IV. Tertia diſſonantia videri iſta poteſt. Legimus apud Matthæum: *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Sa'athiel*: Jeremiæ verò Cap. 22. v. 30. Jechoniam ſterilem legimus: *Pone*, inquit, *virum iſtum ſterilem*; quomodo ergo genuit Salathielem? Rurſus apud Lucam Cap. 3. Salathielem legimus Neri filium: *Salathiel, qui fuit Neri*. Demùm lib. 2. Paralip. Cap. 35. Salathiel genitus dicitur in ipſa tranſmigratione Babylonis: non itaque poſt tranſmigrationem.

Ad ſingula capita reſponſio in promptu eſt. In primis enim Jechonias abſolutè ſterilis dictus non eſt, cùm multos habuerit filios lib. 1. Paralipomenon Cap. 3. v. 17. recenſitos, ac ipſum, de quo hìc agitur, Salathielem; ſed moraliter, ut ita dicam, quòd nullos de ſtirpe ſua Regni hæredes, & ſucceſſores habuerit; quod ex ipſis Jeremiæ verbis liquet apertè: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in* Juda. Ad ſecundum reponunt nonnulli, Salathielem, de quo Lucas, alium eſſe ab eo, de quo Matthæus. Ille

enim, inquiunt, filius fuit Neri à Davide deſcendens per Nathanem; iſte filius Jechoniæ à Davide deſcendens per Salomonem. At ſi ſic eſt, nullo jam certo documento evincemus, Chriſti progenitores à Luca notatos, infra Salathielem, à Davide etiam per Salomonem deſcendiſſe. Quod tamen neceſſe omninò eſt; cùm Chriſtus à Davide per Salomonem eſſet oriturus, Reg. 2. Cap. 7. Quare reponunt alii, Salathielem, de quo Matthæus, eumdem ac illum eſſe, de quo Lucas; filium tamen natura fuiſſe Jechoniæ, adoptione verò filium Neri; quòd mortuo Jechonia vero illius parente, à Nerio fuiſſet adoptatus: adeòque Lucam adoptionem ſpectaſſe potiùs, quàm naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, ſeu potiùs nepotem dicunt ex parte matris; quòd hæc Neri filia eſſet. At cur, quæſo, Lucas relicto patre ad maternum genus lineam genealogicam detorſiſſet? Quare veriùs repoſuerim ego, Salathielem ſecundùm naturam filium fuiſſe Jechoniæ; ſecundùm legem Leviratus filium Neri: quòd Nerio ſinè liberis extincto, Jechonias cognatus ejus relictam illius viduam uxorem duxerit, è qua Salathielem ſuſcepit. Tertium antilogiæ caput levius eſt, quàm ut quemquam morari poſſit: Matthæus enim Salathielem genitum ſcribens *poſt tranſmigrationem Babylonis*, eo nomine actum ipſum intellexit tranſmigrandi è Judæa in Babylonem: Auctor verò libri 2. Paralip. in ipſa tranſmigratione genitum ſcribens totum tempus intellexit commorationis in Babylone, quæ annos ſeptuaginta perduravit. Per id enim temporis Jechonias genuit Salathielem. Non itaque invicem collidunt Matthæus, & Scriptor Paralipomenon.

V. Quarta diſſonantia hæc eſt. Apud Matthæum *Salathiel genuit Zorobabel*. Contrà verò lib. 1. Paralip. Cap. 3. Zorobabel fuit filius Pedajæ, non Salathielis.

Sic ſanè. Verùm Zorobabel, de quo ſermo eſt lib. 1. Paralip., alius longè eſt ab eo, de quo ſermo eſt in genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, ſi alius ei pater aſſignetur. Zorobabel, de quo Matthæus, ille ipſe eſt, de quo ſermo eſt apud Eſdram, & Aggæam, qui ſemper Salathielis filius nuncupatur. 1. Eſdræ Cap. 3. v. 2., & 8., Cap. 5. v. 1. Aggææ Cap. 1. v. 12., Cap. 2. v. 3. Certè duorum Zorobabelium diſtinctio hunc maximè patet, quòd illis diverſi aſſignentur filii. Zorobabelis enim Euangelici filius dicitur Abiud: alterius Zorobabelis filii dicuntur Mozolla, & Hanania, lib. 1. Paral. Cap. 3.

VI. Quinta diſſonantia. Apud Lucam proximos Chriſti avos ita notatos legimus: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*. Nonnulli tamen Patres, Gregorius Nazianzenus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, interdum duobus mediis prætermiſſis, ita ſimpliciter legunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*.

Sit ita verò: Ergone Lucas in vitio eſt, ſi qui fortè Patres aliquando alitèr legerint? Aut etiam, ſi ſuperis placet, ex Patribus Euangelium emendabimus, ac non potiùs Patres ex Euangelio? Si qui ergo alicubi legerunt aliter, nonnulloſque inter ſcribendum genealogicos gradus prætermiſere; id, vel oſcitantia factum eſt, vel quòd in mendoſos fortaſſe Codices,

Codices, ſi qui tamen ſunt hoc in capite, inciderint aliquando.

VII. Sexta, ac ultima diſſonantia gravior cæteris viſa eſt. Apud Lucam inter Patriarchas, qui tranſacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis pater, Cainan pater Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: cùm contra in libris Moſaicis, aliiſque veteris Teſtamenti, non uno in loco, ſed pluries, Cainane prætermiſſo, Arphaxad pater Sale fuiſſe dicatur. Geneſis Cap. 10. v. 24., Cap. 11. v. 12., & 13., Lib. 1. Paralip. Cap. 1. v. 18. Neque enim reponi poteſt, quod nuper recentiorem aliquem reſpondiſſe video: Arphaxad mediatè, ut ita loquar, genuiſſe Sale, nempe Cainane intermedio; uti dum Joram Oziam genuiſſe dicitur: Quandoquidem Geneſis Cap. 11. v. 12. expreſsè dicitur: *Arphaxad vixiſſe triginta quinque annis; & genuiſſe Sale*; quæ loquendi formula nullum mediæ alicui generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadum inter, & Sale, medius fuit Cainan ipſius Sale genitor; non jam Arphaxadus triginta quinque dumtaxat annorum fuit, dum Sale genitus eſt, ſed longè plurium; iis, videlicet, inſuper additis, quos Cainan ejus filius, dum Sale genuit, numerabat.

Quapropter alterutrum fateri cogimur, vel mendum irrepſiſſe in veteri Teſtamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit; vel irrepſiſſe mendum in Euangelio Lucæ, ubi peperam adjecta fuerit; Quia tamen facilius eſt, Scribarum audacia mendum ſemel tantùm irrepſiſſe Lucæ 3. per levem additionem præpoſterè factam; quàm irrepſiſſe omninò quater in veteri Teſtamento per ſtudioſam generationis unius detractionem; tot enim vicibus ibi legimus, Arphaxad genuiſſe Sale, omiſſo Cainane: probabilius multò eſt, Cainanis generationem Arphaxadum inter, & Sale in Lucæ Euangelio à Scribis, & Amanuenſibus fuiſſe inſertam. Id ut aſſeram, alia multa me movent, quamquam vel hoc unum, etſi deeſſent alia, abundè ſufficeret. Quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum, & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneſeos, & Paralipomenon, nulla in Verſionibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata noſtra. 2. Quia Beroſus Chaldæus, Eupolemon, Alexander Polyhiſtor, quorum fragmenta extant apud Joſephum lib. 1. Antiquitatum Cap. 8., & apud Euſebium lib. 9. Præparationis Euangelicæ, Cainanem illum apertè rejiciunt. Quippe qui Abrahamum decima poſt Diluvium generatione vixiſſe, concorditer ſcribunt; qui tamen, numerato Cainane, undecimus eſſet. 3. Quia Scriptores Hebræi vetuſtiores, & inſigniores, Joſephus, & Philo, eumdem in texenda Patriarcharum ſerie ſecundæ ætatis prætermittunt. Uti etiam Euſebius Cæſarienſis in Chronico; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tametſi in hodierna Septuaginta interpretum Verſione Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuiſſe illic inſertam, & à primigeniis illius exemplaribus abfuiſſe: cum Philo Judæus, Joſephus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui Septuaginta Interpretum calculos ſequi ſolent, Cainanem illum in ſtemmate genea-

logico Patriarcharum omittant: notetque Procopius Gazæus ad Caput. 11. Geneſis, Cainanis generationem in Verſione ſeptuaginta Interpretum obelo fuiſſe confixam, in Hexaptis Origenis: *Hebraica*, inquit, *veritas habet, Salem genitum eſſe ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelo ſignata viſuntur*. 5. demum, quia abeſt idem ille Cainan è nonnullis pervetuſtis Codicibus Græcis, ipſius etiam Euangelii Lucæ, ac maximè à Codice Græco Latino quarti, ut plerique putant, Eccleſiæ ſæculi omnium probatiſſimo in Galliis olim aſſervato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigenſi. Unde maximè liquet, ne quidem apud Lucam extitiſſe primitùs Cainanem illum; ſed deinceps temerè, ac per ſummam audaciam fuiſſe inſertum.

VIII. Sed extat, inquis, Cainan ille in vulgata S. Lucæ Verſione, quæ à Concilio Tridentino ut authentica probata fuit. Ita ſanè: ſed abeſt, inquio ego, in vulgata veteris Teſtamenti Verſione, quæ perinde authentica eſt ejuſdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitium eſſe, neceſſe eſt, quantacumque ſit illa vulgatæ Verſionis authentia: multiplex tamen in veteri Teſtamento, ſimplex in Novo mendum erit: nam quater illic deeſt Cainan, iſtic ſemel abundat. Imò longè grauius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cum enim Moyſes Geneſis 11. non modò narret generationes omnes Patriarcharum à Noe uſque ad Abraham; verùm etiam diſtinctè notet, quoto quiſque vitæ ſuæ anno filium genuerit, quotve ſubinde annis poſt genitum filium ſupervixerit, ſi qua illic, Cainanis occaſione, mutilatio facta eſt; conſequens erit, non modò Cainanis generationem fuiſſe detractam, verùm etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; annoſque perinde, quos poſt Sale genitum ad mortem uſque numeravit. Si quid ergo vulgatæ Verſionis authentia nos movet, ne eam ſub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat, concedendum potiùs leve, ſimplexque mendum in Euangelio Lucæ, quàm multiplex, graviuſque in Moyſis Pentatheuco?

Ut fatear nihilominus, quod res eſt: nihil iſtius generis menda, ubicumque contigerint, vulgatæ Verſionis authentiæ officiunt. 1. Quia conſtat ex Criticis univerſis, ac ex ipſa Præfatione Clementinæ Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujuſmodi menda nonnulla, etiam ad præſens in ea Verſione reperiri; quorum ſcriptores aliqui elenchum, & indicem texuerunt. 2. Quia etiam poſtquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, à variis mendis levioribus repurgata fuit à Sixto V., & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authentiam ſatis eſt, ſi nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberret à vero. 4. Quia à Concilio Tridentino authentica dicta eſt comparatè ad reliquas Verſiones; non quòd fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda ſit, ad quorum potiùs fidem publica Eccleſiæ auctoritate emendari poſſet. Quæ omnia, ne quis forte audaciùs dicta putet; legat, ſi per otium vacat, Andream Vega lib. 15. de Juſtif. Cap. 9., Alphonſum Salmeronium Proleg. 3. in Euang., Robertum Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei Cap. 10., & 11., Sixtum Senenſem lib. 8, Bibilioth., Card. Pal-

lavicinum

laviciuum lib. 6. Hiſt. Concilii Tridentini Cap. 17., Serrarium in Prolegom. Cap. 19. quæſt. 18., & Præfationem recentioribus Bibiliis affixam, tibi hæc ipſa fuſiùs explicantur.

Quia verò hanc hodiernis Italiæ Theologis labem inuri video, ut, neglecta fide Majorum, in contraria nunc ſententia verſari credantur: placet dictis adjicere, quæ paucis ante diebus Orator Summus, idemque Theologus non vulgaris coram Eminentiſſimo Principe, ac delibato totius litteratiſſimæ Civitatis flore, è ſuggeſtu pronunciabat, dum de veterum linguarum ſtudio Sacrarum Scripturarum ſtudiis adjungendo, publicè diceret. *Græcos, inquiunt, & Hebraicos Codices, tum ipſa vetuſtate exeſos, tum etiam multorum audacia corruptos eſſe: huc ipſos Tridentini Concilii Patres ſpectaviſſe, cum Vulgatam unanimi conſenſu probaverunt, & unam ex omnibus Sacrorum Bibliorum editionem Chriſtianis hominibus cõmendarunt. Non tantùm mihi à vobis conceditur otii, ut veteri calumniæ, ſæpiùſque retuſæ hodierna luce reſpondeam: id unum dicam, quod, ubi opus fuerit, graviſſimorum Scriptorum ſuffragiis confirmare poſſum; Vulgatam editionem, non Græcæ, aut Hebraicæ, ſed reliquis Latinis, quarum magna copia, & varietas in dies exibat, neceſſario illo Tridentinorum Patrum decreto præpoſitam fuiſſe. Multa quidem commoda, ac propè innumera in Chriſtianam Eccleſiam ad fidei, morumque leges componendas per Synodum Tridentinam redundarunt; ſed nihil tam grave accepimus, quàm quòd ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum Interpretationibus una illa probata eſt, quæ cæterarum optime, ac fideliſſima nutantia multorum ingenia tanquàm clavo firmaret, certiſque regionibus circumſcriberet. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Græcis codicibus, unde Latini omnes, cæterique manarunt, quippiam auctoritatis detractum eſt: ſtat adhuc eorum fides firmiſſimis præſidiis fulta, licetque in rebus dubiis ad prima illa Verbi Divini exempla, non modò ſinè crimine, verùm etiam cum laude provocare. Haud equidem nego, mutila quædam in illis eſſe, nonnulla verò etiam mendoſa; ſed & menda ipſa verenda antiquitatis indicia ſunt, & partibus inſunt minimè neceſſariis; & in Vulgatam quoque, Librariorum incuria, ſi minuta qualibet animadvertimus, irrepſerunt. Nihil novi affero, nihil, quod ſummi Vulgatæ patroni, ſi ſeriò, & ex animo agant, negare poſſint. Sed vereor auditores, ne quemadmodum qui dignitates in Republica obtinere non poſſunt, privatum otium laudare ſolent, omnemque rei gerendæ rationem conquiſitis difficultatibus improbare; ita qui Græca, & Hebraica ſtudia, ſivè animi infirmitate, ſivè inertia deſugiunt, eorum laudem malignitàs imminuant, tantumque Latinis concedant, ut modum, fidemque ſuperet.*

EXER-

EXERCITATIO XLIV.

De Infantia, & Adoleſcentia Salvatoris.

I. DE infantia, & adoleſcentia Salvatoris ab anno vitæ ſuæ altero, quo ex Ægypto eductus eſt, uſque ad annum circiter trigeſimum; quo Baptiſmate in Jordane tinctus eſt, cœpitque publicum miniſterium obire, unum duntaxat, alterumve verbum habet Euangelium. Quæ res in cauſa fuit, cur innumeræ propemodum de puero, & adoleſcente Jeſu fabellæ à nebulonibus fuerint excogitatæ, quas breviter ſaltem expendere, atque diſpungere non gravabimur.

Mariam, & Joſephum conjuges Sanctiſſimos Nazarethi in Galilæa domicilium habentes quotannis una cum puero Jeſu Jeroſolymam ire ſolitos ad Paſchalis ſolemnitatis celebrationem, narrat Lucas Cap. 2. Euangelii: *Ibant parentes ejus per ſingulos annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſcha.* Cujus quidem anniverſariæ excurſionis occaſione contigit aliquando, ut puer Jeſus annorum duodecim factus, parentibus in patriam redeuntibus, & incogitantibus, ſubſtiterit Jeroſolymis: à quibus per triduum ſollicitè quæſitus, in Templo tandem fuerit inventus, in medio Doctorum ſedens, audiens, & interrogans illos: cui, cum illi dolorem ſuum ex triduana illa amiſſione conceptum ſignificaſſent, repoſuit ille: *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* En quid ſummè de Jeſu puero, adoleſcente, imò jam viro facto ab anno vitæ ejus ſecundo ad trigeſimum uſque, quo tinctus eſt in Jordane, cœpitque publicum munus obire, referat Euangelium. De reliquo, quamnam tunc vitæ rationem, inſtitutumque tenuerit, quid egerit, factitarit, alto ſilentio prætermittitur.

II. Quare ne hanc Chriſti Domini vitæ partem indictam relinquamus, tria in præſenti inveſtigabimus, quæ ſola videntur difficultatem habere aliquam. 1. Qui fieri potuerit, ut Chriſti Jeſu parentes quotannis unà cum illo ad Paſchalem ſolemnitatem Jeroſolymam venerint? Habet enim id difficultatem longè graviſſimam. 2. Quid ſibi velit ea Chriſti Domini in Templo tandem inventi parentibus afflictis, atque dolentibus data reſponſio? *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Hinc enim arbitrati ſunt aliqui etiam ex Patribus, Beatam Virginem ea occaſione peccaſſe; quæ tam durè à Chriſto Domino fuit increpita. 3. Quamnam vitæ rationem, quod vitæ genus, & inſtitutum toto illo tempore tenuerit Chriſtus? Multi quippe multa nugantur, ac miras fabulas narrant.

III. Itaque ad rem veniamus. In anniverſaria illa peregrinatione à Chriſti parentibus Jeroſolymam fieri ſolita, de qua nobis eſt primo loco dicendum, difficultatem non movet conficiendi itineris longitudo. E Galilæa quippe Jeroſolymam uſque tridui duntaxat, iter erat, quod ſingulis

ſingulis annis confici facilè poterat, ac eu[illegible] debebat ex Moyſis inſtituto: nec modò ſemel, ſed & ter in ſingulos annos, niſi fortè Judæos aliquos itineris longitudo faceret excuſatos: *Tribus vicibus per annum*, inquit Deus Exodi 22., & Deuteronomii 16., *apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in ſolemnitate Azimorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum*. At difficultatem non levem creat Archelai in Judæa regnantis averſus à Chriſto animus ingenſque periculum, ne puerum Jeſum juberet occidi, ſi quotannis Jeroſolymam, ſedem utique Regiam, adductus eſſet à parentibus ſuis. Obſervat ſiquidem Lucas hoc ipſo Capite 2., Joſephum in Ægypto, ſuſcepto mandato ut una cum puero Jeſu, Virgineque Deipara in terram Iſrael reverteretur; de Judæa, quæ Iſraelis potiſſima pars erat, repetenda ſtatim cogitaſſe: verùm mutaſſe conſilium, ac timuiſſe illò ire, cum primum inaudivit, Archelaum illic *regnare pro Herode patre ſuo*: novoque accepto monito, receſſiſſe in Galilæam. Quomodo ergo ex hac ipſa Galilæa, in quam ſe receperat, ſingulis annis in Judæam, ipſamque Jeroſolymam ire cum tota familia ſolitus erat? Numquid non idem perinde periculum ſuberat, regnante illic Archelao, Herodianæ crudelitatis non minùs, quàm poteſtatis, & auctoritatis hærede?

Non indignus Auguſtino vindice nodus iſte viſus eſt, qui duplicem ad illius ſolutionem viam aperit lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 10., vel Archelaum, à quo, & ſibi timebat Joſephus, & puero, in exilium jam pulſum, non ultra in Judæa regnaſſe, dum Jeroſolymam cum Sacra Prole Sanctiſſimi Parentes quotannis accederent: vel illos ad paucos tantùm dies, & quidem latitantes Jeroſolymis ſubſiſtere fuiſſe ſolitos: *Hoc mihi diſſolvere non eſſet difficile*, inquit Sanctiſſimus Doctor, *nec ſi aliquis Euangeliſtarum expreſſiſſet, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, ut per diem feſtum, inter tam ingentem turbam latenter aſcenderent non reverſuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec ſolemnitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui. Cum verò etiam de Regno Archelai, quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iſte quoque intellectus patet: ut, quod Lucas dicit per omnes annos eos aſcendere ſolitos in Jeruſalem, tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quòd ſi Archelai regnum aliquantò diuturnius ulla præter Euangelium hiſtoria prodit, cui fides habenda videatur: illud, quod ſuperiùs dixi, ſufficerit, quòd ita timebant parentes puer habitationem in Jeruſalem, ut tamen propter Dei timorem feſtivitatem ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillimè poſſent. Neque enim incredibile eſt, captatis temporibus opportunis, vel dierum, vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus eſſe formidant.* Num Auguſtino nota fuerit Flavii Joſephi Hiſtoria, haud ſatis ſcio: illud tamen certum, nobilem Hiſtoricum, cui certè in his danda fides eſt, lib. 17. Antiquitatum Judaicarum Cap. 15. disertè teſtari, Archelaum decem annis in Judæa regnaſſe, antequam in exilium ab Auguſto Cæſare pelleretur. Adeòque perſpectum eſt, toto illo Regni decennio, Joſephum cum puero Jeſu Jeroſolymam ſæpiùs aſcendiſſe; cùm Lucas generatim, & univerſum pronunciet, eum per omnes annos aſcendere fuiſſe ſolitum ad ſolemnitatem Paſchalem. Ad nodi igitur

tur intricatiſſimi ſolutionem, alteri Auguſtini reſponſo firmiter ſtandum exiſtimo: Joſephum nempe ex Ægypto revertentem timuiſſe in Judæam ire, ut illic lares figeret, certamque habitationem conſtitueret; ſic enim ab Archelao fuiſſet facilè deprehenſus: non tamen perindè timuiſſe ad paucos dies per ſingulos annos illic hoſpitari, recurrente maximè feſtivitate Paſchali, atque in tanta confluente undique multitudine Judæorum, intra quam, tantilla adhibita cura, latitare facilè poterat. Cæterùm quo ſubinde tempore Jeſu annorum duodecim factus palam ſeſe noſcendum Doctoribus dedit in Templo, Archelaus in exilium pulſus erat, nihilque tunc ab illo timendum erat.

IV. Nunc ad reſponſum afflictis parentibus datum à Chriſto veniamus, dum ab iis poſt triduanam inquiſitionem inventus dicenti Deiparæ: *Fili: quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: repoſuit ille: *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Cruda ſanè verba, quibus aſpera objurgatio videtur contineri, quaſi parentes ejus ignoraſſent, Chriſtum in iis eſſe oportere, quæ Patris ejus eſſent. Minimè tamen, nec ita, ut prima fronte videtur, ſe res habet. Quin potiùs verbum hoc *neſciebatis* per interrogationem dictum oppoſitum ſonat, perinde ac ſi diceret: *Sciebatis*. Uti planè 1. ad Corint. Cap. 9. *Neſcitis, quòd qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium?* Perinde eſt, ac ſi diceret, ſcitis, quòd qui in ſtadio currunt. Et Cap. 6. v. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?* idem certè ſonat, ac ſi diceret: cum illud ſciatis, non Angelos eſſe judicaturos, illud multo certius tenere debetis, nos judicaturos eſſe ſæcularia. Id itaque ſibi voluit Chriſtus Dominus eo dato reſponſo: quandoquidem ſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, non erat, cur me quæreretis ut errantem: ſed illud advertere poteratis, abſentiam illam meam à vobis ea de cauſa factam fuiſſe, ut opus mihi à Patre impoſitum implerem. Ita locum hunc ingenioſè interpretatur Card. Toletus Notat. 81. in Cap. 2. Lucæ.

At ecce, reponet aliquis, in culpa igitur erant Chriſti parentes, quòd id non adverterint: abſentiam, ſcilicet, illam ea de cauſa factam eſſe, ut Patris opus impleret. Minimè gentium: in culpa propterea non erant. Cum enim Chriſtus per omnia nobis ſimilis factus, excepto peccato, cæterorum tunc puerorum more ſe gereret, communeſque tunc puerorum fragilitates haberet, (quas tamen non ex infirmitate, ſed ex voluntate patiebatur) poterant citra culpam parentes ejus exiſtimare, voluiſſe illum, ceterorum quoque puerorum more, vel à via deflectere, vel Jeroſolymis alia de cauſa ſubſiſtere: nec ſcire illicò tenebantur, voluiſſe illum hac in occaſione Divinum opus implere; ſeque Dei Filium coram Doctoribus oſtentare. Maximè cum nihil hujuſmodi toto præcedenti pueritiæ tempore in illo experti fuiſſent. Nulla itaque in parentibus culpa fuit, quam Chriſtus dato reſponſo reprehenderit.

V. Majorem fortè in omnium veſtrum animis curioſitatem excitabit altera quæſtio de Chriſti vitæ ratione, & inſtituto ad tempus uſque

ſuſcepti

ſuſcepti Baptiſmatis: quòd nihil ea de re legatur in Euangelio, ſed divinandum potiùs relinquatur. Sexcentas ea de re fabulas, ac nænias congeſſit antiquus Auctor Hæreticus libri *de infantia Salvatoris*: quem idcircò Gelaſius Pontifex in Concilio Romano proſcripſit. Non pauca quoque commenta de Chriſto infante, Scholas ad litteras addiſcendas frequentante, fabulati ſunt Valentiniani, quos acriter refellunt S. Irænéus lib. 1. adverſus Hæreſes Cap. 17., & S. Auguſtinus Tract. 29. in Joannem. Imò quos in hac parte in anteceſſum falſi convicit Euangelium Joannis 7., ubi Judæi de Chriſto dixiſſe referuntur: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Non itaque ad litteras perdiſcendas Scholas frequentaverat. Ejuſdem pueri Jeſu miracula non pauca jactabant, jam à tertio Chriſtiani nominis ſæculo, nonnulli nebulones, quos durè exagitat S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 16. in Joannem, cujus hæc verba ſunt: *Conſtat, ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi à puero miracula facere cœpiſſet, non ſanè eum Joannes ignoraſſet; nec reliqua multitudo indiguiſſet Magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem, inquit Joannes, propter hoc veni, ut manifeſtetur in Iſrael.* Quare, iis omnibus ablegatis vigilantium hominum ſomniis, alii paulò mitiùs, ac religioſiùs de priſtina illa Chriſti vitæ ratione, & inſtituto ſenſerunt; qui eum toto illo temporis tractu ad annum uſque trigeſimum in ſeceſſu, ſecretoque loco ſolitariam vitam duxiſſe volunt, & continuæ orationi, contemplationi, ac etiam jejunio vacaſſe. Ita Paulus Brugenſis ad Cap. 6. Marci, Barradius in Cap. 2. Lucæ, Simon de Caſſia lib. 4. de vita Chriſti Cap. 2. Verùm quamquam id ex parte verum eſſe non negem; Chriſtumque plurimam privatæ vitæ partem contemplationi, & orationi dediſſe non dubitem; difficulter tamen adducor, credam, eum ſocialem vitam nuſquam egiſſe, artemque aliquam mechanicam non exercuiſſe: tùm ut in ea exercenda patri ſubditus eſſet; tùm ut honeſta induſtria, & ſuæ, & parentum inopiæ ſuccurreret; tum ut humilitatis, ac modeſtiæ præberet exemplum; tum demum ad fugam otii.

Id ut aſſeram, cogit me vel invitum Sacrarum Scripturarum, & veterum Patrum auctoritas; unde illum fabrilem artem interdum ſaltem exercuiſſet, certiſſimè colligo. Et quidem Judæi, apud quos Chriſtus verſabatur, quique externum illius vitæ inſtitutum ignorare non poterant, non modò *Fabri filium*, ſed & *Fabrum* vocitabant, Marci 6. *Nonne hic eſt Faber?* Ob id dubio procul, quòd illum unà cum Joſepho patre fabricantem ſæpè vidiſſent. Quocirca D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. Cap. 42. *Nec mirandum eſt*, inquit, *quòd id Judæi dicerent, cum utrumque dici potuerit; eo enim & Fabrum credebant, quo Fabri filium.* Fabrilem etiam artem ab ipſomet Chriſto Domino exercitam dicunt S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 30. in Cap. 13. Matthæi, S. Baſilius in Aſceticis, S. Thomas in Cap. 13. Matth., ut planè ea de re dubium moveri non poſſit.

Quia tamen *Fabri* nomen genus artis, non ſpeciem ſonat; Faber quippe dicitur quicumque fabricatur; imò quiſquis in quacumque materia ſecanda, polienda, dolanda, aptanda laborat, quæri idcircò poteſt: quam ſpeciatim coluerit artem fabrilem? Certè, ſi quid veterum Pa-

trum

trum auctoritati tribuendum eſt, Chriſtum unà cum Joſepho patre Fabrum lignarium, & quidem Carrucarium fuiſſe, non dubito. Id quippe conceptiſſimis verbis habet S. Juſtinus Martyr, laudatis Patribus longè antiquior; quippe qui ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo floruit, in Dialogo cum Triphone Judæo; Chriſtum lignariam artem exercuiſſe aſſerens, atque illam maximè, *quæ aratra fabricatur, & juga*, quam carrucariam hodie nuncupamus. Divo Juſtino etiam ſubſcribit S. Ambroſius lib. 3. in Lucam.

VI. Haud me fugit, Patres aliquos, ac maximè D. Hilarium ad Cap. 14. Matth., Bedam in Cap. 6. Marci, & S. Petrum Chryſologum Serm. 48. *Fabrum ferrarium* dixiſſe. At nemo non videt, in ea opinionum diſſenſione, S. Juſtini Martyris, utpote omnium antiquiſſimi, opinionem prævalere, cui & alia certa monumenta ſuffragantur. Nota quippe eſt illa pii cujuſdam, ac religioſi Ludimagiſtri reſponſio Libanio Ethnico, & Juliani Imperatoris Apoſtatæ intimo familiari olim data, quam referunt Theodoretus lib. 3. Hiſt. Cap. 18., & Sozomenus lib. 6. Hiſt. Cap. 23. Cum, ſcilicet, per deriſum quæſiiſſet Libanius: *Quid agit Fabri Filius?* Chriſtum intelligens, & irridens. Reſpondit Ludimagiſter: *Juliano tuo feretrum fabricatur*. Quod certè probavit eventus: nam paulò poſt ſagitta ictus Julianus interiit, ac feretro in tumulum delatus eſt. Utcumque tamen ſe res habeat, ſeu lignarii, ſeu ferrarii fabri fuerint Chriſtus, & Joſeph, perinde nobis eſt, qui fabrilem artem a Chriſto ſimpliciter exercitam dicimus, ut ex honeſto, & innocenti artificio, & ſibi, & parentibus vitæ neceſſaria compararet.

VII. Quare ii mihi ridendi veniunt, qui Chriſtum non artificio, ſed quotidiana mendicatione, & corrogata oſtiatim ſtipe victitaſſe commenti ſunt. Quæ quidem Michaelis Cæſenæ, Guillelmi Ochami, aliorumque Minoritarum commenta Joannes XXII. Rom. Pont. anno 1322. damnavit, Extravagantibus *ad Conditorem &c.*, *Cum inter nonnullos &c.*, *Quia quorumdam &c.* Et verò, ſi eum mendicitatis ſtatum amplexus eſſet Chriſtus ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum utiq; tenuiſſet ad vitæ neceſſaria comparanda: non retinuiſſe autem compertum eſt ex Euangelio Joannis Cap. 4., ubi Chriſti Diſcipulo in Civitatem iviſſe legimus, *ut cibos emerent*. Et ex Cap. 13., ubi Chriſtum Judæ loculos habenti juſſiſſe legimus, *ut egenis aliquid daret*. Neque tamen diffiteor ego, pauperum vitam duxiſſe illum, quod multa Euangelii loca ſatis indicant: imò & ipſum aliquando mendicaſſe, quod aſſerit Doctor Angelicus, Opuſculo *contra impugnantes religionem* Cap. 7. Verùm aliud longè eſt paupertas, aliud mendicitas: aliudque rurſus eſt mendicitas ex ſtatus, & vitæ conditione, aliud mendicatio ex occaſione dumtaxat, & in exercitium humilitatis, qualis fuit in Chriſto Domino. Quid etiam, quòd Chriſtum aliquid in commune cum Apoſtolis habuiſſe, definit Joannes XXII. in citatis Extravagantibus; idque paupertatis perfectioni nequaquam officere? Quo extremo judicio cenſendus eſt revocaſſe Caput *Exiit*, *De verborum ſignificatione* in Sexto: quod Nicolai IV. contrarium aſſerentis decretum erat. Qua de re legendus Odericus Raynaldus in Annalibus ad annum

Digitized by Google

annum 1323. Quid tandem, quòd Chriſti Virgo Mater, honeſto pariter artificio, & ſibi, & filio vitæ neceſſaria compararet, non ſecus ac Joſeph, quæ idcircò *quæſtuaria*, hoc eſt, artem ad quæſtum exercens dicitur à Tertulliano, lib. de ſpect., & à D. Hieronymo Epiſt. 1. ad Heliod., etſi quam ſpecialiter artem coleret, non perinde conſentiant Eccleſiæ Patres. *Lanariam* enim ſcribit Anſelmus; *induſtariam* Epiphanius; *textricem*, ex lana, ſcilicet, lino, ſerico, & biſſo Hieronymus, & Venerabilis Beda. Parentibus porrò honeſtam artem exercentibus, filium iiſdem conviventem, victum mendicatò quæſiiſſe, non eſt admodùm veriſimile.

Digitized by Google

EXERCITATIO XLV.

De Chriſti Baptiſmate.

I. QUæ cauſæ Chriſtum Dominum ad Joannis Baptiſma ſuſcipiendum impulerint, percenſere, non ita fortè difficile fuerit. Has magna ex parte nobis indigitant S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, Venerabilis Beda, & Doctor Angelicus. 1. Quia homo cum eſſet, omnem juſtitiam, ſeu legis obligationem implere debuit 2. Ut Joannis Baptiſma comprobaret, eique auctoritatem conciliaret 3. Ut Jordanis aquas mundiſſimæ ſuæ carnis contactu ſanctificans iiſdem ſubinde regenerandi virtutem largiretur 4. Ut peccata noſtra, quæ tamquam publicus ſponſor in ſe ſuſceperat, in eo Baptiſmo pœnitentiæ immergeret 5. Vt in tanto illo, qui ad Joannem fiebat, Judæorum concurſu ſolemne illud Æterni Patris teſtimonium acciperet, ad ſacrum prædicationis officium plena, & integra auctoritate ſuſcipiendum.

II. Verùm difficilius longè fuerit, hujuſce à Chriſto Domino ſuſcepti Baptiſmatis circumſtantias explicare in Euangelio recenſitas, quæ amplam Eccleſiæ Patribus, Sacriſque Interpretibus diſputandi materiam præbuerunt: ut plus in explicandis adjunctis, quàm in enodando Myſterio ipſo, operis, & laboris impenderint. Nos pro modulo noſtro de ſingulis dicemus ex ordine. Ac primùm quidem de tempore, & loco ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis: tum de prodigiis Baptiſmum ſecutis; de Cœlo nimirum aperto; de Spiritus S. in Chriſtum illapſu ſub ſpecie Columbæ; ac de audita paterna voce, Jeſum dilectum ſibi filium pronunciante.

III. Tempus, ſeu ut preſſiùs dicam, annum ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis duplicem diſtinguimus, de quo perinde acriter diſputatur: annum, ſcilicet, ſæculi, & annum vitæ Chriſti. De utroque enim ex æquo quæritur: & quo anno ſæculi Chriſtus in Jordane ſit tinctus? Et quem ipſemet vitæ ſuæ annum ageret, quo tempore tinctus eſt?

De primo nihil certi ſtatui poſſe, fidentèr pronuncio, quamquam plerique Scriptores in ea enodanda quæſtione paginas impleant, & in varias ſententias dilabantur. Quæ enim probatio peti ſolet ex Cap. 3. Lucæ, ut Chriſtus anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris baptizatus oſtendatur, fluxa prorſus eſt, & elumbis. Quamquàm enim Joannem Baptiſtam prædicationis officium ſuſcepiſſe teſtetur Lucas, *anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam*; nullo tamen verbo ſignificat, hoc ipſo anno 15. Tiberii, aut fortè ſequenti, Chriſtum ad Joannis Baptiſmum ſuſcipiendum acceſſiſſe. Ecquis verò id certò definiat? Maximè cum non acceſſerit Chriſtus, antequam Joannes plebem illi perfectam præparaſſet: qua in re perficienda, quot annos inſumpſerit, ignoratur, cùm nuſpiam ſcriptum legatur.

Ad

Ad hæc etiam, quis mihi certò definiat, de quo Tiberii Imperio loquatur Lucas; quamve in illius annis computandis rationem ſequatur, dum ait, Joannem miniſterium ſuum fuiſſe auſpicatum *anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris?* Duplex enim Tiberii Imperium de more diſtinguitur: alterum Auguſtale, ut vocant; quod nimirum exordium duxit ab ipſa Auguſti morte, dum ſolus Tiberius Imperii habenas moderari cœpit: alterum Proconſulare, quod diu antea exordium habuit; dum, ſcilicet, ex lege per Conſules lata Provincias cum Auguſto communiter cœpit adminiſtrare, ut ſcribit *Svetonius* in Tiberio Cap. 18. Sed & hoc ipſum Proconſulare Imperium Tiberii Cæſaris, quod diu ante Auguſti mortem cœpiſſe liquet, quo tamen diſtinctè anno cœperit, ignoratur: aliis nempe biennio ante Auguſti mortem, aliis triennio, aliis quatriennio illius initium repetentibus. Nullo itaque certo calculo definiri poteſt, quo præcisè ſæculi anno Chriſtus Dominus fuerit baptizatus.

IV. Quo autem vitæ ſuæ anno tinctus ſit, etſi nonnihil explicatius in Euangelio legi contingat, unde illum anno circiter trigeſimo vitæ ſuæ baptizatum eſſe colligi videatur: nempe quòd ait Lucas Cap. 3. *Ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*: tam multos tamen nodos in hoc Sirpo quærunt Critici recentiores, ac veteres, ut quem præcisè annum Lucas notare voluerit, neſciamus: num trigeſimum ipſum; an inchoatum illum, an expletum; an trigeſimum primum, & ultra; an vigeſimum nonum, & infra.

Et quidem, ſi quis verba Euangelii ſimpliciter legerit, *Jeſus* (dum baptizatus eſt) *erat incipiens quaſi annorum triginta*, facilè ſibi perſuadeat: Jeſum annum quaſi trigeſimum incœpiſſe: adeòque eum, vel trigeſimum annum inchoaſſe tunc, quod participium illud *incipiens* ſonare videtur: aut certè ad incipiendum annum trigeſimum propè acceſſiſſe: quod particula *quaſi* imminuendi vim habens apertè ſignificat. Adeòque Chriſtum ad finem anni vigeſimi noni perveniſſe: tunc enim ad inchoandum trigeſimum propè acceditur. Verùm hæc ipſa duo vocabula *incipiens*, & *quaſi*, è quibus tota pendet vis probationis allatæ, ex Euangelio facilè enervantur, ne quid inde poſſit extundi.

Imprimis enim Patres benè multi, atque in iis maximè Origenes homilia 28. in Matthæum, S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Euthymius in Commentariis in Lucam, participium illud *incipiens* ab annis vitæ Chriſti omninò ſejungunt, ac de publico prædicationis Euangelicæ miniſterio, quod tunc Chriſtus incœpit, prorſus intelligunt: ut ſit ſenſus, Chriſtum incipientem publicum miniſterium *fuiſſe quaſi annorum triginta*. Cui Patrum interpretationi nonnulla favent Scripturæ loca, in quibus, eadem uſurpata loquendi formula, Chriſtus à Baptiſmate Joannis nudè, ac ſimpliciter dicitur incœpiſſe, ſubintelligendo publicum miniſterium. Actorum Cap. 1. *Omni tempore, quo intravit, & exivit ad nos Dominus Jeſus, incipiens à Baptiſmate Joannis.* Et Cap. 10. *Incipiens à Galilæa poſt Baptiſma, quod prædicavit Joannes.* Nutat igitur ex hac parte vis probationis ex hoc celebri Euangelii loco petitæ.

Nutat

Nutat & ex altera parte: quia particula *quaſi*, quæ ſola jam in adducta probatione vim facit, non ſemper ſignificati vim imminuit: ut Joannis Cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre*. Imò particula hæc præpoſita numero non ſemper denotat, aliquid deeſſe de numero. Sic Matthæi Cap. 15. *quatuor millia virorum* manducaſſe referuntur; qui tamen Marci 8. dicuntur *quaſi quatuor millia*. Imò quandoque particula illa præpoſita numero importat augmentum. Nam Exodi 12. dicuntur *quaſi ſexcenta millia virorum* in exitu Iſraelis de Ægypto: qui tamen Numerorum Cap. 1. dicuntur *ſexcenta tria millia, quingenti quinquaginta*. Quidni itaque Chriſtus *annorum quaſi triginta* dici poſſet, non modò ſi totos triginta annos completos haberet; verùm etiam ſi triginta, & unum, aut etiam triginta duos numeraſſet? Particula quippe *quaſi* idem quod *circiter* ſonat in laudatis exemplis; ut numerum perinde poſſit augere, atque minuere. Dubia itaque relinquitur ætas Chriſti ad Joannis Baptiſmum accedentis, ſi ſolum Euangelium conſulamus Lucæ Cap. 3.

Dubium ea de re longè majus enaſcitur, ſi Patres conſulere lubeat: utpote qui in varias hinc inde opiniones abeunt, quas ſecum conciliare impoſſibile ſit. Nonnulli enim Chriſtum baptizatum exiſtimant initio trigeſimi anni, cum, ſcilicet, vigeſimum nonum expleviſſet, & trigeſimum paucis diebus attigiſſet: ut Origenes homilia 21. in Ezechielem, & Hieronymus ad Cap. 1. Ezechielis. Alii baptizatum aſſerunt prope anni trigeſimi finem: ut S. Irenæus lib. 2. adverſus Hæreſes Cap. 39., & S. Epiphanius Hæreſi 51. Alii baptizatum volunt poſt expletum trigeſimum annum: ut S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Trallianos, S. Joannes Chryſoſtomus homil. 10. in Matthæum, Venerabilis Beda lib. de ratione temporum Cap. 45. Nihil itaque in tanto opinionum conflictu certò definiri poteſt: ſed hoc unum ut ſummè dicendum, Chriſtum anno plus, minùs vitæ ſuæ trigeſimo à Joanne in Jordane tinctum eſſe.

V. De die ipſa ſuſcepti Baptiſmatis multò fidentiùs pronunciaverim. Uno enim exceptum Divo Epiphanio, qui Hæreſi 51. Chriſtum die 6. Novembris baptizatum dixit; in id conſentiunt univerſi, ut die 5., aut 6. Januarii fuerit baptizatus: qua die etiam Eccleſia Catholica à primis ſæculis Theophaniam ſolita eſt celebrare: ſeu triplicem Chriſti manifeſtationem Gentilibus, Judæis, & Diſcipulis factam. Gentilibus, inquam, Magorum adoratione; Judæis, Divina Patris Filium eſſe ſuum conteſtante ſtatim poſt Baptiſma ſuſceptum; Diſcipulis, primo in nuptiis Canæ patrato miraculo. Sola impedimento videtur eſſe durior, & aſperior anni tempeſtas, ne tunc ſolemne Baptiſma per immerſionem, quale tunc erat in uſu, conferretur. At neminem ratio illa permovebit, qui Judææ regionem temperatiſſimam, hiememque clementiſſimam fuiſſe animadverterit. Atque hæc de circumſtantia temporis dicta ſatis. Nunc de loco dicendum.

VI. Locum ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis peculiarem, atque diſtinctum notat Joannes Cap. 1. Euangelii, inquiens: *Hæc facta ſunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes Baptizans*. At & hinc quoque ingens

oritur

oritur difficultas ; propterea quòd Bethania, quæ Marthæ, & Magdalenæ Caſtellum erat, non trans Jordanem, ſed cis Jordanem ſita eſſet, juxta Jeroſolymam ſtadiis ferè quindecim, ut legitur Joannis Cap. 11. v. 18. Unde & priſci Eccleſiæ Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, relicta Verſionis vulgatæ lectione, legunt *in Bathabara*, quæ Civitas trans Jordanem eſt, ad quam primò venientes Hebræi ex Ægypto flumen trajecere Ductore Joſue. Quare horum alterum ad nodi hujuſce ſolutionem ſtatuendum: aut mendum aliquod Scribarum oſcitantia in vulgatam Verſionem irrepſiſſe, & *Bethaniam* pro *Bethabara* poſitam fuiſſe, quod nonnulli Recentiores exiſtimant: aut certè ultra Caſtellum Marthæ, & Magdalenæ, cui Bethania nomen erat, alteram etiam trans Jordanem Bethaniam fuiſſe ſitam, quæ perinde Bethabara diceretur. Ita D. Thomas in Commentariis ad Caput 1. Joannis lect. 14. Utroque autem nomine & Bethaniam, & Bethabaram Civitatem illam nuncupatam crediderim, eò quòd ſolitus illic Jordanis trajectus eſſet, paratæque illic ſemper adeſſent naviculæ, quibus viatores flumen trajicerent. *Bethania* enim Hebraicè ſonat locus navis *Bethabara* locus tranſitus. Quare una fermè, eademque utrique voci ſubjecta vis eſt.

VII. Explicatis nunc circumſtantiis loci, & temporis Chriſti Domini Baptiſmum comitantibus, ad prodigia Baptiſmum ſecuta explicanda animum, vocemque convertimus: Cœli, ſcilicet, apertionem, Spiritus Sancti illapſum ſub ſpecie columbæ paternam vocem Chriſtum dilectum ſibi Filium denunciantem.

Prodigia, dixi, Baptiſmum ſecuta, non in ipſo Baptiſmo patrata. Satis enim Pictoribus noſtris indignari non poſſum, qui Chriſtum ſimul Baptiſma ſuſcipientem, Cœlum apertum; illabentem Spiritum Sanctum, Patrem demum Chriſto teſtimonium perhibentem repræſentant, quaſi uno, eodemque tempore peracta ſint omnia. Non eſt ita profectò, non eſt ita: ſed peracto Baptiſmate, Chriſto ex aquis Joardanis emerſo, ac fundente orationem prodigia iſta patrata ſunt. Matthæi Cap. 3. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei Cœli &c.*, Lucæ Cap. 3. *Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt Cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum*. Imò & id à Patribus conſulto eſt obſervatum, non quo tempore baptizaretur Chriſtus à Joanne, ſed quo tempore poſt Baptiſma ſuſceptum oraret, prodigia illa patrata eſſe; ne Baptiſmati Joannis, ſed Chriſti Domini orationi tribuerentur. Quare ea Pictorum licentia cum altera perinde caſtiganda venit, qua Chriſtum aquæ infuſione baptizatum repræſentant; Joannemque teſta, ſeu concha aquam ſuper caput ejus, & humeros effundentem nobis effingunt. Ignorant, ſcilicet, quod nemo neſcit vel mediocriter in Hiſtoria Sacra verſatus; Baptiſma per infuſionem, non modò Judæis, ſed & Chriſtianis ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe penitùs inauditum. Per immerſionem ergo, non per infuſionem tinctus eſt Chriſtus, uti & cæteri omnes, qui à Joanne Baptiſta in Jordane luſtrati ſunt.

VIII. Sed

EXERCITATIO XLIV.

De Infantia, & Adoleſcentia Salvatoris.

I. DE infantia, & adoleſcentia Salvatoris ab anno vitæ ſuæ altero, quo ex Ægypto eductus eſt, uſque ad annum circiter trigeſimum; quo Baptiſmate in Jordane tinctus eſt, cœpitque publicum miniſterium obire, unum dumtaxat, alterumve verbum habet Euangelium. Quæ res in cauſa fuit, cur infinitæ propemodum de puero, & adoleſcente Jeſu fabellæ à nebulonibus fuerint excogitatæ, quas breviter ſaltem expendere, atque diſpungere non gravabimur.

Mariam, & Joſephum conjuges Sanctiſſimos Nazarethi in Galilæa domicilium habentes quotannis unà cum puero Jeſu Jeroſolymam ire ſolitos ad Paſchalis ſolemnitatis celebrationem, narrat Lucas Cap. 2. Euangelii: *Ibant parentes ejus per ſingulos annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſcha.* Cujus quidem anniverſariæ excurſionis occaſione contigit aliquando, ut puer Jeſus annorum duodecim factus, parentibus in patriam redeuntibus, & incogitantibus, ſubſtiterit Jeroſolymis: à quibus per triduum ſollicitè quæſitus, in Templo tandem fuerit inventus, in medio Doctorum ſedens, audiens, & interrogans illos: cui, cum illi dolorem ſuum ex triduana illa amiſſione conceptum ſignificaſſent, repoſuit ille: *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* En quid ſummè de Jeſu puero, adoleſcente, imò jam viro facto ab anno vitæ ejus ſecundo ad trigeſimum uſque, quo tinctus eſt in Jordane, cœpitque publicum munus obire, referat Euangelium. De reliquo, quamnam tunc vitæ rationem, inſtitutumque tenuerit, quid egerit, factitarit, alto ſilentio prætermittitur.

II. Quare ne hanc Chriſti Domini vitæ partem indictam relinquamus, tria in præſenti inveſtigabimus, quæ ſola videntur difficultatem habere aliquam. 1. Qui fieri potuerit, ut Chriſti Jeſu parentes quotannis unà cum illo ad Paſchalem ſolemnitatem Jeroſolymam venerint? Habet enim id difficultatem longè graviſſimam. 2. Quid ſibi velit ea Chriſti Domini in Templo tandem inventi parentibus afflictis, atque dolentibus data reſponſio? *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Hinc enim arbitrati ſunt aliqui etiam ex Patribus, Beatam Virginem ea occaſione peccaſſe; quæ tam durè à Chriſto Domino fuit increpita. 3. Quamnam vitæ rationem, quod vitæ genus, & inſtitutum toto illo tempore tenuerit Chriſtus? Multi quippe multa nugantur, ac miras fabulas narrant.

III. Itaque ad rem veniamus. In anniverſaria illa peregrinatione à Chriſti parentibus Jeroſolymam fieri ſolita, de qua nobis eſt primo loco dicendum, difficultatem non movet conficiendi itineris longitudo. E Galilæa quippe Jeroſolymam uſque tridui dumtaxat, iter erat, quod

ſingulis

Digitized by Google

ſingulis annis confici facilè poterat, ac eu.u debebat ex Moyſis inſtituto: nec modò ſemel, ſed & ter in ſingulos annos, niſi fortè Judæos aliquos itineris longitudo faceret excuſatos: *Tribus vicibus per annum*, inquit Deus Exodi 22., & Deuteronomii 16., *apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in ſolemnitate Azimorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum*. At difficultatem non levem creat Archelai in Judæa regnantis averſus à Chriſto animus ingenſque periculum, ne puerum Jeſum juberet occidi, ſi quotannis Jeroſolymam, ſedem utique Regiam, adductus eſſet à parentibus ſuis. Obſervat ſiquidem Lucas hoc ipſo Capite 2., Joſephum in Ægypto, ſuſcepto mandato ut una cum puero Jeſu, Virgineque Deipara in terram Iſrael reverteretur; de Judæa, quæ Iſraelis potiſſima pars erat, repetenda ſtatim cogitaſſe: verùm mutaſſe conſilium, ac timuiſſe illò ire, cum primum inaudivit, Archelaum illic *regnare pro Herode patre ſuo*: novoque accepto monito, ſeceſſiſſe in Galilæam. Quomodo ergo ex hac ipſa Galilæa, in quam ſe receperat, ſingulis annis in Judæam, ipſamque Jeroſolymam ire cum tota familia ſolitus erat? Numquid non idem perinde periculum ſuberat, regnante illic Archelao, Herodianæ crudelitatis non minùs, quàm poteſtatis, & auctoritatis hærede?

Non indignus Auguſtino vindice nodus iſte viſus eſt; qui duplicem ad illius ſolutionem viam aperit lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 10., vel Archelaum, à quo, & ſibi timebat Joſephus, & puero, in exilium jam pulſum, non ultra in Judæa regnaſſe, dum Jeroſolymam cum Sacra Prole Sanctiſſimi Parentes quotannis accederent: vel illos ad paucos tantùm dies, & quidem latitantes Jeroſolymis ſubſiſtere fuiſſe ſolitos: *Hoc mihi diſſolvere non eſſet difficile*, inquit Sanctiſſimus Doctor, *nec ſi aliquis Euangeliſtarum expreſſiſſet, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, ut per diem feſtum, inter tam ingentem turbam latenter aſcenderent non reverſuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec ſolemnitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui. Cum verò etiam de Regno Archelai, quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iſte quoque intellectus patet: ut, quod Lucas dicit per omnes annos eos aſcendere ſolitos in Jeruſalem, tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quòd ſi Archelai regnum aliquantò diuturnius ulla præter Euangelium hiſtoria prodit, cui fides habenda videatur: illud, quod ſuperiùs dixi, ſuffecerit, quòd ita timebant parentes puer habitationem in Jeruſalem, ut tamen propter Dei timorem feſtivitatem ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillimè poſſent. Neque enim incredibile eſt, captatis temporibus opportunis, vel dierum, vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus eſſe formidant.* Num Auguſtino nota fuerit Flavii Joſephi Hiſtoria, haud ſatis ſcio: illud tamen certum, nobilem Hiſtoricum, cui certè in his danda fides eſt, lib. 17. Antiquitatum Judaicarum Cap. 15. disertè teſtari, Archelaum decem annis in Judæa regnaſſe, antequam in exilium ab Auguſto Cæſare pelleretur. Adeòque perſpectum eſt, toto illo Regni decennio, Joſephum cum puero Jeſu Jeroſolymam ſæpiùs aſcendiſſe; cùm Lucas generatim, & univerſum pronunciet, eum per omnes annos aſcendere fuiſſe ſolitum ad ſolemnitatem Paſchalem. Ad nodi igitur

Digitized by Google

tur intricatiſſimi ſolutionem, alteri Auguſtini reſponſo firmiter ſtandum exiſtimo: Joſephum nempe ex Ægypto revertentem timuiſſe in Judæam ire, ut illic lares figeret, certamque habitationem conſtitueret; ſic enim ab Archelao fuiſſet facilè deprehenſus: non tamen perindè timuiſſe ad paucos dies per ſingulos annos illic hoſpitari, recurrente maximè feſtivitate Paſchali, atque in tanta confluente undique multitudine Judæorum, intra quam, tantilla adhibita cura, latitare facilè poterat. Cæterùm quo ſubinde tempore Jeſu annorum duodecim factus palam ſeſe noſcendum Doctoribus dedit in Templo, Archelaus in exilium pulſus erat, nihilque tunc ab illo timendum erat.

IV. Nunc ad reſponſum afflictis parentibus datum à Chriſto veniamus, dum ab iis poſt triduanam inquiſitionem inventus dicenti Deiparæ: *Fili: quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: reſpoſuit ille: *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Cruda ſanè verba, quibus aſpera objurgatio videtur contineri, quaſi parentes ejus ignoraſſent, Chriſtum in iis eſſe oportere, quæ Patris ejus eſſent. Minimè tamen, nec ita, ut prima fronte videtur, ſe res habet. Quin potiùs verbum hoc *neſciebatis* per interrogationem dictum oppoſitum ſonat, perinde ac ſi diceret: *Sciebatis*. Uti planè 1. ad Corint. Cap. 9. *Neſcitis, quòd qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium?* Perinde eſt, ac ſi diceret, ſcitis, quòd qui in ſtadio currunt. Et Cap. 6. v. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?* idem certè ſonat, ac ſi diceret: cum illud ſciatis, non Angelos eſſe judicaturos, illud multo certius tenere debetis, nos judicaturos eſſe ſæcularia. Id itaque ſibi voluit Chriſtus Dominus eo dato reſponſo: quandoquidem ſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, non erat, cur me quæreretis ut errantem: ſed illud advertere poteratis, abſentiam illam meam à vobis ea de cauſa factam fuiſſe, ut opus mihi à Patre impoſitum implerem. Ita locum hunc ingenioſè interpretatur Card. Toletus Notat. 81. in Cap. 2. Lucæ.

At ecce, reponet aliquis, in culpa igitur erant Chriſti parentes, quòd id non adverterint: abſentiam, ſcilicet, illam ea de cauſa factam eſſe, ut Patris opus impleret. Minimè gentium: in culpa propterea non erant. Cum enim Chriſtus per omnia nobis ſimilis factus, excepto peccato, cæterorum tunc puerorum more ſe gereret, communeſque tunc puerorum fragilitates haberet, (quas tamen non ex infirmitate, ſed ex voluntate patiebatur) poterant citra culpam parentes ejus exiſtimare, voluiſſe illum, ceterorum quoque puerorum more, vel à via deflectere, vel Jeroſolymis alia de cauſa ſubſiſtere: nec ſcire illicò tenebantur, voluiſſe illum hac in occaſione Divinum opus implere; ſeque Dei Filium coram Doctoribus oſtentare. Maximè cum nihil hujuſmodi toto præcedenti pueritiæ tempore in illo experti fuiſſent. Nulla itaque in parentibus culpa fuit, quam Chriſtus dato reſponſo reprehenderit.

V. Majorem fortè in omnium veſtrum animis curioſitatem excitabit altera quæſtio de Chriſti vitæ ratione, & inſtituto ad tempus uſque

ſuſcepti

ſuſcepti Baptiſmatis: quòd nihil ea de re legatur in Euangelio, ſed divinandum potiùs relinquatur. Sexcentas ea de re fabulas, ac nænias congeſſit antiquus Auctor Hæreticus libri *de infantia Salvatoris*: quem idcircò Gelaſius Pontifex in Concilio Romano proſcripſit. Non pauca quoque commenta de Chriſto infante, Scholas ad litteras addiſcendas frequentante, fabulati ſunt Valentiniani, quos acriter refellunt S. Iræneus lib. 1. adverſus Hæreſes Cap. 17., & S. Auguſtinus Tract. 29. in Joannem. Imò quos in hac parte in anteceſſum falſi convicit Euangelium Joannis 7., ubi Judæi de Chriſto dixiſſe referuntur: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Non itaque ad litteras perdiſcendas Scholas frequentaverat. Ejuſdem pueri Jeſu miracula non pauca jactabant, jam à tertio Chriſtiani nominis ſæculo, nonnulli nebulones, quos durè exagitat S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 16. in Joannem, cujus hæc verba ſunt: *Conſtat, ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi à puero miracula facere cæpiſſet, non ſanè eum Joannes ignoraſſet; nec reliqua multitudo indiguiſſet Magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem,* inquit *Joannes, propter hoc veni, ut manifeſtetur in Iſrael.* Quare, iis omnibus ablegatis vigilantium hominum ſomniis, alii paulò mitiùs, ac religioſiùs de priſtina illa Chriſti vitæ ratione, & inſtituto ſenſerunt; qui eum toto illo temporis tractu ad annum uſque trigeſimum in ſeceſſu, ſecretoque loco ſolitariam vitam duxiſſe volunt, & continuæ orationi, contemplationi, ac etiam jejunio vacaſſe. Ita Paulus Brugenſis ad Cap. 6. Marci, Barradius in Cap. 2. Lucæ, Simon de Caſſia lib. 4. de vita Chriſti Cap. 2. Verùm quamquam id ex parte verum eſſe non negem; Chriſtumque plurimam privatæ vitæ partem contemplationi, & orationi dediſſe non dubitem; difficulter tamen adducor, credam, eum ſocialem vitam nuſquam egiſſe, artemque aliquam mechanicam non exercuiſſe: tùm ut in ea exercenda patri ſubditus eſſet; tùm ut honeſta induſtria, & ſuæ, & parentum inopiæ ſuccurreret; tum ut humilitatis, ac modeſtiæ præberet exemplum; tum demum ad fugam otii.

Id ut aſſeram, cogit me vel invitum Sacrarum Scripturarum, & veterum Patrum auctoritas; unde illum fabrilem artem interdum ſaltem exercuiſſe, certiſſimè colligo. Et quidem Judæi, apud quos Chriſtus verſabatur, quique externum illius vitæ inſtitutum ignorare non poterant, non modò *Fabri filium*, ſed & *Fabrum* vocitabant, Marci 6. *Nonne hic eſt Faber?* Ob id dubio procul, quòd illum unà cum Joſepho patre fabricantem ſæpè vidiſſent. Quocirca D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. Cap. 42. *Nec mirandum eſt*, inquit, *quòd id Judæi dicerent, cum utrumque dici potuerit; eo enim & Fabrum credebant, quo Fabri filium*. Fabrilem etiam artem ab ipſomet Chriſto Domino exercitam dicunt S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 30. in Cap. 13. Matthæi, S. Baſilius in Aſceticis, S. Thomas in Cap. 13. Matth., ut planè ea de re dubium moveri non poſſit.

Quia tamen *Fabri* nomen genus artis, non ſpeciem ſonat; Faber quippe dicitur quicumque fabricatur; imò quiſquis in quacumque materia ſecanda, polienda, dolanda, aptanda laborat, quæri idcircò poteſt: quam ſpeciatim coluerit artem fabrilem? Certè, ſi quid veterum Pa-

Digitized by Google

trum auctoritati tribuendum eſt, Chriſtum una cum Joſepho patre Fabrum lignarium, & quidem Carrucarium fuiſſe, non dubito. Id quippe conceptiſſimis verbis habet S. Juſtinus Martyr, laudatis Patribus longè antiquior; quippe qui ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo floruit, in Dialogo cum Triphone Judæo; Chriſtum lignariam artem exercuiſſe afferens, atque illam maximè, *quæ aratra fabricatur, & juga*, quam carrucariam hodie nuncupamus. Divo Juſtino etiam ſubſcribit S. Ambroſius lib. 3. in Lucam.

VI. Haud me fugit, Patres aliquos, ac maximè D. Hilarium ad Cap. 14. Matth., Bedam in Cap. 6. Marci, & S. Petrum Chryſologum Serm. 48. *Fabrum ferrarium* dixiſse. At nemo non videt, in ea opinionum diſſenſione, S. Juſtini Martyris, utpote omnium antiquiſſimi, opinionem prævalere, cui & alia certa monumenta ſuffragantur. Nota quippe eſt illa pii cujuſdam, ac religioſi Ludimagiſtri reſponſio Libanio Ethnico, & Juliani Imperatoris Apoſtatæ intimo familiari olim data, quam referunt Theodoretus lib. 3. Hiſt. Cap. 18., & Sozomenus lib. 6. Hiſt. Cap. 23. Cum, ſcilicet, per deriſum quæſiiſſet Libanius: *Quid agit Fabri Filius?* Chriſtum intelligens, & irridens. Reſpondit Ludimagiſter: *Juliano tuo feretrum fabricatur*. Quod certè probavit eventus: nam paulò poſt ſagitta ictus Julianus interiit, ac feretro in tumulum delatus eſt. Utcumque tamen ſe res habeat, ſeu lignarii, ſeu ferrarii fabri fuerint Chriſtus, & Joſeph, perinde nobis eſt, qui fabrilem artem a Chriſto ſimpliciter exercitam dicimus, ut ex honeſto, & innocenti artificio, & ſibi, & parentibus vitæ neceſſaria compararet.

VII. Quare ii mihi ridendi veniunt, qui Chriſtum non artificio, ſed quotidiana mendicatione, & corrogata oſtiatim ſtipe victitaſſe commenti ſunt. Quæ quidem Michaelis Cæſenæ, Guillelmi Ochami, aliorumque Minoritarum commenta Joannes XXII. Rom. Pont. anno 1322. damnavit, Extravagantibus *ad Conditorem &c.*, *Cum inter nonnullos &c.*, *Quia quorumdam &c.* Et verò, ſi eum mendicitatis ſtatum amplexus eſſet Chriſtus ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum utiq; tenuiſſet ad vitæ neceſſaria comparanda: non retinuiſſe autem compertum eſt ex Euangelio Joannis Cap. 4., ubi Chriſti Diſcipulo in Civitatem iviſſe legimus, *ut cibos emerent*. Et ex Cap. 13., ubi Chriſtum Judæ loculos habenti juſſiſſe legimus, *ut egenis aliquid daret*. Neque tamen diffiteor ego, pauperum vitam duxiſſe illum, quod multa Euangelii loca ſatis indicant: imò & ipſum aliquando mendicaſſe, quod aſſerit Doctor Angelicus, Opuſculo *contra impugnantes religionem* Cap. 7. Verùm aliud longè eſt paupertas, aliud mendicitas: aliudque rurſus eſt mendicitas ex ſtatus, & vitæ conditione, aliud mendicatio ex occaſione dumtaxat, & in exercitium humilitatis, qualis fuit in Chriſto Domino. Quid etiam, quòd Chriſtum aliquid in commune cum Apoſtolis habuiſſe, definit Joannes XXII. in citatis Extravagantibus; idque paupertatis perfectioni nequaquam officere? Quo extremo judicio cenſendus eſt revocaſſe Caput *Exiit*, *De verborum ſignificatione* in Sexto: quod Nicolai IV. contrarium aſſerentis decretum erat. Qua de re legendus Odericus Raynaldus in Annalibus ad

annum

Digitized by Google

annum 1323. Quid tandem, quòd Chriſti Virgo Mater, honeſto pariter artificio, & ſibi, & filio vitæ neceſſaria compararet, non ſecus ac Joſeph, quæ idcircò *quæſtuaria*, hoc eſt, artem ad quæſtum exercens dicitur à Tertulliano, lib. de ſpect., & à D. Hieronymo Epiſt. 1. ad Heliod., etſi quam ſpecialiter artem coleret, non perinde conſentiant Eccleſiæ Patres. *Lanariam* enim ſcribit Anſelmus; *induſtriam* Epiphanius; *textricem*, ex lana, ſcilicet, lino, ſerico, & biſſo Hieronymus, & Venerabilis Beda. Parentibus porrò honeſtam artem exercentibus, filium iiſdem conviventem, victum mendicatò quæſiiſſe, non eſt admodùm veriſimile.

Digitized by Google

EXERCITATIO XLV.

De Chriſti Baptiſmate.

I. QUæ cauſæ Chriſtum Dominum ad Joannis Baptiſma ſuſcipiendum impulerint, percenſere, non ita fortè difficile fuerit. Has magna ex parte nobis indigitant S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, Venerabilis Beda, & Doctor Angelicus. 1. Quia homo cum eſſet, omnem juſtitiam, ſeu legis obligationem implere debuit 2. Ut Joannis Baptiſma comprobaret, eique auctoritatem conciliaret 3. Ut Jordanis aquas mundiſſimæ ſuæ carnis contactu ſanctificans iiſdem ſubinde regenerandi virtutem largiretur 4. Ut peccata noſtra, quæ tamquam publicus ſponſor in ſe ſuſceperat, in eo Baptiſmo pœnitentiæ immergeret 5. Vt in tanto illo, qui ad Joannem fiebat, Judæorum concurſu ſolemne illud Æterni Patris teſtimonium acciperet, ad ſacrum prædicationis officium plena, & integra auctoritate ſuſcipiendum.

II. Verùm difficilius longe fuerit, hujuſce à Chriſto Domino ſuſcepti Baptiſmatis circumſtantias explicare in Euangelio recenſitas, quæ amplam Eccleſiæ Patribus, Sacriſque Interpretibus diſputandi materiam præbuerunt: ut plus in explicandis adjunctis, quàm in enodando Myſterio ipſo, operis, & laboris impenderint. Nos pro modulo noſtro de ſingulis dicemus ex ordine. Ac primùm quidem de tempore, & loco ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis: tum de prodigiis Baptiſmum ſecutis; de Cœlo nimirum aperto; de Spiritus S. in Chriſtum illapſu ſub ſpecie Columbæ; ac de audita paterna voce, Jeſum dilectum ſibi filium pronunciante.

III. Tempus, ſeu ut preſſiùs dicam, annum ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis duplicem diſtinguimus, de quo perinde acriter diſputatur: annum, ſcilicet, ſæculi, & annum vitæ Chriſti. De utroque enim ex æquo quæritur: & quo anno ſæculi Chriſtus in Jordane ſit tinctus? Et quem ipſemet vitæ ſuæ annum ageret, quo tempore tinctus eſt?

De primo nihil certi ſtatui poſſe, fidentèr pronuncio, quamquam plerique Scriptores in ea enodanda quæſtione paginas impleant, & in varias ſententias dilabantur. Quæ enim probatio peti ſolet ex Cap. 3. Lucæ, ut Chriſtus anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris baptizatus oſtendatur, fluxa prorſus eſt, & elumbis. Quamquàm enim Joannem Baptiſtam prædicationis officium ſuſcepiſſe teſtetur Lucas, *anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam*; nullo tamen verbo ſignificat, hoc ipſo anno 15. Tiberii, aut fortè ſequenti, Chriſtum ad Joannis Baptiſmum ſuſcipiendum acceſſiſſe. Ecquis verò id certò definiat? Maximè cum non acceſſerit Chriſtus, antequam Joannes plebem illi perfectam præparaſſet: qua in re perficienda, quot annos inſumpſerit, ignoratur, cùm nuſpiam ſcriptum legatur.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc etiam, quis mihi certò definiat, de quo Tiberii Imperio loquatur Lucas; quamve in illius annis computandis rationem ſequatur, dum ait, Joannem miniſterium ſuum fuiſſe auſpicatum *anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris?* Duplex enim Tiberii Imperium de more diſtinguitur: alterum Auguſtale, ut vocant; quod nimirum exordium duxit ab ipſa Auguſti morte, dum ſolus Tiberius Imperii habenas moderari cœpit: alterum Proconſulare, quod diu antea exordium habuit; dum, ſcilicet, ex lege per Conſules lata Provincias cum Auguſto communiter cœpit adminiſtrare, ut ſcribit Svetonius in Tiberio Cap. 28. Sed & hoc ipſum Proconſulare Imperium Tiberii Cæſaris, quod diu ante Auguſti mortem cœpiſſe liquet, quo tamen diſtinctè anno cœperit, ignoratur: aliis nempe biennio ante Auguſti mortem, aliis triennio, aliis quatriennio illius initium repetentibus. Nullo itaque certo calculo definiri poteſt, quo præcisè ſæculi anno Chriſtus Dominus fuerit baptizatus.

IV. Quo autem vitæ ſuæ anno tinctus ſit, etſi nonnihil explicatius in Euangelio legi contingat, unde illum anno circiter trigeſimo vitæ ſuæ baptizatum eſſe colligi videatur: nempe quòd ait Lucas Cap. 3. *Ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*: tam multos tamen nodos in hoc Sirpo quærunt Critici recentiores, ac veteres, ut quem præcisè annum Lucas notare voluerit, neſciamus: num trigeſimum ipſum; an inchoatum illum, an expletum; an trigeſimum primum, & ultra; an vigeſimum nonum, & infra.

Et quidem, ſi quis verba Euangelii ſimpliciter legerit, *Jeſus* (dum baptizatus eſt) *erat incipiens quaſi annorum triginta*, facilè ſibi perſuadeat: Jeſum annum quaſi trigeſimum incœpiſſe: adeòque eum, vel trigeſimum annum inchoaſſe tunc, quod participium illud *incipiens* ſonare videtur: aut certè ad incipiendum annum trigeſimum propè acceſſiſſe: quod particula *quaſi* imminuendi vim habens apertè ſignificat. Adeòque Chriſtum ad finem anni vigeſimi noni perveniſſe: tunc enim ad inchoandum trigeſimum propè acceditur. Verùm hæc ipſa duo vocabula *incipiens*, & *quaſi*, è quibus tota pendet vis probationis allatæ, ex Euangelio facilè enervantur, ne quid inde poſſit extundi.

Imprimis enim Patres benè multi, atque in iis maximè Origenes homilia 28. in Matthæum, S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Euthymius in Commentariis in Lucam, participium illud *incipiens* ab annis vitæ Chriſti omninò ſejungunt, ac de publico prædicationis Euangelicæ miniſterio, quod tunc Chriſtus incœpit, prorſus intelligunt: ut ſit ſenſus, Chriſtum incipientem publicum miniſterium *fuiſſe quaſi annorum triginta*. Cui Patrum interpretationi nonnulla favent Scripturæ loca, in quibus, eadem uſurpata loquendi formula, Chriſtus à Baptiſmate Joannis nudè, ac ſimpliciter dicitur incœpiſſe, ſubintelligendo publicum miniſterium. Actorum Cap. 1. *Omni tempore, quo intravit, & exivit ad nos Dominus Jeſus, incipiens à Baptiſmate Joannis.* Et Cap. 10. *Incipiens à Galilæa poſt Baptiſma, quod prædicavit Joannes.* Nutat igitur ex hac parte vis probationis ex hoc celebri Euangelii loco petitæ.

Nutat

Nutat & ex altera parte: quia particula *quaſi*, quæ ſola jam in adducta probatione vim facit, non ſemper ſignificati vim imminuit: ut Joannis Cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Imò particula hæc præpoſita numero non ſemper denotat, aliquid deeſſe de numero. Sic Matthæi Cap. 15. *quatuor millia virorum* manducaſſe referuntur; qui tamen Marci 8. dicuntur *quaſi quatuor millia*. Imò quandoque particula illa præpoſita numero importat augmentum. Nam Exodi 12. dicuntur *quaſi ſexcenta millia virorum* in exitu Iſraelis de Ægypto: qui tamen Numerorum Cap. 1. dicuntur *ſexcenta tria millia, quingenti quinquaginta*. Quidni itaque Chriſtus *annorum quaſi triginta* dici poſſet, non modò ſi totos triginta annos completos haberet; verùm etiam ſi triginta, & unum, aut etiam triginta duos numeraſſet? Particula quippe *quaſi* idem quod *circiter* ſonat in laudatis exemplis; ut numerum perinde poſſit augere, atque minuere. Dubia itaque relinquitur ætas Chriſti ad Joannis Baptiſmum accedentis, ſi ſolum Euangelium conſulamus Lucæ Cap. 3.

Dubium ea de re longè majus enaſcitur, ſi Patres conſulere lubeat; utpote qui in varias hinc inde opiniones abeunt, quas ſecum conciliare impoſſibile ſit. Nonnulli enim Chriſtum baptizatum exiſtimant initio trigeſimi anni, cum, ſcilicet, vigeſimum nonum expleviſſet, & trigeſimum paucis diebus attigiſſet: ut Origenes homilia 21. in Ezechielem, & Hieronymus ad Cap. 1. Ezechielis. Alii baptizatum aſſerunt prope anni trigeſimi finem: ut S. Irenæus lib. 2. adverſus Hæreſes Cap. 39., & S. Epiphanius Hæreſi 51. Alii baptizatum volunt poſt expletum trigeſimum annum: ut S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Trallianos, S. Joannes Chryſoſtomus homil. 10. in Matthæum, Venerabilis Beda lib. de ratione temporum Cap. 45. Nihil itaque in tanto opinionum conflictu certò definiri poteſt: ſed hoc unum ut ſummè dicendum, Chriſtum anno plus, minùs vitæ ſuæ trigeſimo à Joanne in Jordane tinctum eſſe.

V. De die ipſa ſuſcepti Baptiſmatis multò fidentiùs pronunciaverim. Uno enim excepto Divo Epiphanio, qui Hæreſi 51. Chriſtum die 6. Novembris baptizatum dixit; in id conſentiunt univerſi, ut die 5., aut 6. Januarii fuerit baptizatus: qua die etiam Eccleſia Catholica à primis ſæculis Theophaniam ſolita eſt celebrare: ſeu triplicem Chriſti manifeſtationem Gentilibus, Judæis, & Diſcipulis factam. Gentilibus, inquam, Magorum adoratione; Judæis, Divina Patris Filium eſſe ſuum conteſtante ſtatim poſt Baptiſma ſuſceptum; Diſcipulis, primo in nuptiis Canæ patrato miraculo. Sola impedimento videtur eſſe durior, & aſperior anni tempeſtas, ne tunc ſolemne Baptiſma per immerſionem, quale tunc erat in uſu, conferretur. At neminem ratio illa permovebit, qui Judææ regionem temperatiſſimam, hiememque clementiſſimam fuiſſe animadverterit. Atque hæc de circumſtantia temporis dicta ſatis. Nunc de loco dicendum.

VI. Locum ſuſcepti à Chriſto Baptiſmatis peculiarem, atque diſtinctum notat Joannes Cap. 1. Euangelii, inquiens: *Hæc facta ſunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes Baptizans.* At & hinc quoque ingens oritur

Digitized by Google

oritur difficultas ; propterea quòd Bethania , quæ Marthæ , & Magdalenæ Caſtellum erat , non trans Jordanem, ſed cis Jordanem ſita eſſet , juxta Jeroſolymam ſtadiis ferè quindecim, ut legitur Joannis Cap. 11. v. 18. Unde & priſci Eccleſiæ Patres, Origenes , Chryſoſtomus , Hieronymus , Epiphanius , Euthymius , Theophylactus , relicta Verſionis vulgatæ lectione , legunt *in Bathabara*, quæ Civitas trans Jordanem eſt, ad quam primò venientes Hebræi ex Ægypto flumen trajecere Ductore Joſue. Quare horum alterum ad nodi hujuſce ſolutionem ſtatuendum : aut mendum aliquod Scribarum oſcitantia in vulgatam Verſionem irrepſiſſe,& *Bethaniam* pro *Bethabara* poſitam fuiſſe , quod nonnulli Recentiores exiſtimant: aut certè ultra Caſtellum Marthæ, & Magdalenæ , cui Bethania nomen erat, alteram etiam trans Jordanem Bethaniam fuiſſe ſitam, quæ perinde Bethabara diceretur. Ita D. Thomas in Commentariis ad Caput 1. Joannis lect. 14. Utroque autem nomine & Bethaniam , & Bethabaram Civitatem illam nuncupatam crediderim , eò quòd ſolitus illic Jordanis trajectus eſſet , paratæque illic ſemper adeſſent naviculæ , quibus viatores flumen trajicerent . *Bethania* enim Hebraicè ſonat locus navis *Bethabara* locus tranſitus . Quare una fermè , eademque utrique voci ſubjecta vis eſt .

VII. Explicatis nunc circumſtantiis loci, & temporis Chriſti Domini Baptiſmum comitantibus, ad prodigia Baptiſmum ſecuta explicanda animum , vocemque convertimus ; Cœli , ſcilicet , apertionem , Spiritus Sancti illapſum ſub ſpecie columbæ paternam vocem Chriſtum dilectum ſibi Filium denunciantem .

Prodigia , dixi, Baptiſmum ſecuta , non in ipſo Baptiſmo patrata. Satis enim Pictoribus noſtris indignari non poſſum , qui Chriſtum ſimul Baptiſma ſuſcipientem , Cœlum apertum ; illabentem Spiritum Sanctum , Patrem demum Chriſto teſtimonium perhibentem repræſentant , quaſi uno , eodemque tempore peracta ſint omnia . Non eſt ita profectò , non eſt ita : ſed peracto Baptiſmate, Chriſto ex aquis Joardanis emerſo , ac fundente orationem prodigia iſta patrata ſunt. Matthæi Cap. 3. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua , & ecce aperti ſunt ei Cœli &c.*, Lucæ Cap. 3. *Jeſu baptizato , & orante , apertum eſt Cœlum , & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum .* Imò & id à Patribus conſulto eſt obſervatum, non quo tempore baptizaretur Chriſtus à Joanne, ſed quo tempore poſt Baptiſma ſuſceptum oraret , prodigia illa patrata eſſe; ne Baptiſmati Joannis, ſed Chriſti Domini orationi tribuerentur. Quare ea Pictorum licentia cum altera perinde caſtiganda venit, qua Chriſtum aquæ infuſione baptizatum repræſentant ; Joannemque teſta , ſeu concha aquam ſuper caput ejus, & humeros effundentem nobis effingunt. Ignorant , ſcilicet , quod nemo neſcit vel mediocriter in Hiſtoria Sacra verſatus; Baptiſma per infuſionem , non modò Judæis , ſed & Chriſtianis ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe penitùs inauditum. Per immerſionem ergo, non per infuſionem tinctus eſt Chriſtus, uti & cæteri omnes , qui à Joanne Baptiſta in Jordane luſtrati ſunt.

VIII. Sed

Digitized by Google

VIII. Sed ad rem ipſam veniamus. *Jeſu Baptizato, & orante apertum eſt Cœlum*, inquit Lucas Cap. 3. Quod utique non ita accipiendum venit, quaſi ſoliditas ipſa Cœlorum diſrupta, diſciſſaque fuerit: hoc enim, & naturaliter eſt impoſſibile, & ſupernaturaliter eſt ſuperfluum. Nec ita ex oppoſito accipiendum eſt, quaſi ſola imaginatione aperire viſi ſint Cœli, ut olim Ezechieli legimus contigiſſe Cap. 1. Prophetiæ ejus: ſed aperti Cœli ſunt dicti, quòd in ſuprema aeris regione ſenſibus ipſis perceptus ſit quidam hiatus, ex quo columba in Chriſtum dilabi cerneretur; voxque Patris è Cœlo velut erumpens inaudiretur. Supremam enim aeris regionem Cœli nomine ſæpiùs deſignari Sacris in Litteris notius eſt, quàm ut multis oſtendere neceſſe ſit. Rem totam ſic explicat D. Thomas 3. par. quæſt. 39. art. 5.

IX. Addit ſacer Euangeliſta: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columb. in ipſum*. Vera ne Columba illa fuerit, an autem ſpecies, & ſimilitudo Columbæ, acriter à Theologis, & Interpretibus diſputatur. Si quid ego in Scripturis, & Patribus valeo, ſpeciem tantùm, ſive formam Columbæ ab Angelo efformatam, agitatam, & motam, ut in Chriſtum deſcenderet, non dubitaverim affirmare; non verum, propriumque ſecundùm naturam animal. Id enim indicant Euangeliſtæ: Matthæus *ſicut Columbam* ait Cap. 3., Marcus *tanquam Columbam* Cap. 1., Lucas *corporali ſpecie ſicut Columba* Cap. 3., Joannes *quaſi columbam* Cap. 1. Quæ ſanè loquendi formulæ, ita à quatuor Euangelii Scriptoribus religioſè ſervatæ rei ſpeciem, & ſimilitudinem indicant veriùs, quàm rem ipſam. Idem, & Patres inſinuant, Tertullianus lib. de Baptiſmo Cap. 8. (Quamquam aliter lib. de carne Chriſti Cap. 4. ſtatuere viſus ſit.) S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo, S. Irenæus lib. 3. adverſus Hæreſes Cap. 62., S. Chryſoſt. homil. 4. in Acta, S. Hilarius Can. 2. in Matthæum, S. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate Cap. 5., S. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis Cap. 5. Suadet hoc idem ratio Theologica. Nec enim vera Columba opus hìc erat, ſed ſola ſimilitudine ad ſymbolicam ſignificationem; ut, ſcilicet, per ſpeciem, & ſymbolum Columbæ deſignarentur Spiritus Sancti virtutes, & Chriſti dotes: Deus autem miracula abſque neceſſitate non patrat, quemadmodum, & natura nihil fruſtra operatur.

Neque huic noſtræ ſententiæ repugnare cenſendus eſt D. Auguſtinus, lib. de Agone Chriſtiano; imò potiùs ſuffragari, dum ait: *Deo non fuiſſe difficile, verum corpus Columbæ ſinè aliarum Columbarum miniſterio figurare, ſicut non fuit difficile, verum corpus in utero Mariæ ſinè virili ſemine fabricare*. Qui enim verum Columbæ corpus à Deo dumtaxat *figuratum* aſſerit, non formatum, aut fabricatum, ſolam profectò corporis figuram agnoſcit, non veritatem. Nec idcircò Deus hominibus illuſiſſe putandus eſt, dum Columbæ ſpeciem, non veritatem illis exhibuit: uti nec illis illuſit tot aliis in occaſionibus, in quibus ex omnium opinione nuda illis ſimulacra dumtaxat exhibuit: quia hæc ad ſolam ſymbolicam ſignificationem illis exhibuit, non ut vera, & naturalia ab hominibus haberentur. Illud porrò conſpicuæ mortalium oculis Columbæ ſimulacrum in nihilum

lum

Digitized by Google

lum tandem redactum docet Tertullianus lib. de Carne Chriſti Cap. 4. *Sed quaris*, inquit, *corpus Columbæ ubi ſit, reſumpto Spiritu in Cœlum? Æquè & Angelorum, & eadem ratione interceptum eſt, qua & editum fuerat. Si vidiſſes, cum de nihilo proferebatur, ſciviſſes cùm in nihilum ſubducebatur. Si non fuit initium viſibile, nec finis.*

X. Sequitur in Euangelica narratione: *Et vox de Cœlo facta eſt; Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Vocem hanc Angelorum miniſterio in perſona Patris efformata aſſerunt Eccleſiæ Patres; maximè verò Victor Antiochenus in Caput 3. Matthæi. Hæc Columbæ ſymbolum explicavit; atque ad ſolum Jeſum, cui ſoli Columba inſidebat, non ad Joannem, aut quemvis alium deſignandum directa eſt. Quòd certè neceſſarium maximè fuit, ut ſolus Jeſus, non itidem Joannes Chriſtus eſſe crederetur. In hanc etenim falſam de Joanne opinationem Judæi facilè propendebant, ut ait Lucas Cap. 3. *Exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis; ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.* Tantæ enim virtutis Joannes erat, ut plus illi laborandum fuerit: ut ne Chriſtus crederetur, quàm Jeſu, ut crederetur.

XI. Num ex memoratis prodigiis Chriſti Baptiſmum ſecutis, maximè verò ex Spiritus Sancti in illum illapſu eumdem de facie noſſe Joannes cæperit, non ita facilè definierim. Et quidem noviſſe illum antea, ac tunc ſaltem, dum ad Baptiſmum Chriſtus acceſſit, illud videtur evincere, quòd eum baptizari volentem Joannes ex humilitatis ſenſu repelleret, prohiberetque, inquiens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me!* Matth. Cap. 3. v. 13. Contra verò noviſſe poſtea tantùm, dum Spiritus S. Columbæ ſpecie capiti ejus incubuit; ac tum primùm ex illo ipſo ſigno eumdem dignoviſſe, ſignificare ipſe viſus eſt, dum ait: *Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Joannis Cap. 1. v. 31. Dicam tamen ad implexæ difficultatis ſolutionem: Joannem Chriſtum Dominum etiam de facie, Divino quodam afflatu, noviſſe; dum is ad ipſum Baptiſma ſuſcepturus acceſſit. Tunc enim illius etiam vultum, externaque oris lineamenta cognovit, quem diu antea natum fide noverat; quemque poſt ſe venturum, & in Spiritu Sancto, & igne baptizaturum prædicaverat: aliàs illum tanquam Baptiſmate non egentem non repuliſſet. Quod ergo ait laudato antea loco, *Ego neſciebam eum*, nimirùm ex facie, ad præcedens tempus refertur, quo ipſe in ſolitudine vitam degens; Chriſtum Nazarethi privatam tunc vitam agentem de facie nondum noſceret. Quod etiam Joanni à Deo dictum erat: *Super quem videris Spiritum Sanctum deſcendentem, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*; non propter Joannem ipſum fuerat dictum, ut Chriſtum ex hoc ipſo ſigno dignoſceret; ſed propter confluentem illuc populum Judæorum, ut non ſolius Baptiſtæ, ſed & ipſius Dei teſtimonio Chriſtus illis innoteſceret. Nihil itaque novi ex prodigiis Chriſti Baptiſmum ſecutis Joannes didicit; ex aperto tunc Cœlo; ex Columba capiti incumbente; ex audita Patris voce, Jeſum dilectum ſibi

Filium denunciante: ſed quæ illi de Chriſto notitia inerat, perfecta, confirmataque eſt viſis ſignis illis, atque prodigiis.

XII. Chriſtum ſuſcepto Baptiſmate Joannem viciſſim baptizaſſe, quorum tam opinio fuit, Scripturæ Sacræ, Patrùmque teſtimonio in ſpeciem confirmata. Chriſtus enim Joanni à ſuſcipiendo Baptiſmate dehortanti, dicentique: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*, utique baptizandus, repoſuit: *Sine modò, ſic enim decet, nos implere omnem juſtitiam*: quo verbo ſignificare viſus eſt, debere tunc quidem Joannem ſinere, ut id fieret, quod Chriſtus poſtulabat; ac tum poſtea faciundum & illud, quod Joannes optaret, ut nimirum ab ipſo baptizaretur. Patres quoque Gregorius Nazianzenus Orat. 39., S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 12. in Matthæum, S. Auguſtinus Serm. 292., S. Hieronymus in Cap. 3. Matth. Theophylactus, Euthymius, Auctor Operis imperfecti apud laudatum Chryſoſtomum, Joannem à Chriſto baptizatum videntur aſſerere. Ubi tamen, & Scripturæ Sacræ, & Patrum verba perpendo diligentiùs, rem ſecùs eſſe intelligo, Patreſque non de Baptiſmo aquæ ſimul, ac Spiritus locutos deprehendo; quaſi eo Joannes à Chriſto ſit tinctus: ſed de ſola Spiritus ejus, & gratiæ effuſione, qua Joannes ipſe Chriſtum tingendo perfuſus eſt, quam & *Baptiſmatis* nomine Scriptura Sacra non ſemel appellat. Actor. Cap. 1. v. 5., & Cap. 11. v. 16.

Joannes itaque Baptiſmo aquæ à Chriſto Domino tingi minimè poſtulabat, dum diceret: *ego à te debeo baptizari*; ſed rationem, cur Chriſtum baptizare renueret, proferebat: quòd nempe ſanctior ille cùm eſſet, ac purior, imò totius puritatis, ac ſanctitatis fons, illius ſe ſpiritu purgari, ejuſque gratia perfundi ab eo mallet, quàm ſterili illum aqua perfundere. Nec Chriſtus, dato brevi illo reſponſo, *ſine modò*, id faciendum ſignificavit, quod Joannes optaret; ſed alium longè ſenſum his verbis expreſſit: nempe ſine modò, ut ad Baptiſmum ſuſcipiendum me demittam, externamque peccatoris perſonam ſuſtineam; tempus erit, cum qui ac ipſa ſim, palam faciam. Quamquam tamen, ſi dato illo reſponſo, id faciundum ſubinde, ſignificaſſet Chriſtus, quod Joannes optabat, nihil inde ad muniendam, quam refellimus opinionem, extundi poſſet: cùm nec id Joannes optaret, ut externo aquæ Baptiſmate tingeretur à Chriſto, ſed ut interna ſpiritus ejus, & gratiæ effuſione perfunderetur: quod utique factum eſt. Sed nec aliud laudati Patres ſibi volunt, dum Joannem inquiunt à Chriſto Domino baptizatum; Scripturarum enim loquendi formulam æmulati *Baptiſmum* vocitant, uberiorem illam Divinæ gratiæ effuſionem, qua Joannes ipſe Chriſtum tingendo perfuſus eſt. Maximè cùm Chriſtum à Joanne baptizatum aqua dicant; Joannem à Chriſto ſpiritu tantùm. Et ſanè Joannis diſcipulos ægrè tuliſſe legimus, palamque apud Magiſtrum obmurmuraſſe, quòd Chriſtus Dominus baptizaret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat*. Joannis 3. v. 26. *Quamquam Jeſus ipſe non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*: Joan. 4. v. 2. Ecquis verò illos id ægrè laturos putet, ſi Magiſtrum ſuum noviſſent ab ipſo fuiſſe baptizatum.

XIII. Fe-

Digitized by Google

XIII. Ferenda longè minùs eorum ſententia eſt, qui Deiparam, Apoſtoloſque, aut ſaltem illorum principem Petrum à Chriſto Domino baptizatos commenti ſunt; Magni Evodii Petri in Sede Antiochena ſucceſſoris ſpuria Epiſtola deluſi turpiter; ubi & illud inter alia multa narratur ſomnium. Chriſtus ſiquidem neminem propriis manibus tinxit: Joan. 4. v. 2. *Jeſus non baptizabat, ſed Diſcipuli ejus*. Nec, ſi ille id miniſterii per ſeſe exercuiſſet aliquando, veriſimile eſt, Apoſtolos ita illud fuiſſe depreſſuros, ut etiam Paulus diceret: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*, 1. ad Cor. 1. v. 17.

Digitized by Google

EXERCITATIO XLVI.

De fama ingentium Chriſti virtutum, ac prodigiorum in Syriam propagata: deque mutuis Abgari Edeſſæ Regis ad Chriſtum Epiſtolis, Chriſtique ad Abgarum datis.

I. QUàm latè per Syriam Chriſti miraculorum fama pervagata eſſet: quam multi etiam inde, ſeu languoribus preſſi, ſeu à Dæmonibus malè habiti ad illum ſanandi afferrentur in dies, Matthæus ſcribit Cap. 4. Evangelii v. 23. *Circuibat Jeſus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omni malè habentes variis languoribus, & tormentis comprehenſos & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* In hoc tanto Chriſti Domini opem implorantium languentium numero fuiſſe quoque Abgarum Regem Edeſſæ, quæ pars eſt Syriæ ſuperioris, (quamquam ſileat Matthæus) narrant tamen Scriptores Eccleſiaſtici benè multi. Nempe cùm ipſe per ſeſe non poſſet accedere, opem per Epiſtolas rogaſſe fuerunt: quam Chriſtus, mittendo, poſtquam in Cœlos aſſumptus eſſet, Diſcipulorum ſuorum aliquo, ſe certò laturum ſignificavit. Quod ſubinde perfectum ajunt, dum anno quadrageſimo tertio Thadæus Edeſſam Syriæ perfectus Abgarum Regem integræ ſanitati reſtituit; eumdemque unà cum ſubditis vocavit ad fidem. Supplicem Abgari ad Chriſtum Epiſtolam ex Edeſſenæ Civitatis Tabulario erutam, atque è Syriaco exemplo Græcè à ſe redditam exhibet Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 13., quæ quidem Latinè ſic habet ex Verſione Chriſtophorſoni.

Abgarus princeps Edeſſæ. Jeſu Servatori propitio, qui in confiniis Jeruſalem in carne apparvit ſalutem:

Inſignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te ſinè medicamentis, & ſinè herbis facta ſunt, auditione accipi. Cæcos enim, ut fama eſt, videre efficis, claudos ambulare: leproſos mundas: ſpiritus immundos, & Dæmones eiicis: eos etiam, qui diuturnis morbis preſſi ſunt ſanas: mortuos denique ad vitam revocas. Quæ quidem, cùm de te audiviſſem, de duobus hiſce alteram verum eſſe cogitabam: te, aut Deum eſſe, & è Cœli faſtigio delapſum, aut Dei Filium ſaltem, qui iſta tam ſtupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te ſcripſi magnopere precatus, ut laborem ad me accedendi ſuſcipere, huncque, quo crucior, morbum curare non graveris. Etenim audio, Judæos tibi obſtrepere malevolè, & velle libentèr te aliquo magno malo afficere. Eſt mihi Civitas perexigua quidem, ſed ornata ſanè, & illuſtris, quæ utrique noſtrum rerum neceſſariarum ſuppeditabit ſatis.

Chriſti

Chriſti verò Reſcriptum ex eodem Tabulario erutum ab Euſebio, à Chriſtophorſone Latinè ſic redditur.

Abgare beatus es; qui cum non videris me, in me tamen credidiſti. De me enim ſcriptis proditum eſt, eos, qui me viderunt, in me non credere; ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam conſequantur. Quod ſcribis ad me, te velle, ut ad te veniam: eas res, quarum gratia ſum miſſus, debeo hìc neceſſariò obire; quas, cùm plenè perfecero, ad eum recipi, qui me miſit. Quò ſimul, ac aſſumptus fuero, aliquem ex Diſcipulis meis mittam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuiſque impertiat.

II. Factum hoc, quantum quantum eſt, falſi arguunt ævi hujuſce noſtri Hiſtorici penè multi; geminaſque Abgari Regis, & Chriſti Domini Epiſtolas ſpurias habent, & commenticias. Nos ex adverſo, & factum omninò certum, & genuinas Epiſtolas dicimus ob id maximè, quòd univerſa probatæ hiſtoriæ; genuinæque ſcriptionis indicia præſtò ſint: conſenſio, ſcilicet, temporum, & locorum: Veterum fidem facientium diſertiſſima teſtimonia: rerum denique geſtarum, ſcriptarumque certa concinnitas. Quæ tria probanda ſumimus.

III. Conſentit in primis ratio temporum, & locorum. Quo enim tempore facta Chriſto Domino per Epiſtolas Abgari ſupplicatio dicitur ad ſaltem corporis obtinendam, Chriſti miraculorum fama ad Syriam uſque pervenerat; indeque illum ægroti turmatim afferebantur, ut nutu ejus: atque imperio ſanitatem reciperent, quod ex Matthæi Capite 4. jam vidimus. Quid itaque vetat, quominùs Edeſſam quoque, quæ ſuperioris Syriæ pars eſt non ignobilis, pervenerit idem rumor, cæteriſque ægrotis immixtus Abgarus loci Regulus opem per Epiſtolas implorarit: quòd abjecta fortè dominationis, cura, per ſeſe non poſſet accedere? Namque alios ad Chriſtum ſupplices acceſſiſſe Regulos, nemo neſcit: Nihil igitur in ea facti parte reperire eſt, quod, aut loco, aut tempori malè congruat.

Congruit perinde facti pars altera: reſtituta ſcilicet, per Thaddæum Abgaro ſanitas juxta Chriſti promiſſum, fideſque Edeſſenis nunciata anno, ut notat Euſebius in vulgaribus Editionibus, quadrageſimo tertio. Quæ ſanè regnantis Abgari nota eſt, non nati Chriſti, ut Chriſtophorſono, & Baronio perperam viſum eſt, ita Euſebii textum pro arbitratu reddentibus. *Iſta quadrageſimo tertio anno poſt Chriſtum natum geſta ſunt*: cùm nulla Chriſti nati in Græco Euſebii textu mentio fiat. Imò cùm annum illum quadrageſimum tertium in Edeſſæ Tabulario notatum referat Euſebius; quis non videat, regnantis Edeſſæ Principis annum illum eſſe; non Æræ Chriſtianæ, cujus nullus tunc in conſignandis inſtrumentis uſus erat? Porrò annus ille regnantis Abgari quadrageſimus tertius in id facilè tempus incidit, quo Gentilibus prædicari cœptum eſt Euangelium. Nihilque idcircò repugnat, Thadæum ex ſeptuaginta Diſcipulis unum hoc ipſo tempore Edeſſam miſſum ſanitatem Regulo reddidiſſe; eumdemque, totamque illius Civitatem Chriſtiana fide imbuiſſe.

Si quis autem manuſcriptis Euſebii codicibus à Valeſio diligenter excuſſis ſtare mavult, in quibus, non annus quadrageſimus tertius, ſed

trecen-

Digitized by Google

trecenteſimus quadrageſimus adſcriptus eſt: (quem ille non regnantis Abgari, ſed Edeſſæ conditæ annum exponit:) congruentem perindè temporis notam habebimus: non reſtitutæ quidem per Thadæum Abgaro ſanitatis, ſed datarum mutuò litterarum, Annus enim Edeſſę conditæ trecenteſimus quadrageſimus in annum Tiberii Cæſaris decimumſextum facilè incidit; quo Chriſtus, ſuſcepto paulò ante Baptiſmate, publicum miniſterium auſpicatus patratis prodigiis, ac miraculis inclaruerat; Abgarumque, ut opem per Epiſtolas quæreret, provocaverat. Euſebii autem loquendi formula perinde ad datas Epiſtolas, aut ad reſtitutam per Thadæum Abgaro ſanitatem flecti poteſt: *Geſta ſunt autem iſta quadrageſimo tertio anno*: aut, ut lubet Valeſio, *trecenteſimo quadrageſimo*. Quare quamcumque lectionem teneas, conſentit planè in eo, quod expendimus, facto ratio temporum, & locorum.

IV. Accedunt jam veterum Scriptorum integram rei fidem facientium diſertiſſima teſtimonia, quibus in facto aliunde minimè repugnanti enarrando credere nolle, illiberalis ingenii eſt. Horum chorum ducit Euſebius Cæſarienſis primus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parens, fabularum, ſi quis unquam, oſor acerrimus; cui profectò emunctiores nares erant, quam ut interpolatas merces à nebulonibus excipere, aut laciniosos menſtruatæ pannulos hiſtoriæ ſuæ ſuere vellet. Totam ille rei geſtæ ſeriem, mutuaſque Abgari ad Chriſtum, Chriſtique ad Abgarum Epiſtolas ex Urbis Edeſſenæ Tabulario erutas dedit primus; eaſdemque ex Syriaco idiomate Græcè redditas publici juris fecit lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 13. vbi ſic habet: *Abgarus Rex*, (*Abgarus* commune Edeſſenorum Principum nomen erat, potentiſſimum ſonans lingua Arabica.) *Qui gentibus propè Euphratem incolentibus præſtantiſſimè, & magna cum laude præfuit; ubi eſſet gravi morbo, & inſanabili quidem (quantùm in hominum facultate, & curandi viſitum erat) penè corpore labefactatus: celebreque nomen Jeſu, & divinas ejus virtutes conſtanter ab omnibus teſtatas accepiſſet, Epiſtola ad eum per internuncium miſſa, ſupplex oravit, ut morbo, quo cruciabatur, penitus liberaretur. Jeſus verò, licèt illi ipſius auxilium tunc imploranti minimè obſequeretur; litteras tamen ſeparatim ad eum ſcriptas dare gravatus non eſt: quibus ſe unum ex ſuis Diſcipulis, qui morbo mederetur, eò miſſurum, ut ſalutem non ei ſolùm, ſed etiam ſuis omnibus præſtiturum, benignus promiſit. Neque certè longo temporis ſpatio interpoſito iſta promiſſa cumulatè illi perfecta ſunt. Nam ubi Servator excitatus à mortuis in Cælum aſcenderat, Thomas unus ex duodecim Apoſtolis, Divino quodam impulſu commotus, Thadæum fratrem, qui erat in numerum ſeptuaginta Diſcipulorum Chriſti deſcriptus, prædicatorem, & Euangeliſtam doctrinæ Chriſti ad Edeſſam uſque miſit: ac per ipſum Servatoris noſtri promiſſa exitum ſuum ſunt planè conſecuta. Quarum rerum inſigne, & locuplex teſtimonium ex Tabulario Edeſſæ Civitatis id temporis à Rege* (alius ille Abgarus eſt) *gubernatæ depromptum habes. Nam in Tabulis publicis, quæ nedum veteres, ſed recentes etiam res nuper ab Abgaro geſtas continebant, hæc eadem ad hanc noſtram ætatem reſervata reperiuntur. Quare nihil commodius eſſe putavi, quàm ipſas Epiſtolas à veteribus illis Annalibus petitas, atque adeò ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam converſas hoc loco citare: quæ ita ſe habent &c.* Tùm binas Chriſti, & Ab-

Digitized by Google

& Abgari Epiſtolas ſubjicit à nobis paulò ante recitatas, diſtinctamque depulſæ per Thadæum ægritudinis narrationem adnectit ex eodem Edeſſæ Tabulario deſcriptam.

Futilis verò quorumdam exceptio eſt: Euſebium Cæſarienſem in aliis Hiſtoriæ ſuæ capitibus ceſpitaſſe; atque ita in iſto quoque, quod expendimus, potuiſſe decipi, nimiumque, quam par eſſet, Edeſſenæ Civitatis Tabulario fidem adjungere. Id enim ſi licet excipere, ad nullum unquam adſtruendum Hiſtoriæ Caput Euſebii auctoritas produci poterit: unicuique enim reponere promptum erit, potuiſſe in ſingulis decipi, qui deceptus eſt in aliquibus. Imò nullius unquam Hiſtorici in quocumque probando Hiſtoriæ capite teſtimonium ferri poterit; cùm nemo omnium ſit, qui non in aliquo ceſpitarit. Ergo moroſis Cenſoribus probandum incumbit, deceptum re ipſa fuiſſe Euſebium, in eo, de quo quærimus modò, facto recenſendo, imprudenterque Edeſſeno Tabulario fuiſſe deluſum. Quod de viro aliunde accuratiſſimo, fabularumque oſore acerrimo nemo facilè in animum inducet: eo vel maximè quòd omnes priſcæ memoriæ Scriptores ea in parte ſuffragatores habuerit, reprehenſores omninò nullos.

V. Succinit enimverò Euſebio Cæſarienſi Sanctus Ephrem, Syrus ipſe, imò & Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, cui, & certa gentis ſuæ traditio, & Civitatis, cujus Eccleſiæ miniſtrabat, Tabularia perſpecta erant. Is quippe eo in Opuſculo, quod noviſſimum omnium ſcripſit, cujus & titulus eſt, *Teſtamentum Ephrem*, de memoratis Chriſti, & Abgari litteris, totoque facto loquitur in hæc verba: *Quando Rex Abgarus qui hanc Civitatem extruxit, rogabat, ut exciperet eum, qui peregrinus in terris appruerat, Salvatorem, inquam, univerſorum, & Dominum omnium Chriſtum,*
„ *dicebat:* Omnia audivi, quæ a te ficta ſunt, & quæcumque a reprobis,
„ & aſpernantibus te Judæis paſſus es: veni igitur huc, & nobiſcum ha-
„ bita. Habeo enim mihi Civitatem hanc exiguam, quæ tibi, & mihi
„ ſufficiet. *Cujus etiam fidem admiratus Dominus, mittens eò per nuncios perpetuò Civitati illi benedixit, firmans ipſius fundamenta. Benedictioque illa inhabitans in ea permanebit, donec Sanctus è Cœlo apparebit Jeſus Chriſtus Filius Dei, & Deus ex eo.* Hæc ille, quibus Abgari ad Chriſtum Epiſtolam magna ex parte tranſcripſit. Quod tamen de Rege Abgaro, *quòd Edeſſam Civitatem extruxerit,* obiter innuit; de Urbis operibus, ac munitionibus accipiendum venit, non de ipſamet Urbe, quam à Magno Seleuco Syriæ Rege conditam liquet, annis ante Chriſtum natum ampliùs trecentis. Uti etiam quod de conceſſa Urbi *benedictione* ſubjungit; de gratia fidei per miniſtros Euangelicos univerſis Edeſſenis conceſſa intelligendum eſt, quam illi ad extremum uſque judicium adfuturam benè precabatur Sanctiſſimus Pater; tametſi non illi pro voto res ceſſerit.

Eaſdem Abgari, & Chriſti Epiſtolas ab Antiquioribus abſque ulla dubitatione receptas eſſe, teſtatur Darius Comes in Epiſtola ad Auguſtinum data, quæ inter Auguſtinianas Lovanienſis Editionis ducenteſima tertia numeratur, nunc verò ducenteſima trigeſima. In qua earumdem argumentum recenſet; & ex iis etiam argumentum petit ad perſuaden-

dum

dum Auguſtino, ut ſua ad ipſum Scripta tranſmittat. *Fertur*, inquit, *Satrapo ſeu Regis potiùs cujuſdam Epiſtolæ Deum Dominum Chriſtum deprecantis, cum intra Judææ regiones adhuc verſaretur, & needum in Cœlum ſuum remeaverat; (quoniam is ad eum ire, ac pergere per ægritudinem præpediretur, & ſanari aliter ſe non poſſe crederet) ad ſe, ſi dignaretur, Mundi ſalus, ac medicina decurreret, & ne tantæ Majeſtati, quam ignarus Rex provida, ſed non perfecta mente conceperat, injuriæ fieri videretur; laudaſſe inſuper dicitur ſuam Civitatem, ut pulchritudine Urbis, & Regis hoſpitio Deus illectus preces ſupplicis non dedignaretur. Adfuit D'nus Regi, ſanatus eſt, & amplificato petitionis munere, per Epiſtolam, non modò ſalutem ut ſupplici, ſed etiam ſecuritatem ut Regi tranſmiſit.*

Adſtipulantur Procopius lib. 2. de Bello Perſico Capite 12.; Evagrius lib. 4. Hiſtoriæ Cap. 26., Nicephorus Callixtus lib. 2. Cap. 7., Theodorus Studita Epiſtola ad Paſchalem Romanum Pontificem, Baronius in Annalibus ad annum 31., & 43. Quin etiam Cedrenus in ſuo Hiſtoriarum Compendio tradit, Epiſtolam Jeſu ad Abgarum temporibus Michaelis Paphlagonis Imperatoris, anno, ſcilicet, milleſimo trigeſimo quinto, integram adhuc extitiſſe, & ſummo honore habitam. Quæ cùm ita ſunt, Epiſtolas illas non ita liberaliter à viris eruditis contemnendas; nec reſtitutæ per Thadæum Abgaro ſanitatis Hiſtoriam rejiciendam exiſtimo, quibus priſci Eccleſiæ Patres, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticę Scriptores nobiliſſimi ſuffragentur.

IV. Sed & tota res geſta, ut eſt ab Euſebio Cæſarienſi, cæteriſque memoriæ prodita, datæque mutuò Chriſti, & Abgari Regis litteræ nihil præ ſe ferunt, quod non apprimè congruat; quod repugnet, unde in falſi ſuſpicionem venire poſſint. Quod nos tertio loco ſpopondimus probaturos.

Quid enim eſt, quod in Abgari ad Chriſtum Epiſtola repugnare ajunt Eruditi aliqui recentiores? An illud, quòd recitatis Chriſti miraculis ſubdit? *Quæ quidem cum de te audiſſem, de duobus hiſce alterum verum eſſe cogitabam: Te, aut Deum eſſe, & è Cœli faſtigio delapſum, aut Dei Filium ſaltem, qui iſta tam ſtupenda edas miracula?* Quaſi hæc ex viri gentilis calamo, qualis erat Abgarus, fluere non potuerint; cui nulla de Filio Dei notitia indita erat? Verùm cum Syri Judæis rerum uſu, atque commercio jungerentur; Meſſiam Dei Filium a Judæis expectari tunc temporis inaudiverant Abgarus: quin etiam Jeſum pro Filio Dei communiter habitum ex publica fama per Syriam, ut Matthæus admonet, volitante noſſe potuerat: quandoquidem, & hoc ipſum vel inviti Dæmones prædicabant. Quamquàm tamen nec Abgarus, nec Judæi ad fidemque vocati Chriſtum Dei Filium communiter vocitantes ſecundam Trinitatis perſonam eo nomine intelligerent, quibus expreſſa, diſtinctaque Trinitatis notitia necdum affulſerat; ſed excellentis virtutis; ac ſanctitatis virum à Deo cum ſumma poteſtate ad homines miſſum.

Quid in Chriſti Reſcripto minùs congruere dictitant: quòd verba incredulo Diſcipulo poſt reſurrectionem ſubinde dicta Abgaro Regulo præmiſerit inquiens: *Beatus es, qui, cum non videris me, in me tamen credidiſti?* Quòdque Abgarum non illico per ſeſe à morbo liberarit, ſed in aliud

tempus

tempus id ei beneficii à ſuorum Diſcipulorum aliquo præſtandum rejecerit? Nihil ſiquidem vetat, eamdem ſententiam bis à Chriſto fuiſſe prolatam: ſcripto quidem, dum Abgaro ſalutem diceret; voce autem, dum incredulum Diſcipulum increparet. Nec minùs beneficiorum ſuorum arbiter erat, ac Dominus, ut ea, dum vellet, hominibus largiretur. Ut fileam, Chriſtum ad oves, quæ perierant domus Iſrael à Deo ſpecialiter miſſum Judæam deſerere non debuiſſe, ut præſens Abgaro in Syria mederetur: nec ſalutem Edeſſenis adferendam fuiſſe, antequam reddito Cœlis Chriſto, baptizatoque Cornelio, Euangelium gentilibus panderetur.

Quid demum inſulsè, abſurdèque locutum Abgarum volunt; dum Thadæo ad ſalutem impartiendam tandem miſſo, deque ejus in Chriſtum fide interroganti reſpondiſſe fertur; *Uſque adeò credidi ei, ut & Judæos, qui eum crucifixerunt, velim trucidare, ſi ulla mihi adeſſet tanta exercitus copia, & ſi non Romani Regni auctoritas impediret?* Ea enim virum principem Divina conſilia neſcientem cogitatio facilè ſubit, ut illatam benefactori ſuo injuriam ulciſcatur. Quemadmodum & Petrus ad Chriſti tutelam gladium exemit, imprudenter quidem, exemit tamen. Jacobus quoque, & Joannes ignem de Cœlo devocare tentarunt, ut Samaritanos Chriſtum recipere detrectantes conſumeret; cùm interim *cuius eſſent Spiritus*, ignorarent. Lucæ Cap. 9. v. 54.

Certè nihil horum malè congruere, repugnare nihil, nec eſſe re ipſa, quæ finguntur, abſurda, ſummorum virorum, quos ante laudavimus, evincit auctoritas: qui, quo erant ingenii acumine, criterio, rectoque judicio, eas dubio procul inſulſitates, ac repugnantias retexiſſent; nec Chriſtum inter, & Abgarum mutuò datas Epiſtolas, totamque illis ſuperſtructam Hiſtoriam incircumſpectè imprudenterque recepiſſent.

VII. His ita ſemotis ambagibus, depulſiſque nebulis, queis rem iſtam totam obvolvunt plerique Critici recentiores; nonnullis incommodis eſt occurrendum; quæ ex hac noſtra ſententia naſcuntur, ac plus æquo ab æmulis exaggerantur.

Si Chriſti, inquiunt illi, ad Abgarum data Epiſtola genuina eſt, Scripturæ Canonicæ pars, eaque potiſſima reputanda erit, ipſis Sacrorum Euangeliorum libris longè dignior: at tantum abeſt, ut eum honoris gradum in Eccleſiis habuerit aliquando; ut contrà potiùs inter Scripturas Apocryphas à Concilio Romano ſub Gelaſio primo Romano Pontifice rejecta ſit. Conſecutionem hanc, virorum eruditorum bona pace, rejicio. Non illicò enim in Sacrarum Scripturarum Canonem ſcriptio aliqua referenda venit, ubi, vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis prodiiſſe perhibetur, niſi Sacræ Traditionis ope ad nos uſque derivarit. Cùm itaque humana dumtaxat ſorte ex publico Edeſſę Tabulario, non ex Sacro Apoſtolicæ Traditionis ærario Epiſtola Jeſu ad Abgarum ad noſtra uſque tempora propagata ſit; in Sacrum Divinarum Scripturarum Canonem, referri jure non potuit. Hanc etenim referendarum in Sacrarum Canonem Scripturarum legem ponit S. Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum Manichæum Cap. 4. *Ut ab Apoſtolis per ſuccedentes ſibimet Epiſcopus uſque ad*

præſentia tempora dilatentur .... Adeò ut, *ſi aliqua Chriſti littera proferrentur, conſiderandum eſſet, à quibus proferrentur*. Quod etiam exemplo libri Enoch confirmat Sanctiſſimus Doctor lib. 15. de Civitate Dei Cap. 23., quem licèt in dubium revocari non poſſe putet ob S. Judæ Apoſtoli teſtimonium; non ideò tamen ab Hebræis in Sacrorum veteri Teſtamenti librorum Codicem relatum exiſtimat, quòd ad Synagogam Divina, conſtanti, atque imperturbata Majorum traditione minimè pervenerit. Idem de Epiſtola Jeſu ad Abgarum quidni dicamus? Et quidem, numquid non eam à Sacro Canone procul abeſſe noverant tot illi a nobis ſæpiùs appellati Eccleſiaſtici Tractatores, qui eam nihiloſeciùs ut certam, indubitatamque receperunt? Fieri itaque potuiſſe cenſuerunt, ut & ſcriptio aliqua Jeſu Chriſti eſſe conſtaret, nec tamen haberetur in Canone: ſi nimirum veritas ejus, & autentia humana dumtaxat auctoritate niteretur. Atque hoc tantùm ſenſu apocrypham illam Gelaſius I. in Concilio Romano pronunciavit: hoc eſt, non agiographam, & Sacri Canonis partem: ut eruditè notavit Cardinalis Baronius ad annum Chriſti *31.* falſam tamen, ſpuriam, Chriſtoque ſuppoſitam minimè dixit; quam Veterum Patrum, Scriptorumque Eccleſiaſticorum auctoritas certam facit, ac minimè dubiam.

VIII. Reponunt moroſi Cenſores, D. Auguſtinum lib. I. de conſenſu Euangeliſtarum Cap. 7., & Doctorem Angelicum 3. par. quæſt. 42. art. 5. certò ſtatuere, Chriſtum nihil ſcripſiſſe. Quin etiam ſubjungunt: D. Hieronymum in Cathalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum dubio procul Abgarum fuiſſe relaturum, ſi ejus ad Chriſtum datam Epiſtolam agnoviſſet. Verùm quis non videat, Auguſtinum, ac deinceps Doctorem Angelicum de Scriptionibus Chriſti paulò fuſioribus eſſe locutos, quibus ſua ipſius geſta, Doctrinamque complexus eſſet: cujuſmodi nullas ab ipſo exaratas fuiſſe, ultrò citroque concedimus. Quid id verò commune habet cum quatuor linearum Epiſtola, qua miſſurum ſe diſcipulum dumtaxat monet, qui ſanitatem Abgaro laboranti reſtituat? Illud unum Auguſtini inſtitutum eſſe profectò fatebitur, qui laudatum locum attentè perlegerit. Eos enim exagitat Sanctiſſimus Doctor, qui Euangeliorum Scriptoribus fidem adjungere detrectabant; Chriſto tamen ſe lubentiſſimè credituros, inquiebant, ſi de ipſo ſcripſiſſet. Quas ſanè perbrevem quatuor linearum Epiſtolam nihil de miraculis ejus, nihil de Doctrina narrantem, nulla ratione contingunt. Jam verò, quis Hieronymum ita in admittendis Scriptoribus Eccleſiaſticis facilem putet, ut pro ſcripta duodecim circiter linearum Epiſtola Abgarum in eum numerum, ordinemque referret? Quidni potiùs, ſi titulorum illorum, ac laudum adeò larguserat, Tiberium, Adrianum, Marcum Aurelium, Galienum inter Scriptores Eccleſiaſticos æquiori jure repoſuiſſet, quorum Epiſtolas, & fuſiores, & Eccleſiæ Catholicæ longè utiliores, aut excripſit ex integro, aut indicavit Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccleſiaſticæ Cap. 9., & 13., & lib. 5. Cap. 5.

Eccur ergo, ſubjungunt aliqui, ſi hæc Abgari ad Chriſtum Epiſtola veritate nitebatur, non eam Eccleſiæ Patres Arianis objecere, qua nihil

ad Chri-

Digitized by Google

ad Chriſti Divinitatem adſtruendam poſt Sacras Litteras efficacius eſſe poterat? Cur non objecerint, divinare noſtra non intereſt: infinita quippe primis Eccleſiæ ſæculis, vel facta, vel omiſſa eſſe conſtat, quorum rationes rimari difficilè foret. Id tamen omninò certum, non ideò à proferenda adversùs Arianos Abgari Regis Epiſtola Patres veteres abſtinuiſſe, quòd eam ſuppoſititiam arbitrarentur: cùm ad eam Arianis objiciendum ſatis, ſuperque fuiſſet, quòd ab Euſebio viro medullitus Ariano, numeroſiſſimæque factionis Anteſignano agnoſceretur. Sic enim ex ea momentum, quod ad hominem Schola vocitat, petere potuiſſent.

IX. De reliquo, dum binas Chriſti, & Abgari litteras, totamque reſtitutæ per Thadæum Regulo ſanitatis narrationem ab Euſebio ex Edeſſenæ Civitatis Tabulario petitas defendimus, propugnamus; non perinde reliquas Narrationis hujus appendice tueri nobis eſt animus; quas aliqui fortè poſterioris ævi Scriptores de ſuo addiderunt, nimiaque, quàm par erat, credulitate commenti ſunt: ut Edeſſam urbem Chriſti promiſſo inexpugnabilem eſſe factam: Chriſtumque expreſſam linteo imaginem ſuam ac Abgarum illius cupidiſſimum tranſmiſiſſe. Quorum primum falſiſſimum eſſe probavit eventus; cum & olim ſub Trajano Edeſſa capta, igneque ſuccenſa ſit, ac modò ſub Turcarum tyrannide gemat: alterum nulla Veterum auctoritate nititur; ſed à Græcis fabularum avidiſſimis mediæ ætate confictum eſt; ab Evagrio, ſcilicet, lib. 4. Hiſtor. Cap. 26., & Joanne Damaſceno lib. 4. de fide Cap. 17., quibus, ſecutis inde temporibus, adſtipulatus eſt Nicephorus Callixtus, qui & fabellam novis pigmentis obduxit lib. 2. Hiſt. Cap. 7. *Poſtquam Abgarus*, inquit ille, *ſcripto ſuo perſuadere Chriſto non potuit, quod voluiſſet*, (ut nimirùm Edeſſam veniret) *deſperato Jeſu propter reſponſum acceptum adventu, quid caperet conſilii incertus, eo tamen, quo in Chriſtum tenebatur, deſiderio perculſus Pictorem eximium ad eum miſit; eique, ut diligentèr, & accuratè faciem ejus in pictura effingeret, imagineque prò deſiderio illò ſibi afferret, imperavit. Et ille quidem venit, atque in loco ſublimiore ſtans pingere Chriſti vultum, ut decebat, conabatur. Quùm verò cæptum opus non ſucecderet: (Divinus quippe ſplendor, & gratia in vultu ejus coruſcans impedimento erat) re ea cognita, Salvator textum linteum petit, in eoque priùs loto faciem ſuam exprimit, & ad Abgarum mittit.* Quibus næniis, ac fabellis Euſebii Cæſarienſis, & S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconi ſilentium opponimus. Qui, cùm totam illam Abgari Chriſto ſcribentis, & ſupplicantis hiſtoriam ex Edeſſenæ Urbis Tabulario accuratè deſcripſerint, nihil de miſſo Pictore, nihil de ſuſcepta prodigiali illa Servatoris imagine memoriæ tradiderunt: rem utique tanti momenti ſilentio minimè prætermiſſuri, ſi aliquam illius notitiam ex publicis Edeſſæ tabulis habuiſſent.

Haud me fugit, tranſmiſſæ hujus à Chriſto Domino ad Abgarum prodigialis imaginis mentionem fieri actione quinta ſeptimæ Synodi OEcumenicæ. Sed nec illud ignotum, falſa, & apocrypha documenta non pauca ſeptimæ Synodi Actis fuiſſe inſerta pro tuenda ſacrarum Imaginum cauſa, quæ ſpongia Eruditorum omnium judicio egeant.

EXERCITATIO XLVII.

De humana oris, corporiſque forma Chriſti Domini, ejuſque Virginis Matris.

I. Cùm in id unum intenti fuerint Sacrorum Euangeliorum Scriptores, ut ingentem Chriſti animi, virtutumque imaginem ſcriptis exprimerent, eamdemque mentibus noſtris altiùs inſererent: nihil planè de oris ipſius, corporiſque forma poſteris reliquerunt. Hinc orta multis, poſtrema ætate, fingendi licentia, qui tanquam Chriſtum attentè, ac de proximo fixis oculis intuiti fuiſſent, ſingula oris lineamenta, membrorumque compoſitionem integram calamo reddiderunt. Liberior in his, audaciorque Nicephorus Callixtus, qui uti ſæculo quartodecimo Hiſtoriam ſcripſit, ita nullam ea de re certam notitiam habere potuit, ut hanc nobis Chriſti effigiem adumbraret, lib. 1. Cap. 40. *Egregio is, vividoque vultu fuit. Corporis ſtatura ad palmos prorſus ſeptem. Cæſariem habuit ſubflavam, & non admodum denſam, leviter quodammodo ad criſpos declinantem. Supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis ſubflaveſcentibus mirifica prominebat gratia: acres ii erant, & naſus longior. Barba capillus flavus, nec admodùm demiſſus. Capitis porrò capillos tulit prolixiores: novacula enim in caput ejus non aſcendit; neque manus aliqua hominis, præterquam Matris, in tenera duntaxat ætate ejus. Collum fuit ſenſim declive, ita ut non arduo, & extento nimirùm corporis ſtatu eſſet. Porrò tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem; ſed qualis Matris ejus erat, paulùm deorſum versùs vergentem, ac modicè rubicundam: gravitatem, atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præſeferentem. Perſimilis denique per omnia fuit Divinæ, & immaculatæ ſuæ Matri.* Ita Callixtus de Chriſti Domini forma.

Id ille quidem à Veteribus acceptum initio monet: nullos tamen ex nomine appellat, nec appellari verè poteſt: cum nulli unquam tam accurati, tamque diligentes Chriſti delineatores tota retrò antiquitate inventi ſint. Quæ enim à Leziandro lib. 12. *Hiſt. Univerſalis* recitatur, Lentuli neſcio cujus, ad Senatum Romanum Epiſtola, qua Chriſti forma perinde accuratè deſcribitur, non modò ſpuria eſt, & apocrypha, ſed & omnium eruditorum ſibilis, & cachinnis excipitur. Ut ſileam, haud ita priori adſimilem eſſe, quæ à pſeudo-Lentulo delineatur Chriſti imago, ut conferenti patebit. Sic etenim habet inſulſus Epiſtolæ conſarcinator: *Apparuit temporibus iſtis, & adhuc eſt homo magnæ virtutis, nominatus Jeſus Chriſtus; qui dicitur à gentibus Propheta virtutis; quem ejus Diſcipuli vocant Filium Dei: ſuſcitans mortuos, & ſanans omnes languores. Homo quidem ſtaturę procera, & mediocris ſpectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes poſſunt diligere, & formidare: capillos habens coloris nucis avellanę pręmatura, & planos ferè uſq; ad aures; ab auribus verò cincinnos, criſpos, aliquãtulũ*

çeruliores,

cerutliores, & fulgentiores, ab humeris ventilantes. Diſcrimen habens in medio capitis, juxta morem Nazareorum: frontem planam, & ſereniſſimam, cum facie ſinè ruga, & macula aliqua, quam rubor moderatus venuſtat. Naſi, & oris nulla eſt reprehenſio. Barbam habens copioſã, & impuberem, capillis concolorem, non longam, ſed in medio biſulcatam. Aſpectum habens ſimplicem, & maturum; oculis glaucis, variis, & claris exiſtentibus. In admonitione blandus, & amabilis, hilaris ſervata gravitate, qui numquam viſus eſt ridere, flere autem ſapiſſimè. In ſtatura corporis propagatus, rectus, manus, & brachia viſus delectabilia. In colloquio gravis, ratus, & modeſtus, ſpecioſus inter filios hominum.

II. In hunc ſanè modum poſtremæ ætatis ſcriptores, quam finxerunt animo affigiem Chriſti Domini, hanc ſcriptis quoque relinquerunt. Sed quid quæſo Eccleſiæ Patres priorum ſæculorum, qui cùm propiores Chriſto vixerint, quæ vera oris illius, quæ corporis forma fuerit, ex prima Traditione reſcire facilè potuerunt? Longè illi aliter ſtatuunt. Ac de diſtincta quidem, & individua, ut ita loquar, Chriſti Domini forma, ea D. Auguſtino ſententia ſtetit lib. 8. de Trin. Cap. 4., & 5., hanc, uti & Deiparæ Virginis, ac D. Pauli, incertam ignotamque omninò eſſe, quam mente quidem concipimus, dum illorum, vel geſta, vel dicta recolimus, num tamen conceptus reſpondeat Archetypo, ignoramus. (unde falſam jam, fictamque pro arbitrio comperimus, quæ à Pſeudo-Lentulo, ac Nicephoro adumbrata eſt Sevatoris imago.) *Ipſius Dominicæ Carnis facies*, inquit Sanctiſſimus Doctor, *innumerabilium cogitationum diverſitate variatur, & fingitur: quæ tamen una erat, quacumque erat. Neque enim in fide noſtra, quam de Domino Jeſu Chriſto habemus, illud ſalutare eſt, quod ſibi animus fingit, longè fortaſſe aliter, quàm ſe res habeat: ſed illud, quod ſecundùm ſpeciem de homine cogitamus..... Neque novimus faciem Virginis Mariæ, & ex qua ille mirabiliter natus eſt..... Idcirco utrùm illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, omninò non novimus.... An ea quoque facie fuerit Paulus, quæ nobis occurrit de illo cogitantibus, & hoc penitùs ignoramus.*

III. Sed etſi quæ diſtinctè Chriſto Domino facies, quæ forma fuerit, ignoretur; generali tamen notitia id ex Veterum Traditione compertum eſt, fuiſſe illum ſpecie non excellentèr liberali, vultuque non inſigniter venuſto, egregio, & eleganti, qualem & vulgus exiſtimat, & de more Pictores effingunt: ut vel hoc pacto fallacem, & vanam eſſe corporis pulchritudinem demonſtraret; quemadmodum & dives eſſe noluit; ut divitiarum contemptum ſuo nos doceret exemplo. Quæ etenim excellentem ſupra mortales omnes Chriſti Domino formam, pulchritudinem, elegantiam commendant Scripturarum oracula; ac illud maximè Pſalmi 44. *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.... Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna*; ad Divinitatem veriùs, quàm ad humanitatem retulerunt Eccleſiæ Patres: aut certè non corporis, ſed animæ pulchritudinem intelligi voluerunt; eò majorem, auguſtioremque, quòd nihil illi adeſſet externi adjumenti ad venuſtatem.

S. Baſilius in hunc ipſum Pſalmum 44. *Specioſum forma Dominum appellat*,

ubi

Digitized by Google

ubi in ejus Divinitatem animum intendit. Et in Cap. 53. Iſajæ. *Non in convenientia, & apta figura, neque in bonitate coloris, qui in corpore cum quadam jucunditate efflorescit; ſed in Divina natura, quæ propriè dicta eſt pulchritudo, mente ſola, atque cumprimis purgata, agnoſcitur, ut Pſalmus habet, Specie tua, &c.*

S. Cyrillus Alexandrinus in hoc idem Iſajæ Caput 53. *Quod ad Divinam ſummamque excellentiam, & ſplendidiſſimum decorem naturæ, quæ ſupra omnia eſt; dictus eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum..... Nemo autem dubitare poteſt, quin intelligi debeat ea pulchritudo, quæ in gloria naturaque eſt, & ſupremæ Divinitatis. Neque enim quiſquam corporis gloriationes Chriſto tribuerit neque in ejus gloria partem numeraverit.*

Theodoretus in Pſal. 44. *Pſalmus iſte Chriſti pulchritudinem vocat, non corporis, ſed virtutis, & totius juſtitiæ; quæ non admiſit labem peccati, ſed fuit omnis maculæ expers.*

S. Irenæus lib. 4. adversùs hæreſes Cap. 66. *Hæc ſignificant eam, quæ eſt in Regno ſpeciem ejus, & decorem, & exultationem ſupercoruſcantem, & supereminentem omnibus, qui regenerantur ab ipſo, ut qui audiunt concupiſcerent ibi inveniri, placentia facientes Deo.*

S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 130. *Specioſum præ filiis hominum dixit, ob Divinam quamdam virtutem humanæ naturæ ſuſceptæ, atque à culpa, & peccato immunis.*

D. Auguſtinus in Pſal. 43. *Quis non habebat ſpeciem neque decorem? Is, de quo etiam dicitur, ſpecioſus forma præ filiis hominum. Ut homo non habebat ſpeciem, neque decorem; ſed ſpecioſus forma eſt, eò quòd eſt præ filiis hominum.* In Pſalmum 103. *Ecce pulcher ille, & ſpecioſus forma præ filiis hominum, quia juſtiſſimus eſt præ filiis hominum.* In Pſalmum 118. *Chriſtus Eccleſiæ ſponſus eſt, non carne, ſed virtute formoſus.* Tract. 9. in Epiſtolam 1. Joannis. *Quomodo invenimus pulchrum Jeſum? Specioſus forma præ filiis hominum; quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quia verò carnem ſuſcepit, quaſi fœditatem tuam ſuſcepit, id eſt, mortalitatem tuam; ut aptaret ſe ſibi, & congrueret tibi, & excitaret te ad amandam intus pulchritudinem. Unde ergo invenimus, quòd fœdus, & deformis Jeſu, ſicut invenimus, quia pulcher, & ſpecioſus forma præ filiis hominum? Iſaiam interroga: Et vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem. Illæ ſunt duæ tibiæ, quaſi diverſè ſonantes; ſed unus ſpiritus ambas inflat.* Quibus paria omninò habet Sermone 13. de tempore, & Serm. 50. de verbis Domini.

Caſſiodorus propiùs ad rem noſtram accedens, in Pſalmum 44. hanc ſibi quæſtionem ſolvendam proponit: *Cùm in Iſaia legatur, Vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem, ſed ſpecies vultus ejus ſinè honore, abjecta præ omnibus hominibus: quæri poteſt, cur hic ſuper genus hominũ pulcher deſcribatur:* Cui è veſtigio reſpondet, Chriſtum ſpecioſiſſimum eſſe dictum, *Non quia forma ejus decore lactei coloris eluxit, aut flavo crine lampavit, aut inſigni ſtatura præeminuit; ſed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccata non habuit. Illud enim rectè ſpecioſum dicitur, quod gratia mundiſſimæ puritatis ornatur.*

D. Thomas in Pſal. 44. *Pulchritudinem Chriſti habuit ſecundum quod competebat ad ſtatum, & reverentiam ſuæ conditionis. Non eſt ergo intelligendum, quòd Chriſtus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus; quia hoc non decuit eum.* Et in

Caput

Digitized by Google

Caput 53. Iſaiæ, *Chriſto non erat aſpectus magnificus, ſecundùm quod dicitur, quòd ſpecies Priami digna eſt imperio.*

Ita veteres, ita Patres, de eleganti Chriſti Domini ſpecie, ac pulchritudine à David magnoperè celebrata. Nec pro arbitrio ficta illorum interpretatio eſt, ſed ad certam Regii Vatis mentem, atque ſententiam exacta. Cùm enim ſpecioſæ Chriſti Domini formæ merito factum dicat, ut æternis a Deo Patre benedictionibus cumularetur in Cœlis; eumdemque precetur ſupplex, ut eleganti illa ſpecie, ac pulchritudine ſua, arcum intendat, procedat proſperè, glorioſè regnet: *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum..... Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna*: quis ità deſipiat, ut de externa oris, & corporis forma, Regium Vatem locutum putet, quaſi ob egregiam oris, & corporis pulchritudinem, fuerit Chriſtus benedictus à patre: idemque humanæ ſalutis hoſtes ſubegerit, æternumque Regnum ſibi, nobiſque obtinuerit, externæ illius ſpeciei, & corporalis pulchritudinis merito? Addo, Chriſtum non modo inſigniter venuſtum, & elegantem fore, ſi de externa vultus ſpecie Davidis dictum exciperetur; ſed Helena quoque, Atalanta, Ariadne, Hyla, Narciſſo, Paride, aliove quocumque mortali ex facie pulchriorem: cùm ſpecioſus forma *præ filiis hominum*, aſſeratur. Quod certè illius miniſterio, officioque congruiſſe, nemo dixerit prudens.

IV. Neque laudatis paulò antea Patribus repugnare cenſendi ſunt D. Hieronymus, & D. Chryſoſtomus: ille quidem Epiſt. 140. ad Principiam Virginem, inquiens: *Niſi habuiſſet in vultu quiddam oculiſque ſydereum; numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent*. Et in Cap. 9. Matthæi: *Fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Et in Caput 21. *Igneum quiddam, atque ſydereum radiabat ex oculis ejus: & Divinitatis majeſtas relucebat ex facie*. Iſte verò Homil. 27. in Matthæum: *Non enim miracula dumtaxat faciens admirabilis erat; ſed etiam cum ſimpliciter aſpiceretur, ingenti abundabat gratia*. Fulgor enim ille, majeſtas illa, & gratia Divinitatis occultæ, quæ in Chriſti facie reluxiſſe dicuntur, dum Matthæum, cæteroſque Apoſtolos ſola ad ſe voce pertraxit, militeſque cum fuſtibus, & armis contra ſe miſſos, verbo uno in terram præcipites dedit; nihil cum nativa oris pulchritudine, vultuſque elegantia, de qua nobis hic quæſtio eſt, commune habent. Alias Apoſtoli Chriſti corporis elegantia, vultuſque venuſtate, ad ejus clientelam, & fidem pertracti dicendi eſſent: quod abſit à nobis, ut effutiamus. Sed Divinæ quædam illecebræ ſunt, prodigialibus, in humana etiam facie, ſignis relucentes: (quandoquidem *fulgor, & Majeſtas eſt Divinitatis occulta*) quales profectò illæ fuerunt, quibus Petrum, conjectis in illum oculis, traxit ad pœnitentiam, quo tempore nemo eſt, qui Chriſti faciem totumque corpus vulneribus, injuriis, vibicibus deformatum non ſponte fateatur. Neque enim externæ pulchritudinis, ac venuſtatis eſſe potuit, quòd Apoſtolos in ſui diſciplinam traduxerit; Petrum conjectis in

illum

Digitized by Google

illum oculis ad pænitentiam flexerit; armatam cohortem ſtraverit humi; Mercatores ſedibus ſuis, ac tabernis expulerit: ſed poteſtatis, auctoritatiſque fuit, patratis antea miraculis, benè partæ, optimæque opinionis, quam de illius moribus, atque doctrina haberent univerſi. Quibus vires addebant motus, inceſſus, corporis moderatio digna Deo; quæ gravitatem teneret identidem atque ex intervallo, & Majeſtatem cum vellet, ac numen exprومeret. Mentem ipſe ſuam aperit Hieronymus, cùm laudatâ Epiſt. 140. *Pulchritudinem virtutum* appellans, *in ſacro, & venerando corpore*: tum in Commentariis in Cap. 53. Iſajæ, Chriſtum *inclytum & Decorum aſpectu* dictitans, *quando ad paſſionem ejus terra contremuit, ſaxa diſrupta ſunt, & fugiente Sole, æternam noctem elementa timuerunt*. Quo certè tempore, nullus Dominico corporis injuriis, ac vulneribus deformato externus decor erat, nulla venuſtas; virtus tamen eximia, ſummaque poteſtas Divinitatis occultæ, quæ naturam ipſam totam penè ſubverteret, in Judaici ſceleris execrationem.

Si quis tamen ingentem illam Dominici vultus gratiam, *cum ſimpliciter aſpiceretur*, emicantem à Chryſoſtomo celebratam loco laudato, oris elegantiam, vultuſque venuſtatem, & pulchritudinem accipere velit: (quod tamen nuſquam addacar, ut credam) non nativam, congenitam; naturalem appellabo; ſed adventitiam, fugacem, & tranſitoriam, qualis Stephani Proto-Martyri fuit; dum *intuentes in eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli*. Actor. 6. v. 15., Alias ſi eadem ſemper Dominico vultui gratia illa fuit, ut ſimpliciter aſpicientes raperet, devinciret; ſi conſtans illa, perpetuaque fuit animorum conciliatrix venuſtas, & elegentia; quo tandem pacto, & capi à militibus, & morte affici à tortoribus potuit? Quare nihil reliquis Patribus adverſum de Chriſti Domini pulchritudine Chryſoſtomus, & Hieronymus docuerunt.

V. Abſit tamen, ut qui Chriſtum ſpecie non excellenter liberali, vultuque non inſigniter venuſto, egregio, & eleganti fuiſſe dicimus; turpi, atque deformi fuiſſe, propterea contendamus. Quin potiùs Theologos nonnullos in illud extremum abeuntes ægrè ferimus, Iſajæ oraculo deludi perperam intellecto. Quod enim ille de Chriſto habet Cap. 53. v. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum; virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus: unde nec reputavimus eum*. Seu ut habent ſptuaginta Interpretes: *Non eſt ſpecies ei, neque gloria: & vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem; ſed ſpecies ejus inhonorata, & deficiens præ filiis hominum. Homo in plaga, & ſciens infirmitatem; quia adverſa eſt ſpecies ejus, deſpecta, & non reputata*. Id, inquam, non univerſè de nativa oris ſpecie, conſtantique corporis habitudine ab Iſaja dictum eſt: ſed de extremæ illius paſſionis tempore commodiùs intelligitur; dum mille Judæorum injuriis deformatum Chriſti Domini corpus, vix hominis ſpeciem referebat; quod plerique Patrum ſapientiſſimè monent. S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. ad Antonium Imper., & in Dialogo cum Tryphone Judæo, S. Cyprianus lib. 2. Teſtim. contra Judæos, S. Cyrillus Alexan-

Alexandrinus in Cap. 53. Iſajæ, S. Hieronymus ibidem, & Epiſt. 140. ad Principiam Virginem, S. Joannes Chryſoſt. Homil. 28. in Matthæum, S. Auguſtinus Tract. 9. in Epiſt. 1. Joannis, Serm. 27. de Verbis Apoſtoli Cap. 6., & Homil. 36. inter quinquaginta, Theodoretus in Pſalm. 44. Vigilius Tapſenſis lib. 2. contra Eutychetum, D. Bernardus Sermone 26. in Cantica.

Nonnulli etiam Prophetam, non ſua, ſed impiorum lingua locutum interpretantur: quorum videlicet probra, convicia in Chriſtum de Cruce pendulum jacta prophetice prænunciavit. Ut S. Thomas ibidem, & Pſeudo-Hieronymus in Pſal. 44. Alii de humanitate dictum exiſtimant, non ſe ipſa ſpectata, ſed ad Divinitatem, à qua fuit aſſumpta, collata: cujus certè comparatione deformis, & turpis habenda eſt, tantoque honore prorſus indigna. Ut S. Cyrillus Alexandrinus Cap. 53. Iſajæ, Procopius ad eumdem locum, S. Auguſtinus Tract. 9. in Epiſt. 1. Joannis, S. Bernardus Sermone 28. in Cantica. Alii demum de humanitate interpretantur, non pro communi conditione naturæ, quam eamdem nobiſcum habuit, ſed pro naſcendi, vivendi, moriendique ratione, quam præ cæteris hominibus humillimam, abjectiſſimam, acerbiſſimam tenuit: ut laudatus ſæpius Hieronymus in Caput Iſajæ 52., & Chryſoſtomus Homil. 28. in Matth. & in Pſalmum 44.

VI. Is fermè modis, paribuſque interpretationibus emolliendæ veniunt nonnullæ Patrum loquendi formulæ, qui ſeptuaginta Interpretum Verſione uſi, Chriſti Domini formam *deficientem, inhonoratam præ filiis hominum deſpectam, ignobilem, deformem, ingloriam, contemptam, inhoneſtam, ſpecie omni, ac pulchritudine vacuam* dixere. Quo numero cenſendi ſunt, Tertullianus lib. de Carne Chriſti Cap. 9. *Carnis terrenæ non mira conditio fuit. Ipſa erat, quæ cætera ejus miracula faciebat, cum dicerent: unde huic Doctrina, & ſigna iſta? Etiam deſpicientium formam ejus hæc erat vox. Adeòque nec humanæ honeſtatis fuit corpus, nedum Cœleſtis claritatis. Tacentibus apud nos quoq; Prophetis de ignobili aſpectu ejus, ipſæ paſſiones, ipſaque contumeliæ loquuntur: paſſiones quidem humanam carnem, contumeliæ verò inhoneſtam probavere.* S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum: *Quomodo autem, quæ eſt in Eccleſia, apud nos œconomia accepiſſet finem abſque corpore: cum etiam ipſe, qui eſt Caput Eccleſiæ, in carne quidem deformis, & ſpecie carens tranſiit, docens nos reſpicere ad id, quod eſt Divinæ cauſæ inſpectabile, & incorporeum.* Et lib. 6. *Jam verò Dominus non fruſtra voluit uti vili, & humili forma corporis: ne quis ſpeciem laudans, & admirans pulchritudinem, abſiſtat ab iis, quæ dicuntur; & attendens iis, quæ relinquuntur, ab iis abducatur, quæ percipit intelligentia.* Et lib. 3. Pædagogiæ Cap. 1. *Ipſum autem Dñum fuiſſe aſpectu deformẽ, teſtatur Spiritus S. per Iſajam: Vidimus eum, & non habebat ſpeciem, nec pulchritudinẽ; ſed ſpecies vilis, deficiens præ hominibus.* Origenes lib. 6. contra Celsũ: *Fatemur ſcriptũ de Jeſu corpore deſpicabili; quamvis non habeatur apertè ſcriptum, parvum fuiſſe, ac vile. Eſt autẽ locus apud Iſaiam prædicentẽ, venturum eum non ſupra modũ decora ſpecie, nec excellenti pulchritudine: Non eſt ſpecies ei, neq; decor, ſed ſpecies ejus ſinè honore, & deficiens ſupra filios hominum.* S. Athanaſius lib. de humana natura, non longè à fine: *Viderat eum priùs Iſajas in Divina, & ſuperexcellenti forma*

 ſeden-

ſedentem in ſolio edito, & ſublimi, cum Seraphini eum glorificabant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth. Poſtea vidit eum forma ſervi indutum, & in ſimilitudinem hominis effigiatum. Ideo dicit, non habebat ſpeciem neq; pulchritudinem; quippe cujus ſpecies contemptibilis eſſet, & ſubſidens infra omnes homines. Verùm cùm uno Iſajæ nitantur oraculo, ut Chriſti formam deficientem, ingloriam, contemptam, inhoneſtam, deformem oſtendant; nihil quoque, niſi quod Iſaias pari loquendi formula ſibi voluit, ipſi etiam voluiſſe putandi ſunt.

Quare, rejecta Thologorum illorum de turpi, atque deformi Chriſti Domini ſpecie extrema ſententia: ita illum inſigniter venuſtum, formoſum, & elegantem inficiamur, ut tamen pulchritudinis mediocritatem ſtatui ſuo congruentem adſcriptam illi velimus: quæ nihil in partem alteram haberet inſigne, ut ſpectantium oculos ſola vel raperet, vel offenderet.

VII. Compendio confecta res eſſet, motæque de forma Chriſti lites brevi ſileſcerent, ſi, quæ illius dicuntur imagines, olim aut Ære fuſæ, aut coloribus pictæ etiamnum extarent; certòque conſtaret, eaſdem ad vivum fuiſſe expreſſas. Refert equidem Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſt. Eccleſ. Cap. 18. æream ſtatuam, in Chriſti honorem à muliere Hemorroiſſa Peneade fuiſſe erectam, ut beneficii à Servatore collati memoriam ad poſteros propagaret. Addit, viſas à ſe ejuſdem pictas imagines, ad tempus uſque ſuum religiosè ſervatas. Verùm erecta Peneade ſtatua, Juliano Apoſtata Imperante, à Gentilibus per ſummam ignominiam tracta, confractaque eſt, ut ſcribit Sozomenus lib. 5. Hiſt. Cap. 21. Viſæ autem ab Euſebio pictæ imagines ubinam extent hodie, numve ad vivum expreſſæ fuerint, ignoratur. Imò hac ipſa, ad quam uſque ſervatæ fuerant; Euſebii ætate periiſſe videri poſſunt; ſi, quæ illius fertur nomine, ad Coſtantiam Licinii uxorem Epiſtola genuina, germanaque eſt. Poſtulanti enim Auguſtæ fœminæ, ut ad ſe Chriſti Servatoris imaginem mitteret, ea ſe importuna petitione liberat Euſebius; non poſſe, inquiens, fieri, quod petebat: *Quin cùm duplici natura conſtet Chriſtus Dominus, Divina, ſcilicet, & humana, neutrius imago exprimi poteſt: non Divina, quam nemo intelligentia conſequitur, nedum exprimit penicillo: non humana, cujus mortalitas à gloria Divinitatis abſorpta eſt.* Itane quæſo ſpecioſa excuſatione repuliſſet Auguſtam, ſi, quæ ab ipſo viſa fuerat Servatoris imago, etiam tunc extitiſſet? Aut enim petenti miſiſſet, ſi penes ſe habuiſſet, aut certè, à quo alio haberi poſſet, indicaſſet.

Haud melior priſcorum fortuna numiſmatum, quæ Chriſti Domini imaginem referebant. Horum unicum ſervari nunc Romæ dicitur in Altempſium cimelio; unde conjectura capi poſſet, ſeveriore Chriſtum vultu fuiſſe, quàm blandiore. At nec primæ antiquitatis, quæ fidem integram faciat, dicitur eſſe; ſed interjectis inter Conſtantinum, & Theodoſium temporibus cuſum exiſtimatur: nec liquet omninò, illud una ſui parte Chriſtum exprimere.

VIII. Jam verò, quæ Virgini Matri oris, corporiſque forma fuerit, longè minùs ſtatuere auſim, nullis ſuffragantibus, aut Patrum dictis,

aut

aut certis veteris memoriæ documentis. Quod enim ſcribit Nicephorus Callixtus lib. 1. Hiſt. Cap. 40., fuiſſe illam Chriſto Filio, quem ſpecioſiſſimum dixerat, *ex facie perſimilem*, nihili pendo: cùm is quartodecimo ſæculo ſcripſerit, quo nullam per ſeſe, ea de re, certam notitiam habere potuit. Nihilo melioris eſt notæ, certiorisque criterii, quod ex Epiphanio neſcio quo, (non illo quidem celebri Salaminæ Cypri Epiſcopo, ſed altero admodùm recentiori) recitat idem ille Nicephorus Callixtus lib. 2. Cap. 23., ut non modò Virginis mores, de quibus nulla hìc quæſtio vertitur, verùm etiam externam oris, & corporis formam nobis exhibeat. *Erat in rebus omnibus honeſta, & gravis, pauca admodum, eaque neceſſaria loquens; ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens. Statura mediocri: quamvis ſint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſſiſſe dicant. Decenti dicendi libertate erga homines omnes uſa eſt, ſinè riſu, ſinè perturbatione, & ſinè iracundia maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra: naſus longior, labia florida, & verborum ſuavitate plena: facies non rotunda, & acuta, ſed aliquantò longior: manus ſimul, & digiti longioris.* &c. Ita ex ſuo illo Epiphanio Nicephorus Callixtus. Auguſtinus autem, cui, & antiquitatis, & auctoritatis merito ſtandum magis, incertam, ignotamque Virginis faciem diſertiſſimè pronunciavit, lib. 8. de Trinitate Cap. 4., & 6. *Neque novimus*, inquit, *faciem Virginis Mariæ, ex qua ille mirabiliter natus eſt...... Utrum illa facies Mariæ fuerit, quæ occurit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, omninò non novimus*. Nemoque Patrum inventus eſt, qui diſtincta vultus ejus lineamenta deſcripſerit.

Una eaque certiſſima vultus ejus dignoſcendi pateret via, ſi quæ variis in Templis proſtant, à Divo Luca Euangeliſta pictæ Marianæ imagines, certa, & indubitata conſtarent fide. At nec eas priſca novit Antiquitas, nec Lucam Euangelii Scriptorem Pictorem habuit, ſed Medicum tantùm: quem pingendi arte valuiſſe, Chriſtumque, ejuſque Matrem *cera, & coloribus reddidiſſe*, primus, quòd ſciam, commentus eſt Simeon Metaphraſtes ſæculo nono. Certè ſeptima Synodus OEcumenica, Nicæna ſecunda, aliique tam multi Eccleſiæ Patres, qui licitum Sacrorum Imaginum uſum, iiſdemque debitam venerationem octavo Eccleſiæ ſæculo propugnarunt: cùm pictarum olim Imaginem exempla tam multa congeriſſent, ut catholico dogmati adverſus Iconomachos robur adderent; pictas à Luca Euangeliſta Deiparæ, ipſiuſque Chriſti imagines alto ſilentio prætermiſerunt; non utique prætermiſſuri, ſi fortè noviſſent, unde tam elegans argumentum petere potuiſſent. Quid etiam, quòd tabellarum illarum Lucæ nomine proſtantium aliquæ Virginem referunt puerulum Jeſum ulnis geſtantem: quo vel uno, non modò non eſſe Lucæ, ſed poſterioris longè ævi eſſe, apertiſſimè convincuntur. Eæ quippe à priorum Eccleſiæ ſæculorum uſu prorſus abhorrent. Nec puto, ullas hujuſmodi, ante damnatam hæreſim Neſtorianam, effictas eſſe: quo primùm tempore Virgo Deipara, Jeſu pueri gerula pingi cæpit; ut ſimplex etiam vulgus Divinam illius maternitatem ex-

Digitized by Google

preſſa ſenſibus imagine doceretur, & contra Neſtorianam impietatem muniretur.

IX. At nihil æque vulgare illud de Luca Pictore præjudicium revincit, ac nuda, ſimplexque de prima illius religione, ac genere obſervatio; de quibus non levis apud priſcos Eccleſiæ Patres contentio eſt. Lucam Euangelii ſcriptorem religionem primùm, & genere Judæum aliqui volunt; atque ex ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis unum: nec enim alios præter Judæos in eum numerum Chriſtus aſcivit. Ita Adamantius Dialogo 1. contra Marcionem, S. Epiphanius hæreſi 51. S. Gregorius Magnus libro 1. Moralium Cap. 1. Alii longè veriùs, ac certius, Lucam Gentilem, Antiochiæ in Syria natum, & à Paulo Apoſtolo ad fidem tardiùs vocatum exiſtimant, ut Tertullianus lib. 4. contra Marcionem Cap. 2., D. Irenæus lib. 4. adverſus Hæreſes Cap. 20., Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. Cap. 4., Divus Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis *in Luca*. Quocumque porrò res cadat, vulgaris illa de Luca Pictore opinatio convulſa eſt. Si enim religione primùm, & genere Judæus erat, Pictor profectò non erat; ex illorum ſaltem ordine, qui hominum formas, atque imagines coloribus exprimunt. Quis enim neſciat, quàm eſſet Judæis ars illa tunc temporis interdicta? *In Civitatem eorum*, inquit Origenes lib. 4. contra Celſum, *nullus Pictor admittitur, nullus ſtatuarius; legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occaſio præberetur hominibus craſſis, neve animi eorum avocarentur de cultu ad res humanas per hujuſmodi illecebras*. Quod idem ex Philone Judæo non obſcurè colligitur, lib. *de Decalogo*, & lib. *de legatione ad Cajum*; necnon ex Joſepho lib. 17. Antiq. Cap. 8. Si verò (quod certius, imò certiſſimum puto) Gentilis origine Lucas erat, & ab Apoſtolo Paulo, Antiochiæ in Syria tardiùs prædicante, ad fidem Chriſti vocatus; qui, quæſo, Chriſtum Dominum, ejuſque Virginem Matrem, quos ne viderat quidem, ad vivum pingere potuit? Sic enim illos pinxiſſe Lucam, plerique contendunt. Imò, ſi Nicephorum audiamus lib. 15. Hiſt. Cap. 14., vivens, ac videns, ſuamque ipſius effigiem exornans, atque illuſtrans à Luca depicta eſt Virgo Deipara: *Chriſti Matris imaginem*, inquit ille, *Divus Apoſtolus Lucas ſuis ipſe manibus depinxit; illa adhuc vivente, & tabulam ipſam vidente, gratiamque adeò illi forma ſua immittente*. Quæ tamen diu ante, ſi rectè calculum ponas, in Cœlos aſſumpta eſt.

X. Neque excipere juvat; potuiſſe Lucam, quo tempore gentilitatis errore tenebatur, ſacras illas imagines pingere, Chriſto, ejuſque Matre adhuc in terris agentibus. Ecquis enim ſibi in animum inducat, Pictorem Ethnicum, in Syria degentem, Jeroſolymis poſitos, quibus nec fidem adjunxerat, coloribus expreſſiſſe? Ut ſileam, Simeonem Metaphraſtem primum commenti aſſertorem iſtud inſuper addere: non modò Lucam ad fidem jam fuiſſe converſum, cum ſacras illas imagines pingeret; verùm etiam ipſum pietatis, ac religionis ſtudio feciſſe opus: *ut in ſuis imaginibus Chriſtus, & Deipara colerentur*. Futilis igitur exceptio illa eſt.

XI. Quare iis omnibus ablegatis, Lucam ex priſtina profeſſione, non Picto-

Pictorem, ſed Medicum dicimus cum Apoſtolo ad Coloſſenſes 4. v. 14., quem illi titulum unicum priſca ætas attribuit. Et cum viris ævi hujus eruditis facilè ſuſpicamur, ex nominum æquivoco ortam eſſe in vulgus aberrationem, celebremque Deiparæ tabellam à pio quodam, & religioſo Pictore, cui fortè *Lucas* nomen erat, olim effictam cognomini Euangeliſtæ fuiſſe attributam, ex qua aliæ quoque ſecutis temporibus expreſſæ ſint, quibus idem quoque nomen nova aberratione datum eſt. Unum enim, eumdemque pinxiſſe omnes, impoſſibile eſt: cùm nec eadem ſpecie, ac forma ſint, quæ circumferuntur univerſæ, nec eumdem referant penicillum.

XII. Inquis tamen mihi, Theodorum Lectorem, quem ſexto Eccleſiæ ſæculo vixiſſe liquet, (falluntur quippe, qui quartodecimo vixiſſe ſcripſere nuper) lib. I. Hiſtor. memoriæ prodidiſſe: *Eudoxiam ab Urbe Jeroſolymitana ad Pulcheriam miſiſſe imaginem Matris Domini, quam Lucas Apoſtolus depinxerat*. Sic enim ex illo narrat Nicephorus Callixtus lib. I. *Excerptorum* è Theodoro Lectore. At fidem in Nicephoro deſidero, qui excerpta illa ex deperdita dudum Theodori Lectoris Hiſtoria miſerè conſarcinavit, multaque de ſuo fidentèr adjecit. Miſſam fortaſſis ab Eudoxia ad Pulcheriam Chriſti Matris imaginem Theodorus ſcripſerat: Nicephorus verò, ut ea erat opinione imbutus, illam ipſam eſſe imaginem addidit, quæ à Luca Apoſtolo depicta fuerat. Nec vana conjectatio noſtra eſt. Nihil enim hujuſmodi à Theodoro fuiſſe ſcriptum, (quandoquidem liber ille ejus intercidit) ex D. Damaſceno ſat benè colligitur, qui, cum varia ex eo libro fragmenta tranſcripſerit Orat. 3. *de Imaginibus*; ab iſto tamen, quod nobis obtruditur, prorſus abſtinuit; non omiſſurus haud dubiè, ſi legiſſet, unde tam elegans pro tuendo religioſo Imaginum uſu argumentum petere potuiſſet. Addam, ſecumipſo pugnare Nicephorum in hoc ipſo referendo fragmento. Namque primo illo *Excerptorum* libro miſſam *ab urbe Jeroſolymitana* Virginis Matris imaginem refert; quam tamen *Antiochia miſſam* ad Pulcheriam ſcribit lib. 15. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 14.

XIII. Sed neque audiendus eſt Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum 726., qui, ut Lucam Euangelii ſcriptorem eumdem Pictorem probet, miſſamque ab Euxodia Dei Genitricis imaginem ab illo ipſo effictam evincat; D. Joannis Damaſceni ſuffragium oſtentat in vita S. Stephani junioris: ubi D. Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes Leonem Iſaurum Imperatorem his verbis alloquens inducitur ad ſacrarum Imaginum defenſionem: *Ex quo Chriſtus in forma noſtra ad nos acceſſit, Patres, atque Doctores, quorum ſumma virtus fuit, venerandarum Imaginum cultum nobis perſpicuè tradiderunt. Ne longè abeam: poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum mulier illa, quæ ſanguinis profluvio laborabat, ab eo ſanitati reſtituta, ipſius imaginem, veluti acceptum beneficium referens, exculpſit: ac priùs etiam ab ipſomet Chriſto, ipſiſſima Patris Imagine, Divino linteo facies ejus impreſſa eſt; ac Toparchæ Abagaro id poſtulanti Edeſſam miſſa. Demum ab Evangeliſta Luca picta eſt, quæ ab Jeroſolymis quoque Virginis Dei Genitricis imago miſſa eſt. &c.* Neque enim, quod Baronius exiſtimavit, Joannis Damaſceni lucubratio illa eſt, ſed

Simeonis

Simeonis Metaphraſtis: qui, ut illud de Luca Pictore commentum primus effutiit, ita ea pro genio ſuo in Hermani ore verba poſuit, quæ cauſæ ipſi, quam apud Leonem Iſaurum agebat, congruere putabantur; quod Simeoni Metaphraſti in Geſtis Martyrum ennarrandis familiare eſt. *Illud eſt obſervandum, à Metaphraſte ſcriptas fuiſſe Hiſtorias de Vitis Sanctorũ, multis additis ex proprio ingenio, nõ ut res geſta fuerunt, ſed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphraſtes multa colloquia, ſive Dialogos Martyrum cum perſecutoribus, &c.*, Cardinalis Bellarmini cenſura eſt, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Simeone Metaphraſte. Quamquàm ſi Joannes Damaſceni lucubratio illa foret, & Lucam re ipſa Pictorem dixiſſet Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha; haud multò meliori titulo fabula niteretur: cùm, & recentior amborum ætas, & gentis genus fabularum feraciſſimus, facti antiquiſſimi teſtes minùs idoneos faciant.

Quo loco ſtudioſos Adoleſcentes monitos volo, Doctorem Angelicum in 3. Sent. diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. ad eam S. Stephani juniores vitam (quam veniali pro ætate ſua errore, à D. Damaſceno editam, perinde ac Baronius exiſtimavit) dignum intendiſſe, dum ſcripſit: *Damaſcenus dicit, quòd Lucas depinxit imaginem Chriſti, & Beatæ Virginis:* minimè verò ad librum 4. de Fide Orthodoxa Cap. 17., uti incautus adnotator obſervavit in margine. Nihil enim ſecundo illo loco de Luca Pictore habet Joannes Damaſcenus. Abſurdiùs multò Jodocus Clichtoveus Damaſceni Commentator aberrat; qui à Divo Auguſtino lib. de Doctrina Chriſtiana ſcriptum monet: *Memoriæ proditum eſſe, quòd Lucas Evangeliſta Dominum noſtrum, & Sanctiſſimam ejus Matrem depinxerit.* Neque enim totis libris quatuor, quos de Doctrina Chriſtiana ſcripſit Sanctiſſimus Doctor, verbum inſeruit de Luca, Chriſtum Dominum, ejuſque Virginem Matrem picturæ coloribus exprimente. Nihil tamen eſt, quod iſta miremur. Fictis enim Patrum dictis fabulas ſuperſtrui opus eſt, quæ certo nullo fundamento nituntur.

EXER-

EXERCITATIO XLVIII.

De Chriſti Transfiguratione.

I. IN explicando Dominicæ Transfigurationis Myſterio, non tam graves, ac ſalebroſæ controverſiæ nobis dirimendæ veniunt, quàm numero multæ, ac permoleſtæ difficultates ſimpliciter explicandæ; ut rerum prodigialium inibi geſtarum ratio, ſeries, & ordo faciliùs innoteſcat. Nos pro officii noſtri parte multa paucis expediemus: & quæ in tanta hujuſce Myſterii luce etiamnum ſubobſcura videri poſſunt, nova, ſi fieri quidem id poteſt, Scripturarum, & Patrum infuſa luce illuſtrabimus.

II. Transfigurationem *ſupra montem excelſum* factam obſervat Matthæus Cap. 17.; quis tamen ille fuerit, nullatenus indicat. Hinc nota opinionum diſcrepantia. Itinerarium Jeroſolymitanum, quod & Burdigalenſe dictum eſt, Montem Oliveti, unde Chriſtus in Cœlum aſcendit, tuiſſe notat. Perperam prorſus, & inſcitè. Mons etenim ille, non excelſus, ſed humilis potiùs erat, ad paſſus dumtaxat mille, & octoginta quatuor aſſurgens ab ima parte vallis Joſaphat. In Judæa etiam ſitus erat Mons Oliveti prope Jeroſolymam Orientem versùs: cum tamen antecedentibus, & conſequentibus Euangelicæ Narrationis certo certius ſit, Chriſtum in Galilæa fuiſſe transfiguratum. Paulò tolerabiliùs ea de re ſenſiſſe videntur Franciſcus Lucas, aliique nonnulli recentiores, qui Montem Libanum fuiſſe contendunt. Is etenim, & præcelſus, & in Galilæa ſitus eſt; imò Galilæam à Phœnicia diſtinguit, protenditurque ad ſtadia mille quingenta. Verùm quamquam ſit ita, Montiſque à Matthæo deſignati conditiones, & notæ Monti Libani non ita malè congruant; non arbitror tamen à communi opinione recedendum, quo Chriſtum in Monte Tabor transfiguratum exiſtimat. Tum quòd aſſignatæ notæ huic longè meliùs conveniant; quippe qui, & in media Galilæa ſitus eſt inter Tribus Zabulon; Ezachar, & Nephtali, & in altitudinem ſtadiorum triginta aſſurgit; & planitiem ſtadiorum viginti habet in vertice, ut notat Flavius Joſephus lib. 4. de Bello Judaico Cap. 2. Tum quòd conſtans illa, & indubitata ſit veterum Patrum ſententia, S. Hieronymi Epiſt. 27. ad Euſtochium *de epitaphio Paulæ*, S. Cyrilli Jeroſolymitani Catecheſi 12., S. Joannis Damaſceni Serm. de Transfiguratione, Venerabilis Bedæ lib. de Locis Sanctis Cap. 17., Nicephori Callixti lib. 8. Hiſtor. Eccleſ. Cap. 30.

III. Sed id leve, minoriſque momenti. Illud meliori titulo ſcire juvat, in quo potiſſimùm poſita fuerit ea Chriſti Domini Transfiguratio. Quantùm enim ad corpus attinet, Lucas factam dicit *ſpeciem vultus ejus alteram*: Matthæus verò *reſplenduiſſe faciem ejus ſicut Sol*. Quantùm autem ſpectat ad veſtimenta, hæc *alba, & refulgentia* facta ſcribit Lucas: Matthæus

Digitized by Google

thæus: *facta alba ſicut nix*: Marcus vero rem altiùs exaggerans, facta, inquit, *ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere*.

Quapropter, quantùm ad Chriſti corpus attinet, in eo maximè Transfiguratio poſita fuit, quòd nullo pacto mutata, ſeu vultus, ſeu ectius corporis ſubſtantia, retentaque propria forma, atque figura internum ſplendorem clariorem, & auguſtiorem inſtar Solis emiſerat. Sic ſanè docuerunt Eccleſiæ Patres: Hieronymus in Cap. 17. Matthæi: *Ubi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur; cum transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt in regno ſuo. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit*. Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis: *Dominus in ſeceſſu montis veſtimenta luce mutaverat, ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſervaverat*. Et Victor Antiochenus in Cap. 9. Marci, non modò hoc idem affirmat, ſed & eo exemplo evincit; Beatos in reſurrectione priſtinam effigiem ſervaturos, novumque decorem, ſplendoremque habituros. Quibus omnibus ſubſcribit Divus Thomas 3. par. quæſt. 45. art. 1. ad 1.

Porrò tametſi ſplendorem illum vultui dumtaxat, ac non item toti Corpori Chriſti Domini adhæſiſſe, affirment benè multi; propterea, quòd faciem ſolam ſplendentem nominarint Matthæus, & Lucas: totum nihilominùs corpus inſolito illo ſplendore perfuſum non dubitaverim, Sacroſque Euangeliſtas ſub nomine faciei, utpote magis ſpectabilis, cætera membra, totumque corpus intellexiſſe. Id quippe Hieronymus loco citato, S. Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 9., S. Ambroſius lib. de Symbolo Cap. 22., & S. Ephrem Sermone de Transfiguratione docuerunt.

Nec eſt, quòd quis nobis obtrudat, vel ipſam *Transfigurationis* vocem, & *Metamorphoſis* vocabulum, quod in Textu Græco legitur, quid ampliùs ſignificare, quàm ſolam externi cujuſpiam ſplendoris acceſſionem; cum transfiguratio, figuræ quidem, & metamorphoſis, formæ mutationem ſignificet. Ea quippe vocabula, non eamdem Sacris in Litteris, ac in prophanis Scriptoribus, & Poetis maximè, poteſtatem habent. Nam 2. ad Corinthios Cap. 11. Pſeudo-Apoſtoli dicuntur; ſeſe *transfigurare in Apoſtolos Chriſti*, ſola externi miniſterii æmulatione, & Satanas perinde dicitur *transfigurare ſe in* Angelum lucis ob id unum, quòd quædam nonnumquam ſuggerat in ſpeciem bona, ut homines fallat. Nec nos ſplendorem illum in Chriſti vultu, totoque corpore inſidentem exteriùs acceſſiſſe dicimus, abſit; ſed ab ipſa potiùs interna Divinitate promanaſſe. Imò veriùs ſplendor ille erat ipſamet dos claritatis, quæ, ſicut & reliquæ dotes corporis beati, debitæ erant corpori Chriſti, & animæ ejus: ſed tamen, ut Chriſtus pati poſſet, repreſſæ erant, atque cohibitæ. Ac, ſi licet mihi loqui, quod ſentio, ea ſplendoris interni in Chriſti corpus effuſio, & emanatio, qualis in transfiguratione viſa eſt, miraculum res ipſa non fuit, ſed ceſſatio miraculi, quo claritas illa prius repreſſa continebatur. Inſtar tamen miraculi hominibus imperitis viſa eſt, quia nova, illiuſque cauſa ignorabatur.

Quantum

Digitized by Google

Quantum autem ſpectat ad veſtimenta, quatuor illis inditas qualitates notant Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, ut, ſcilicet, alba eſſent, ut nix, candida, ſplendentia, & refulgentia. Alba, inquam, ut nix ob excellentiam alboris; atque ita candida, candor enim eſt albor excellens: ſplendentia ob lucem ex Chriſti facie ad illa promanantem, ſplendor enim nil niſi refracta lux eſt: refulgentia demum, quòd radios inſtar fulgoris emitterent. Quæ tamen omnia ex hac ipſa, de qua modò dicebam, corporis, & animæ claritate neceſſariò profluebant; ac etiam perpetuò profluxiſſent, niſi adimplendum redemptionis opus repreſsa, cohibitaque fuiſſent. Ut planè tota Chriſti Transfiguratio, non miraculum, ſed ceſſatio miraculi dici debeat.

IV. At illud profectò ingentis miraculi loco habendum eſt, quod illic Moyſes, & Elias præſentes adfuerint cum Chriſto loquentes: quorum ille ab annis circiter bis mille defunctus erat, alter ab annis ampliùs mille in locum translatus mortalibus impervium, & ignotum. Verùm etenim Moyſem, & Eliam Chriſto adfuiſſe non modò Patres univerſim affirmant, ſuadetque Euangelicus Textus, ſed & ratio ipſa convincit. Cùm enim tanquam Chriſti teſtes, illiuſque doctrinæ approbatores adfuerint, verè, & re ipſa adfuiſſe illos neceſſe eſt. Teſtis enim in propria perſona teſtimonium ferre omninò debet.

Illud utut maximè venit in controverſiam, quomodo illuc advenerint. Ac de Elia quidem, quem alicubi in terris cæleſtem vitam degere, Fides docet, non ita viros eruditos anxios, ac dubios video. Hunc enim ex hoc ipſo, quo degit loco, in Montem Thabor brevi temporis intervallo translatum ab Angelo conſentiunt univerſi; in hunc ſanè modum, quo Abacuch Propheta, & Philippus Diaconus translati leguntur Sacris in Litteris; ille quidem è Judæa in Babylonem, iſte ex Gaza in Azot. Tota de Moyſe, quem mortuum fuiſſe liquet, oritur difficultas. Nonnulli enim, quos inter numerantur, S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis gerenda Cap. 15. (ubi tamen nil certi habet,) & S. Thomas 3. par. quæſt. 45. art. 3. ad 2., Moyſem illic adfuiſſe ſentiunt, quantùm ad animam tantum, non quantùm ad proprium corpus: ſed aliud ab ipſo aſſumptum fuiſſe ex altera materia Divina virtute compactum: in eum ſanè modum, quo Angeli in aſſumptis corporibus ſeſe ſpectabiles præbuerunt. Cui ſententiæ profectò non officit, quod in Euangelio legitur, Moyſem, ſcilicet, & *viſum*, & *locutum* eſſe, cum Chriſto transfigurato. Id enim per ſynecdochen dici potuit, animam Moyſis ſumendo pro Moyſe: uti & Samuel poſt mortem ſuam locutus dicitur cum Saule, lib. 1. Reg. Cap. 28., quem tamen nemo dixerit, in proprio corpore apparuiſſe. Alii tamen, in quibus videntur eſſe S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 57. in Matthæum, S. Hieronymus in Cap. 17. Matthæi, S. Auguſtinus ipſe Tract. 124. in Joannem, & S. Joannes Damaſcenus Orat. de Transfiguratione, Moyſem ad tempus reſurrexiſſe volunt, illumque ſecundùm corpus, & animam illic præſentem adfuiſſe. Quam ſententiam non putaverim improbabilem, tùm ob ſummam Sanctorum Patrum, à quibus defenditur, auctoritatem; tùm

Digitized by Google

ob momenta non levia, quibus communitur. 1. Quia alii quoque Eccleſiæ Patres ut Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & Origenes Homil. 12. in Exodum contendunt, in Transfiguratione impletam eſſe Dei promiſſionem Moyſi factam Exodi 33., dum ei Divinam faciem videre poſtulanti respondit Deus, *poſteriora mea videbis*: ſignificans, ſcilicet, oſtenſurum ſe illi humanitatem aſſumendam. Quæ promiſſio impleta profectò non eſſet, niſi in proprio vidiſſet corpore; id enim Moyſes poſtulabat. 2. Cum Elias in proprio corpore præſens adeſſet, debuit & in proprio corpore adeſſe Moyſes, ne illi hac in parte eſſet inferior, cui tot meritis ſuperior erat. 3. Quia ſi illic ſinè proprio corpore Moyſes adfuiſſet, non omnia illic vera, non omnia ſolida fuiſſent: quæ res Dominicæ Transfigurationis gloriam magna ſui parte minuiſſet.

Miror, proferri de more tanquam huic opinioni contrarium Auctorem Operis *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, inter Apocripha Diui Auguſtini Tom. 3., quaſi qui lib. 3. Cap. 13. ſcripſerit, *non corpora, vel animas Moyſis, & Eliæ ibi apparuiſſe; ſed in ſubjecta creatura illa corpora fuiſſe formata*. Quamquam enim Auctoris hujuſce, qui perperam à nonnullis creditus eſt Auguſtinus, fluxa ſit auctoritas, nulliuſque momenti, nihil tamen hujuſmodi habet loco laudato: imò Cap. 10. ejuſdem libri 3. in hanc ipſam, quam modò poſuimus, ſententiam ultrò citroque deſcendit: *Dum Elias*, inquit, *manens in Corpore vel ad talem conductionem venerat, quid de Moyſe dicendum eſt? Utrum in corpore iterum ad hanc oſtenſionem aderat; an ex aere ſimulatum, ſicut Samuel viſus eſt, habitum fingebat: Et ſi ſuo corpore venit indutus, ſi hac vice reſurrectionem ſuam, quæ cæteris nonniſi in noviſſimo eſt futura, complevit? De qua quæſtione Auctores una, eademque ſẽtentia prolata non differenter dicunt: quòd dum Dominus in tribus Diſcipulis ſuis, & Elia, non cum imaginatis, ſed veris Corporibus conveniſſe non dubitantur, & ipſe Moyſes in ſuo vero corpore de ſepulchro reſumpto videtur. Sed Dominus Jeſus primogenitus mortuorum rectè creditur. Moyſis iterum poſt hanc viſionem corpus ſepulturæ commendatur, ut ipſum in noviſſimo die, quando reſurgent mortui, aſſumere poſſit.*

V. Præſentiæ hujus, tùm Moyſis, tùm Eliæ miraculum non mediocriter auget, quod adjicit Lucas Cap. 9. hos, ſcilicet, *in majeſtate viſos eſſe*. Seu quòd illis ſplendorem quoque ſuum Chriſtus afflarit, & gloriam communicarit, quod Græcus Textus videtur innuere, *ἐν δόξῃ*: ſeu etiam, quòd ii cum priſcis dignitatum ſuarum notis, atque inſigniis apparuerint: Moyſes, ſcilicet, cornuta, ſeu radios emittente facie Legis tabulas deferens, Elias zona pellicea renes præcinctus, ac fortè etiam flammeo curru vectus. Cujus rei non leve momentum eſt, quòd illos Petrus probè noverit, atque ex nomine apellaverit: qui tamen, prohibente Lege, illorum imagines, & ſimilitudines nuſquam antea viderat. Quæ Tertulliani, Origenis, Euthymii obſervatio eſt.

Cætera mitto lubens, quibus tam nobilis ſcena clauſa eſt. Dum, videlicet, Petrus Moyſem, & Eliam jam abeuntes obſervans ad Chriſtum converſo ſermone ait: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria Tabernacula tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Nimirum

Digitized by Google

rum id ait, ut, ſi fieri poſſet, ſiſteret abeuntes, beataque, qua fruebatur, delectatione diutiùs potiretur. Qua in re arguitur ignorantiæ, dicente Marco, *non enim ſciebat quid diceret*: ſeu quòd Moyſem, & Eliam æquare Chriſto videretur: ſeu quòd Chriſtum glorioſum egere tabernaculis exiſtimaret: ſeu demum quòd voluptatem, qua fruebatur, ſaluti hominum anteponens Chriſtum à prædicatione, & Cruce, atque ita ab Univerſi redemptione avocaret.

VI. Illud maximè virum Theologum ſcire intereſt, cur Chriſtus transfigurari voluerit? Cur ex tam multis veteris Teſtamenti Patriarchis, atque Prophetis geminos illos, Moyſem, & Eliam gloriæ ſuæ conſortes, ac teſtes elegerit? Cur ex Apoſtolis duodecim tres tantùm, Petrum, Joannem, & Jacobum habuerit præ ceteris ſpectatores? Quas ego quæſtiones paucis expediam.

Peractæ Transfigurationis rationes quatuor aſſignant S. Baſilius in Pſal. 44., S. Leo, S. Cirillus Hieroſolymitanus, S. Ephrem Syrus, S. Joannes Damaſcenus in Sermonibus de Transfiguratione, & S. Thomas 3. par. quæſt. 45. art. 1. Prima eſt, ut tenuem ſaltem Divinitatis ſuæ radium mortalibus communicaret. 2. Ut Diſcipulorum animos communiret adversùs proximè futuræ paſſionis ignominiam, ne, ſcilicet, animos deſponderent. 3. Ut Fideles ſupremæ illius gloriæ, cujus levem imaginem viderant, expectatione ad ardua quæque perferenda excitaret. 4. Ut ſe vivorum ſimul, & mortuorum Dominum, & Judicem demonſtraret.

VII. Multis perinde de cauſis Moyſem, & Eliam gloriæ ſuæ conſortes, ac teſtes aſcivit, quas omnes inſinuat Doctor Angelicus 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 3. *Prima eſt hæc: Quia enim turbæ dicebant, eum eſſe Eliam, vel Jeremiam, aut unum ex Prophetis; capita Prophetarum ſecum duxit, ut ſaltem hinc appareat differentia ſervorum, & Domini. Secunda ratio eſt, quia Moyſes Legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit: unde per hoc, quòd ſimul cum Chriſto apparent, excluditur calumnia Judæorum accuſantium Chriſtum tamquam tranſgreſſorem legis, & blaſphemum Dei ſibi gloriam uſurpantem. Tertia ratio eſt, ut oſtendat, ſe habere poteſtatem mortis, & vitæ, & eſſe Judicem mortuorum, & vivorum per hoc, quòd Moyſem jam mortuum, & Eliam adhuc viventem ſecum duxit. Quarta ratio eſt, quia, ſicut Lucas dicit, loquebantur cum eo de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem, ideſt, de paſſione, & morte ſua. Et ideò, ut ſuper hoc Diſcipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui ſe morti expoſuerunt pro Deo. Nam Moyſes cum periculo mortis ſe obtulit Pharaoni, Elias verò Regi Achab. Quinta ratio erat, quia volebat, ut Diſcipuli ſui æmularentur Moyſis manſuetudinem, & zelum Eliæ. Sextam rationem addit Hilarius* (Can. 17. in Matthæum) *ut oſtenderet ſe per Legem, quam dedit Moyſes, & per Prophetas, inter quos fuit Elias præcipuus, eſſe prædicatum.*

Ex Apoſtolis verò, Petrum, Joannem, & Jacobum, gloriæ ſuæ ſpectatores in Monte ſancto habere voluit: ſeu quòd illos ſoles infirmitatis ſuæ, & agoniæ ſpectatores, ac teſtes habiturus eſſet in horto: ſeu quod illi cæteris Apoſtolis eminerent; Petrus quidem excellenti in Chri-

ſtum dilectione, futuræque poteſtatis prærogativa; Joannes privilegio amoris, quo à Chriſto diligebatur propter Virginitatem ſuam, & prærogativam Euangelicæ Doctrinæ; Jacobus Martyrii inter Apoſtolos principatu. Quibus tamen interim veritum fuit, ne quod viderant, ante Chriſti reſurrectionem propalarent: quia fidem vix, ac ne vix quidem in audientium animis inveniſſent; aut certè Chriſti Domini paſſio ab ipſomet Judaico populo impedita fuiſſet.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XLIX.

De Chriſto triumphatore Jeroſolymam ingreſſo.

I. CHriſti Jeroſolymam triumphantis in ſpeciem ſubeuntis hiſtoriam tractaturi, fabulaſque, quibus & ipſa vitiata eſt, nundaturi, non tam difficultatum gravitate premimur, quàm varietate, ac multitudine detinemur. Etſi enim leviora videantur ſingula hiſtoriæ hujuſce capita, quàm ut ſerium, accuratumque criterium poſtulent; ipſo tamen numero habent, unde noſtram diligentiam exerceant, & induſtriam. Ne quid ergo intactum exeat, quod enucleari, expendique a nobis poſtulet; per omnes triumphi partes, ab ipſo, ſcilicet, apparatu ad clauſulam ibimus, & quidquid in ſingulis difficultatis eſt, explicabimus, diſſolvemus.

II. Triumphi igitur apparatum paucis his verbis exponit Matthæus Cap. 21. *Cùm apppropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos dicens eis: Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea; ſolvite, & adducite mihi: & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.* Quo loco difficultates ſtatim quatuor, legationis hujus occaſione oboriuntur; non graves illæ quidem, ac permoleſtæ, ſed curioſæ, ac ſurda aure nequaquàm prætermittendæ. Quando miſerit Chriſtus? Unde miſerit? Quò miſerit? Quos demum Diſcipulos miſerit pullum, & Aſinam quæſituros.

Prima nullo negotio expeditur. Quanta enim ante feſtum Paſchatis die decima, ſcilicèt, menſis Niſan, quæ anno illo in primam hebdomadæ diem (Dominicam nobis) inciderat, miſiſſe Chriſtum, certiſſimum eſt. Jeſus ſiquidem, ut apud Joannem eſt Cap. 12. v. 1. *Ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitaverat: fecerunt autem ei cœnam ibi. . . . . . In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum* (Paſchatis imminentem) *cùm audiiſſet, quia venit Jeſus Jeroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei. &c.* Ea itaque craſtina dies, qua, & pullum ſibi juſſit adduci, & Jeroſolymam triumphator ingreſſus eſt, quinta ante feſtum Paſchatis dies erat. Neque id Myſterio vacat: ea quippe die Agnus in Paſchate mactandus in domum inducebatur, Exodi 12. v. 3. *Decima die menſis hujus, tollat unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas. . . . . . & ſervabitis eum uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus: immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Sicut ergo tum demum mactari in Cruce voluit Chriſtus Dominus dum Agnus paſchalis ex lege Moſaica mactabatur; ita Jeroſolymam ſolemni ritu ingredi placuit, dum mactandus Agnus in Jeroſolymæ domos inducebatur. In eo quoque Myſterium agnoſcimus, quòd ea ipſa die decima menſis Niſan ingreſſus ſit Jeroſolymam, qua Joſue trajecto Jorda-

ne

Digitized by Google

ne cum populo Iſraelis univerſo terram promiſſam ingreſſus eſt: Joſue Cap. 4. v. 19.

Binæ, quæ ſequuntur, quæſtiones, in unicam fermè redeunt, eademque via expediuntur. Qui enim Chriſtum ex Bethania, ubi ſuperiori die Cœnam ſumpſerat, bethaphage jam tum perveniſſe re ipſa putant; ex Bethphage quoque, in Caſtellum, ſeu vicum alterum è regione poſitum miſiſſe, certiſſimè ponunt. Atque ita profectò ſentiunt, qui levi oculorum conjectu Matthæi verba ſimpliciter legunt: *Cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage, tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos, &c.* Verùm qui Matthæum cum Luca conferunt, Chriſtum nondum Bethphage perveniſſe, ſed ad illud proximè acceſſiſſe deprehendunt: *Et factum eſt*, inquit Lucas, Cap. 19. v. 29. *cum appropinquaſſet Bethphage, miſit duos Diſcipulos ſuos dicens: Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt.* Ex quo liquet, Chriſtum relicta Bethania, ubi ſuperiori die Cœnam ſumpſerat, ex viciniis Bethphage, quo pervenerat, in ipſum Bethphage Diſcipulos delegaſſe pullum, & Aſinam quæſituros. Quodque apud Matthæum legitur, *& veniſſent Bethphage*, non aliud ſonare putandum eſt, quàm quod veniſſet propè Bethphage, ſeu ad vicinia Bethphage. Ex Bethania porrò per Bethphage iter erat in Jeruſalem: diſtabatque Bethania ſtadiis quindecim, ſive duobus propè milliariis ab Urbe; Bethphage uno dumtax. milliario, ſitumque erat ad Orientem ad radices Montis Oliveti, ut in deſcriptione Terræ Sanctæ videre eſt.

Quarta, quæ ſupereſt, quæſtio: Quinam à Chriſto Diſcipuli miſſi ſint, inſoluta relinquitur, nullo ad ejus ſolutionem ſuffragante Canone. Petrum quidem, & Joannem opinantur aliqui, quòd iis quinto poſt die ad Paſcha parandum miſſi legantur, Lucæ Cap. 22. v. 8. At quæ conſecutio illa eſt, ut ii quoque ad quærendum aſellum miſſi ſint, qui ad parandum Paſcha fuere poſtmodùm delegati? Petrum, & Phillippum alii malunt, non omni quidem auctoritate deſtituti: quippe qui D. Hilarium, Venerabilem Bedam, Auctorem Operis imperfecti in Matthæum inter Chryſoſtomi Opera prævios duces habent. Sed nec tanta illorum auctoritas eſt, ut rem per ſeſe dubiam certam faciat.

III. Pergit Matthæus, & impletum à Diſcipulis Chriſti mandatum narrat in hæc verba: *Euntes autem Diſcipuli fecerunt, ſicut præceperat illis Jeſus. Et adduxerunt Aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Miror, mandati hujuſce Chriſti Domini occaſione cenſuiſſe Liranum in Cap. 21. Matth., & Petrum Comeſtorem in Scholaſtica Hiſtoria, pullum, & Aſinam ſub nullius dominio fuiſſe; ſed ad pauperum uſum in Caſtello Jeroſolymis proximo fuiſſe expoſita: puto, ne Chriſtus aliena rapuiſſe cenſeatur. Lirani, & Comeſtoris aberrationem redarguit Lucas Cap. 19. v. 33. *Solventibus autem illis pullum dixerunt domini ejus ad illos: Quid facitis ſolventes pullum?* En itaque pulli dominos. Quibus tamen animantia rapuiſſe cenſendus non eſt Jeſus noſter: tum quòd ii conſenſerint ſtatim, atque Chriſtum iis opus habere intellexerunt: tum quòd ille ſupremus rerum omnium Dominus eſſet: tum demùm quòd finita equitatione ad heros ſuos remiſſa ſint animantia; ut

habet

habet Latinus Auctor Tractatuum in Matthæum apud Origenem.

Sed & majorem mihi admirationem creat Ambroſii Catharini ex directo oppoſitus error: qui, cùm hæc animantia domini alicujus verè fuiſſe pro certo ponat; Chriſtum tamen ea mendicato, ac ſuppliciter accepiſſe commentus eſt. Ecquid ita? Nullum quippe in dato Chriſti mandato verbum eſt, quod mendicationem ſapiat, aut ſupplicem petitionem. Imò jubentur miſſi Diſcipuli, animantia nullo præmonito ſolvere, & adducere: ac ſi quis ſuperveniens obſtare velit: monentur dicere, *Dominus his opus habet*: quæ certè non eſt ſupplicis deprecatio, ſed jubentis imperium. Catharinum deluſit, quod hic proximè ſequitur Chriſti verbum perperam intellectum: *Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos*, quod ille ſic accepit, quaſi Chriſtus ea ſe animantia confeſtim, ut iis ad breve tempus uſus fuerit, remiſſurum ſignificarit: quo pacto demiſſionem, ac deprecationem ſonare verbum hoc videretur. At Marcus Sacrorum Verborum, quæ apud Matthæum ambigua ſunt, dignus interpres ea ſic refert, ac repræſentat, ut non de Chriſto jumenta poſt brevem illorum uſum remiſſuro intelligantur; ſed de ipſo potiùs Jumentorum domino, qui ea, ut primùm Chriſti mandatum inaudiviſſet, dimiſſurus erat. Recitata enim Marcus dominorum reclamatione, *quid facitis ſolventes pullum?* continuò ſubjungit: *qui dixerunt eis, ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis*. Falſa ergo, perperamque excogitata eſt illa Chriſti Domini ſupplicatio ad exorandam abducendorum ad breve tempus animantium facultatem.

IV. Sed nunc quæſtio difficilis urget, ſoline pullo inſederit Chriſtus, an pullo ſimul, & Aſinæ; per vices, ſcilicet, ac pullo ante laſſato, ut multis viſum eſt Interpretibus. Et quidem pullo inſediſſe non eſt dubium: imò ſolius pulli, cui inſederit, meminerunt, Marcus Cap. 11. v. 7. *Duxerunt pullum ad Jeſum, & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.* Lucas Cap. 19. v. 35. *Jactantes veſtimenta ſua ſuper pullum, impoſuerunt Jeſum.* Joannes Cap. 12. v. 14. *Invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum.* De Aſina tamen, & pullo clarè eſt apud Matthæum loco ante laudato. Imò ſuper Aſinam, & pullum perinde ſediſſe, ſignificare videtur Zacharia Cap. 9. v. 9. cujus verba ab ipſo Matthæo recitantur: *Dicite Filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper Aſinam, & filium ſubjugalis.* Ego verò in eo pugnantium in ſpeciem Scripturarum conflictu ad conciliationem congruentius, veriuſque putaverim, ſi dicatur: ſimul quidem pullum, & Aſinam ad Chriſtum fuiſſe adducta; eademque ſimul à Diſcipulis palliis, extimiſque veſtibus tanquam ſtragulis ad ornatum, & pompam inſtructa fuiſſe: uni tamen pullo Chriſtum Dominum inſediſſe; atque ita proceſſiſſe, ſtrata, ac phalerata Aſina inſequente, aut etiam ab aliquo ducta. Quod in ſolemnibus virorum illuſtrium equitationibus uſuvenit: ut procedente in equo Principe viro, recentes, & integri qui ad pompam etiam deducantur. Sic ſanè conciliantur ſingula Scripturarum Oracula, ſuaque ſingulis ſtat veritas integra: quin ad commentum illud à pleriſque excogitatum, idemque à vero multum adhorrens confugere neceſſe ſit, Chriſtum nunc pullo, nunc eo laſſato Aſinæ inſediſſe. Cum

enim

Digitized by Google

enim uno dumtaxat milliario diſtaret Bethphage Jeroſolymis, minus profectò ſit veroſimile, onerarium animal placido greſſu incedens in tam brevi via laſſari potuiſſe, hacque ipſa de cauſa fuiſſe à Chriſto Domino commutatum. Obſervavit id oculatiſſimus Hieronymus, Chriſtumque idcircò uni tantùm inſediſſe jumento cenſuit in ſuis ad Matthæum Commentariis: *Nunc, ſtringendum eſt breviter, quòd ſecundùm litteram in parvo itineris ſpatio ſuper utrumque animal ſedere non quiverit. Aut enim ſedit Aſina, & pullus abſque ſeſſore fuit; aut ſi pullo, quod magis competit, uſus eſt ad ſedendum, Aſina ducta eſt libera. Ergo cùm Hiſtoria, vel impoſſibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora tranſmittimur: ut Aſina iſta, quæ ſubjugalis fuit, & domita jugum legis traxerat, Synagoga intelligatur: pullus Aſinæ laſcivus, & liber gentium populus, quibus ſederit Jeſus, miſſis ad eos duobus Diſcipulis ſuis; uno in Circumciſionem, & altero in Gentes.*

Quod igitur Matthæus habet: *Adduxerunt Aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt*: ſat benè veritatem habet, ſi binis animantibus ad ſeſſionem ſtratis paratiſque, alterutri Chriſtus inſederit. Hebræis enim familiaris eſt Synecdoche numeri; & plurali interdum utuntur, dum incertum ſignificant individuum: ut Judicum 12. v. 7. de Jeſphte in Hebraico Textu legitur, *ſepultus eſt in Civitatibus Ghilbad*, hoc eſt, in Civitatum aliqua. Et Jonæ Cap. 1. v. 6. *Deſcenderat Jonas in latera navis*, id eſt, in latus alterutrum. Quod autem apud Zachariam legitur Cap. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper Aſinam, & filium ſubjugalis*: quamquam pari ſenſu poſſet exponi, ahuc tamen minùs urget. Hæc enim vulgati Interpretis licentia fuit: qui, cùm vocabulum Hebraicum חמור, uti & Grecum ὄνος, communis generis cernerent, *Aſinam* fœminini generis vertit pro nutu, atque arbitrio; binaque nobis jumenta dedit, Aſinam, ſcilicet, & pullum ejus; cum potiùs *Aſinum* maſculino genere vertere debuiſſet: ut per Aſinum, & pullum unum animal intelligatur quod natura ſit Aſinus, ætate autem pullus. Quemadmodum vertit Syrus Interpres, *Inſidens in Aſino, pulloque Aſinæ*: & Xantes Pagninus, *Equitans ſuper Aſinum, & pullum filium Aſinarum*. Imò Joannes ipſe Euangeliſta ſic vertit, ac de unico animanti Zachariæ Oraculum intellexit, dum ita verba ejus compendio retulit Cap. 12. v. 15. *Sicut ſcriptum eſt, noli timere Filia Sion, ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum Aſinæ*. Non eſt itaque, quòd quis Chriſtum gemino animanti inſediſſe; pertinaciter velit: tametſi geminum adductum ad eum, ſtratumque inficiari nemo poſſit.

Nec quærendum, quorſum utrumque jumentum ſolvi, atque a ſe adduci juſſit, ſi uni pullo ſeſſurus erat? Id etenim factum; tum quòd Aſinarum pulli oneri ferendo nondum aſſueti a matre ægrè admodum divellantur, ſeque ſinè ea duci minimè patiantur: tum ob myſticam ſignificationem, ut ea injugis pulli; & Aſinæ ſubjugalis ſolutione à Diſcipulis facta futura Gentilis, & Judaici populi liberatio, & ad Chriſtum converſio præſignaretur, ut jam ex D. Hieronymo vidimus, cui & Patres omnes eo in capite ſuffragantur.

Porrò ea Chriſti vectatio in pullo generis Aſinini haud ita apud Hebræos

Digitized by Google

bræos ignobilis cenſebatur : neque , ut apud nos aſſolet, adeo abjecta erant olim hujuſmodi animantia, ut vilium dumtaxat capitum vectationi inſervirent : ſed qui erant apud eos ditiſſimi , ac Principes viri pullis Aſinarum inſidebant . Quod docent triginta filii Jair Judicis , ac Principis Hebręorum, *ſedentes ſuper triginta pullos Aſinarum*: Judicum Cap. 10. v. 4., & quadragiuta filii Abdon Principis quoque, ac Judicis Iſraelis; ejuſdemque triginta nepotes *aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos Aſinarum*, Judicum 12. v. 14. Quia tamen quo ex tempore Judæos inter, & Ægyptios conjunctio fuit, equorum copia in Judæa cœpit eſſe, quæ Aſinos aliquantulum depreciavit; ad honoris, & gloriæ mediocritatem ea redacta eſt equitatio, & ad modeſtiam compoſita. Quare ad Chriſti decus pertinuit maximè, ut mediocri pompa Jeroſolymam ingrederetur: ſeque Regem quidem, non tamen terrenum oſtenderet, qui Aſinæ pullo, non equo generoſo vectabatur.

V. Sequitur in Euangelica Matthęi narratione Thriumphi choragium, & populi acclamatio: *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & ſequebantur, clamabant dicentes: hoſanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis.* Neſcio quid nuper nonnullis Proteſtantibus venit in mentem; qui quod de ſtratis in via, dum Chriſtus procederet, veſtimentis, & arborum ramis referunt Matthæus, & Marcus, de ſtratis humi, projectiſque in terram, & à jumento calcandis, intelligi nolunt; ne fortè equitationi impedimento eſſent, quæ ad ornatum, & pompam cedere videbantur: ſed de veſtibus, ramiſque per viam ſtratis, atque in tabernaculorum formam aptatis, atque compoſitis ad morem feſti Scenopegiæ. Novatorum commentum refellit, non modò communis Patrum aſſenſus, qui ſtratas humi, projectaſque in terram veſtes, ac frondes interpretantur; verum etiam Euangelicus Lucæ textus Cap. 19. v. 36. *Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via:* Verſio Matthæi Syriaca, *Multitudo turbarum ſternebat pallia ſua in via, alii verò cedebant ramos ex arboribus, & projiciebant in via:* Verſio Perſica, *Turba hominum plurima veſtimenta ſua ſtraverunt, ut ille ſuper ea tranſiret. Alii verò ramos ex arbore Olivæ ſuccidebant, & in via projiciebant.* Quæ omnes loquendi formulæ proſtratas humi, jacenteſque veſtes, ac frondes apertè ſignificant animantis Chriſtum vehentis pede calcandas. Is porrò à Judæis Chriſto delatus honos uſque adeò equitationi impedimento non fuit, ut potiùs juverit, ut inoffenſo pede pullus incederet: quia veſtes dumtaxat ampliores, & expanſa plaudamenta ſtrata ſunt humi. Uti nec in Heroum triumphis fuit impedimento; in quibus idem obſervatum Plutarchus memorat, in Catone. Neque verò neceſſe erat, quod illi fingunt, ut tentoriola, & tabernacilla ex veſtibus, & ramis inſtruerentur: cùm Chriſtum in tam brevi itinere interquieviſſe, ſedemq; fixiſſe, non ſit veroſimile.

Quarum arborum rami præciſi ſint ad Triumphi choragium, ſilent quidem Matthæus, Marcus, Leucas; expreſſit tamen Joannes Cap. 12. v. 12 *palmarum ramos*. Quibus, ſi S. Cyrillo Jeroſolymitano fides

eſt Catecheſi 10., id demum à Domino repenſum fuit, ut per tempus Jeroſolymitanæ obſidionis in univerſali omnium arborum, plantarumque vaſtatione, ac etiam aliquot poſt ſæculis ſuperſtites eſſent. Olivas addit Matthæi Verſio Perſica paulò ante laudata: addunt communiter Patres; eſtque veroſimillimum: Cùm per montem Oliveti triumphus duceretur; ex ejus arboribus, unde illi nomen adhæſit, ramos ſuccidiſſe prætereuntes: propiùs vero eſt. Ut ſileam myſticam illarum arborum ſignificationem Myſterio, quod tunc agebatur, maximè congruentem: cùm illius Regis triumphus ageretur, qui *pacificus* antonomaſticè Sacris in litteris dictus eſt; imò qui pacifici perſonam ea præſertim in occaſione ſuſtinuit.

VI. Jam, quæ poſt hæc ſubditur, paludentium turbarum acclamatio hebraicis verbis expreſſa, *Hoſanna filio David ..., Hoſanna in altiſſimis*, quæ dubios, & anxios habet Interpretes de ſimplici, germanoque illius ſenſu anxiè diſputantes; nullo meliori Doctore, atque Magiſtro intelligi poteſt, quàm D. Hieronymo Hebraici idiomatis periciſſimo. Maximè cùm elegantem ad illius interpretationem acclamationis Damaſo Romano Pontifici Epiſtolam dederit, numero centeſimam quadrageſimam quintam; cujus Synopſim in Commentarios ſuos retulit, ad Caput 21. Matthæi, quam hìc exſcribere non pigebit: *In centeſimo decimoſeptimo Pſalmo, qui manifeſtè de adventu Salvatoris ſcriptus eſt, inter cætera hoc quoque legimus*: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in ca-
„put anguli: a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis no-
„ſtris: hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in
„ea. *Statimque jungitur*: O Domine, ſalvum me fac: ò Domine, benè
„ proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini &c. *Pro eo, quod habetur in ſeptuaginta Interpretibus*, *ω κυριε σωσον δη*: *ideſt, ò Domine ſalvum fac; in Hebræo legimus*: [illegible] [illegible]: *quod manifeſtiùs interpretatus eſt Symmachus dicens*: Obſecro, Domine, ſalvum fac, obſecro. *Nemo ergo putet, ex duobus verbis, Græco, videlicet, & Hebræo ſermone eſſe compoſitum, ſed totum Hebraicum; & ſignificare, quòd adventus Chriſti ſalus Mundi ſit: unde & ſequitur*, Benedictus qui venit in nomine Domini. *Salvatore quoque id ipſum in Evangelio ſignificante*: Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepiſtis: alius veniet in nomine ſuo: & recipietis eum. *Necnon quod jungitur Oſanna, id eſt, ſalus in excelſis, perſpicuè oſtenditur: quòd adventus Chriſti, non tantùm hominum ſalus, ſed totius Mundi ſit, terrena jungens Cæleſtibus: ut omne genu ei flectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Hæc S. Hieronymus. Uno verbo, pia ad Deum ſupplicatio illa fuit, qua ſalvum ſibi, proſperumque ſervari Regem novum precabantur: quaſi dicerent, *O Domine, ſalva quæſo: ò Domine proſpera, quæſo*. Quod nos acclamando preſſiùs, ac ſimpliciùs dicimus, *Vivat Rex*.

In eam acclamationem prorupiſſe lactentes etiam Hebræorum pueros, & matrum mammis adhuc applicitos, facilè adducor, ut credam, non modò D. Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymii, qui id ipſum non leviter innuunt, ſuffragiis adductus; verùm etiam Chriſti Domini aucto-

ritate

Digitized by Google

ritate permotus, qui Principes Sacerdotum, & Scribas ſtupore detixos, quærenteſque: *Audis, quid iſti dicunt?* compeſcuit, repreſſitque prolato verſu Pſalmi octavi; quo prænunciatam ſuam hanc *ex ore infantium, & lactentium* profectam laudem propter inimicos apertè profeſſus eſt.

VII. Supereſt Triumphi clauſula apud Matthæum: *Et cum introiviſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa Civitas dicens: quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intravit Jeſus in Templum Dei: & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Quo loco labitur quàm turpiſſimè Adricomius in deſcriptione Terræ Sanctæ, Chriſtū prodigio quodam per portam auream Jeroſolymam ingreſſum aſſerens: tanquam hæc ſolito clauſa eſſet, & ad Chriſti adventum per miraculum derepentè patuiſſet. Unde enim habuit Adricomius, portam auream vulgò dictam ſolitò clauſam fuiſſe; cùm potiùs Jeroſolymam à monte Oliveti, & Valle Joſaphat ſubeuntibus hæc una pateret via?

Labuntur alii longè graviùs, qui Chriſtum ſtatim ingreſſum vendentes, & ementes Templo exegiſſe, & Nummulariorum menſas evertiſſe, ſibi putant: quòd ita continuata narratione ſignificare Matthæus videatur. Nec advertunt, id per figuram hyperbaton ſcriptum eſſe, inverſo Hiſtoriæ ordine, ſtudioque brevitatis, ejectionem ementium, atque vendentium cum ingreſſu in Templum fuiſſe conjunctam; ne factum altera die Chriſti in Templum ingreſſum ſecundò narrare cogeretur. De cætero tamen Marcus Matthæi breviator, atque Interpres duo hæc apertè diſtinxit; eamq; Negotiatorum ejectionem nonniſi die altera factam ſignificavit Cap. 11. v. 11. *Introivit Jeroſolymam in Templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die, cum exiret à Bethania eſuriit ...... Et veniunt Jeroſolymam: & cùm introiſſet in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in Templo: & menſas Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Ejecit porrò de Templo, hoc eſt, ex atrio Templi: nec enim Negotiatores interiora Templi ſubiiſſe putandi ſunt. Quod alias quoque fecerat Chriſtus Dominus ſub initium Euagelici Miniſterii, dum ſimiliter propè eſſet Paſcha Judæorum, ut eſt apud Joannem Cap. 20. v. 13.

Nullo autem excellentiori facinore triumphum claudere potuit, quo ſupremam in homines poteſtatem, divinamque virtutem certiùs oſtenderet; Patrum quidem judicio, atque ſententia: *Plerique arbitrantur, maximum eſſe ſignorum, quòd Lazarus ſuſcitatus eſt: quò cæcus ex utero lumen acceperit: quòd ad Jordanem vox audita ſit Patris: quòd transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilibus eſſe, quòd unus homo, & in illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua; potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus:* D. Hieronymi verba ſunt in Cap. 21. Matth. à Ruperto Abbate exſcripta lib. 3. in Joannem, non longè ab initio.

VIII. Neque illud Myſterio vacare putandum eſt, quòd ad Chriſti triumphum

Digitized by Google

triumphalem ingreſſum, quærentibus Jeroſolymæ Civibus: *quis eſt hic?* populi comitatum facientes, & acclamantes repoſuerint, *Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galilææ.* Eo quippe reſponſo, non modò ad interrogata ſatisfecerunt; Jeſum Prophetam antonomaſticè dictum profitentes è Deo promiſſum Moyſi Deuteronomii Cap. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi*; verùm etiam invectam à Scribis, & Phariſæis traditionem, neſcio quam, falſi convicerunt; qua nihil boni à Nazareth prodire poſſe dictitabant: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Joannis 1. v. 46. nullumque à Nazareth Prophetam oriturum unquam effutiebaut; Joannis 7. v. 52. *A Galilæa Propheta non ſurgit.* Ex quo enim Jeſum hunc tot prodigiis celebrem, tot portentis illuſtrem à Nazareth Galilææ, ubi & conceptus, & educatus fuerat, prodiiſſe ſignificabant; malignam traditionem calumniæ revincebant. Tametſi veterum Prophetarum exempla, Debboræ, ſcilicet, de Tribu Nephtali, Nahum Elceſeitæ, Annæ de Tribu Azer ad ſtultam calumniam retundendam ſatis eſſent.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO L.

De ultima Cœna celebratione.

I. DE ultimæ Cœnæ à Chriſto Domino peractæ celebratione hodierna prælectione, dum loquimur, nullus nobis eſt animus, eas quæſtiones attingere, quæ ad Tractationem de Euchariſtiæ Sacramento ea in Cœna inſtituto intimiùs attinent, ne falcem in meſſem alienam videamur immittere. Sed intra eos limites nos unicè continebimus, quos ſuſcepta Tractatio de Myſteriis Chriſti inter homines converſantis nobis præſcribere viſa eſt. Ut nimirum de quatuor dumtaxat Cœnæ hujus occaſione diſputemus; puta de die celebrationis illius, de Commenſalibus, de loco, ac de modo Cœnæ peractæ. Quibus explicatis, nihil ultra nobis reliquum erit.

II. Primam, potiſſimamque de die peractæ Cœnæ Quæſtionem celebrem fecit Eccleſiæ Græcæ à Latina diſciſſio. Cum enim conſentiant univerſi, Chriſtum ea ultima Cœna Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe, ac in illo ipſo pane confeciſſe, quem tunc cœnando in uſum adhibuit; Græci, ut ritum ſuum, quo celebrant in fermentato, Chriſti Domini exemplo confirment, toto pectore, animoque contendunt, Chriſtum mortis ſuæ præſcium, quæ illi de ipſo Paſchatis inferenda erat, Paſchatis celebrationem antevertiſſe; ſeu ante diem ex Lege præſcriptam, Paſcha Judaicum celebraſſe: verbis, videlicet, freti Joannis Cap. 13. v. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexiſſet eos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Et Cœna facta &c.* Hincque colligere ſibi putant, Chriſtum non in Azimo, ſed in fermentato pane celebraſſe: cùm uſus Azimorum à Paſchate tantùm inciperet, quæ ob id ipſum *prima dies Azimorum* dicebatur.

Non eſt hic animus, ut præmonui, de licito, aut illicito fermentati, aut azimi uſu diſputare. Dicam tamen obiter, Græcos nihil propterea confecturos, etſi, quod ſummo ſtudio adſtruere ſatagunt, ultrò illis citroque concederemus. Si etenim Chriſtus mortis ſuæ præſcius Paſchatis celebrationem anteoccupaſſet, pari quoque ratione Azimorum comeſtionem antevertiſſet: cum hæc ipſa Paſchalis ritus pars magna eſſet; nec niſi cum panibus azimis Agnus Paſchalis comedendus eſſet. Liquet id exemplo diſertiſſimo: ſi cui enim fortè fortuna contingeret, Paſchatis celebrationem differre in menſem alterum, in menſem quoque alterum Azimorum comeſtionem differebat; ut nonniſi cum Azimis Paſcha comederet. Diſertiſſima Legis verba ſunt Numerorum Cap. 9. v. 10. *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciet Phaſe Domino in menſe ſecundo quartadecima die menſis ad veſperam: cum azimis, & lactucis agreſtibus comedent illud.* Si ergo Chriſtus vice verſa Paſchatis celebrationem præoccupaſſe, Azimorum quoque comeſtionem prævertiſſet.

Atque

Digitized by Google

Atque ita, quidquid rei fuerit, Chriſtus in Azimo celebraſſe convincitur.

III. Sed & hoc ipſum falſum omninò eſt, quod tanto ardore Græci contendunt: certoque certius eſt, Chriſtum Dominum Paſchatis celebrationem nequaquam antevertiſſe; ſed hac ipſa die celebraſſe, qua Judæi ipſimet celebrarunt, quæque ex Legis præſcripto definita erat: nempe Luna 14. primi Menſis ad ſecundam veſperam quæ eſt prima veſpera Lunæ 15., ut habetur Levitici Cap. 23. v. 5. & 6. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt: & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas Azimorum Domini eſt: ſeptem diebus azima comeditis*. Quod idem pariter legitur Numerorum Cap. 28. v. 16.

In hoc planè conveniunt tres Euangeliorum Scriptores, qui Chriſti Diſcipulos hac ipſa die Azimorum Paſcha manducandum eidem præparaſſe fuerunt; non diem ipſam præoccupaſſe. Matthæus Cap. 26. *Prima autem die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paramus tibi comedere Paſcha?* Marcus Cap. 14. *Primo die Azimorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Lucas Cap. 22. *Venit autem dies Azimorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Quid itaque ob verba Joannis ſubobſcura, quæque facilè in eumdem etiam ſenſum flecti poſſunt, lucidiſſima, diſertiſſimaque Matthæi, Marci, & Lucæ teſtimonia poſthabeamus, debitumque Paſchatis diem præoccupatum obtendamus? Eò vel maximè, quòd nulla Chriſto Domino ratio eſſe poſſet, præſcriptam à Lege celebrandi Paſchatis diem antevertendi. Ponamus enim, Chriſtum mortis ſuæ præſcium dignoviſſe, non poſſe ſe Judaicum Paſcha præfinito tempore celebrare; nulla ei celebrandi neceſſitas incumbebat: cum needum tunc præceptum urgeret, quod ea dumtaxat ſtatuta die obligabat. Et quidem ex Lege ſtatutum erat, Numer. Cap. 9. v. 10. ut ſi quis legali aliqua immunditia impeditus, aut procul à gente ſua poſitus menſe primo Paſcha celebrare non poſſet, celebrationem differret in menſem alterum: at nuſpiam ſtatutum erat, ut qui præſcripta Paſchatis die ſe crederet moriturum, celebrationem Paſchatis anteverteret. Quanta enim dubitatione, & hæſitatione Judæorum animi æſtuaſſent, ſiquod hujuſmodi mandatum extitiſſet. Sed & ex ipſo Euangelii textu perſpectum eſt, Apoſtolos ſponte ſua Chriſtum Dominum de celebrando hac ipſa die Paſchate compellaſſe: Matth. Cap. 26. *Prima die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* antequam ullam mortis hac ipſa feſta die illi inferendæ notitiam haberent: id enim inter cœnandum dumtaxat illis aperuit, fore, ſcilicet, ut hac ipſa nocte traderetur ad mortem. Non itaque inſtantis mortis occaſio ad præmaturam Paſchatis celebrationem adduxit.

Hùc adde, Chriſtum unà cum Diſcipulis Paſcha Judaicum celebraſſe. Si itaque celebrationis diem antevertit ille, ii quoque cum eo anteverterunt. Ecquæ verò illis antevertendi ratio fingi poteſt? Neque enim ipſo die Paſchatis præſciebantur cum Domino morituri, qui re ipſa mortui

cum-

cum illo non ſunt. Si autem Chriſtus, ut erat Legis Dominus, ita ſibi faciundum exiſtimavit, altiori ratione ductus, atque conſilio; ſolitamque Paſchatis diem præter legem, & inſtituta Majorum pro nutu, atque arbitrio antecedit; annon inde Judæi offenſionem paſſi eſſent, & inſtaurandæ in illum criminationis occaſionem arripuiſſent, cum illos res ipſa latere non poſſet? Quique de violatis per Diſcipulos ejus vel inanibus, futilibuſque traditionibus ſæpiùs querebantur; ut quod illotis manibus manducarent; quomodo de violato ſolemniter capitali mandato tacuiſſent? Quo jure etiam, quave audacia pater-familias, ad quem Chriſtus Diſcipulo, miſerat, Paſcha apud ipſum manducandum paraturos, cœnaculum ſuum ad illud die non legitima peragendum præbuiſſet; hancque ipſam Legis violationem apud Judæorum Principes excuſaſſet?

Quid plura? Cum Agnus Paſchalis mactandus eſſet in Templo; nec comedi omninò poſſet, niſi ſanguine ejus ad Altare à Sacerdotibus ſparſo, & adipe combuſto: Deuter. 16. v. 5. *Non poteris immolare Phaſe, in qualibet urbium tuarum, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus; ut habitet nomen ejus ibi*: ſi Chriſtus Paſchatis comeſtionem antevertiſſet; certè, aut Agnum non immolatum comediſſet, adeòque Legis Moſaicæ ſummam violaſſet; imò ne Paſcha quidem comediſſe putandus eſſet: aut Agni Paſchalis immolationem ad Chriſti gratiam Sacerdotes anteoccupaſſent: quod quis credat? Summum quippe, ac publicum nefas erat, Paſcha non juſto tempore, & loco mactare: quo ſe crimine implicare voluiſſe Sacerdotes, ut Chriſto, quem ſummè oderant, rem gratiam facerent, non eſt veriſimile.

His adjunge unanimem Sanctorum Patrum, non modò Latinorum, ſed & Græcorum aſſenſum, Chriſtum ſtatuta, ac definita per Moyſem die Paſcha Judaicum celebraſſe, firmiter aſſerentium: quibus primus omnium, quod ſciam, refragatus eſt Eutymius Zigabenus Monachus duodecimo ſæculo ineunte in Commentariis in Matthæum; novamque, ut Græcis Schiſmaticis ſuffragaretur, viam aperuit. Certè in ea prægravi controverſia de certo celebrandi Chriſtiani Paſchatis die, quæ è ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo, univerſam Eccleſiam per annos ampliùs trecentos exercuit; Aſiaticis Luna 14. Martii unà cum Judæis celebrandum contendentibus, & Chriſti exemplo ſententiam tuentibus: nullus Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum inventus eſt unquam, qui Chriſtum Luna 14. cum Judęis re ipſa celebraſſe negaverit, ſpecioſumque illud Aſiaticorum fundamentum falſi convicerit: ſed aliis longè quæſitis momentis Quartodecimanos impugnarunt. Adeò, ſcilicet, in univerſa Eccleſia illud certum, indubitatumque habebatur, Chriſtum Luna 14. ad ſecundam veſperam unà cùm Judæis Paſcha Judaicum celebraſſe. Aliàs tam expeditam diruendi præcipui Quartodecimanorum fundamenti viam minimè neglexiſſent.

IV. Quæ cum ita ſint, recitatum ſuprà Joannis Evangelii dictum *ante diem feſtum Paſcha*, quod potiſſimum novi ſyſtematis fundamentum eſt, ita accipere oportet; ut nihil à Matthæo, Marco, & Luca diſſideat: ac ne Chriſtus celebrationem Paſchatis antevertiſſe exiſtimetur.

Quod

Quod ut commode fiat, obſervare neceſſe eſt, apud Judæos olim, uti & nunc apud Chriſtianos, alios fuiſſe dies ſacros celebrandis ſolemnitatibus dedicatos; alios naturales ex naturæ lege diſtinctos; alios demùm artificiales faciendo quotidiano operi deſtinatos. Dies ſacri à veſpera ad veſperam, uti nunc in Eccleſia Catholica, ducebantur: Levitici Cap. 23. v. 32. *A veſpera ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra*. Dies naturales à media nocte incipiebant, & ad aliam mediam noctem deſinebant. Dies artificiales ab aurora ad auroram. Cujuſque autem diei duplex pars diſtinguebatur; nocturna, ſcilicet, & diurna. Pars nocturna in quatuor vigilias dividebatur à ſolis occaſu ad ſolis ortum: quarum quælibet ternas horas complectebatur. Pars diurna in quatuor horas dividebatur, primam, tertiam, ſextam, & nonam: quarum quælibet horis etiam ternis coaleſcebat. Prima incipiebat ab ortu Solis durabatque tres horas; quibus finitis, incipiebat tertia, quæ & totidem horis durabat, ſcilicet, uſque ad Meridiem. A Meridie ſexta hora inchoabatur, & tribus poſt Meridiem horis finiebatur; tum incipiebat hora nona, durabatque uſque ad veſperam, unde noctis vigiliæ ducebant exordium. Quia verò pro varia anni tempeſtate dies, noctesque magis, minùſve, aut arctantur, aut producuntur; idcirco Hieme vigiliarum horæ longiores erant, diurnæ arctiores: contrà verò Æſtate longiores erant horæ diurnæ, arctiores verò nocturnæ: numquam tamen numero plures, pauciores've cenſebantur. Sic ergo, ut ad rem ipſam, de qua nunc agitur, accedamus; Chriſtus Dominus Cœnam Paſchalem egit juxta Joannem *ante diem* naturalem Paſchæ à media nocte incipientem: *ante diem* pariter artificialem Paſchæ ab aurora initium habentem: non autem ante diem ſacrum, qui à priori veſpera ducebat exordium: ſed hoc ipſo die ſacro jam inchoato, ſeu cæpta jam Azimorum die, ut alii Euangeliſtæ tres atteſtantur. En tibi ſolutum ænigma, quin novum idcircò ſyſtema comminiſci neceſſe ſit, quòd cum Matthæi, Marci, & Lucæ narrationibus conciliari nulla ratione poteſt.

Ejuſdem ænigmatis ſolutionem aliam alii proferunt: qui Joannem de die ipſo ſacro ita locutum concedunt ut tamen ea voce, quæ in Græco Textu extat, *πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα*, hoc eſt, *pridie Paſchatis*, primam diei ſacri Paſchatis partem intellexerint: & *πρὸ τῆς ἑορτῆς* poſuerit dilectus Apoſtolus, pro ἐν τῷ προεορτίῳ, quòd nimirum ita feſtum præcedit, ut tamen ſit feſti pars, videlicet, prior. quemadmodum *πρόλογος* pars eſt orationis, *πρόδομος* pars domus, *προάστειον* pars urbis, *προτείχισμα* pars muri. Quare quæ in ipſo feſti exordio contigere, hanc incongrue Græca phraſi eveniſſe ſunt dicta *πρὸ τῆς ἑορτῆς*.

Æqua facilitate diluitur momentum alterum, in hunc fermè modum efferri ſolitum à Græcis, ut Chriſtum Paſchatis manducationem auteoccupaſſe demonſtrent. Qua die, inquiunt illi, Chriſtus à Judæis ductus eſt in Prætorium judicandus à Pilato, atque damnandus, Agnus Paſchalis à Judæis comedendus erat: Judæi enim, ut Joannes obſervat, Cap. 18. v. 28. *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: at Chriſtus veſpere præcedenti Cœnam paſchalem manduca-

duca-

ducaverat, ut ex Euangelii narratione compertum eſt: ſolitum itaque manducationis diem antevertit. Totum id, tametſi à nonnullis altius exaggeratum, futile eſt, & inane. Falſum enim eſt, Agnum Paſchalem à Judæis edendum fuiſſe, qua die Chriſtus ab eis ductus eſt in Prætorium; cùm potiùs ab eis veſpera præcedenti comeſtus eſſet. Quod verò à Joanne obſervatum eſt, eos in Prætorium non introiiſſe, *ut non contaminarentur, ſeu ut manducarent Paſcha*; non de ipſomet Agno Paſchali comedendo venit intelligendum, ſed de aliis cibis Paſchalibus; mactatis, ſcilicet, victimis de bobus, & ovibus, de quibus ſermo eſt Cap. 16. Deuteron. v. 2. quibus per dies ſeptem veſcebantur: qui eo perinde *Paſcha* nomine vocabantur, nec niſi à Judæis omninò mundis poterant manducari. Quare veriti Judæi Chriſtum circumducentes, ne, ſi in viri gentilis, atque ita prophani, domum ingrederentur, immundi fierent, eſuque ciborum Paſchalium prohiberentur; Jeſum quidem in Prætorium Pilati ſubmiſerunt, non ipſi tamen introierunt.

Imò ex illis ipſis objectis Joannis verbis invictè prorſus oſtendo, de immolatione, & manducatione Agni Paſchalis ſermonem illic eſſe non poſſe. De eo quippe Paſchate ſermo illic eſt, à cuius immolatione, & manducatione Judæi prohibiti fuiſſent, ſi fortè ex ingreſſu in Prætorium legalem immunditiam contraxiſſent: at ubi major Sacerdotum, ac populi pars immunditiam legalem aliquo caſu contrahebat, non propterea Judæi ab immolatione, & manducatione Agni Paſchalis prohibebantur; propterea quod hæc neceſſitatis eſſet, atque præcepti, deberetque definito tempore fieri: (quamquam ſi paucorum privatorum immunditia eſſet, ii Agni Paſchalis immolationem, & comeſtionem transferrent in menſem alterum:) non itaque de immolatione, & manducatione Agni Paſchalis ſermo illic eſt; ſed de manducatione aliorum ciborum immolatorum, quæ paris neceſſitatis non erat, neque præcepti. Liquet id totum ex Judæorum Miſna, Tractatu *Temura* Cap. 2. *In totius populi Sacrificiis offerendis non attendebatur, ſi fortè major Sacerdotum, aut populi pars eſſet immunda: ſed nec propter hoc emittebatur: quia hujuſmodi Sacrificia determinatum tempus habebant; quo elapſo, nulla ampliùs erat offerendi opportunitas*. Et Tractatu *de Paſchate* Cap. 7. *Quinque ſpecies erant publicorum Sacrificiorum, quæ perinde offerebantur ab immundis, dummodò publica eſſet immunditia, nempe majoris partis populi, vel Sacerdotum*. Quo numero primo loco ponitur Agni Paſchalis immolatio. Unde paucis interjectis additur: *Agnus Paſchalis immolabatur etiam cum immunditia, modò tamen majoris partis immunditia eſſet. Dum enim privati pauculi immundi erant, ii Agni Paſchalis immolationem in menſem alterum differebant*. Paſchatis itaque nomine, quod ut manducare Judæi poſſent, ab ingreſſu in Prætorium abſtinuerunt, Agnum Paſchalem à Joanne fuiſſe intellectum, impoſſibile eſt: cùm & hunc, immundi licèt, manducare potuiſſent, ſed utut maximè reliquas victimas toto Paſchali ſeptiduo ſolitas manducari.

VI. Reclamant, fateor, nec ſinè ſtomacho, Joſephus Scaliger, Ludovicus Capellus, aliique nonnulli; qui reliquas dierum illorum Victimas, quibus Judæi toto ſeptiduo veſcebantur, nuſquam Sacris in litteris

Digitized by Google

Paſchatis nomine appellatas fuiſſe contendunt; idque nominis ſoli Agno Paſchali ſignificando fuiſſe ſacrum. At nauſeantis ſtomachi faſtidium ſolvet Cap. 16. Deuteronomii, ſi diligenter obſeruetur. Ecce enim v. 2. in Vulgata noſtra legitur: *Immolabis Phaſe* (hoc eſt Paſcha) *Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Cui congruit Textus Syriacus: *Macta igitur Paſcha Domino Deo tuo ex ovibus, & ex bobus &c.* Arabicus pariter: *Macta autem Paſcha Deo Domino tuo de ovibus, & unà cum de bobus &c.* Chaldaica quoque Paraphraſis Onchéloſi: *Immolabis Phaſe coram Domino Deo tuo de ovibus, & Victimam ſanctificatam de bobus.* Ubi certè *Phaſe*, ſeu *Paſchatis* nomen generalis appellatio eſt, qua, & oves, & boves in ſolemnitate Paſchali mactandi, & ſeptiduo illo manducandi ſignificantur. Sed etſi hunc ipſum Deuteronomii locum eo legeremus modo, quo Proteſtantes Hebraicæ locutionis tenaciores legere malunt, *Mactabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves*; idem perinde colligeremus: Paſchatis, ſcilicet, nomen ovibus, & bobus perinde datum, qui in ea quoque ſolemnitate mactabantur. In hac enim propoſitione τὸ *Paſcha* generale veluti nomen eſt, cui oves, & boves ea in occaſione mactandi tamquam ſpecies ſubjiciuntur: non aliud eſt Paſcha, aliud oves, & boves. Uti plane dum lib. 1. Paralipomenon Cap. 29. v. 2. dicitur, *Obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille*; priori profectò *holocauſti* nomine, tamquam generali appellatione comprehenduntur, quæ ſubinde peculiaribus ſuis nominibus deſignantur. Et 2. Paralip. Cap. 7. v. 5. dum dicitur, *Mactavit Salomon Rex hoſtias, boum, arietum centum viginti millia*; generali *hoſtiarum* nomine boves, & arietes tanquam ſubiectæ ſpecies deſignantur: non aliud hoſtiæ ſunt, aliud arietes, boveſque mactati.

Confirmat hoc idem multò magis verſiculus 3. ejuſdem Capitis 16. Deuteronomii cum ſecundo conjunctus, in Textu Hebraico, Samaritano, Syriaco, ac etiam in Verſione ſeptuaginta Interpretum: *Paſcha*, ſcilicet, nomine perinde vocari quaſcumque victimas, quæ Paſchali ſeptiduo à Judæis comedebantur. Sic enim Textus Hebraicus adamuſſim: *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo, ovem, & bovem in loco, quem elegerit Dominus, ad habitare faciendum nomen ſuum ibi. Non comedes ſuper eo fermentatum: ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum, panem afflictionis*. Sic Hebræo-Samaritanus: *Sanctificabis autem Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitaret ibi nomen ejus: Non comedetis cum eo fermentum: ſeptem diebus comedetis cum eo azima, panem afflictionis*. Ita Syriacus: *Macta igitur, Paſcha Domino Deo tuo, ex ovibus, & ex bobus &c. ne comedas cum eo fermentatum: ſed ſeptem diebus comede cum eo azimum, panem humilem*. Ita demum Septuaginta Interpretes: *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, &c. Non comedes fermentatum ſuper illud: ſeptem diebus comedes ſuper illud Azima panem afflictionis*. Ex quibus invictum iſtud argumentum elicio, nulla unquam cavillatione eludendum. Id, *cum quo & ſuper quod* per ſeptiduum comedendi præcipiuntur panes azimi, *Paſcha* diſertiſſimè dicitur: At per ſeptiduum panes azimi cum victimis de bobus, & ovibus comeduntur, non cum Agno Paſchali: Agnus enim Paſchalis

ſola

ſola prima Azimorum veſpera, ſeu nocte totus erat comedendus, ac ſiquid illius ſupererat, ante auroram comburendum erat, Exodi 12. v. 10. Victimæ igitur de bobus, & ovibus *Paſcha* quoque eo loci vocantur a Moyſe: ut propterea de iis a Joanne merito dictum ſit, *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: hoc eſt, non introierunt in domum Prætoris viri gentilis, atque ita prophani, ne immundi ex Lege fierent; neve ea de cauſa, eſu victimarum Paſchalium prohiberentur. Quamquàm aliundè nil dubitandum, Agnum potiſſimam illius ſolemnitatis victimam primo omnium loco, ac ſanctiori ritu edendam, *Paſchatis* nomine frequentiùs ſacris in Litteris deſignari; imò præcipuum eſſe *Paſcha*, propter quod etiam cœteræ victimæ *Paſcha* dicuntur.

VII. Levioris longè momenti eſt, quod ex Capite 19. Joannis v. 14. à multis objicitur: Chriſtum mortuum dici *in Paraſceve Paſcha*: hoc eſt, ut ipſi quidem interpretantur, qua die Judæi ſua omnia ad Paſchatis celebrationem præparabant: id enim *Paraſceves* nomine ſignificatum arbitrantur, quod præparationem Hebraicè ſonat. Præpoſtera quippe interpretatio illa eſt, ex qua profectò conſequens eſſet, Chriſtum ante præfinitam diem Paſcha cum Diſcipulis manducaſſe. Illud itaque Paraſceve, de quo Joannes, idcircò *Paraſceve Paſcha* dictum eſt, non quòd in eo fieret præparatio ciborum Paſchalium; ſed quòd anno illò, quo paſſus eſt Chriſtus, in ipſum diem Paſchatis incidiſſet Paraſceve; reſque tunc pro ſubſequenti Sabbatho præpararentur. Unde Marcus Cap. 15. ait: *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbathum*: non quod eſt ante Paſcha. Neque verò mirandum, quòd illo ipſo Paſchatis die res ad ſubſequens Sabbathum Judæi præpararent. Quamquam enim Paſchalis feſtivitas ratione ſolemnitatis maxima omnium eſſet, in ea tamen præparare licebat, quæ ad cibos pertinerent. Unde Exodi 12. v. 16. de primo, & ſeptimo die Azimorum, qui præ reliquis ſolemnes habebantur, dicitur, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*; quod tamen die Sabbathi præſtare erat illicitum. Idcircò dies Paraſceves, ſeu præparationis ad Sabbathum inſtituta erat: nulla tamen dies erat Paraſceves, ſeu præparationis ad Paſcha. In phraſi itaque Joannis, *Paraſceve* ipſa dies Veneris eſt, ſeu feria ſexta, quæ eo apud Judæos nomine vocabatur. In quam, cum illo anno feſtum Paſchatis incidiſſet, *Paraſceva Paſchæ* dicta eſt eo plane modo, quo & *Dominica Paſchæ*, & *Dominica Pentecoſtes* dicuntur à nobis: quia & in Dominicam Paſcha, & in Dominicam incidit Pentecoſte.

At inquis fortaſſe mihi: Dies ipſa Sabbathi, quæ Chriſti mortem proximè ſecuta eſt, magna vocitatur v. 31. ejuſdem capitis Joannis: *Erat magnus dies ille Sabbati*: non alia de cauſa, quam quòd in Paſchatis diem incideret: ante Paſcha igitur mortuus eſt Chriſtus, eodemque titulo ante Paſcha ſuam ipſe Cœnam celebravit. Verùm & hoc, purum, putumque figmentum eſt. Alia quippe de cauſa *magna* dicta eſt ea Sabbathi dies, quam quòd cum Paſchatis Feſto concurreret; ſed ob id ſolùm, quòd infra dies Paſchales, in ſecundam, ſcilicet, Azimorum,

 diem

Digitized by Google

eſt Catecheſi 10., id demum à Domino repenſum fuit, ut per tempus Jeroſolymitanæ obſidionis in univerſali omnium arborum, plantarumque vaſtatione, ac etiam aliquot poſt ſæculis ſuperſtites eſſent. Olivas addit Matthæi Verſio Perſica paulò ante laudata: addunt communiter Patres; eſtque veroſimillimum: Cùm per montem Oliveti triumphus duceretur; ex ejus arboribus, unde illi nomen adhæſit, ramos ſuccidiſſe prætereuntes: propiùs vero eſt. Ut ſileam myſticam illarum arborum ſignificationem Myſterio, quod tunc agebatur, maximè congruentem: cùm illius Regis triumphus ageretur, qui *pacificus* antonomaſticè Sacris in litteris dictus eſt; imò qui pacifici perſonam ea præſertim in occaſione ſuſtinuit.

VI. Jam, quæ poſt hæc ſubditur, paludentium turbarum acclamatio hebraicis verbis expreſſa, *Hoſanna filio David .... Hoſanna in altiſſimis*, quæ dubios, & anxios habet Interpretes de ſimplici, germanoque illius ſenſu anxiè diſputantes; nullo meliori Doctore, atque Magiſtro intelligi poteſt, quàm D. Hieronymo Hebraici idiomatis peritiſſimo. Maximè cùm elegantem ad illius interpretationem acclamationis Damaſo Romano Pontifici Epiſtolam dederit, numero centeſimam quadrageſimam quintam; cujus Synopſim in Commentarios ſuos retulit, ad Caput 21. Matthæi, quam hìc exſcribere non pigebit: *In centeſimo decimoſeptimo Pſalmo, qui manifeſtè de adventu Salvatoris ſcriptus eſt, inter cætera hoc quoque legimus*: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in ca-
„put anguli: à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis no-
„ſtris: hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in
„ea. *Statimque jungitur*: O Domine, ſalvum me fac: ò Domine, benè
„ proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini &c. *Pro eo, quod habetur in ſeptuaginta Interpretibus*, ὦ κύριε σῶσον δή: *ideſt, ò Domine ſalvum fac; in Hebræo legimus*: הושיעה נא: *quod manifeſtiùs interpretatus eſt Symmachus dicens*: Obſecro, Domine, ſalvum fac, obſecro. *Nemo ergo putet, ex duobus verbis, Græco, videlicet, & Hebræo ſermone eſſe compoſitum, ſed totum Hebraicum; & ſignificare, quòd adventus Chriſti ſalus Mundi ſit: unde & ſequitur*, Benedictus qui venit in nomine Domini. *Salvatore quoque id ipſum in Evangelio ſignificante*: Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepiſtis: alius veniet in nomine ſuo: & recipietis eum. *Necnon quod jungitur Oſanna, id eſt, ſalus in excelſis, perſpicuè oſtenditur: quòd adventus Chriſti, non tantùm hominum ſalus, ſed totius Mundi ſit, terrena jungens Cæleſtibus: ut omne genu ei flectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Hæc S. Hieronymus. Uno verbo, pia ad Deum ſupplicatio illa fuit, qua ſalvum ſibi, proſperumque ſervari Regem novum precabantur: quaſi dicerent, *O Domine, ſalva quæſo: ò Domine proſpera, quæſo*. Quod nos acclamando preſſiùs, ac ſimpliciùs dicimus, *Vivat Rex*.

In eam acclamationem prorupiſſe lactentes etiam Hebræorum pueros, & matrum mammis adhuc applicitos, facilè adducor, ut credam, non modò D. Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymii, qui id ipſum non leviter innuunt, ſuffragiis adductus; verùm etiam Chriſti Domini aucto-

ritate

Digitized by Google

ritate permotus, qui Principes Sacerdotum, & Scribas ſtupore defixos, quærenteſque: *Audis, quid iſti dicunt?* compeſcuit, repreſſitque prolato verſu Pſalmi octavi; quo prænunciatam ſuam *hanc ex ore infantium, & lactentium* profectam laudem propter inimicos apertè profeſſus eſt.

VII. Supereſt Triumphi clauſula apud Matthæum: *Et cum introivisset Jeroſolymam, commota eſt univerſa Civitas dicens: quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intravit Jeſus in Templum Dei: & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Quo loco labitur quàm turpiſſimè Adricomius in deſcriptione Terræ Sanctæ, Chriſtū prodigio quodam per portam auream Jeroſolymam ingreſſum aſſerens: tanquam hæc ſolito clauſa eſſet, & ad Chriſti adventum per miraculum derepentè patuiſſet. Unde enim habuit Adricomius, portam auream vulgò dictam ſolitò clauſam fuiſſe; cùm potiùs Jeroſolymam à monte Oliveti, & Valle Joſaphat ſubeuntibus hæc una pateret via?

Labuntur alii longè graviùs, qui Chriſtum ſtatim ingreſſum vendentes, & ementes Templo exegiſſe, & Nummulariorum menſas evertiſſe, ſibi putant: quòd ita continuata narratione ſignificare Matthæus videatur. Nec advertunt, id per figuram hyperbaton ſcriptum eſſe, inverſo Hiſtoriæ ordine, ſtudioque brevitatis, ejectionem ementium, atque vendentium cum ingreſſu in Templum fuiſſe conjunctam; ne factum altera die Chriſti in Templum ingreſſum ſecundò narrare cogeretur. De cætero tamen Marcus Matthæi breviator, atque Interpres duo hæc apertè diſtinxit; eamq; Negotiatorum ejectionem nonniſi die altera factam ſignificavit Cap. 11. v. 11. *Introivit Jeroſolymam in Templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die, cum exiret à Bethania eſuriit ...... Et veniunt Jeroſolymam: & cùm introiſſet in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in Templo: & menſas Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Ejecit porrò de Templo, hoc eſt, ex atrio Templi: nec enim Negotiatores interiora Templi ſubiiſſe putandi ſunt. Quod alias quoque fecerat Chriſtus Dominus ſub initium Euagelici Miniſterii, dum ſimiliter propè eſſet Paſcha Judæorum, ut eſt apud Joannem Cap. 20. v. 13.

Nullo autem excellentiori facinore triumphum claudere potuit, quo ſupremam in homines poteſtatem, divinamque virtutem certiùs oſtenderet; Patrum quidem judicio, atque ſententia: *Plerique arbitrantur, maximum eſſe ſignorum, quòd Lazarus ſuſcitatus eſt: quò cæcus ex utero lumen acceperit: quòd ad Jordanem vox audita ſit Patris: quòd transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilibus eſſe, quòd unus homo, & in illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua; potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus:* D. Hieronymi verba ſunt in Cap. 21. Matth. à Ruperto Abbate exſcripta lib. 3. in Joannem, non longè ab initio.

VIII. Neque illud Myſterio vacare putandum eſt, quòd ad Chriſti

triumphalem ingreſſum, quærentibus Jeroſolymæ Civibus: *quis eſt hic?* populi comitatum facientes, & acclamantes repoſuerint, *Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galileæ*. Eo quippe reſponſo, non modò ad interrogata ſatisfecerunt; Jeſum Prophetam antonomaſticè dictum profitentes è Deo promiſſum Moyſi Deuteronomii Cap. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi*; verùm etiam invectam à Scribis, & Phariſæis traditionem, neſcio quam, falſi convicerunt; qua nihil boni à Nazareth prodire poſſe dictitabant: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Joannis 1. v. 46. nullumque à Nazareth Prophetam oriturum unquam effutiebant; Joannis 7. v. 52. *A Galilæa Propheta non ſurgit*. Ex quo enim Jeſum hunc tot prodigiis celebrem, tot portentis illuſtrem à Nazareth Galilææ, ubi & conceptus, & educatus fuerat, prodiiſſe ſignificabant; malignam traditionem calumniæ revincebant. Tametſi veterum Prophetarum exempla, Debboræ, ſcilicet, de Tribu Nephtali. Nahum Elceſeitæ, Annæ de Tribu Azer ad ſtultam calumniam retundendam ſatis eſſent.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO L.

De ultima Cœna celebratione.

I. DE ultimæ Cœnæ à Chriſto Domino peractæ celebratione hodierna prælectione, dum loquimur, nullus nobis eſt animus, eas quæſtiones attingere, quæ ad Tractationem de Euchariſtiæ Sacramento ea in Cœna inſtituto intimiùs attinent, ne falcem in meſſem alienam videamur immittere. Sed intra eos limites nos unicè continebimus, quos ſuſcepta Tractatio de Myſteriis Chriſti inter homines converſantis nobis præſcribere viſa eſt. Ut nimirum de quatuor dumtaxat Cœnæ hujus occaſione diſputemus; puta de die celebrationis illius, de Commenſalibus, de loco, ac de modo Cœnæ peractæ. Quibus explicatis, nihil ultra nobis reliquum erit.

II. Primam, potiſſimamque de die peractæ Cœnæ Quæſtionem celebrem fecit Eccleſiæ Grææcæ à Latina diſciſſio. Cum enim conſentiant univerſi, Chriſtum ea ultima Cœna Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe, ac in illo ipſo pane confeciſſe, quem tunc cœnando in uſum adhibuit; Græci, ut ritum ſuum, quo celebrant in fermentato, Chriſti Domini exemplo confirment, toto pectore, animoque contendunt, Chriſtum mortis ſuæ præſcium, quæ illi de ipſo Paſchatis inferenda erat, Paſchatis celebrationem antevertiſſe; ſeu ante diem ex Lege præſcriptam, Paſcha Judaicum celebraſſe: verbis, videlicet, freti Joannis Cap. 13. v. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexiſſet eos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Et Cœna facta &c.* Hincque colligere ſibi putant, Chriſtum non in Azimo, ſed in fermentato pane celebraſſe: cùm uſus Azimorum à Paſchate tantùm inciperet, quæ ob id ipſum *prima dies Azimorum* dicebatur.

Non eſt hic animus, ut præmonui, de licito, aut illicito fermentati, aut azimi uſu diſputare. Dicam tamen obiter, Græcos nihil propterea confecturos, etſi, quod ſummo ſtudio adſtruere ſatagunt, ultrò illis citroque concederemus. Si etenim Chriſtus mortis ſuæ præſcius Paſchatis celebrationem anteoccupaſſet, pari quoque ratione Azimorum comeſtionem antevertiſſet: cum hæc ipſa Paſchalis ritus pars magna eſſet; nec niſi cum panibus azimis Agnus Paſchalis comedendus eſſet. Liquet id exemplo diſertiſſimo: ſi cui enim fortè fortuna contingeret, Paſchatis celebrationem differre in menſem alterum, in menſem quoque alterum Azimorum comeſtionem differebat; ut nonniſi cum Azimis Paſcha comederet. Diſertiſſima Legis verba ſunt Numerorum Cap. 9. v. 10. *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciet Phaſe Domino in menſe ſecundo quartadecima die menſis ad veſperam: cum azimis, & lactucis agreſtibus commedent illud.* Si ergo Chriſtus vice verſa Paſchatis celebrationem præoccupaſſe, Azimorum quoque comeſtionem prævertiſſet.

Atque

Atque ita, quidquid rei fuerit, Chriſtus in Azimo celebraſſe convincitur.

III. Sed & hoc ipſum falſum omninò eſt, quod tanto ardore Græci contendunt: certoque certius eſt, Chriſtum Dominum Paſchatis celebrationem nequaquam antevertiſſe; ſed hac ipſa die celebraſſe, qua Judæi ipſimet celebrarunt, quæque ex Legis præſcripto definita erat: nempe Luna 14. primi Menſis ad ſecundam veſperam quæ eſt prima veſpera Lunæ 15., ut habetur Levitici Cap. 23. v. 5. & 6. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt: & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas Azimorum Domini eſt: ſeptem diebus azima comeditis*. Quod idem pariter legitur Numerorum Cap. 28. v. 16.

In hoc planè conveniunt tres Euangeliorum Scriptores, qui Chriſti Diſcipulos hac ipſa die Azimorum Paſcha manducandum eidem præparaſſe fuerunt; non diem ipſam præoccupaſſe. Matthæus Cap. 26. *Prima autem die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paramus tibi comedere Paſcha?* Marcus Cap. 14. *Primo die Azimorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Lucas Cap. 22. *Venit autem dies Azimorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Quid itaque ob verba Joannis ſubobſcura, quæque facilè in eumdem etiam ſenſum flecti poſſunt, lucidiſſima, diſertiſſimaque Matthæi, Marci, & Lucæ teſtimonia poſthabeamus, debitumque Paſchatis diem præoccupatum obtendamus? Eò vel maximè, quòd nulla Chriſto Domino ratio eſſe poſſet, præſcriptam à Lege celebrandi Paſchatis diem antevertendi. Ponamus enim, Chriſtum mortis ſuæ præſcium dignoviſſe, non poſſe ſe Judaicum Paſcha præfinito tempore celebrare; nulla ei celebrandi neceſſitas incumbebat: cum needum tunc præceptum urgeret, quod ea dumtaxat ſtatuta die obligabat. Et quidem ex Lege ſtatutum erat, Numer. Cap. 9. v. 10. ut ſi quis legali aliqua immunditia impeditus, aut procul à gente ſua poſitus menſe primo Paſcha celebrare non poſſet, celebrationem differret in menſem alterum: at nuſpiam ſtatutum erat, ut qui præſcripta Paſchatis die ſe crederet moriturum, celebrationem Paſchatis anteverteret. Quanta enim dubitatione, & hæſitatione Judæorum animi æſtuaſſent, ſiquod hujuſmodi mandatum extitiſſet. Sed & ex ipſo Euangelii textu perſpectum eſt, Apoſtolos ſponte ſua Chriſtum Dominum de celebrando hac ipſa die Paſchate compellaſſe: Matth. Cap. 26. *Prima die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* antequam ullam mortis hac ipſa feſta die illi inferendæ notitiam haberent: id enim inter cœnandum dumtaxat illis aperuit, fore, ſcilicet, ut hac ipſa nocte traderetur ad mortem. Non itaque inſtantis mortis occaſio ad præmaturam Paſchatis celebrationem adduxit.

Hùc adde, Chriſtum unà cum Diſcipulis Paſcha Judaicum celebraſſe. Si itaque celebrationis diem antevertit ille, ii quoque cum eo anteverterunt. Ecquæ verò illis antevertendi ratio fingi poteſt? Neque enim ipſo die Paſchatis præſciebantur cum Domino morituri, qui re ipſa mortui cum-

cum illo non iunt. Si autem Chriſtus, ut erat Legis Dominus, ita ſibi faciundum exiſtimavit, altiori ratione ductus, atque conſilio; ſolitamque Paſchatis diem præter legem, & inſtituta Majorum pro nutu, atque arbitrio antecedit; annon inde Judæi offenſionem paſſi eſſent, & inſtaurandæ in illum criminationis occaſionem arripuiſſent, cum illos res ipſa latere non poſſet? Quique de violatis per Diſcipulos ejus vel inanibus, futilibuſque traditionibus ſæpiùs querebantur; ut quod illotis manibus manducarent; quomodo de violato ſolemniter capitali mandato tacuiſſent? Quo jure etiam, quave audacia pater-familias, ad quem Chriſtus Diſcipulo, miſerat, Paſcha apud ipſum manducandum paraturos, cœnaculum ſuum ad illud die non legitima peragendum præbuiſſet; hancque ipſam Legis violationem apud Judæorum Principes excuſaſſet?

Quid plura? Cum Agnus Paſchalis mactandus eſſet in Templo; nec comedi omninò poſſet, niſi ſanguine ejus ad Altare à Sacerdotibus ſparſo, & adipe combuſto: Deuter. 16. v. 5. *Non poteris immolare Phaſe, in qualibet urbium tuarum, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus; ut habitet nomen ejus ibi*: ſi Chriſtus Paſchatis comeſtionem antevertiſſet; certè, aut Agnum non immolatum comediſſet, adeòque Legis Moſaicæ ſummam violaſſet; imò ne Paſcha quidem comediſſe putandus eſſet: aut Agni Paſchalis immolationem ad Chriſti gratiam Sacerdotes anteoccupaſſent: quod quis credat? Summum quippe, ac publicum nefas erat, Paſcha non juſto tempore, & loco mactare: quo ſe crimine implicare voluiſſe Sacerdotes, ut Chriſto, quem ſummè oderant, rem gratiam facerent, non eſt veriſimile.

His adjunge unanimem Sanctorum Patrum, non modò Latinorum, ſed & Græcorum aſſenſum, Chriſtum ſtatuta, ac definita per Moyſem die Paſcha Judaicum celebraſſe, firmiter aſſerentium: quibus primus omnium, quod ſciam, refragatus eſt Eutymius Zigabenus Monachus duodecimo ſæculo ineunte in Commentariis in Matthæum; novamque, ut Græcis Schiſmaticis ſuffragaretur, viam aperuit. Certè in ea prægravi controverſia de certo celebrandi Chriſtiani Paſchatis die, quæ è ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo, univerſam Eccleſiam per annos ampliùs trecentos exercuit; Aſiaticis Luna 14. Martii unà cum Judæis celebrandum contendentibus, & Chriſti exemplo ſententiam tuentibus: nullus Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum inventus eſt unquam, qui Chriſtum Luna 14. cum Judæis re ipſa celebraſſe negaverit, ſpecioſumque illud Aſiaticorum fundamentum falſi convicerit: ſed aliis longè quæſitis momentis Quartodecimanos impugnarunt. Adeò, ſcilicet, in univerſa Eccleſia illud certum, indubitatumque habebatur, Chriſtum Luna 14. ad ſecundam veſperam unà cùm Judæis Paſcha Judaicum celebraſſe. Alias tam expeditam diruendi præcipui Quartodecimanorum fundamenti viam minimè neglexiſſent.

IV. Quæ cum ita ſint, recitatum ſuprà Joannis Evangelii dictum *ante diem feſtum Paſcha*, quod potiſſimum novi ſyſtematis fundamentum eſt, ita accipere oportet; ut nihil à Matthæo, Marco, & Luca diffideat; ac ne Chriſtus celebrationem Paſchatis antevertiſſe exiſtimetur.

Quod

Digitized by Google

Quod ut commode fiat, obſervare neceſſe eſt, apud Judæos olim, uti & nunc apud Chriſtianos, alios fuiſſe dies ſacros celebrandis ſolemnitatibus dedicatos; alios naturales ex naturæ lege diſtinctos; alios demùm artificiales faciendo quotidiano operi deſtinatos. Dies ſacri à veſpera ad veſperam, uti nunc in Eccleſia Catholica, ducebantur: Levitici Cap. 23. v. 32. *A veſpera ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra*. Dies naturales à media nocte incipiebant, & ad aliam mediam noctem deſinebant. Dies artificiales ab aurora ad auroram. Cujuſque autem diei duplex pars diſtinguebatur; nocturna, ſcilicet, & diurna. Pars nocturna in quatuor vigilias dividebatur à ſolis occaſu ad ſolis ortum: quarum quælibet ternas horas complectebatur. Pars diurna in quatuor horas dividebatur, primam, tertiam, ſextam, & nonam: quarum quælibet horis etiam ternis coaleſcebat. Prima incipiebat ab ortu Solis durabatque tres horas; quibus finitis, incipiebat tertia, quæ & totidem horis durabat, ſcilicet, uſque ad Meridiem. A Meridie ſexta hora inchoabatur, & tribus poſt Meridiem horis finiebatur: tum incipiebat hora nona, durabatque uſque ad veſperam, unde noctis vigiliæ ducebant exordium. Quia verò pro varia anni tempeſtate dies, nocteſque magis, minùſve, aut arctantur, aut producuntur; idcirco Hieme vigiliarum horæ longiores erant, diurnæ arctiores: contrà verò Æſtate longiores erant horæ diurnæ, arctiores verò nocturnæ: numquam tamen numero plures, pauciores ſve cenſebantur. Sic ergo, ut ad rem ipſam, de qua nunc agitur, accedamus; Chriſtus Dominus Cœnam Paſchalem egit juxta Joannem *ante diem* naturalem Paſchæ à media nocte incipientem: *ante diem* pariter artificialem Paſchæ ab aurora initium habentem: non autem ante diem ſacrum, qui à priori veſpera ducebat exordium: ſed hoc ipſo die ſacro jam inchoato, ſeu cæpta jam Azimorum die, ut alii Euangeliſtæ tres atteſtantur. En tibi ſolutum ænigma, quin novum idcircò ſyſtema comminiſci neceſſe ſit, quòd cum Matthæi, Marci, & Lucæ narrationibus conciliari nulla ratione poteſt.

Ejuſdem ænigmatis ſolutionem aliam alii proferunt: qui Joannem de die ipſo ſacro ita locutum concedunt ut tamen ea voce, quæ in Græco Textu extat, *πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα*, hoc eſt, *pridie Paſchatis*, primam diei ſacri Paſchatis partem intellexerit: & *πρὸ τῆς ἑορτῆς* poſuerit dilectus Apoſtolus, pro τὸ προεόρτιον, quòd nimirum ita feſtum præcedit, ut tamen ſit feſti pars, videlicet, prior. quemadmodum πρόλογος pars eſt orationis, πρόδομος pars domus, προάστειον pars urbis, προτείχισμα pars muri. Quare quæ in ipſo feſti exordio contigere, hanc incongrue Græca phraſi eveniſſe ſunt dicta πρὸ τῆς ἑορτῆς.

Æqua facilitate diluitur momentum alterum, in hunc fermè modum efferri ſolitum à Græcis, ut Chriſtum Paſchatis manducationem auteoccupaſſe demonſtrent. Qua die, inquiunt illi, Chriſtus à Judæis ductus eſt in Prætorium judicandus à Pilato, atque damnandus, Agnus Paſchalis à Judæis comedendus erat: Judæi enim, ut Joannes obſervat, Cap. 18. v. 28. *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: at Chriſtus veſpere præcedenti Cœnam paſchalem manduca-

Digitized by Google

ducaverat, ut ex Euangelii narratione compertum eſt: ſolitum itaque manducationis diem antevertit. Totum id, tametſi à nonnullis altius exaggeratum, futile eſt, & inane. Falſum enim eſt, Agnum Paſchalem à Judæis edendum fuiſſe, qua die Chriſtus ab eis ductus eſt in Prætorium; cùm potiùs ab eis veſpera præcedenti comeſtus eſſet. Quod verò à Joanne obſervatum eſt, eos in Prætorium non introiiſſe, *ut non contaminarentur, ſeu ut manducarent Paſcha*; non de ipſomet Agno Paſchali comedendo venit intelligendum, ſed de aliis cibis Paſchalibus; mactatis, ſcilicet, victimis de bobus, & ovibus, de quibus ſermo eſt Cap. 16. Deuteron. v. 2. quibus per dies ſeptem veſcebantur: qui eo perinde *Paſcha* nomine vocabantur, nec niſi à Judæis omninò mundis poterant manducari. Quare veriti Judæi Chriſtum circumducentes, ne, ſi in viri gentilis, atque ita prophani, domum ingrederentur, immundi fierent, eſuque ciborum Paſchalium prohiberentur; Jeſum quidem in Prætorium Pilati ſubmiſerunt, non ipſi tamen introierunt.

Imò ex illis ipſis objectis Joannis verbis invictè prorſus oſtendo, de immolatione, & manducatione Agni Paſchalis ſermonem illic eſſe non poſſe. De eo quippe Paſchate ſermo illic eſt, à cuius immolatione, & manducatione Judæi prohibiti fuiſſent, ſi fortè ex ingreſſu in Prætorium legalem immunditiam contraxiſſent: at ubi major Sacerdotum, ac populi pars immunditiam legalem aliquo caſu contrahebat, non propterea Judæi ab immolatione, & manducatione Agni Paſchalis prohibebantur; propterea quod hæc neceſſitatis eſſet, atque præcepti, deberetque definito tempore fieri: (quamquam ſi paucorum privatorum immunditia eſſet, ii Agni Paſchalis immolationem, & comeſtionem transferrent in menſem alterum:) non itaque de immolatione, & manducatione Agni Paſchalis ſermo illic eſt; ſed de manducatione aliorum ciborum immolatorum, quæ paris neceſſitatis non erat, neque præcepti. Liquet id totum ex Judæorum Miſna, Tractatu *Temura* Cap. 2. *In totius populi Sacrificiis offerendis non attendebatur, ſi fortè major Sacerdotum, aut populi pars eſſet immunda: ſed nec propter hoc emittebatur: quia hujuſmodi Sacrificia determinatum tempus habebant; quo elapſo, nulla ampliùs erat offerendi opportunitas*. Et Tractatu *de Paſchate* Cap. 7. *Quinque ſpecies erant publicorum Sacrificiorum, quæ perinde offerebantur ab immundis, dummodò publica eſſet immunditia, nempe majoris partis populi, vel Sacerdotum*. Quo numero primo loco ponitur Agni Paſchalis immolatio. Unde paucis interjectis additur: *Agnus Paſchalis immolabatur etiam cum immunditia, modò tamen majoris partis immunditia eſſet. Dum enim privati pauculi immundi erant, ii Agni Paſchalis immolationem in menſem alterum differebant*. Paſchatis itaque nomine, quod ut manducare Judæi poſſent, ab ingreſſu in Prætorium abſtinuerunt, Agnum Paſchalem à Joanne fuiſſe intellectum, impoſſibile eſt: cùm & hunc, immundi licèt, manducare potuiſſent, ſed utut maximè reliquas victimas toto Paſchali ſeptiduo ſolitas manducari.

VI. Reclamant, fateor, nec ſinè ſtomacho, Joſephus Scaliger, Ludovicus Capellus, aliique nonnulli; qui reliquas dierum illorum Victimas, quibus Judæi toto ſeptiduo veſcebantur, nuſquam Sacris in litteris

Digitized by Google

Paſchatis nomine appellatas fuiſſe contendunt; idque nominis ſoli Agno Paſchali ſignificando fuiſſe ſacrum. At nauſeantis ſtomachi faſtidium ſolvet Cap. 16. Deuteronomii, ſi diligenter obſervetur. Ecce enim v. 2. in Vulgata noſtra legitur: *Immolabis Phaſe* (hoc eſt Paſcha) *Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Cui congruit Textus Syriacus: *Macta igitur Paſcha Domino Deo tuo ex ovibus, & ex bobus &c.* Arabicus pariter: *Macta autem Paſcha Deo Domino tuo de ovibus, & unà cum de bobus &c.* Chaldaica quoque Paraphraſis Onchéloſi: *Immolabis Phaſe coram Domino Deo tuo de ovibus, & Victimam ſanctificatam de bobus.* Ubi certè *Phaſe*, ſeu *Paſchatis* nomen generalis appellatio eſt, qua, & oves, & boves in ſolemnitate Paſchali mactandi, & ſeptiduo illo manducandi ſignificantur. Sed etſi hunc ipſum Deuteronomii locum eo legeremus modo, quo Proteſtantes Hebraicæ locutionis tenaciores legere malunt, *Mactabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves*; idem perinde colligeremus: Paſchatis, ſcilicet, nomen ovibus, & bobus perinde datum, qui in ea quoque ſolemnitate mactabantur. In hac enim propoſitione τὸ *Paſcha* generale veluti nomen eſt, cui oves, & boves ea in occaſione mactandi tamquam ſpecies ſubjiciuntur: non aliud eſt Paſcha, aliud oves, & boves. Uti plane dum lib. 1. Paralipomenon Cap. 29. v. 2. dicitur, *Obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille;* priori profectò *holocauſti* nomine, tamquam generali appellatione comprehenduntur, quæ ſubinde peculiaribus ſuis nominibus deſignantur. Et 2. Paralip. Cap. 7. v. 5. dum dicitur, *Mactavit Salomon Rex hoſtias, boum, arietum centum viginti millia*; generali *hoſtiarum* nomine boves, & arietes tanquam ſubiectæ ſpecies deſignantur: non aliud hoſtiæ ſunt, aliud arietes, boveſque mactati.

Confirmat hoc idem multò magis verſiculus 3. ejuſdem Capitis 16. Deuteronomii cum ſecundo conjunctus, in Textu Hebraico, Samaritano, Syriaco, ac etiam in Verſione ſeptuaginta Interpretum: *Paſcha*, ſcilicet, nomine perinde vocari quaſcumque victimas, quæ Paſchali ſeptiduo à Judęis comedebantur. Sic enim Textus Hebraicus adamuſſim: *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo, ovem, & bovem in loco, quem elegerit Dominus, ad habitare faciendum nomen ſuum ibi. Non comedes ſuper eo fermentatum: ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum, panem afflictionis*. Sic Hebræo-Samaritanus: *Sanctificabis autem Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitaret ibi nomen ejus: Non comedetis cum eo fermentum: ſeptem diebus comedetis cum eo azima, panem afflictionis*. Ita Syriacus: *Macta igitur, Paſcha Domino Deo tuo, ex ovibus, & ex bobus &c. ne comedas cum eo fermentatum: ſed ſeptem diebus comede cum eo azimum, panem humilem*. Ita demum Septuaginta Interpretes: *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, &c. Non comedes fermentatum ſuper illud: ſeptem diebus comedes ſuper illud Azima panem afflictionis.* Ex quibus invictum iſtud argumentum elicio, nulla unquam cavillatione eludendum. Id, *cum quo & ſuper quod* per ſeptiduum comedendi præcipiuntur panes azimi, *Paſcha* diſertiſſimè dicitur: At per ſeptiduum panes azimi cum victimis de bobus, & ovibus comeduntur, non cum Agno Paſchali: Agnus enim Paſchalis

ſola

Digitized by Google

ſola prima Azimorum veſpera, ſeu nocte totus erat comedendus, ac ſiquid illius ſupererat, ante auroram comburendum erat, Exodi 12. v. 10. Victimæ igitur de bobus, & ovibus *Paſcha* quoque eo loci vocantur a Moyſe: ut propterea de iis a Joanne merito dictum ſit, *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: hoc eſt, non introierunt in domum Prætoris viri gentilis, atque ita prophani, ne immundi ex Lege fierent; neve ea de cauſa, eſu victimarum Paſchalium prohiberentur. Quamquàm aliundè nil dubitandum, Agnum potiſſimam illius ſolemnitatis victimam primo omnium loco, ac ſanctiori ritu edendam, *Paſchatis* nomine frequentiùs ſacris in Litteris deſignari; imò præcipuum eſſe *Paſcha*, propter quod etiam cœteræ victimæ *Paſcha* dicuntur.

VII. Levioris longè momenti eſt, quod ex Capite 19. Joannis v. 14. à multis objicitur: Chriſtum mortuum dici *in Paraſceve Paſcha*: hoc eſt, ut ipſi quidem interpretantur, qua die Judæi ſua omnia ad Paſchatis celebrationem præparabant; id enim *Paraſceves* nomine ſignificatum arbitrantur, quod præparationem Hebraicè ſonat. Præpoſtera quippe interpretatio illa eſt, ex qua profectò conſequens eſſet, Chriſtum ante præfinitam diem Paſcha cum Diſcipulis manducaſſe. Illud itaque Paraſceve, de quo Joannes, iddircò *Paraſceve Paſcha* dictum eſt, non quòd in eo fieret præparatio ciborum Paſchalium; ſed quòd anno illò, quo paſſus eſt Chriſtus, in ipſum diem Paſchatis incidiſſet Paraſceve; reſque tunc pro ſubſequenti Sabbatho præpararentur. Unde Marcus Cap. 15. ait: *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbathum*: non quod eſt ante Paſcha. Neque verò mirandum, quòd illo ipſo Paſchatis die res ad ſubſequens Sabbathum Judæi præpararent. Quamquam enim Paſchalis feſtivitas ratione ſolemnitatis maxima omnium eſſet, in ea tamen præparare licebat, quæ ad cibos pertinerent. Unde Exodi 12. v. 16. de primo, & ſeptimo die Azimorum, qui præ reliquis ſolemnes habebantur, dicitur, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*; quod tamen die Sabbathi præſtare erat illicitum. Iccircò dies Paraſceves, ſeu præparationis ad Sabbathum inſtituta erat: nulla tamen dies erat Paraſceves, ſeu præparationis ad Paſcha. In phraſi itaque Joannis, *Paraſceve* ipſa dies Veneris eſt, ſeu feria ſexta, quæ eo apud Judæos nomine vocabatur. Inquam, cum illo anno feſtum Paſchatis incidiſſet, *Paraſceve Paſchæ* dicta eſt eo plane modo, quo & *Dominica Paſchæ*, & *Dominica Pentecoſtes* dicuntur à nobis: quia & in Dominicam Paſcha, & in Dominicam incidit Pentecoſte.

At inquis fortaſſe mihi: Dies ipſa Sabbathi, quæ Chriſti mortem proximè ſecuta eſt, magna vocitatur v. 31. ejuſdem capitis Joannis: *Erat magnus dies ille Sabbati*: non alia de cauſa, quàm quòd in Paſchatis diem incideret: ante Paſcha igitur mortuus eſt Chriſtus, eodemque titulo ante Paſcha ſuam ipſe Cœnam celebravit. Verùm & hoc, purum, putumque figmentum eſt. Alia quippe de cauſa *magna* dicta eſt ea Sabbathi dies, quam quòd cum Paſchatis Feſto concurreret; ſed ob id ſolùm, quòd infra dies Paſchales, in ſecundam, ſcilicet, Azimorum,

diem incidiſſet: cum ob id ſolùm majori, quàm alia Sabbatha celebritate coleretur. Uti ſeptima Scenopegiæ dies *magna* dicta eſt ab eodem Joanne Cap. 7. v. 37. non ob gemini feſti concurſum, ſed quòd in ea Cœtus Sacrorum cauſa vocaretur. Non eſt tamen exiſtimandum, majorem fuiſſe Sabbathi hujus ſolemnitatem, quàm Paſchatis; quamquam damnatorum corpora in Cruce Sabbatho illo remanere Judæi nollent, quæ ipſo Paſchatis die per aliquot ſaltem horas in cruce pendere permiſerant. Quòd enim ipſo Paſchatis die, tametſi ſolemniori, pependerint, neceſſitas fecit; ut debita pœna malefici plecterentur, utque ad cœterorum exemplum totius populi oculis objicerentur. Quòd verò non ultra, ſubſequente Sabbatho, in Cruce relinquerentur, cùm nulla id neceſſitas poſtularet, ſolemnitati, tametſi minori, datum eſt. Præſertim cùm alia lata lex eſſet, Deuter. 21. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti ſuſpenſus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur.*

VIII. Eccur ergo, repones, Judæi in Concilio ſuo decreverant, Chriſtum non eſſe ipſo die Paſchatis occidendum: Matth. 26. *Dicebant autem, non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo?* Si enim, quod aimus, Chriſtus ſtatuto ex Lege tempore Paſcha ſuum manducavit, ad primas, ſcilicet, Veſperas, ipſo die Paſchatis fuit occiſus. Obvia Reſponſio eſt, Judæos ita quidem deliberaſſe, aut etiam ſtatuiſſe ante biduum, dum *Concilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent*; idque uti rem apprimè congruentem, oborto ſeditionis metu: poſtmodùm tamen, nacta opportunitate ex traditione Judæ, nocte ipſa ſolemnitatis Paſchalis mutaſſe conſilium; Jeſumque hac ipſa die ad mortem poſtulaſſe: ne fortè, ſi res traheretur in longum, Jeſus ipſis elaberetur. Certè Chriſtum, mutato Judæorum conſilio, ipſo Paſchatis die, non in pervigilio fuiſſe occiſum, etſi quæ diximus hactenùs ſatis probant; evincit multò magis Pilati Judæos tunc compellantis loquendi forma, Joannis 18. v. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Paſchatis ergo dies erat, dum judicium Pilatus exerceret: hac autem ipſa die, & lata ſententia, & executioni demandata eſt. Idque ex Judæorum moribus omninò erat, ut ſontes inſigniores, (quo numero Chriſtum habebant) diebus ſolemnioribus plecterent; ſiqua R. Moyſi Maimonidi fides eſt lib. Hilkot Cap. 4. *Reum ad feſtum uſque cuſtodiunt, & ipſo feſto ſtrangulant: quia dictum eſt Deuteron. Cap. 17. v. 13. Et omnis Iſrael audiet, & timebit*: quia numeroſioris tunc conventus fieri ſoliti erant. Quare quod ante dies aliquot in Concilio, ſeu ſtatutum, ſeu ſimpliciter ab aliquibus dictum fuerat, ut ne in die feſto Chriſtus occideretur; præter uſum, & conſuetudinem erat, ne fortè illius cauſa tumultus in populo fieret: à quo idcircò, ſeu ſtatuto, ſeu dicto moribus repugnante reſilire facilius fuit. Neque obeſt, ſi fortè dixeris, Joſephum ab Arimathæa virum religioſum, ac pium Chriſti corpus die ipſo Paſchatis (ſi tunc Cruci ſuffixus eſt) de Cruce non fuiſſe depoſiturum, tumuloque daturum; ne diei ſolemniſſimæ quietem interturbaret; neve immunditiam legalem contraheret; de qua Numer. 19. legitur: *Qui tetigeris*

gerit cadaver hominis, propter hoc ſeptem diebus erit immundus Probè enim Joſephus noverat, pio, ac religioſo charitatis officio ſacræ diei quietem nequaquàm interturbari; meliorque cæteris Judæi Legis interpres erat, ut ſciret, *licere etiam Sabbathis benefacere*: Matth. 12. v. 12. Nec verendum illi erat, ne ex Dominici Corporis tactu immundus per Legem fieret: (ſi tamen locum hic etiam habebat Moſaicum edictum:) uti nec legalis hujus immunditiæ contrahendæ metus religioſiſſimum Tobiam à pio illo charitatis officio defunctis contribulibus impendendo, diebus etiam ſolemniſſimis, avertebat, Tob. 2. Quia immunditia illa legalis ex cadaverum contagione à Judæis contrahi ſolita vitioſa non erat, atque culpabilis; ſed merum dumtaxat impedimentum erat, ne per ſeptem dies Sacra tractarent: ad eum ſanè modum, quo nunc in Eccleſia Chriſti ex actibus interdum bonis, ac juſtis contrahitur Irregularitas. Quemadmodum & Judex ſententiam capitis ferens, tametſi juſtiſſimam, fit irregularis: quam fortè ni ferret, violati juris, & æqui reus eſſet.

IX. Ultimum, quod urget hic Scaliger, non attingo: ex priſca, ſcilicet, Eccleſiæ traditione, quam etiam Baronius agnoſcit, certò conſtare; quo anno paſſus eſt Chriſtus, Pentecoſtem in Dominicam incidiſſe: quod utique evenire non potuit: niſi in diem Sabbathi Paſcha inciderit, cùm dies quinquaginta ad Pentecoſtem uſque numerandi à ſecunda Azimorum die exordium dicant: quæ, ſi in Sabbathum inciderit, in Sabbathum quoque incidet Pentecoſte; ſi inciderit in Dominicam, in Dominicam quoque Pentecoſtem incidere neceſſe eſt. Hoc, inquam, Scaligeri momentum in præſentia non attingo, ſed expediam loco ſuo, dum de Sacra Pentecoſte ex inſtituto diſputabo: planumque faciam, Pentecoſtem re ipſa anno illo in Sabbathum; non in Dominicam incidiſſe; perperamque contrariam ea de re Eccleſiæ traditionem à Baronio *jactari*, quæ nulla eſt, aut fuit unquam. Dicam tamen interim, nihil Scaligero, ejuſque Symmiſtis Traditionem illam, qualiſcumque ſit, ſuffragari, ut anno illo Paſcha in diem Sabbathi incidiſſe colligatur. Quamquàm enim dies quinquaginta à Dominica anno illo numerari debuerint, ut ſeptima poſt Dominica complerentur; adhuc tamen à Dominica anno illo numeratos Baronius exiſtimat, non ab ipſa Sabbathi die, tametſi Chriſtum feria ſexta in Paraſceve mortuum unà nobiſcum agnoſcat: quia, inquit ille, ſecunda tunc Azimorum die in Sabbathum incidente, manipulum hac ipſa die metere non licuit, adeòque nec offerre: illiuſque, & meſſio, & oblatio in Dominicam neceſſariò translata fuit, à qua ſubinde dies quinquaginta ad Pentecoſtem ſunt numerati. Sed hanc ipſam Baronii animadverſionem expendemus loco ſuo.

X. Interea quæ à nobis dicta ſunt hactenus, palàm oſtendunt, nihil cauſæ eſſe, cur à priſca, & vulgari Patrum ſententia recedamus; Chriſtumque negemus, definita per Legem die Paſcha ſuum unà cum Diſcipulis celebraſſe. Sed quæret hic forſan aliquis, an contra Judæi ſaltem ejuſdem celebrationem Paſchatis diſtulerint in diem alteram?

Nec

Digitized by Google

Nec etenim deſunt hac ipſa ætate noſtra, qui id ſummo ſtudio contendant: ut vel hoc pacto Chriſtum altera, quàm Judæi, die celebraſſe convincant: quamquàm aliam alii dilatæ celebrationis rationem obtendant. Quia ergo nova ſeſe hoc loco aperit difficultas, non ſegniter, ac defunctoriè perpendenda; idcircò in Exercitationem alteram mittimus, majori otio unà cum reliquis ad Chriſti Cœnam ſpectantibus expediendam.

Digitized by Google

EXERCITATIO LI.

De eadem ultima Cœna celebratione.

I. IN ea, quæ tanta nunc contentione agitatur à Theologis Controverſia, ſuamnè cum Judæis poſtremam Cœnam Chriſtus Dominus celebrarit; duplici veluti cardine tota volvitur difficultas. Primò, diemnè ex lege Moſaica definitam prævertit Chriſtus, ejuſque Diſcipuli: ſecundò, diſtulerintnè Proceres Judæorum, totamque cum illis intenta nefario operi Synagoga. Si enim nec præverterunt illi, nec iſti ex oppoſito diſtulerunt; eadem profectò die utroſque celebraſſe, perſpectum eſt. Cum itaque Chriſtum definitam ex Lege diem minimè prævertiſſe, in anteacta Relectione multis probaverimus argumentis; illud nunc reliquum eſt, ut ne ipſos quoque Judæos è contrario diſtuliſſe demonſtremus. Quod utique recto ordine fiet, ſi quas quique proferunt dilatæ ab ipſis Paſchalis ſolemnitatis rationes, elumbes prorsùs, ac futiles oſtenderimus.

II. Judæos itaque diſtuliſſe, putant aliqui, ex veteri Majorum decreto, quo ſtatutum ajunt, ut ſiquod feſtum ſolemne Sabbathum nullo præcederet, aut ſequeretur medio, in Sabbathum transferretur; ac una, eademque die utraque ſolemnitate Judæi defungerentur: ne geminis continuis diebus feriantes in regione tam calida, grave à cibis, quos biduo illo recentes parare ſibi non poterant, & à mortuis, quos ſepelire n qui bant, incommodum paterentur, Eaque de cauſa Paſchalem ſolemnitatem feria ſexta anno illo recurrentem in ſubſequens Sabbathum tranſtuliſſe. Verùm & commentitium Decretum eſt, & ratio Decreti commentitia. Decretum, inquam, commentitium: cum in ipſo Thalmude *Maſſuohet ſacca*, Cap.5. ſerm fiat *de ſolemnitatibus Sabbatho conjunctis, ſive antecedant, ſive ſubſequantur, omninò celebrandis*. Quin & hoc ipſo, quem ducimus, anno 1718. Pentecoſtem Sabbatho conjunctam diſtincta die celebrarunt Judæi: ut planè geminis continuis diebus feriati ſint. Commentitia quoque allata Decreti ratio eſt: cùm & in magnis ſolemnitatibus, ac ipſa etiam Paſchatis die prima cibos ad eſum parare Judæis liceat: Exodi 12. v. 16. & mortuos ad veſperam ſepelire nil vetet, ubi in diem alteram ſepultura differri nequit: ut eſt quotidiano experimento comprobatum.

III. Diſtuliſſe Judæos volunt alii, ut in Chriſtum ipſo Paſchatis die ſævire liberiùs poſſent, judiciumque illum exercere: quia, ut eſt apud R. Moyſem Maimonidem lib. *Hilk t Sanhedrin* Cap. 11. *Judices rerum capitalium non judicant in die Paraſceve Sabbathi, aut die feſto*. Quod ſanè perperam eſt excogitatum. Quamquam enim ſecundùm leges, & conſuetudines ſuas Chriſtum Judæi ipſo Paſchatis die judicare non poſſent; quod tamen factum attinet, ipſa Euangeliorum Hiſtoria ſatis oſtendit, nihil illis in

Chri-

Digitized by Google

Chriſti capite judicando minùs curæ fuiſſe, quàm ut ritè, & ſecundùm jura, probataſque conſuetudines judicia fierent. Etenim & juxta *Maſſechet Sanhedrin* Cap. 4. *Judæi judicia capitalia tranſigunt interdiu, & finiunt interdiu*: & tamen totam noctem in Chriſti judicando capite contrivere, eumdemque profunda; & concubia nocte ad Annam, & Caipham deduxerunt, nec niſi oborto ſole ad Pilatum Præſidem rapuerunt. Adeò Chriſti cauſa ſecundùm leges, & conſuetudines Judæorum tractata non eſt. Certè Chriſtum aliàs in ipſo Encæniorum feſto, ut eſt apud Joannem Cap. 10., & in feſto Tabernaculorum, ut legitur Cap. 8., lapidibus obruere conati ſunt, nihil tantorum feſtorum religione prohibente: quid ergo mirabimus, quòd oblata demùm occaſione, eumdem in ſolemnitate Paſchali judicaverint, crucifixerint? Adde, Chriſtum in manus Judæorum à Juda proditore non fuiſſe traditum, niſi peracta jam Cœna, adeòque cœpta jam ſolemnitate Paſchali: quo tempore differri nequibat, utpote quæ jam à nobiliori ſui parte exordium habuiſſet.

IV. Demùm diſtuliſſe Judæos, contendit Gerhardus Voſſius Differt. 2. de temp. paſſionis §. 14. aliique cum illo propterea quòd aliam à Chriſto Domino computandæ diei Paſchalis rationem iniiſſent. Quod ita factum exponit vir aliàs eruditiſſimus: *Legimus apud Antiquos, quomodo Judæi, ante receptos Cæſaris faſtos, obſervarint veros Lunæ motus, & Neomenias attenderint* ἀπὸ τῆς φάσεως, *ſive à viſione ejus prima: faſtis verò iis ex Auguſti mandato receptis, numerarint ſecundùm medios Lunæ motus, & ſyderis utriuſque exitus. Quippe Julius Cæſar Equinoctium, quod ante à Judæis tertia Aprilis die ſtatuebatur, fixerat in vigeſima quinta die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi Menſis præverteret Æquinoctium, Paſchalem diem non agebant feſtum; ſed expectabant, donec foret Æquinoctium, & poſt illud demum, hoc eſt, ſimul ac Sol ſignum Arietis ingredi cœpiſſet, Paſcha comedebant. Chriſtus proinde ex lege Moſaica obſervavit veſperam diei decimæ quartæ Niſan: ſed Judæi proceres, quia tum nondum foret Æquinoctium, diſtulere in diem proximum: ut ita poſt Æquinoctium feſtum agitarent diem Paſchatis ſecundùm conſuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent*. Atque hinc mirè eluxiſſe divinam providentiam, ſubjungit Voſſius; quòd, cum alio die Chriſtus, alio proceres Judæi Paſcha celebrarent; ita factum ſit, ut qua die typicus Agnus erat edendus ex lege Moſaica, verus Agnus oblatus fuerit à Judæis, atque ita veritas typo optimè reſponderet.

Egregiè, ſcilicet, dictum, at nihil hìc à Voſſio probatum video. Probandum Voſſio ejuſque gregalibus eſſet, Judæos jam tum à Chriſti Domini ætate Cæſaris faſtos recepiſſe; eamque conſuetudinem Anni more Romano computandi ea jam ætate tenuiſſe: quod illi non modò non probant, ſed conſtat inſuper eſſe falſiſſimum. Secundùm enim hanc computandi rationem, quæ poſt everſam Jeroſolymam per multa jam ſæcula apud Judæos obtinuit, numquam Paſcha incidit in ſecundam, quartam, & ſextam feriam: ut ex illorum canonibus liquet, ipſoque experimento probatum habent. Aben Ezra autem in Commentario in Exodum Cap. 23. ingenuè fatetur, *In Miſna, & in Thalmude exempla haberi, quibus probari poteſt, Paſcha incidiſſe in ſecundam, quartam, & ſextam feriam.*

Non-

Nondum itaque Chriſto in terris agente, imò nec tunc primùm, dum conſarcinatum eſt Thalmud, ea computandi diei Paſchatis ratio apud Judæos obtinebat. Probandum pariter Voſſio eſſet, quo anno paſſus eſt Chriſtus, decimamquartam Lunam primi menſis, ad cujus veſperam Chriſtum Dominum Paſcha ex lege comediſſe fatetur, Æquinoctium prævertiſſe: quæ res Judæis differendi Paſchatis cauſa fuerit. Quod tamen nec probat ille, nec ullus unquam certò probabit Aſtronomus. Quamquàm enim ex ſyderalis ſcientiæ legibus, certiſque Lunæ, ac Solis motibus diligentiſſimè obſervatis, reducto ordine retrogrado Calendario, retegi certò poſſit, in quam Lunæ diem ſingulis annis per omnia retrò ſæcula inciderit Æquinoctium; incertis tamen eſt ſæculi annus, quo paſſus eſt Chriſtus, ut ſuo probabimus loco: quo ex uno tamquam primo fundamento tota computationis ratio pendet. Quod demum ſubjungit Voſſius, Chriſto Domino ad primas Paſchatis Veſperas, ut ipſe quidem autumat, crucifixo, factum eſſe, ut qua die typicus Agnus à Judæis edendus erat, verus Agnus in Cruce oblatus fuerit à Judæis; atque ita veritas typo optimè reſponderit: id, inquam, nec multum urget, nec eſt omninò verum. Non urget, quia rationes illæ omnes ex typorum cum veritate conſonantia petitæ rem quidem, ſi fiat, congruentem oſtendunt; factam nihilominùs non evincunt: cùm veritatem typo in omnibus, ac per omnia reſpondere neceſſe non ſit. Nec verum omninò eſt, quod tam ingenioſè putatur excogitatum. Quandoquidem hac ipſa in hypotheſi, Chriſtus ad primas Veſperas Paſchatis à Judæis non cenſeretur occiſus; ſed intra eam diem, qua necdum typicus Agnus edendus fuiſſet. Hora quippe Judaico more ſexta Chriſtus in Crucem eſt actus; nona demum extinctus: treſque ad diei clauſulam horæ ſupererant, antequam dies altera, quam Paſchalem Voſſius autumat, à primis Veſperis initium caperet. Non itaque ea in hypotheſi typo veritas reſpondiſſet. Rectiùs longè in ſyſtemate noſtro veritas typo reſpondet, dum ipſo Paſchatis die Chriſtus ponitur crucifixus, peracta primis in Veſperis Cœna Judaica.

V. Quæ cum ita ſint, illud profectò relinquitur, tàm non diſtuliſſe Judæos in diem alteram Paſcha ſuum, quo anno paſſus eſt Chriſtus; quàm nec ipſe præverterat: ſed una prorſus, eademque die juxta Moſaicæ Legis edictum celebraſſe univerſos. Quod & verbis diſertiſſimis Marcus affirmat, quæ refractariolis ingeniis coercendis ſola ſufficerent, niſi impatienti novandi prurigine laborarent: *Prima die Azimorum, quando Paſcha immolabant Judæi, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? Et abierunt Diſcipuli ejus, & venerunt in Civitatem, & invenerunt, ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha.* Cap. 14. v. 12., & 16.

VI. Actum jam reagere videar, eamdemque telam novo labore redordiri, ſi invectam olim ſæculo nono, ac tum nuper quaſi è cineribus excitatam quorumdam opinationem refellere aggrediar; (vide Photium in Biblioth. Cod. 115., & 116.) qui Chriſtum dicunt, miſſa prorſus, ac minimè celebrata Judaica Cœna, Agnoque Paſchali cum ſuis minimè

 como-

comeſto, Chriſtianam dumtaxat Cœnam Corporis in conſecratione; atque diſtributione peregiſſe. Portentoſum ſanè commentum! De quo ergo Paſchate, niſi legali, locutus eſt Chriſtus, ubi Domino domus nunciari juſſit Matth. 16. v. 18. *Apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis*: & Marci 14. v. 14: *Ubi eſt refectio mea, ut Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Nec enim quid ſibi Chriſtus vellet, intellexiſſet ille, ſi de inſtituenda apud ipſum Euchariſtia dixiſſet. Sed & Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, eamdem minimè manducavit, ſed ſumendam Diſcipulis dedit: cùm tamen de Paſchate à ſe manducando renunciari juſſerit Domino domus. Cui accedit & iſtud: Chriſtum Dominum illam maximè Cœnam cum Diſcipulis manducaſſe, quam, jubente illo, Diſcipuli paraverunt, ut eſt apud Lucam Cap. 19. v. 11. *Fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha*, utique manducandum: at certo certius eſt, Diſcipulos Cœnam paraſſe Judaicam, Agnum, ſcilicet, *Paſcha* antonomaſticè dictum; Euchariſtiam enim, nec noverant tunc, ut pararent, nec ab ipſis paranda erat; Judaicum igitur cum Diſcipulis Paſcha comedit; nec niſi illo comeſto, Euchariſtiam inſtituit. Sed quid ultra opus eſt verbis? cùm mole ſua jam ruat malè natum, audaxque commentum, disjectis hactenus, dirutiſque momentis omnibus, quibus à ſuis nunc defenſoribus ſuperſtruitur? Non alia quippe de cauſa factum putant, ut Judaicum Paſcha Chriſtus omitteret anno illo, quàm quia illum non in Paſchate ipſo, ſed in Paſchatis pervigilio Cruci ſuffixum exiſtimant: quo tempore, cùm nondum illi celebrandi Judaici Paſchatis incumberet obligatio; non illud quidem celebravit, ſed ſuum dumtaxat inſtituit. Quod cùm ſuperiori prælectione falſiſſimum eſſe probaverimus, variaque Euangelii loca ad id evincendum, à Græcis olim malè detorta, plano, rectiſſimoque ſenſui reddiderimus; non eſt cur everſum jam, proſtratumque ſyſtema novis conatibus impetamus. Nonnullas dumtaxat conſiderationes adjiciam, ad temerariæ, audaciſque ſententiæ periculum oſtendendum: ne ea ad novitatem prona ingenia rapiantur.

Primò, ingentes ſyſtema illud addere vires, auctoritatemque conciliare longè graviſſimam Græcorum Diſciplinæ, Euchariſtiam non in azimo, ſed in fermentato celebrantium. Si enim Chriſtus ſuam unicè Cœnam Corporis ſui conſecratione celebravit, non Judaicam; idque qua die nullus adhuc Judæis azimorum eſt uſus: Euchariſtiam ergo non in azimo, ſed in fermentato dubio procul inſtituit. Atq; ita Græcorum in fermentato celebrantium Diſciplina Chriſti Domini firmatur exemplo.

Secundò, publicæ Eccleſiæ profeſſioni repugnare ſyſtema illud. Ea quippe duplicem nocte illa Chriſto Domino celebratam Cœnam agnoſcit; Judaicam primùm, tum Chriſtianam: aut, ſi mavis, binas ejuſdem Cœnæ Dominicæ partes, interjecta pedum lotione, ciborumque diverſitate diſtinctas: illam quidem, qua Agnum, & Azima cum Diſcipulis manducavit; iſtam, qua Corpus ſuum in cibum obtulit: illam, qua Moſaicam Legem implevit; iſtam, qua novum condidit Teſtamentum.

ſum. Sic enim ſeſſione 22. Concilii Tridentini, qua Doctrina de Sacrificio Miſſæ traditur, pronunciat Eccleſia Cap. 1. *Chriſtus in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto, multitudo filiorum immolabat, novum inſtituit Paſcha.* In ſacris verò precum Officiis ita canit:

In ſuprema nocte Cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſervata Lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Et rurſum:

Noctis recolitur Cœna noviſſima,
Qua Chriſtus creditur Agnum, & Azyma
Dediſſe fratribus, juxta legitima
Priſcis indulta Patribus.
Poſt Agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum Diſcipulis:
Sic totum omnibus, quod totum ſingulis,
Ejus fatemur manibus.

Neque excipere juvat, Doctoris Angelici hymnos illos eſſe, quibus ſuam ille de gemina Cœna ſententiam expreſſit: nec ſumma ſemper auctoritate pollere, quæ in ſacris precum Officiis in Eccleſia recitantur. Ex quo enim Doctoris Angelici lucubrationem adoptavit Eccleſia; illius quoque ſententiam in eadem expreſſam fecit ſuam. Neque mera facti hiſtorici quæſtio iſta eſt: quo in genere nonnulla quandoque minùs certa in publicas Eccleſiæ preces irrepſiſſe, non ignoramus; ſed quid dogmatis habet admixtum ex Sacrarum Scripturarum intelligentia pendens, & ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ puritatem aſſerendam apprimè conducens. Hinc & Photius Cod. 116., relata quorumdam Anonymorum opinatione, qui Chriſtum Paſcha Judaicum, quo anno mortuus eſt, omnino prætermiſiſſe, effutiebant; illudque ſolum celebraſſe contendebant, quod inſtituit ipſe, novum, videlicet, pro veteri; Eccleſiæ Catholicæ ſententiam Novatoribus opponit: *Eccleſia*, inquit, *docet, tunc Chriſtum legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret Cœnam.* Hanc itaque Eccleſiæ profeſſionem eſſe, quis neget?

Tertiò obſervari maximè velim, hoc idem ſyſtema, univerſæ Patrum Traditioni repugnare: quos inter ne quidem inventus eſt unus, qui Chriſtum Paſchalem Agnum in ultima Cœna comediſſe ſit inficiatus; quippe hoc idem extra omnem dubitationis aleam non poſuerit, utpote Sacris in Litteris luculenter expreſſum. Legendi præ cæteris veniunt, Origenes Tract. 35., & S. Joannes Chryſoſt. Homil. 82. in Matth., S. Hieronymus in Cap. 26. Matth. ad v. 26., & S. Epiphanius Hæreſi 30., ubi hoc ipſo Chriſti Domini Paſchalem Agnum edentis exemplo, tanquam inconcuſſo principio, licitum carnium eſum oſtendit adversùs Ebionitas. *Quomodo*, inquit, *de eſu carnium non ſtatim ipſorum*

Digitized by Google

Paſchatis nomine appellatas fuiſſe contendunt; idque nominis ſoli Agno Paſchali ſignificando fuiſſe ſacrum. At nauſeantis ſtomachi faſtidium ſolvet Cap. 16. Deuteronomii, ſi diligenter obſeruetur. Ecce enim v. 2. in Vulgata noſtra legitur: *Immolabis Phaſe* (hoc eſt Paſcha) *Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Cui congruit Textus Syriacus: *Macta igitur Paſcha Domino Deo tuo ex ovibus, & ex bobus &c.* Arabicus pariter: *Macta autem Paſcha Deo Domino tuo de ovibus, & unà cum de bobus &c.* Chaldaica quoque Paraphraſis Onchelosi: *Immolabis Phaſe coram Domino Deo tuo de ovibus, & Victimam ſanctificatam de bobus.* Ubi certè *Phaſe*, ſeu *Paſchatis* nomen generalis appellatio eſt, qua, & oves, & boves in ſolemnitate Paſchali mactandi, & ſeptiduo illo manducandi ſignificantur. Sed etſi hunc ipſum Deuteronomii locum eo legeremus modo, quo Proteſtantes Hebraicæ locutionis tenaciores legere malunt, *Mactabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves*; idem perinde colligeremus: Paſchatis, ſcilicet, nomen ovibus, & bobus perinde datum, qui in ea quoque ſolemnitate mactabantur. In hac enim propoſitione τὸ *Paſcha* generale veluti nomen eſt, cui oves, & boves ea in occaſione mactandi tamquam ſpecies ſubjiciuntur: non aliud eſt Paſcha, aliud oves, & boves. Uti plane dum lib. 1. Paralipomenon Cap. 29. v. 2. dicitur, *Obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille*; priori profectò *holocauſti* nomine, tamquam generali appellatione comprehenduntur, quæ ſubinde peculiaribus ſuis nominibus deſignantur. Et 2. Paralip. Cap. 7. v. 5. dum dicitur, *Mactavit Salomon Rex hoſtias, boum, arietum centum viginti millia*; generali *hoſtiarum* nomine boves, & arietes tanquam ſubiectæ ſpecies deſignantur: non aliud hoſtiæ ſunt, aliud arietes, boveſque mactati.

Confirmat hoc idem multò magis verſiculus 3. ejuſdem Capitis 16. Deuteronomii cum ſecundo conjunctus, in Textu Hebraico, Samaritano, Syriaco, ac etiam in Verſione ſeptuaginta Interpretum: *Paſcha*, ſcilicet, nomine perinde vocari quaſcumque victimas, quæ Paſchali ſeptiduo à Judæis comedebantur. Sic enim Textus Hebraicus adamuſſim: *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo, ovem, & bovem in loco, quem elegerit Dominus, ad habitare faciendum nomen ſuum ibi. Non comedes ſuper eo fermentatum: ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum, panem afflictionis*. Sic Hebræo-Samaritanus: *Sanctificabis autem Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitaret ibi nomen ejus: Non comedetis cum eo fermentum: ſeptem diebus comedetis cum eo azima, panem afflictionis*. Ita Syriacus: *Macta igitur Paſcha Domino Deo tuo, ex ovibus, & ex bobus &c. ne comedas cum eo fermentatum; ſed ſeptem diebus comede cum eo azimum, panem humilem*. Ita demum Septuaginta Interpretes: *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, &c. Non comedes fermentatum ſuper illud: ſeptem diebus comedes ſuper illud Azima panem afflictionis.* Ex quibus invictum iſtud argumentum elicio, nulla unquam cavillatione eludendum. Id, *cum quo & ſuper quod* per ſeptiduum comederi præcipiuntur panes azimi, *Paſcha* diſertiſſimè dicitur: At per ſeptiduum panes azimi cum victimis de bobus, & ovibus comeduntur, non cum Agno Paſchali: Agnus enim Paſchalis ſola

ſola prima Azimorum veſpera, ſeu nocte totus erat comedendus, ac ſiquid illius ſupererat, ante auroram comburendum erat, Exodi 12. v. 10. Victimæ igitur de bobus, & ovibus *Paſcha* quoque eo loci vocantur à Moyſe: ut propterea de iis à Joanne merito dictum ſit, *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: hoc eſt, non introierunt in domum Prætoris viri gentilis, atque ita prophani, ne immundi ex Lege fierent; neve ea de cauſa, eſu victimarum Paſchalium prohiberentur. Quamquàm aliundè nil dubitandum, Agnum potiſſimam illius ſolemnitatis victimam primo omnium loco, ac ſanctiori ritu edendam, *Paſchatis* nomine frequentiùs ſacris in Litteris deſignari; imò præcipuum eſſe *Paſcha*, propter quod etiam cœteræ victimæ *Paſcha* dicuntur.

VII. Levioris longè momenti eſt, quod ex Capite 19. Joannis v. 14. à multis objicitur: Chriſtum mortuum dici *in Paraſceve Paſcha*: hoc eſt, ut ipſi quidem interpretantur, qua die Judæi ſua omnia ad Paſchatis celebrationem præparabant: id enim *Paraſceves* nomine ſignificatum arbitrantur, quod præparationem Hebraicè ſonat. Præpoſtera quippe interpretatio illa eſt, ex qua profectò conſequens eſſet, Chriſtum ante præfinitam diem Paſcha cum Diſcipulis manducaſſe. Illud itaque Paraſceve, de quo Joannes, idcircò *Paraſceve Paſcha* dictum eſt, non quòd in eo fieret præparatio ciborum Paſchalium; ſed quòd anno illò, quo paſſus eſt Chriſtus, in ipſum diem Paſchatis incidiſſet Paraſceve; reſque tunc pro ſubſequenti Sabbatho præpararentur. Unde Marcus Cap. 15. ait: *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbathum*: non quod eſt ante Paſcha. Neque verò mirandum, quòd illo ipſo Paſchatis die res ad ſubſequens Sabbathum Judæi præpararent. Quamquam enim Paſchalis feſtivitas ratione ſolemnitatis maxima omnium eſſet, in ea tamen præparare licebat, quæ ad cibos pertinerent. Unde Exodi 12. v. 16. de primo, & ſeptimo die Azimorum, qui præ reliquis ſolemnes habebantur, dicitur, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*; quod tamen die Sabbathi præſtare erat illicitum. Idcircò dies Paraſceves, ſeu præparationis ad Sabbathum inſtituta erat: nulla tamen dies erat Paraſceves, ſeu præparationis ad Paſcha. In phraſi itaque Joannis, *Paraſceve* ipſa dies Veneris eſt, ſeu feria ſexta, quæ eo apud Judæos nomine vocabatur. In quam, cum illo anno feſtum Paſchatis incidiſſet, *Paraſceve Paſchæ* dicta eſt eo plane modo, quo & *Dominica Paſchæ*, & *Dominica Pentecoſtes* dicuntur à nobis: quia & in Dominicam Paſcha, & in Dominicam incidit Pentecoſte.

At inquis fortaſſe mihi: Dies ipſa Sabbathi, quæ Chriſti mortem proximè ſecuta eſt, magna vocitatur *v.* 31. ejuſdem capitis Joannis: *Erat magnus dies ille Sabbati*: non alia de cauſa, quàm quòd in Paſchatis diem incideret: ante Paſcha igitur mortuus eſt Chriſtus, eodemque titulo ante Paſcha ſuam ipſe Cœnam celebravit. Verùm & hoc, purum, putumque figmentum eſt. Alia quippe de cauſa *magna* dicta eſt ea Sabbathi dies, quàm quòd cum Paſchatis Feſto concurreret; ſed ob id ſolùm, quòd infra dies Paſchales, in ſecundam, ſcilicet, Azimorum,

diem incidiſſet: cum ob id ſolùm majori, quàm alia Sabbatha celebritate coleretur. Uti ſeptima Scenopegiæ dies *magna* dicta eſt ab eodem Joanne Cap. 7. v. 37. non ob gemini feſti concurſum, ſed quòd in ea Cœtus Sacrorum cauſa vocaretur. Non eſt tamen exiſtimandum, majorem fuiſſe Sabbathi hujus ſolemnitatem, quàm Paſchatis; quamquam damnatorum corpora in Cruce Sabbatho illo remanere Judæi nollent, quæ ipſo Paſchatis die per aliquot ſaltem horas in cruce pendere permiſerant. Quòd enim ipſo Paſchatis die, tametſi ſolemniori, pependerint, neceſſitas fecit; ut debita pœna malefici plecterentur, atque ad cœterorum exemplum totius populi oculis objicerentur. Quòd verò non ultra, ſubſequente Sabbatho, in Cruce relinquerentur, cùm nulla id neceſſitas poſtularet, ſolemnitati, tametſi minori, datum eſt. Præſertim cùm alia lata lex eſſet, Deuter. 21. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti ſuſpenſus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur.*

VIII. Eccur ergo, repones, Judæi in Concilio ſuo decreverant, Chriſtum non eſſe ipſo die Paſchatis occidendum: Matth. 26. *Dicebant autem, non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo?* Si enim, quod aimus, Chriſtus ſtatuto ex Lege tempore Paſcha ſuum manducavit, ad primas, ſcilicet, Veſperas, ipſo die Paſchatis fuit occiſus. Obvia Reſponſio eſt, Judæos ita quidem deliberaſſe, aut etiam ſtatuiſſe ante biduum, dum *Concilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent*; idque uti rem apprimè congruentem, oborto ſeditionis metu: poſtmodùm tamen, nacta opportunitate ex traditione Judæ, nocte ipſa ſolemnitatis Paſchalis mutaſſe conſilium; Jeſumque hac ipſa die ad mortem poſtulaſſe: ne fortè, ſi res traheretur in longum, Jeſus ipſis elaberetur. Certè Chriſtum, mutato Judæorum conſilio, ipſo Paſchatis die, non in pervigilio fuiſſe occiſum, etſi quæ diximus hactenùs ſatis probant; evincit multò magis Pilati Judæos tunc compellantis loquendi forma, Joannis 18. v. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Paſchatis ergo dies erat, dum judicium Pilatus exerceret: hac autem ipſa die, & lata ſententia, & executioni demandata eſt. Idque ex Judæorum moribus omninò erat, ut fontes inſigniores, (quo numero Chriſtum habebant) diebus ſolemnioribus plecterent; ſiqua R. Moyſi Maimonidi fides eſt lib. Hilkot Cap. 4. *Reum ad feſtum uſque cuſtodiunt, & ipſo feſto ſtrangulant: quia dictum eſt Deuteron. Cap. 17. v. 13. Et omnis Iſrael audiet, & timebit*: quia numeroſioris tunc conventus fieri ſoliti erant. Quare quod ante dies aliquot in Concilio, ſeu ſtatutum, ſeu ſimpliciter ab aliquibus dictum fuerat, ut ne in die feſto Chriſtus occideretur; præter uſum, & conſuetudinem erat, ne fortè illius cauſa tumultus in populo fieret: à quo idcircò, ſeu ſtatuto, ſeu dicto moribus repugnante reſilire faeilius fuit. Neque obeſt, ſi fortè dixeris, Joſephum ab Arimathæa virum religioſum, ac pium Chriſti corpus die ipſo Paſchatis (ſi tunc Cruci ſuffixus eſt) de Cruce non fuiſſe depoſiturum, tumuloque daturum; ne diei ſolemniſſimæ quietem interturbaret; neve immunditiam legalem contraheret; de qua Numer. 19. legitur: *Qui tetigeris*

gerit cadaver hominis, propter hoc ſeptem diebus erit immundus Probè enim Joſephus noverat, pio, ac religioſo charitatis officio ſacræ diei quietem nequaquàm interturbari, meliorque cœteris Judæi Legis interpres erat, ut ſciret, *licere etiam Sabbathis benefacere*: Matth. 12. v. 12. Nec verendum illi erat, ne ex Dominici Corporis tactu immundus per Legem fieret: (ſi tamen locum hic etiam habebat Moſaicum edictum:) uti nec legalis hujus immunditiæ contrahendæ metus religioſiſſimum Tobiam à pio illo charitatis officio defunctis contribulibus impendendo, diebus etiam ſolemniſſimis, avertebat, Tob. 2. Quia immunditia illa legalis ex cadaverum contagione à Judæis contrahi ſolita vitioſa non erat, atque culpabilis; ſed merum dumtaxat impedimentum erat, ne per ſeptem dies Sacra tractarent: ad eum ſanè modum, quo nunc in Eccleſia Chriſti ex actibus interdum bonis, ac juſtis contrahitur Irregularitas. Quemadmodum & Judex ſententiam capitis ferens, tametſi juſtiſſimam, fit irregularis: quam fortè ni ferret, violati juris, & æqui reus eſſet.

IX. Ultimum, quod urget hìc Scaliger, non attingo: ex priſca, ſcilicet, Eccleſiæ traditione, quam etiam Baronius agnoſcit, certò conſtare; quo anno paſſus eſt Chriſtus, Pentecoſtem in Dominicam incidiſſe: quod utique evenire non potuit: niſi in diem Sabbathi Paſcha inciderit, cùm dies quinquaginta ad Pentecoſtem uſque numerandi à ſecunda Azimorum die exordium dicant: quæ, ſi in Sabbathum inciderit, in Sabbathum quoque incidet Pentecoſte; ſi inciderit in Dominicam, in Dominicam quoque Pentecoſtem incidere neceſſe eſt. Hoc, inquam, Scaligeri momentum in præſentia non attingo, ſed expediam loco ſuo, dum de Sacra Pentecoſte ex inſtituto diſputabo: planumque faciam, Pentecoſtem re ipſa anno illo in Sabbathum; non in Dominicam incidiſſe; perperamque contrariam ea de re Eccleſiæ traditionem à Baronio jactari, quæ nulla eſt, aut fuit unquam. Dicam tamen interim, nihil Scaligero, ejuſque Symmiſtis Traditionem illam, qualiſcumque ſit, ſuffragari, ut anno illo Paſcha in diem Sabbathi incidiſſe colligatur. Quamquàm enim dies quinquaginta à Dominica anno illo numerari debuerint, ut ſeptima poſt Dominica complerentur; adhuc tamen à Dominica anno illo numeratos Baronius exiſtimat, non ab ipſa Sabbathi die, tametſi Chriſtum feria ſexta in Paraſceve mortuum unà nobiſcum agnoſcat: quia, inquit ille, ſecunda tunc Azimorum die in Sabbathum incidente, manipulum hac ipſa die metere non licuit, adeòque nec offerre: illiuſque, & meſſio, & oblatio in Dominicam neceſſariò tranſlata fuit, à qua ſubinde dies quinquaginta ad Pentecoſtem ſunt numerati. Sed hanc ipſam Baronii animadverſionem expendemus loco ſuo.

X. Interea quæ à nobis dicta ſunt hactenus, palàm oſtendunt, nihil cauſæ eſſe, cur à priſca, & vulgari Patrum ſententia recedamus; Chriſtumque negemus, definita per Legem die Paſcha ſuum unà cum Diſcipulis celebraſſe. Sed quæret hic forſan aliquis, an contra Judæi ſaltem ejuſdem celebrationem Paſchatis diſtulerint in diem alteram?

Nec

Digitized by Google

Nec etenim deſunt hac ipſa ætate noſtra, qui id ſummo ſtudio contendant, ut vel hoc pacto Chriſtum altera, quàm Judæi, die celebraſſe convincant: quamquàm aliam alii dilatæ celebrationis rationem obtendant. Quia ergo nova ſeſe hoc loco aperit difficultas, non ſegniter, ac defunctoriè perpendenda; idcircò in Exercitationem alteram mittimus, majori otio unà cum reliquis ad Chriſti Cœnam ſpectantibus expediendam.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO LI.

De eadem ultima Cœna celebratione.

I. IN ea, quæ tanta nunc contentione agitatur à Theologis Controverſia, ſuamnè cum Judæis poſtremam Cœnam Chriſtus Dominus celebrarit; duplici veluti cardine tota volvitur difficultas. Primò, diemnè ex lege Moſaica definitam prævertetit Chriſtus, ejuſque Diſcipuli: ſecundò, diſtulerintnè Proceres Judæorum, totamque cum illis intenta nefario operi Synagoga. Si enim nec præverterunt illi, nec illi ex oppoſito diſtulerunt; eadem profectò die utroſque celebraſſe, perſpectum eſt. Cum itaque Chriſtum definitam ex Lege diem minimè prævertiſſe, in anteacta Relectione multis probaverimus argumentis; illud nunc reliquum eſt, ut ne ipſos quoque Judæos è contrario diſtuliſſe demonſtremus. Quod utique recto ordine fiet, ſi quas quique proferunt dilatæ ab ipſis Paſchalis ſolemnitatis rationes, elumbes prorsùs, ac futiles oſtenderimus.

II. Judæos itaque diſtuliſſe, putant aliqui, ex veteri Majorum decreto, quo ſtatutum ajunt, ut ſiquod feſtum ſolemne Sabbathum nullo præcederet, aut ſequeretur medio, in Sabbathum transferretur; ac una, eademque die utraque ſolemnitate Judæi defungerentur: ne geminis continuis diebus feriantes in regione tam calida, grave à cibis, quos biduo illo recentes parare ſibi non poterant, & à mortuis, quos ſepelire nequibant, incommodum paterentur. Eaque de cauſa Paſchalem ſolemnitatem feria ſexta anno illo recurrentem in ſubſequens Sabbathum transtuliſſe. Verùm & commentitium Decretum eſt, & ratio Decreti commentitia. Decretum, inquam, commentitium: cum in ipſo Thalmude *Maſſuohet ſacca*, Cap.5. ſermo fiat *de ſolemnitatibus Sabbatho conjunctis, ſive antecedant, ſive ſubſequantur, omninò celebrandis*. Quin & hoc ipſo, quem ducimus, anno 1718. Pentecoſtem Sabbatho conjunctam diſtincta die celebrarunt Judæi: ut planè geminis continuis diebus feriati ſint. Commentitia quoque allata Decreti ratio eſt: cùm & in magnis ſolemnitatibus, ac ipſa etiam Paſchatis die prima cibos ad eſum parare Judæis liceat: Exodi 12. v. 16. & mortuos ad veſperam ſepelire nil vetet, ubi in diem alteram ſepultura differri nequit: ut eſt quotidiano experimento comprobatum.

III. Diſtuliſſe Judæos volunt alii, ut in Chriſtum ipſo Paſchatis die ſævire liberiùs poſſent, judiciumque illum exercere: quia, ut eſt apud R. Moyſem Maimonidem lib. *Hilkot Sanhedrin* Cap. 11. *Judices rerum capitalium non judicant in die Paraſceve Sabbathi, aut die feſto*. Quod ſanè perperam eſt excogitatum. Quamquam enim ſecundùm leges, & conſuetudines ſuas Chriſtum Judæi ipſo Paſchatis die judicare non poſſent; quod tamen factum attinet, ipſa Evangeliorum Hiſtoria ſatis oſtendit, nihil illis in Chri-

Digitized by Google

Chriſti capite judicando minùs curæ fuiſſe, quàm ut ritè, & ſecundùm jura, probataſque conſuetudines judicia fierent. Etenim & juxta *Maſſechet Sanhedrin* Cap. 4. *Judæi judicia capitalia tranſigunt interdiu, & finiunt interdiu*: & tamen totam noctem in Chriſti judicando capite contrivere, eumdemque profunda; & concubia nocte ad Annam, & Caipham deduxerunt, nec niſi oborto ſole ad Pilatum Præſidem rapuerunt. Adeò Chriſti cauſa ſecundùm leges, & conſuetudines Judæorum tractata non eſt. Certè Chriſtum aliàs in ipſo Encæniorum feſto, ut eſt apud Joannem Cap. 10., & in feſto Tabernaculorum, ut legitur Cap. 8., lapidibus obruere conati ſunt, nihil tantorum feſtorum religione prohibente: quid ergo mirabimus, quòd oblata demùm occaſione, eumdem in ſolemnitate Paſchali judicaverint, crucifixerint? Adde, Chriſtum in manus Judæorum à Juda proditore non fuiſſe traditum, niſi peracta jam Cœna, adeòque cœpta jam ſolemnitate Paſchali: quo tempore differri nequibat, utpote quæ jam à nobiliori ſui parte exordium habuiſſet.

IV. Demùm diſtuliſſe Judæos, contendit Gerhardus Voſſius Differt. 2. de temp. paſſionis §. 14. aliique cum illo propterea quòd aliam à Chriſto Domino computandæ diei Paſchalis rationem iniiſſent. Quod ita factum exponit vir aliàs eruditiſſimus: *Legimus apud Antiquos, quomodo Judæi, ante receptos Cæſaris faſtos, obſervarint veros Lunæ motus, & Neomenias attenderint ἀπὸ τῆς φάσεως, ſive à viſione ejus prima: faſtis verò iis ex Auguſti mandato receptis, numerarint ſecundùm medios Lunæ motus, & ſyderis utriuſque exitus. Quippe Julius Cæſar Equinoctium, quod ante à Judæis tertia Aprilis die ſtatuebatur, fixerat in vigeſima quinta die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi Menſis præverteret Æquinoctium, Paſchalem diem non agebant feſtum; ſed expectabant, donec foret Æquinoctium, & poſt illud demum, hoc eſt, ſimul ac Sol ſignum Arietis ingredi cœpiſſet, Paſcha comedebant. Chriſtus proinde ex lege Moſaica obſervavit veſperam diei decimæ quartæ Niſan: ſed Judæi proceres, quia tum nondum foret Æquinoctium, diſtulere in diem proximum: ut ita poſt Æquinoctium feſtum agitarent diem Paſchatis ſecundùm conſuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent.* Atque hinc mirè eluxiſſe divinam providentiam, ſubjungit Voſſius; quòd, cum alio die Chriſtus, alio proceres Judæi Paſcha celebrarent; ita factum ſit, ut qua die typicus Agnus erat edendus ex lege Moſaica, verus Agnus oblatus fuerit à Judæis, atque ita veritas typo optimè reſponderet.

Egregiè, ſcilicet, dictum, at nihil hìc à Voſſio probatum video. Probandum Voſſio ejuſque gregalibus eſſet, Judæos jam tum à Chriſti Domini ætate Cæſaris faſtos recepiſſe; eamque conſuetudinem Anni more Romano computandi ea jam ætate tenuiſſe: quod illi non modò non probant, ſed conſtat inſuper eſſe falſiſſimum. Secundùm enim hanc computandi rationem, quæ poſt everſam Jeroſolymam per multa jam ſæcula apud Judæos obtinuit, numquam Paſcha incidit in ſecundam, quartam, & ſextam feriam: ut ex illorum canonibus liquet, ipſoque experimento probatum habent. Aben Ezra autem in Commentario in Exodum Cap. 23. ingenuè fatetur, *In Miſna, & in Thalmude exempla haberi, quibus probari poteſt, Paſcha incidiſſe in ſecundam, quartam, & ſextam feriam.*

Non-

Digitized by Google

Nondum itaque Chriſto in terris agente, imò nec tunc primùm, dum conſarcinatum eſt Thalmud, ea computandi diei Paſchatis ratio apud Judæos obtinebat. Probandum pariter Voſſio eſſet, quo anno paſſus eſt Chriſtus, decimamquartam Lunam primi menſis, ad cujus veſperam Chriſtum Dominum Paſcha ex lege comediſſe fatetur, Æquinoctium prævertiſſe: quæ res Judæis differendi Paſchatis cauſa fuerit. Quod tamen nec probat ille, nec ullus unquam certò probabit Aſtronomus. Quamquàm enim ex ſyderalis ſcientiæ legibus, certiſque Lunæ, ac Solis motibus diligentiſſimè obſervatis, reducto ordine retrogrado Calendario, retegi certò poſſit, in quam Lunæ diem ſingulis annis per omnia retrò ſæcula inciderit Æquinoctium; incertis tamen eſt ſæculi annus, quo paſſus eſt Chriſtus, ut ſuo probabimus loco: quo ex uno tamquam primo fundamento tota computationis ratio pendet. Quod demum ſubjungit Voſſius, Chriſto Domino ad primas Paſchatis Veſperas, ut ipſe quidem autumat, crucifixo, factum eſſe, ut qua die typicus Agnus à Judæis edendus erat, verus Agnus in Cruce oblatus fuerit à Judæis; atque ita veritas typo optimè reſponderit: id, inquam, nec multum urget, nec eſt omninò verum. Non urget, quia rationes illæ omnes ex typorum cum veritate conſonantia petitæ rem quidem, ſi fiat, congruentem oſtendunt; factam nihilominùs non evincunt: cùm veritatem typo in omnibus, ac per omnia reſpondere neceſſe non ſit. Nec verum omninò eſt, quod tam ingenioſè putatur excogitatum. Quandoquidem hac ipſa in hypotheſi, Chriſtus ad primas Veſperas Paſchatis à Judæis non cenſeretur occiſus; ſed intra eam diem, qua necdum typicus Agnus edendus fuiſſet. Hora quippe Judaico more ſexta Chriſtus in Crucem eſt actus; nona demum extinctus: treſque ad diei clauſulam horæ ſupererant, antequam dies altera, quam Paſchalem Voſſius autumat, à primis Veſperis initium caperet. Non itaque ea in hypotheſi typo veritas reſpondiſſet. Rectiùs longè in ſyſtemate noſtro veritas typo reſpondet, dum ipſo Paſchatis die Chriſtus ponitur crucifixus, peracta primis in Veſperis Cœna Judaica.

V. Quæ cum ita ſint, illud profectò relinquitur, tàm non diſtuliſſe Judæos in diem alteram Paſcha ſuum, quo anno paſſus eſt Chriſtus; quàm nec ipſe præverterat: ſed una prorſus, eademque die juxta Moſaicæ Legis edictum celebraſſe univerſos. Quod & verbis diſertiſſimis Marcus affirmat, quæ refractariolis ingeniis coercendis ſola ſufficerent, niſi impatienti novandi prurigine laborarent: *Prima die Azimorum, quando Paſcha immolabant Judæi, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? Et abierunt Diſcipuli ejus, & venerunt in Civitatem, & invenerunt, ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha.* Cap. 14. v. 12., & 16.

VI. Actum jam reagere videar, eamdemque telam novo labore redordiri, ſi invectam olim ſæculo nono, ac tum nuper quaſi è cineribus excitatam quorumdam opinationem refellere aggrediar; (vide Photium in Biblioth. Cod. 115., & 116.) qui Chriſtum dicunt, miſſa prorſus, ac minimè celebrata Judaica Cœna, Agnoque Paſchali cum ſuis minimè

comeſto, Chriſtianam dumtaxat Cœnam Corporis in conſecratione; atque diſtributione peregiſſe. Portentoſum ſanè commentum! De quo ergo Paſchate, niſi legali, locutus eſt Chriſtus, ubi Domino domus nunciari juſſit Matth. 16. v. 18. *Apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis*: & Marci 14. v. 14: *Ubi eſt refectio mea, ut Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Nec enim quid ſibi Chriſtus vellet, intellexiſſet ille, ſi de inſtituenda apud ipſum Euchariſtia dixiſſet. Sed & Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, eamdem minimè manducavit, ſed ſumendam Diſcipulis dedit: cùm tamen de Paſchate à ſe manducando renunciari juſſerit Domino domus. Cui accedit & iſtud: Chriſtum Dominum illam maximè Cœnam cum Diſcipulis manducaſſe, quam, jubente illo, Diſcipuli paraverunt, ut eſt apud Lucam Cap. 19. v. 11. *Fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha*, utique manducandum: at certo certius eſt, Diſcipulos Cœnam paraſſe Judaicam, Agnum, ſcilicet, *Paſcha* antonomaſticè dictum; Euchariſtiam enim, nec noverant tunc, ut pararent, nec ab ipſis paranda erat; Judaicum igitur cum Diſcipulis Paſcha comedit; nec niſi illo comeſto, Euchariſtiam inſtituit. Sed quid ultra opus eſt verbis? cùm mole ſua jam ruat malè natum, audaxque commentum, disjectis hactenus, dirutiſque momentis omnibus, quibus à ſuis nunc defenſoribus ſuperſtruitur? Non alia quippe de cauſa factum putant, ut Judaicum Paſcha Chriſtus omitteret anno illo, quàm quia illum non in Paſchate ipſo, ſed in Paſchatis pervigilio Cruci ſuffixum exiſtimant: quo tempore, cùm nondum illi celebrandi Judaici Paſchatis incumberet obligatio; non illud quidem celebravit, ſed ſuum dumtaxat inſtituit. Quod cùm ſuperiori prælectione falſiſſimum eſſe probaverimus, variaque Euangelii loca ad id evincendum, à Græcis olim malè detorta, plano, rectiſſimoque ſenſui reddiderimus; non eſt cur everſum jam, proſtratumque ſyſtema novis conatibus impetamus. Nonnullas dumtaxat conſiderationes adjiciam, ad temerariæ, audaciſque ſententiæ periculum oſtendendum: ne ea ad novitatem prona ingenia rapiantur.

Primò, ingentes ſyſtema illud addere vires, auctoritatemque conciliare longè graviſſimam Græcorum Diſciplinæ, Euchariſtiam non in azimo, ſed in fermentato celebrantium. Si enim Chriſtus ſuam unicè Cœnam Corporis ſui conſecratione celebravit, non Judaicam; idque qua die nullus adhuc Judæis azimorum eſt uſus: Euchariſtiam ergo non in azimo, ſed in fermentato dubio procul inſtituit. Atq; ita Græcorum in fermentato celebrantium Diſciplina Chriſti Domini firmatur exemplo.

Secundò, publicæ Eccleſiæ profeſſioni repugnare ſyſtema illud. Ea quippe duplicem nocte illa Chriſto Domino celebratam Cœnam agnoſcit; Judaicam primùm, tum Chriſtianam: aut, ſi mavis, binas ejuſdem Cœna Dominicæ partes, interiecta pedum lotione, ciborumque diverſitate diſtinctas: illam quidem, qua Agnum, & Azima cum Diſcipulis manducavit; iſtam, qua Corpus ſuum in cibum obtulit: illam, qua Moſaicam Legem implevit; iſtam, qua novum condidit Teſtamentum.

tum.

Digitized by Google

tum. Sic enim ſeſſione 22. Concilii Tridentini, qua Doctrina de Sacrificio Miſſæ traditur, pronunciat Eccleſia Cap. I. *Chriſtus in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto, multitudo filiorum immolabat, novum inſtituit Paſcha*. In ſacris verò precum Officiis ita canit:

In ſuprema nocte Cœna
Recumbens cum fratribus,
Obſervata Lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Et rurſum:
Noctis recolitur Cœna noviſſima,
Qua Chriſtus creditur Agnum, & Azima
Dediſſe fratribus, juxta legitima
Priſcis indulta Patribus.
Poſt Agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum Diſcipulis:
Sic totum omnibus, quod totum ſingulis,
Ejus fatemur manibus.

Neque excipere juvat, Doctoris Angelici hymnos illos eſſe, quibus ſuam ille de gemina Cœna ſententiam expreſſit: nec ſumma ſemper auctoritate pollere, quæ in ſacris precum Officiis in Eccleſia recitantur. Ex quo enim Doctoris Angelici lucubrationem adoptavit Eccleſia; illius quoque ſententiam in eadem expreſſam fecit ſuam. Neque mera facti hiſtorici quæſtio iſta eſt: quo in genere nonnulla quandoque minùs certa in publicas Eccleſiæ preces irrepſiſſe, non ignoramus; ſed quid dogmatis habet admixtum ex Sacrarum Scripturarum intelligentia pendens, & ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ puritatem aſſerendam apprimè conducens. Hinc & Photius Cod. 116., relata quorumdam Anonymorum opinatione, qui Chriſtum Paſcha Judaicum, quo anno mortuus eſt, omnino prætermiſiſſe, effutiebant; illudque ſolum celebraſſe contendebant, quod inſtituit ipſe, novum, videlicet, pro veteri; Eccleſiæ Catholicæ ſententiam Novatoribus opponit: *Eccleſia*, inquit, *docet, tunc Chriſtum legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret Cœnam*. Hanc itaque Eccleſiæ profeſſionem eſſe, quis neget?

Tertiò obſervari maximè velim, hoc idem ſyſtema, univerſæ Patrum Traditioni repugnare: quos inter ne quidem inventus eſt unus, qui Chriſtum Paſchalem Agnum in ultima Cœna comediſſe ſit inficiatus; quippe hoc idem extra omnem dubitationis aleam non poſuerit, utpote Sacris in Litteris luculenter expreſſum. Legendi præ cæteris veniunt, Origenes Tract. 35., & S. Joannes Chryſoſt. Homil. 82. in Matth., S. Hieronymus in Cap. 26. Matth. ad v. 26., & S. Epiphanius Hæreſi 30., ubi hoc ipſo Chriſti Domini Paſchalem Agnum edentis exemplo, tanquam inconcuſſo principio, licitum carnium eſum oſtendit adversùs Ebionitas. *Quomodo*, inquit, *de eſu carnium non ſtatim ipſorum*

 demen-

Digitized by Google

dementia redarguetur? Primùm quidem Domino edente Paſcha Judæorum; Paſcha autem Judæorum Agnus erat, & Azimo, hoc eſt, panes non fermentati: & edebantur carnes agninæ igne aſſatæ: velut etiam Diſcipuli ejus dicunt, Ubi vis, ut paremus tibi, ut edas Paſcha? Rurſus autem ipſe Dominus ait: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha comedere vobiſcum. Et non dixit ſimpliciter Paſcha, ſed hoc Paſcha, ut ne quis ad ſuam rapiat opinionem. Paſcha autem erat, velut dixi, carnes aſſatæ igne, & aliæ, &c. Quod verò à nonnullis temerario, & audaci illo ſyſtemate capitis obtrudi video, (ne Patrum ſuffragio carere videantur) dixiſſe alicubi Auguſtinum, *Chriſtum non feciſſe, ſeu comediſſe Paſcha, ſed fuiſſe*; adeò futile eſt, ut nihil magis. De Paſchate etenim Chriſtianorum locutus eſt Auguſtinus, non de Paſchate Judæorum, de quo nobis hic quæſtio eſt. Judæorum etenim Paſcha Agnus eſt immolatus, edenduſque cum Azimis, & lactucis agreſtibus: idque profectò fecit Chriſtus, ſeu comedit ritu Judaico. At Chriſtianorum Paſcha, ipſemet Chriſtus eſt in Ara Crucis immolatus, juxta Apoſtoli dictum, 2. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: & hoc certè Paſcha non fecit ille, nec edit, ſed fuit; quamquàm ſeipſum ſub ſignis viſibilibus manducandum Diſcipulis dederit. Patribus igitur ſummo conſenſu ſtatuentibus, Chriſtum Dominum Judaicam Cœnam, ſeu Agnum Paſchalem in mortis pervigilio manducaſſe, Divinaſque Scripturas in eum ſenſum interpretantibus; ingentis audaciæ, ac petulantiæ eſt, oppoſitum ſtatuere velle, Sacraſque Scripturas in contrarium ſenſum inflectere. Sic ſanè in Concilii Tridentini Decretum impingitur, Seſſ. 4. *Ad coercenda petulantia ingenia, decernit ſancta Synodus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentem Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia; aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat.*

Quartò, ultimòque conſiderandum relinquo, Hieronymum Vecchiettum, quòd Syſtema illud libello edito propugnaſſet, ſupremorum Fidei Quæſitorum judicium ſubiiſſe, in carceres & vincula conjectum ad multos annos: ejuſque ſententiam ſummis Judicibus viſam eſſe *contra Sacrarum Litterarum fidem, contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, contra Sanctorum Patrum Doctrinam* aſſertam. Unde & effectum eſt, ut eam ſummi Scholæ Magiſtri tamquàm planè hæreticam impugnarint. Num id noverint qui eo nunc ſyſtemate delectantur, haud ſatis ſcio: ut noſcant tamen, ac ſibi caveant, legant Jani Nicii Erythræi hiſtoricam narrationem, par. 1. Pinacothecæ Virorum illuſtrium pag. 196., qua malè mulctatum Hieronymum refert: legant Franciſcum Suareſium in Comment. ad 3. partem D. Thomæ, quæſt. 50. art. 6. ſect. 3. cujus hæc verba ſunt: *Statuendum primò eſt, Chriſtum Dominum ante paſſionem ſuam legalem Cœnam cum Diſcipulis celebraſſe; Agnumque Paſchalem ritu Judaico immolaſſe, & comediſſe. Quæ res tam aperta eſt in Evangeliſtis, ut mirum ſit, non defuiſſe hoc tempore Hæreticos, qui eam negarent...... Hæc ſententia eſt planè hæretica.* A qua tamen cenſura interim abſtinemus, donec diſertum ea de re ipſa judicium Eccleſia Catholica pronunciaverit. Sed de die

pera-

Digitized by Google

peractæ Cœnæ, ejuſdemque conditione ſatis hactenus: peragendum ad reliqua, quæ Cœnæ hujus occaſione tractanda ſuſcepimus.

VII. Altera, quæ de Commenſalibus cum Chriſto Domino recumbentibus quæſtio vertitur, Eccleſiæ Patres dubios tenet, & anxios. Cùm enim duplicem Cœnam hoc ipſo veſpere fecerit Chriſtus, Judaicam unam, Chriſtianam alteram: priorem, qua Agnum Paſchalem Moſaico ritu comedit; alteram, qua Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit; interjecto etiam inter utramque lotionis pedum intervallo: quod Joannes Cap. 13. v. 2. 4., & 12. diſtinctè notavit, idcircò priori quidem Cœnæ omnes accubuiſſe Diſcipulos, fatentur Eccleſiæ Patres univerſi; id enim Matthæus, Marcus, & Lucas obſervant: non omnes tamen poſteriori menſæ accubuiſſe, nec Dominici Corporis, Sanguiniſq; fuiſſe participes, opinati ſunt benè multi: S. Hilarius, & Theophylactus in Comment. ad Cap. 26. Matthæi, Rupertus lib. 10. in Matthæum, Innocentius III. lib. 4. de Myſterio Euchariſtiæ, Cap. 13. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 5. Cap. 16., qui Judam proditorem ab Euchariſtica communione ſegregem faciunt, cujus erat prorſus indignus. Fatendum tamen, priorem ſententiam, & Patrum auctoritate vincere, & ratione. Auctoritate, inquam, quia aſſertores habet Origenem, Cyrillum utrumque, Chryſoſtomum, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, Leonem, Auguſtinum, Bedam, Bernardum, & D. Thomam. Ratione quoque vincit ea ſententia, & quidem quadruplici ex Sacro Euangelio petita.

Conſtat enim in primis Chriſtum Euchariſtiam ſumendam porrexiſſe omnibus menſæ tunc ſuæ diſcumbentibus: unde de Calice ait Marcus Cap. 14. *Biberunt ex eo omnes*. Conſtat perinde, Judam nondum tunc de menſa, ac de Cænaculo diſceſſiſſe, dum Euchariſtiam Chriſtus Dominus porrigebat: quandoquidem ea jam porrecta, ac diſtributa dixit Chriſtus, unum è diſcumbentibus ſui eſſe proditorem, Joan. Cap. 13. v. 21. & 26. Igitur & Judas Euchariſtiam accepit. Ex Luca perinde habemus, Chriſtum poſt Calicis conſecrationem illicò ſubjeciſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*, Cap. 22. v. 21.: erat igitur ibi tunc Traditor. Sed ante Calicis conſecrationem, jam Corpus conſecratum omnibus adſtantibus diſtribuerat: diſtribuerat itaque Judæ illic adhuc adſtanti. Ex actibus etiam Apoſtolicis Cap. 1. liquet, Judam fuiſſe cum cæteris Apoſtolis creatum Sacerdotem, atque Epiſcopum: de eo enim dictum illud Pſalmite 108. Petrus interpretatur, *Epiſcopatum ejus accipiat alter*: Apoſtolos autem & Sacerdotes, & Epiſcopos creavit Chriſtus, dum dixit eis, *Hoc facite in meam commemorationem*, uti declarat Synodus Tridentina: quod iis tantùm dixit, quibus Euchariſtiam porrexit. Perſpectum tandem eſt, Chriſtum Dominum facta Cœna Judaica, ſeu legali ante Cœnam Euchariſticam Diſcipulorum laviſſe pedes, tanquam præviam diſpoſitionem, ſeu præparationem ad Euchariſtiæ ſusceptionem. Laviſſe autem etiam Judæ proditori pedes, perſpectum eſt, ex Cap. 13. Joan. v. 10. ubi pedes Diſcipulis lavans dixiſſe fertur, *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi*

eſtis,

Digitized by Google

eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum: propterea dixit, non eſtis Mundi omnes. Igitur Judas quoque Euchariſtiam accepit. Sed & hoc ipſum Catholica profitetur Eccleſia ſacro illo hymno, quem inter media ſacra ſolita eſt recitare feſto die Corporis Chriſti Euchariſtici: *Panis vivus, & vitalis hodie proponitur, quam in Sacra menſa Cœna turbæ fratrum duodena datum non ambigitur:* Turba enim duodena non eſſet, niſi & huic Judas accenſeretur.

VIII. Quæſtio ultima de loco peractæ Cœnæ faciliùs expeditur. Vitandus in primis Nicephori lib. 1. Hiſt. Cap. 18.; & Cedreni in Compend. Hiſtor. ſpiſſus error, peractam Cœnam ultimam ſcribentium in domo Joannis Euangeliſtæ. Repugnat etenim Lucas apertiſſimè Cap. 22., ubi Joannes ipſe Euangeliſta unà cum Petro miſſus dicitur ad quemdam hominem *Patrem-familias*, ut in illius domo Cœna pareretur. Alius igitur à Joanne Euangeliſta erat ille; & quidem pater-familias, qualis profectò numquam fuit dilectus Apoſtolus. Sed & Joannem domum habuiſſe Jeroſolymis, non eſt veriſimile: (quidquid in oppoſitum obtrudat Apollinaris, ineptus verſificator, Auctor Tragœdiæ *de Chriſto patiente*) quippe qui ex eorum numero erat, qui Petri ore Chriſto dixere, *Ecce nos reliquimus omnia, ſecuti ſumus te*: quod in Joanne ſpecialiter locum habuiſſe, notant S. Auguſtinus Tract. 119. in Joan., & S. Ambroſius in Exhortatione ad Virginitatem; eumdemque nec prædia, nec poſſeſſiones habuiſſe. Quare ex nominum æquivoco natum errorem illum exiſtimo. Patrum quippe conſtans ſententia eſt, factam Cœnam in domo Joannis cognomento Marci: non quidem Euangeliſtæ, qui ſimpliciter Marcus vocabatur, eratque patria Lybicus Cyreneus, ac Petri diſcipulus; ſed Joannis, ut dixi, cognomento Marci, filii Mariæ, Barnabæ conſobrini, atque diſcipuli, cujus mentio fit in Actibus Apoſtolicis Cap. 12., & in Epiſtola ad Coloſſenſes Cap. 4. In qua quidem Marci domo latitarunt Apoſtoli poſt Chriſti Domini necem, ſeque Chriſtus reſurgens Apoſtolis primùm oſtendit. Illic etiam orantes Apoſtoli illabentem Spiritum Sanctum acceperunt die Sacro Pentecoſtes. Illuc demùm Petrus ex Herodis carcere liberatus ſeſe recepit, & Fideles orantes invenit: ut habetur in Actibus Cap. 12. Quibus de cauſis hæc ipſa domus tot titulis nobilitata prima omnium in Templum converſa creditur, & *Eccleſia Sion* communiter dicta. In illius porrò Cœnaculo facta eſt Cœna ultima, ſeu in loco quodam eminenti, quem & *Solarium* nuncupabant cœnis faciendis deſtinato; unde illi *Cœnaculi* nomen adhæſit.

IX. Chriſtum, ejuſque Diſcipulos Cœnam agentes *diſcubuiſſe* notant Euangeliſtæ omnes: nempe pro more illius ætatis, tam apud Judæos, quàm apud Romanos recepto. In tricliniis enim, ſeu lectulis menſalibus prandentes, ac cœnantes diſcumbebant cubitis innixi. Ex quo ritu phraſis illa invaluit, etiam apud nos uſitata, *diſcumbere, & accumbere menſis*: etſi non accumbamus modò, ſed ſedeamus ſcamnis, atque ſedilibus. Hinc facilè intelligimus, quo pacto Joannes Apoſtolus dicatur *ſupra pectus Domini in Cœna recubuiſſe*: nempe cùm proximus Chriſto menſæ accumberet in triclinio, facilè illi fuit, caput in Chriſti ſuum inclinare. At

ſi in

ſi in ſcamnis, aut ſedilibus, ut hodie fit, ſediſſent ambo, vix alter alterius in ſinu recumbere potuiſſet. Hinc pariter intelligimus, quomodò Maria Magdalena, *ſtans retrò ſecus pedes Domini* menſæ diſcumbentis apud Simeonem Phariſæum, potuerit *lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergere*, ut in Euangelio legimus. Chriſtus enim in triclinio pro more recumbens, pedes in eam altitudinem compoſitos habebat, ut à pœnitente retrò ſtante facilè attingi poſſent. Quare caſtiganda venit pictorum ignorantia, qui ſeu pingant ultimam Chriſti Domini Cœnam, ſeu datum illi prandium à Simone Phariſæo penicillo nobis adumbrent; omnes menſis aſſidentes repræſentant: quodque culpandum magis, Magdalenam ad pedes Jeſu proſtratam effingunt; quam tamen in eo gerendo pietatis officio *ſteriſſe retrò*, memorat Euangelium, Lucæ 7. v. 38.

At nonne, inquiet aliquis, ſin minùs ſedentes, (quod ab illius ætatis moribus abhorrebat) at certè ſtantes veriùs, quàm diſcumbentes Chriſtus, ejuſque Diſcipuli Cœnam ultimam celebrarunt? Sic enim, ut Agnus Paſchalis comederetur, præceptum erat, Exodi Cap. 12. v. 11. *Sic autem comeditis illum: renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, habentes baculos in manibus: & comedetis feſtinanter.* Quæ nonniſi à ſtantibus obſervari commodè poſſunt. Nec Chriſtus, ejuſque Diſcipuli præceptum violaſſe putandi ſunt. Reſponſio in promptu eſt: Chriſtum ejuſque Diſcipulos modò ſtare, modò diſcumbere potuiſſe pro varietate ciborum. Duplex enim, ut monui, Cœna peracta eſt; Judaica nimirum, & Chriſtiana: nec modicum inter utramque effluxit temporis intervallum. Quidni quoque cum Baronio dicamus, ritum illum comedendi Agnum Paſchalem pedibus ſtando, jam à tempore exilii Babylonici fuiſſe intermiſſum, ac penitùs antiquatum. Quod ille ex Rituali Hebræorum libro pervetuſto liquere ait. Imò non deſunt, qui illud Moyſis præceptum ad primi Paſchatis obſervationem in Ægypto tantummodò pertinuiſſe velint: quòd tunc tantùm feſtinatione opus eſſet, Judæoſque congrueret, lumbos eſſe accinctos inſtar Viatorum. Nihil eſt ergo, cur Chriſtum, ejuſque Diſcipulos ſtantes comediſſe concedamus.

EXER.

EXERCITATIO LII.

De Chriſti Domini Paſſione: ac primum de Judæ Traditione, de pœna verberum, de Corona ſpinea impoſitione.

I. LUctuoſam hodie ſcenam oculis veſtris objicio: Chriſtum Dominum patientem, ac tandem Cruci ſuffixum. *Si ſpectet curioſitas, grande ſpectaculum; ſi ſpectet impietas, grande ludibrium; ſi ſpectet pietas, grande Myſterium* inquit D. Auguſtinus. Mihi tamen nullus eſt animus, in tam amplo, tamque luctuoſo argumento attingere univerſa, quæ difficultatem aliquam pariant: in immenſum enim abiret, & ſcholæ modum prorsùs excederet ſuſcepta de Chriſti Myſteriis pertractatio; ſed ea dumtaxat delibabo, Sacræ hujus Hiſtoriæ capita, quæ Theologicum examen, accuratumque criterium poſtulare videntur. Ut nimirum in ſingulis Paſſionis Dominicæ partibus populares, qui paſſim invaluerunt errores, vulgi præpoſteras opiniones, malenata commenta procul eliminem. Ut enim hiſtoria nulla ad vulgi aures frequentius venit, nulla in vulgi ore frequentiùs ſonat; ita nulla frequentioribus erroribus vitiata, corruptaque eſt. In hos igitur errores unicè depugnabo: cæteris omnibus ſilentio miſſis, quæ, aut apud omnes certiſſimè conſtant, aut cùm ad mores inſtituendos intimiùs ſpectent, Divini Verbi præconibus relinquuntur.

II. A Judæ proditione ducam exordium, unde acerbiſſima Chriſti Domini Paſſio initium habuit. Nulla æquè vulgi animos occupavit opinio, quàm traditionis prætium à Judæis perfido Apoſtolo conſtitutum, fuiſſe tenuiſſimum, atque viliſſimum: non modò ſpectata perſonæ tradendæ conditione, quæ nullo ſatis poterat prætio æſtimari; ſed ipſa per ſeſe ſpectata condictæ pecuniæ quantitate, quæ vix detritis calceis coemendis ſuffeciſſet. Ortam falſam illam opinionem exiſtimo, tum quòd ſæpiùs in ſacris Concionibus Chriſtum triginta denariis à Juda traditum audiant; illoſque denarios paris cum noſtris valoris exiſtiment: tum etiam quòd illud Amoſi Prophetæ oraculum ſæpiùs recitatum audiverint, ubi Deus futuræ hujus venditionis vilitatem nuſquam Judæis condonandam exprobrans ita loquitur Cap. 2. *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis*: hoc eſt vili prætio, quo vix calceamenta emerentur.

Falſam illam vulgi opinationem brevis, faciliſque animadverſio emendare potuiſſet, ſi vel leviter obſervaſſent, hanc ipſam pecuniam Judæ traditori numeratam in prætium traditionis agro emendo ſuffeciſſe in publicum peregrinorum Cœmeterium, dum hanc

Digitized by Google

ipſe falſa pœnitentia ductus ſubinde reſtituit: Matth. 27. *Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*. Quis enim ſibi perſuadeat, paucis obolis, curtoque aſſe agrum figulinum emi potuiſſe, peregrinis humandi capacem, quorum Ieroſolymis infinitus propemodum erat numerus; Judæis illuc religionis cauſa undecumque confluentibus? Maximè ſi, quod ſcribit Hieronymus lib. de locis Hebraicis, veritatem habet: in ipſa, nimirum, urbe Jeroſolyma fuiſſe ſitum agrum illum, ad Auſtralem plagam montis Sion. Id enim agri prætium non mediocriter auget.

Hoc idem populare commentum revincit multò luculentiùs Matthæi teſtimonium Cap. 26. *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos*. Quare ut juſta ſtatera adhibita noverimus, quale, & quantum fuerit conſtitutum traditionis prætium; illud unum ſcire juvat, quid apud Judæos Argenteus eſſet, quantitate valoris. Argenteus aqud Judæos idem mihi fuiſſe videtur, quòd Siclus. Ita quippe definiunt; qui hac noſtra ætate de ponderibus, & menſuris ſcripſere, Vvillapandus, Lorinus, Simonius Maldonatus. Quin etiam patet id ex collatione libri 3. Regum cum libro 2. Paralipomenon. Siquidem lib. 3. Regum Cap. 10., ubi narratur emptio à Salomone facta, cùm quadrigarum, tùm equorum, diſtinctè dicitur, quadrigam quamlibet *ſexcentis ſiclis* emptam eſſe, equum quemlibet *centum quinquaginta ſiclis*. Libro autem 2. Paralipomenon Cap. 1., ubi hæc eadem narratur hiſtoria, mutatis vocabulis ſiclorum in argenteos, quadriga quælibet empta dicitur *ſexcentis argenteis*; equus quilibet *argenteis centum quinquaginta:* nempe pro eodem habetur Argenteus, & Siclus. Pariter lib. 2. Regum Cap. 18. cum adoleſcenti nuncianti, vidiſſe ſe Abſalonem de quercu pendentem, dixiſſet Joab: *Quare non confodiſti eum, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos*: repoſuit ille? *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis*. Scilicet, Siclos, & Argenteos pro eodem accipiens adoleſcens, negabat ſe facturum pro mille, quod Joab pro decem fieri voluiſſet. Eſt igitur *argenteus* idem quod *ſiclus*; ſin minùs monetæ ſpecie, quod affirmare omninò non auſim; at certè valore, ac prætio, quod hic unicè quæritur.

Hujus rei probationem altera peto ex Cap. 20. Geneſis, ubi Abimelech Saram alloquens: *Ecce*, inquit, *mille argenteos dedi fratri tuo*: quòd ſeptuaginta Interpretes vertunt, *Dedi mille didragmas fratri tuo*; idem autem Græcè ſonat Didragma, ac Siclus Hebraicè: propterea quòd Siclus dragmas duas Hebraicas valore æquet, Atticas verò quatuor. Unde D. Hieronymus, in adornanda Scripturæ Sacræ Verſione, Siclum, Didragmam, & Argenteum pro uno, eodemque millies accipit, quod & ipſe in Commentariis ingenuè profitetur.

Jam eo ſemel poſito fundamento, Argenteum, ſin minùs ſpecie, at certè valore idem eſſe quòd Siclus; conſequens eſt, Chriſtum triginta ſiclis venditum eſſe, ex quo triginta argenteis juxta Matthæum venditus eſt. Siclus porrò omnium eruditorum æſtimatione, qui de ponderibus,

Digitized by Google

& menſuris ſcripſere, libellas duas Gallicas pretio æquat, aut certè ad illas accedit proximè: quandoquidem Siclus dragmas duas Hebraicas, ſeu quatuor Atticas pendebat: teſte Joſepho lib. 3. Antiq. Cap. 9. *Siclus nummi genus eſt apud Hebræos; quales ſunt tetradrachmi Attici*. Chriſtus ergo, ut cuncta concludam, ſiclis, ſeu argenteis triginta venditus, libelliſcirciter ſexaginta Gallicis venditus eſt; ſeu, quod in idem redit, Juliis Romanis centum, & octoginta.

III. Quod itaque triginta denariis Chriſtus venditus communiter dicitur, falſiſſimum eſt: cùm triginta Argenteos Judæ conſtitutus Matthæus conceptiſſimis verbis atteſtetur Cap. 26. Denarius autem, ſi Hebraicus eſſet, Argentei, ſeu Sicli mediam partem pendebat; ſi Atticus, quartam dumtaxat. Amoſi verò Prophetia, qua Chriſtus *juſtus, & pauper* ab Iſraele venditus dicitur *pro calceamentis*, figurata loquendi formula eſt; ut conſtituti pretii vilitas, ſpectata maximè rei venditæ dignitate, & excellentia denotetur. Vile quippe pretium, *calceamenti pretium* Hebræi de more dicunt. Sic apud eumdem Amoſum Cap. 8. *Poſſideamus pauperes pro calceamentis*: hoc eſt, pro re vili pauperes habeamus. Hinc etiam, *ſolvere alicui corrigiam calceamenti*, hoc eſt, vile alicui miniſterium præſtare.

Idcircò porrò de triginta Argenteis, ſeu Siclis à Judæis cum Juda proditore conventum eſt, ut Chriſtus illis traderetur ad mortem: quia vita perſonæ ſervilis, qualem illi Chriſtum Dominum reputabant; triginta ſiclis ſecundùm legem Moſaicam æſtimabatur. Unde Exodi 21. præceptum eſt, ut ſi bos cornupeta ſervum, vel ancillam occiderit; triginta ſicli argentei Domino numerentur: quòd, ſcilicet, tanti, non pluris ſervi hominis vita æſtimaretur. Nec dubito, Judæos ad legem hanc attendiſſe, dum triginta Siclos, ſeu Argenteos Judæ proditori conſtituerunt.

Erit fortaſſe, qui dicant, Nummorum, quibus Chriſtus à Juda venditus eſt, unum etiamnum hodie Romæ ſervari, in Templo Sanctæ Crucis, ut vocant, in Jeruſalem; qui vix duos Julios valore æquat: Adeòque triginta Argenteos Judæ conſtitutos, non fuiſſe triginta Siclos. cùm Siclus unicus ad ſex Juliorum valorem accedat. Quaſi verò? Probandum in primis eſſet, triginta Argenteos Judæ conſtitutos eadem omninò nummorum ſpecie fuiſſe ſolutos. Hinc ſanè rectè colligeretur, Argenteos illos Siclorum valorem non æquaſſe: ſi, qui nunc Romæ viſitur nummus, duos vix Julios valore æquat. At quis id nobis certò definiet, triginta Argenteos eadem ſpecie fuiſſe ſolutos proditori; ac non potius multiplicatis inferioribus nummis, integram illi ſummam fuiſſe ſolutam? Nihil igitur inde colligitur in oppoſitum, etſi ſervatum Romæ nummum ex iis unum concedamus eſſe, qui Judæ ſunt numerati: quod tamen ſi negare voluero, quis mihi certò probaverit? Illud mihi potiùs difficultatem moveat: quid triginta Argenteis ager figulinus emi potuerit, ſi ad valorem dumtaxat Juliorum Romanorum centum ſexaginta aſcendit ſumma illa? Sed & Jeremiæ 32. v. 9. pro agri emptione ſolutos lego *ſeptem Stateres, & decem Argenteos*: tametſi

tamctii, ut monet D. Hieronymus in Cap. 4. Ezechielis, *Sicuti Stater ſit, hoc eſt, Drachmæ quatuor*, videlicet, Atticæ. Quare ex noſtrorum temporum caritate non oportet æſtimare ea, quæ antiquorum ſunt temporum. Ac veriſimile eſt, triginta Argenteorum pretio emi potuiſſe agrum figuli, vilem illum, nec niſi cadaveribus ſepeliendis idoneum. Sed pergamus ad reliqua.

IV. Sacrilegam Judæ traditionem poſt nonnullas Juris formulas peſſimè ſervatas ſecuta eſt verberum pœna, quam *flagellationem* de more vocant. Hanc Chriſto Domino Pilatus inflixit, non uti delicto debitam, ſed ad correctionem, ut ajebat: nempe ut eum hac via furori Judæorum eriperet, emendatumque dimitteret. Cum enim ſæpiùs proteſtatus eſſet Pilatus, ſe nullam in eo mortis cauſam invenire, Judæique innocentis ſanguinem ſitientes nihiloſeciùs ſuccla̲marent, ut crucifigeretur; experiri tandem voluit, an inflicta Chriſto verberum pœna ſatiarentur. Sperabat enim, eos ſupplicii hujus atrocitate commotos non ultra mortem ejus expetituros: etſi res aliter ceſſerit. Conſtat id totum ex Lucæ Euangelio Cap. 23.

Pœnæ hujus atrociſſimæ Chriſto inflictæ occaſione, multa conficta video, & pro arbitrio excogitata, de Lictoribus Chriſtum cædentibus, de plagis impoſitis, de inſtrumentis, aliiſve modis, quibus laniena illa perfecta eſt: de quibus tamen in Euangelio, & in Eccleſiæ Patribus altiſſimum ſilentium eſt. Certè nihil ſimplicius verbis Euangelicis: *Apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit*, inquit Joannes Cap. 19., ac nihil ultrà præterea. *Jeſum flagellatum tradidit eis*, inquit Matthæus Cap. 26., ac nihil ampliùs. Marcus demum: *Tradidit Jeſum flagellis cæſum*, Cap. 15. Quæcumque ergo à piis contemplatoribus ex proprio cerebro adjiciuntur, incerta, dubia, ac etiam magna ex parte falſa ſunt.

Lictores in primis Chriſtum cædentes bini, terni, atque quaterni quandoque finguntur; Pictoribus noſtris fabulam illam penicillo explicantibus. Imò legi, qui Chriſtum à ſexaginta Lictoribus cæſum ſcripſerint. Perperam ſanè, & ignoranter. Pilatum enim Tiberii Imperatoris adminiſtrum judicium Romano more tuliſſe, & verberum pœnam indixiſſe, teſtatur S. Hieronymus, ſuadetque ratio ipſa. Ex jure autem, & more Romano Lictor unicus totum illud ferale miniſterium obibat. Nota ſunt hac in parte Romanorum ſolemnia: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito*. Quin etiam apud Judæos Lictor unicus cædendi officio defungebatur: ut ex libro *Miſna* oſtendit Buxtorfius in Synagoga Judaica Cap. 20.

V. Hinc intelligere facile eſt, commentitium & illud eſſe, quod de inflictorum vulnerum numero narratur à multis: illum, ſcilicet, ad quinquies mille quadringenta ſeptuaginta quinque aſcendiſſe. Equo tandem modo? Si enim Lictor unicus cruento illo miniſterio defungebatur, repugnat planè, virum unicum tot verbera brevi ſpatio dediſſe. Ut ſileam, nondum tunc, dum cæſus eſt Chriſtus: Pilatum illum tradidiſſe voluntati Judæorum, ut in illum pro arbitrio ſævirent; quod fecit poſtea: ſed flagellis cædendum indixiſſe dumtaxat, *ad correctionem*, ut

 ajebat.

Digitized by Google

ajebat: Luc. 23. v. 16. Verborum autem numerum apud Romanos à Judice fuiſſe definitum, non relictum Lictorum arbitrio. Certè ſi in viro Judæo plectendo aliqua Judaicarum legum ratio eſt habita, quadraginta verbera non exceſſit ſupplicium illud: nec plura à Pilato Judæi, tametſi crudelis, poſtulare poterant, ut ad illorum ſatietatem Chriſtus Dominus cæderetur. Lex quippe in Deuteronomio lata eſt Cap. 25. v. 3. *Si eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis, proſternent eum, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat.* Quam legem etiam Chriſti ætate, ac deinceps ſervaſſe Judæos, teſtis eſt Paulus Apoſtolus in Epiſtola 2. ait Corinthios Cap. 11., ubi ſe quinquies à Judæis flagellis cæſum ſcribit, ad tamen, ut infra quadraginta plagas ſteterit cæſio qualibet: *A Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi.* Veriti enim Judæi, ne Lictores in ipſo verberandi impetu conſtitutum ad lege verberum numerum excederent, plagam unam demere ſoliti erant. Quæ conſuetudo ad Seniorum traditiones eſt referenda.

VI. Turpiùs hallucinantur, ac in ipſum Euangelii contextum peccant qui inflictam Chriſto Domino verberum pœnam obtendunt virgis ſpineis, & catenis aduncis: nempe ut ſupplicii hujus immanitatem exaggerent. Immane fuiſſe non negaverim, at quantum ſint Euangelii veritas. Marcus autem Chriſtum *flagellis cæſum* aſſerit, non virgis ſpineis, non catenis: vocabula ipſa Græca φραγελλώσας, & μαστιγῶν, quæ apud Matthæum, Marcum, & Lucam occurrunt, cæſionem notant, quæ flagellis, & nodoſis funiculis perficitur. Cæterùm pœna hæc à Pilato viro Romano inflicta eſt Chriſto, quia apud Romanos vile ſervorum ſupplicium erat: cum contra cæſio per virgas liberorum ſupplicium eſſet: ff. *de pœnis*, L. *Servorum*, L. *Porcia*, & Lege *Sempronia*.

Aberrant demùm turpiſſimè, qui Chriſtum ſecundò flagellis cæſum obtendunt, ex quo nempe ad Crucem ſubinde damnatus fuit, pro more, ſcilicet, Cruciariorum omnium. Quamvis enim ex fori Romani formulis ea etiam ætate ſervari ſolitis, Cruciarii antea cæderentur; quia tamen in Chriſto Domino juſſu Pilati rabidam plebem delinire ſatagentis præceſſerat *emendatoria* flagellatio, non ultra in illum eo ſupplicio ſævitum eſt. Quod inde patet maximè, quia ea flagellationis formula, ubi occurreret, in ipſa ad Crucem deductione, vel ſub ipſam Crucifixionem, atque in ejus perficiendæ momento ſervabatur, ut ſcribit Lactantius lib. 2. Inſtit. Cap. 8. quo tempore nihil hujuſmodi tentatum in Chriſtum referunt Euangeliorum Scriptores; totamque paſſionis ſcenam in aliis occupatam repræſentant.

Chriſtum ad columnam cæſum agnoſcunt Patres, Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, S. Hieronymus Epiſt. 27. Ad Marcellam, S Paulinus Epiſt. 34. Ac ſic quidem more Romano ſolebat fieri: Plautus in Bacch. Act. 4. ſcena 7.

—— abducite hunc

Intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter.

Judæi contrà, proſtratos flagellabant, Deuter. 25. v. 3. *Si eum, qui peccave-*

rit,

rit, dignum viderint plagis, proſternent eum, & coram ſe facient verberari. Columnam hanc à ſe conſpectam ait D. Hieronymus Chriſti ſanguine cruentatam: quam oblongam fuiſſe neceſſe eſt, utpote quæ Sacram Ædem olim ſuſtineret. Romæ tamen in Templo S. Praxedis Martyris brevis admodùm Columna viſitur; quam illam fuiſſe ajunt, cui Chriſtus eſt alligatus. Et hæc quidem ad ſupplicium inferendum accomodatior, quæ tantum aſſurgat ad nates. Sic enim totum penè corpus flagellis patet, aut virgis.

VII. Verberibus ſucceſſit proximè Coronæ ſpineæ impoſitio: tormentum, ut arbitror, inter omnia immaniſſimum; à Pilato quidem ex ſententia non indictum; nulla enim, ſeu Romanorum, ſeu Judæorum lege ſupplitium hujuſmodi ſontibus, ac reis infligebatur: ſed militari licentia, ac feritate excogitatum. Cum enim Chriſtum militibus illudendum Pilatus tradidiſſet; ii, ut quaſi in ſcena Regem ex ludibrio repræſentarent, qui ſe Regem exhibuerat Judæorum; Coronam ſpineam in capite, ſceptrum arundineum in dextera poſuerunt, clamideque coccinea ſuperinduerunt: geminum & ludibrii, & crudelitatis ſpectaculum exhibentes.

De Corona illa ſpinea duplicem errorem ſat latè diſſeminatum obſervo, cùm circa formam, tùm circa materiam. Vulgò enim exiſtimatur, Coronam ex ſpinis rhamni, aut rubi fuiſſe contextam: ac vittæ inſtar frontem, ac tempora cinxiſſe. Verùm non eſt ita: ſed ex juncorum marinorum acuminibus, quaſi longiſſimis ſpinis contexta erat: (quod Toletus, & Perrerius ante me obſervarunt) quorum quidem juncorum acumen adeò ſubtile ſimul, & ſolidum eſt, ut quodquidem denſiſſimum corium, non ſecùs ac ſubula facillimè penetret. Nec frontem tantùm, ac tempora vittæ inſtar corona cingebat; ſed inſtar galeri, & pilei cranium etiam integrum, totamque ſuperiorem capitis partem obvolvebat. Fidenter, ac etiam audacter ea de re pronunciant Galli plerique, ac veluti teſtes oculati; qui de proximo viderunt Pariſiis Coronam illam ſacroſanctam à ſanctiſſimo Rege noſtro Ludovico IX. ingenti ære è barbarorum manibus redemptam, ac Pariſios delatam, ubi ſumma nunc religione colitur. Pilei formam, & juncorum marinorum materiam obſervarunt: idemque Pariſini omnes, ſi neceſſe fuerit, teſtabuntur. Addiderim, quantum ad formam attinet, Euangeliſtas omnes *Coronæ* nomen conſtanter retinere: qui autem exactas, ac preſſas loquendi formulas norunt, id Coronam inter, & Diadema diſcriminis ponunt; quòd Diadema frontem tantùm, ac tempora cingeret, Corona totum Caput obtegeret.

Interea certum inde criterium habemus, unde de tam multis, quæ paſſim in variis locis ad publicum Fidelium cultum aſſervantur, Dominicæ Coronæ Spinis judicium feramus. Quę ex juncis marinis fuerint, veræ illæ, atque germanæ eſſe poſſunt: quæ verò ex rhamnis, dumis, rubis, ſentibus fuerint, quales profectò multas vidimus, eæ ſuppoſitæ omninò ſunt.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum illuſum tunc à Militibus, percuſſum arundine caput, alapis cæſum, ſputis aſperſum memorat Euangelium. Avulſos illi capillos, & barbam addunt aliqui recentiores, & ex Divi Bernardi Tractatu *de Paſſione* adſtruere ſatagunt. Immeritò tamen: cùm & ſileat Euangelium, & ſileant Patres, & Bernardi re ipſa non ſit, qui ejus vulgatus eſt nomine, Tractatus *de Paſſione Domini*.

EXERCITATIO LIII.

De mortis Sententia in Chriſtum lata; de Crucis geſtatione, deque illius forma, & altitudine, necnon de veronica vulgò dicta.

I. HActenus velut in Dominicæ Paſſionis proludiis hæſimus: nunc ad rei caput veniendum. Quæcumque enim de traditione, ac venditione, de pœna verberum, de Coronæ ſpineæ impoſitione ſunt dicta, ad id collineant unicè, ut Chriſtum ad Crucem damnatum, eidemque affixum intelligamus; in qua, & ſacrificium conſummavit ſuum, & noſtræ Redemptionis opus abſolvit. Id ſupplicii genus ex Romanorum, aliorumque Gentilium more fuit, non Judæorum, à quorum priſcis moribus abhorrebat, ſontes Cruci ſuffigere. Quatuor enim dumtaxat apud illos erant ſuppliciorum genera: lapidatio, vivicomburium, ſtrangulatio, ſeu occiſio per laqueum; decolatio, ſeu occiſio per gladium: quamquam & hæc ultima rarior apud Judæos pœna eſſet. Quare quod mandatur Deuteronomii 21. v. 22. *Quando peccaverit homo, quod plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno*: non de Cruce, qualis poſtmodum Romanis in uſu fuit dictum eſt; ſed de furca, in qua quis laqueo interimitur. Quæ etiam ex veteri Teſtamento proferuntur Crucifixionis exempla, aliena planè ſunt, & peregrina. Sic Rex Hai jubente Joſue *patibulo*, ſeu *Cruce* ſuſpenſus dicitur, Joſue 8. v. 29. & quinque Reges Chananæorum *ſuper quinque ſtipites* ſuſpenſi pariter, Cap. 10. v. 26.: at non pro more Judaicæ Gentis, è qua erat Joſue; ſed pro more Nationum illarum barbararum, è quibus erant Reges illi, ſupplicio ſunt affecti. Septem quoque filii Saul *Crucifixi* leguntur 2. Reg. Cap. 21. v. 9. Verùm non à Judæis, ſed à Gabaonitis, *qui non erant de filiis Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum*. Tametſi & lignum omne, in quo quis lato Judicio patitur, & cruciatur, crux perinde dicatur, & patibulum. Legitur quidem apud Joſephum, *Alexandrum Joannis Hircbani filium octingentos captivos in media Civitate crucifixiſſe*, lib. 1. de Bello Jud. Cap. 3. At ea ætate temporum factum id eſt, qua Judæi à Græcis ſubjugati illorum, in ſuppliciis inferendis mores induerant: anno, ſcilicet, ante Chriſtum dumtaxat ſeptuageſimo octavo.

Blaſphemi in Deum lapidibus obrui jubebantur à Moyſe, Levit. Cap. 24. v. 16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte morietur: lapidibus obruent illum omnis multitudo; ſive ille Civis, ſive peregrinus fuerit*. Quare cùm Judæi Chriſtum uti blaſphemum ad mortem expeterent, juxta quòd ajebant Joan. 19. v. 7. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*: lapidibus ex Judaici Fori formulis appetendus erat. At Pilato viro Romano ſententiam ferente, Cruci juxta Romæ formulas ſuffigi

Digitized by Google

figi juſſus eſt. Nec alia de cauſa, ut ſuffigeretur, Judæi poſtularunt, quàm quòd Romanis ſubeſſent Imperatoribus, Forique Romani formulas ſectari cogerentur. Quàm porrò Romanorum judicio infame eſſet, & atrox Crucis ſupplicium, ad quod damnatus eſt Chriſtus, ex Cicerone Oratione in Verrem habemus: *Facinus eſt vincire Civem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium necare; quid dicam in Crucem tollere? Verbo ſatis digno, res tam nefaria exprimi nullatenus poteſt.*

Miror, nonnullos Divi Chryſoſtomi Orat. de Eleemoſina, & Lactantii lib. 4. Inſt. Cap. 8. teſtimonio nixos exiſtimaſſe, Pilatum à ferenda in Chriſtum mortis ſententia temperaſſe, eumdemque Judæorum arbitrio ſimpliciter permiſiſſe. Repugnat quippe geſtorum ſeries. Dicente ſiquidem Judæis Pilato: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*; (quo verbo judicium illis relinquere videbatur) detrectarunt illi, dato reſponſo: *Non licet nobis interficere quemquam*; ſeu ademptam ſibi a Romanis judiciorum capitalium poteſtatem agnoſcerent; ſeu ſimulata ſolemnitatis Paſchalis religione mortis ſententiam ferre ipſimet nollent, ſed ab alio ferri peroptarent. Idcircò ſedens pro Tribunali Pilatus, *adjudicavit fieri petitionem illorum*, ut ſcribit Lucas Cap. 23. v. 24., hoc eſt, Cruci Jeſum ſuffigendum pronunciavit, prout illi violentis, ac pertinacibus clamoribus poſtulabant. Quæ Sanctorum Patrum communis interpretatio eſt. Hinc & Jeſus ſententiæ in ſe ipſum à viro Romano ferendæ præſcius: *Filius hominis*, inquit Lucæ 18. v. 32., *tradetur gentibus ad crucifigendum*. Romanus quoque Hiſtoricus Tacitus in Annalibus: *Auctor*, inquit, *hujus nominis Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus eſt.*

II. Damnatus igitur ad Crucem Chriſtus ſupplicium geſtare ſuum juſſus eſt. Ea enim erat juris Romani formula, ut apud Plutarchum videre eſt lib. *de ſera Numinis vindicta*. Crucem, donec de Civitate exirent, Chriſtum humeris geſtaſſe ſuis, notat Joànnes Cap. 19.: at ut erant ejus exhauſtu vires, partim ob tolerata priora ſupplicia, partim ob crebras tota nocte, totoque mane peractas diſcurſiones; ſtatim atque extra Civitatem ventum eſt, *Simonem quemdam hominem Cyrenæum angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus*: Matthæi 27. Quis Simon ille fuerit, incertum eſt. Cyrenæus, ſeu Cyrene natus dicitur à Matthæo: at triplex Cyrene cum eſſet, una in Lybia, altera in Syria, tertia in Cypro; ex qua fuerit, ignoratur. Gentilem illum fuiſſe, plerique Patres exiſtimant; S. Hilarius, S. Ambroſius, S. Leo, Venerabilis Beda, atque in eo ipſo magnum Myſterium ponunt; quaſi ſignificatum eo fuerit, fore ut, non credentibus Judæis, Gentiles Chriſti Crucem amplecterentur. Hinc tamen Judæum plerique recentiores exiſtimant, haud ita futili conjectura: tum quòd a Marco fuiſſe dicatur *Pater Alexandri, & Ruſi* Chriſti Domini Diſcipulorum, quorum in Epiſtolis Pauli mentio fit: tum quòd prædia, & poſſeſſiones propè Jeroſolymam habuiſſe videatur; quæ Judæorum dumtaxat erant: unde dicitur, veniſſe tunc *de villa*, ſeu ex agro, ut habetur in Textu Græco.

Utcumque tamen ſe res habeat. Simonem hunc unà cum Jeſu ſociis hume-

humeris Crucem geſtaſſe, non vulgi modò, ſed & virorum non imperitorum error eſt. Natum inde errorem arbitror, quòd Lucas Cap. 23. dicat, Milites *impoſuiſſe Simoni Cyrenæo Crucem portare poſt Jeſum*: hinc quippe æſtimatum eſt, ambos fatale lignum ſociis portaſſe humeris; Chriſto præeunte, & partem ſuperiorem ferente, ſequente Simeone, & partem infimam bajulante; uti pro more ſuo Pictores effingunt. Verùm reclamant Eccleſiæ Patres, Origenes in Matth. Cap. 25., S. Athanaſius Serm. de Paſſione, S. Hieronymus in Cap. 27. Matth., S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euang. Cap. 10., S. Leo Magnus Serm. 8. de Paſſione, Beda, Theophilactus, Euthymius: qui Crucem ex uno in alterum translatam referunt; Chriſtumque onere liberum præiviſſe, Simonem verò ſolum eodem illo onuſtum proceſſiſſe, apertiſſimè docent. Quin & hoc ipſum inſinuant Matthæus, & Marcus, dum Simonem adactum ajunt, *ut tolleret Crucem ejus*. In Textu enim Græco eſt verbum *αἴρειν*, quod non ſolùm *oneris lationem*, ut ita loquar, ſed oneris ex uno in alterum translationem ſignificat.

Non morabor hic inſanum Baſilidis, & Marcionis errorem, qui, ſi qua fides eſt Tertulliano lib. de Præſcriptionibus Cap. 26., D. Auguſtino lib. de Hæreſibus, Euſebio lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 8., contendebant Chriſtum Dominum, Ligno Crucis in Simonem translato, ita Judæorum oculos perſtrinxiſſe, ut ſeſe inde ſubduxerit, & evanuerit: unde effectum ſit, ut Judæi crucifigentes Simonem, Chriſtum crucifigere ſint arbitrati. Hęc, inquam, non moror; adeò enim inſulſa ſunt, ut confutatione non egeant.

III. Unum tamen ex ea Dominicæ Crucis geſtatione colligere præſtat ad fabuloſæ de illius proceritate traditionis confutationem. Si enim homo unicus Chriſtus primùm ex multa jam ſanguinis miſſione debilitatus, tum Simon de via feſſus ſaluti ferum Lignum bajulavit, ſuſtulitque; qui fieri potuit, ut illius quidem longitudo ad quindecim pedes, latitudo ad octo, uti fertur, aſcenderet: maximè ſi quercus fuit, arbor utique præ cæteris gravis, & ponderoſa? Et quidem Cruces eminentiores aliquando fuiſſe, nil dubito: verùm eæ eminentioris ſtatus, atque fortunæ viris, ſi quando eo ſupplicio necandi eſſent, parabantur: quod prudenter obſervat Baronius in notis ad diem 7. Aprilis: qualem profectò nec Judæi, nec Romani Chriſtum noſtrum habebant, ſed fabrum, & fabri filium. Sunt eminentiorum hujuſmodi Crucium exempla complura, at nonniſi pro ſummis, & eminentibus viris: lib. Eſther Cap. 6., & 7. pro Amane: apud Juſtinum lib. 18. Hiſt. pro Cartalo: apud Svetonium in Galba Cap. 9. pro Cive Romano: apud Valerium Maximum lib. 6. Cap. 9. pro Tyranno Polycrate. Qua perinde ratione Imperator Auguſtus Erotem ſuum in Ægypto Procuratorem malo navis ſuffigi juſſit; de quo Plutarchus in Apophtegmate. Humiles verò Cruces humilibus parabantur; adeout ferarum quadrupedum morſibus ſuffixi quandoque paterent: ut eſt apud Materialem, lib. 1. Epigr. de Laureolo, & apud Euſebium lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 1. de Sancta Blandila Martyre. Accedit, quòd titulum in ſummo Crucis affixum præ-

tereuntes commodè legerent, referente Joanne Cap. 19. Euangelii v. 20. Is autem, ut erat tribus linguis inciſus, Hebraica, Græca, & Latina; ac in tabella quidem non admodum ampla, qualis etiamnum Romæ viſitur, & characteribus haud ita magnis; vix, ac ne vix quidem legi potuiſſet, ſi proceræ quindecim pedum Cruci ſuppoſitus eſſet. At de his ſatis.

IV. Chriſto ad Calvariæ locum ita pergenti turbam multam comitatum feciſſe, narrat Lucas Cap. 23., præſertim verò mulierum plangentium, lamentantium; quibus ille dixerit, ut non ſuper ſe, ſed ſuper filios ſuos flerent, qui ad multas anguſtias erant adigendi. Quænam piæ illæ, ac religioſæ mulieres fuerint, quidve officii Chriſto præſtiterint, tacet Euangelium. Fertur tamen, in iis unam extitiſſe, *Veronicam* nomine; quæ ſudarium Chriſto exhibens, ut faciem ſudore, & ſanguine madentem abſtergeret; hoc idem ab illo confeſtim reſtitutum acceperit, impreſſa vultus ipſius effigie inſignitum. Audacior fortaſſe videar, ſi Hiſtoriam illam totam rejiciam, & exſufflem. Dicam tamen ſimpliciter, quid rei ſit, ut de ea judicium quiſque ſuum ferre poſſit.

Silentium facti hujus altiſſimum eſt, non modò in Euangelio, verùm etiam apud omnes Eccleſiæ Patres, vetereſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tractatores, imò & apud omnes mediæ ætatis Scriptores. Primus omnium eam nobis Hiſtoriam prodidit Marianus Scotus in Chronico, Auctor lubricæ fidei, eruditionis exiguæ, recentis ætatis: quippe qui cadente dumtaxat undecimo ſæculo ſcripſit. Laudat ille quidem Methodium quemdam, ex quo ſuam illam Hiſtoriam hauſerit: at quis ille, cujuſve ætatis fuerit, ignoratur. Certè non fuiſſe illum Magnum Methodium Tyriorum Epiſcopum, res illa probat vel maximè, quòd nihil hujuſmodi in ejus Scriptis legere ſit: fabulaſque ex ſuo illo Methodio venditet Scotus, quas notæ ſanctitatis, & eruditionis Epiſcopo nemo tribuerit. Libellum manu ſcriptum, de Sacræ hujus imaginis ſudario impreſſæ translatione Romam factæ in Bibliotheca Vaticana ſervari, teſtatur Baronius: at quandonam, & à quo ſcriptus fuerit, non inſinuat: nec eo ſolo titulo auctoritatem libellus obtinet; quòd in Bibliotheca Vaticana ſervetur. Hæc enim, ut alicubi idem Baronius ſcribit, *ſimilis eſt ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti*, bonos nimirum, & malos.

Ad hæc etiam, tota retrò antiquitate *Veronicæ* nomen ignotum eſt. Unde & illi ipſi, qui primi Hiſtoriam hanc retulere ſæculo duodecimo, piam illam, religioſamque mulierem, alii quidem *Venicem*, alii *Veronicem*, nonnulli *Berenicem* appellant: unde poſtmodum per depravationē *Veronica* dicta eſt. Depravationem illam nominis aliunde natam exiſtimant viri eruditi, quibus aſſentior maximè: quòd nimirum, ut primùm pingi cœpit pia mulier Chriſti faciem ſudario impreſſam manibus geſtans, *Veronica* dicta ſit facies ipſa ſudario impreſſa: *Veronica* enim idem Græcè ſonat, ac *vera imago*: ignari autem, quorum infinitus eſt numerus, *Veronicam* nomen eſſe exiſtimarunt, non imaginis ſudario impreſſæ, ſed mulieris geſtantis imaginem. Hinc orta *Sancta Veronica*, quæ numquam in

Cœlo,

Cœlo, imò & numquam ſub Cœlo fuit; quamquam in nullis Martyrologiis locum invenerit.

En quid priſca ferat antiquitas, altum nempe de toto illo facto ſilentium. Cœterùm ſi poſterioris ætatis Scriptores audire libet, ab undecimo Eccleſiæ ſæculo, ac deinceps factum referunt, Marianus Sotus in Chronico ad annum 39., & Lucius Dexter ad annum 48. Sacram quoque Chriſti imaginem ſudario impreſſam Romam jamdudum translatam (qualis viſenda proponitur in Baſilica Vaticana) ſcribunt Petrus Mallius libro inedito *de Baſilica S. Petri*, Petrus Diaconus Monachus Caſſinenſis libro manuſcripto *de Locis Sanctis*, Matthæus Vveſtmonaſterienſis, in Floribus Hiſtoriæ Anglicanæ ad annum 1216., Jacobus Grimaldus, Auguſtinus Patritius, Jacobus de Trecis, Baronius. Quibus addere præſtat Romanos Pontifices, Nicolaum IV., Clementem VI., VII., & VIII., Gregorium XIII. de tanto theſauro in Sacro Baſilicæ Vaticanæ Cimelio aſſervato ſuis diplomatibus fidem facientes. Qui tamen ſacram Chriſti imaginem ſudario impreſſam *Veronicam* vocant, non mulierem geſtantem imaginem. Ex his omnibus colligere facile eſt, factum ipſum piæ, ac religioſæ mulieris Chriſto ſudarium præbentis, idemque Chriſti imagine inſignitum recipientis incertum omninò eſſe, utpote quod ſæculo dumtaxat undecimo vulgari cœperit: nomen verò *Veronica* mulieri huic attributum, popularem prorſus errorem eſſe. Cum non mulieris, ſed imaginis ſudario, ut putatur, impreſſæ nomen id eſſet; ſi tamen extitit aliquando. Sed redeamus in viam, & Chriſti, & noſtram.

V. Ut ad Calvariæ locum ventum eſt, Cruci ſuffixus eſt Chriſtus. Quæ Crucis ſalutiferæ forma fuerit, quæ materies, amplum diſputationis argumentum eſt. Et quidem, ſi formam quærimus, Crucium duplex genus eſt: altera Crux ſimplex dicitur, altera compacta. Simplex nonniſi rude lignum, informe, ac ſimplex eſt, cui miſer, ſeu clavis infigitur, ſeu funibus alligatur. Compacta duplici ligno obliquato compingitur: atque hujus rurſus triplex ſpecies eſt, decuſſata, commiſſa, immiſſa. Decuſſata, quaſi per medium ſecta; dum, ſcilicet, duo ligna directa inter ſeſe obliquantur ex æquo ad ſpeciem litteræ majuſculæ X. qualis Andreana Crux fuiſſe dicitur. Commiſſa; dum erecto ligno brevius alterum in ſummo committitur ſic, ut nihil extet deſuper, nihil emineat: qualis eſt littera majuſcula T. Immiſſa demum, dum erecto ligno tranſverſum alterum ſecando injungitur, atque immittitur ſic, ut recti ligni ſumma pars ſupra tranſverſum emineat, eoque veluti ſecta videatur. ✝

Chriſtum in ſimplicem Crucem, aut etiam in decuſſatam actum eſſe, nemo, quod ſciam, ſcripſit, aut finxit. In immiſſam potiùs, cujus ſumma pali pars ſupra tranſverſum lignum emineret, cui & titulus affixus eſſet, ſublatum illum fermè omnes agnoſcunt. Ego verò non immiſſæ, ſed commiſſæ Cruci ternos dumtaxat angulos, ſeu fines habenti, ac litteræ T. ſpeciem referenti Salvatorem affixum exiſtimo: cui poſtmodum adjecta ſupernè titularis tabella coronamentum addiderit. Nulla itaque erecti ligni pars ſupra tranſverſum tollebatur, cui affixus eſ-

Digitized by Google

ſet cauſæ titulus, ut communiter creditur : ſed additiția dumtaxat tabella triglotton titulum referens commiſſam deſuper Crucem eminebat.

Hujus formæ Crucem Servatori Mundi aptatam ex priſcis Eccleſiæ Patribus, & Sacrorum peritis accipio. Hanc enim commiſſam fuiſſe, ac litteræ T. ſpeciem retuliſſe, pleriqne Veterum conteſtantur: Tertullianus lib. 3. contra Marcionem: *Ipſa littera Græcorum Tau, noſtra autem T. ſpecies Crucis eſt*. Hieronymus in Cap. 9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus uſque hodie Samaritæ utuntur, extrema Tau Crucis habet ſimilitudinem.* Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſt. ad Severum 2. *Chriſtus non multitudine, vel virtute legionum, ſed jam nunc in Sacramento Crucis, cujus figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, adverſarios Principes debellavit*. Quibus accinunt Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccleſ. Cap. 15., Ruffinus lib. 2. Cap. 29., omnium verò diſertiſſimè Innocentius III. Rom. Pont. Serm. 1. habito in quarto Concilio Lateranenſi: *Tau*, inquit, *eſt ultima littera Hebraici Alphabeti, exprimens formam Crucis, qualis erat, antequam Domino Crucifixo Pilatus titulum ſuperponeret*. Ex quo perinde diſcimus, Pilatum nonniſi ſuffixo jam Chriſto commiſſæ Cruci titularem tabellam ſuppoſuiſſe, non ligno ſupra tranſverſum eminenti affixiſſe; eamque tabellam ternis Crucis angulis quartum addidiſſe. Et certè, ſi in eminenti deſuper pali parte titulus fuiſſet affixus, ut vulgò pingitur; dum Helena Conſtantini Mater tres Cruces, Chriſti ſcilicet, & Latronum, disjectumque ſeorſim titulum invenit, eruitque; nullo hominis redivivi portento fuiſſet opus ad diſcernendum, è qua Dominus pependiſſet; cùm vel ipſa affixi olim tituli clavorum veſtigia, atque foramina in ſumma ligni parte extantia prodidiſſent. Non ergo recti pali ſuprema pars ad tituli affixionem ſupra tranſverſum eminebat, quod immiſſæ Crucis proprium eſt. Maximè cum titulus ipſemet Cruci non eſſet affixus, ſed columnæ ſupernè impoſitæ inſcriptus, ſi Nicephoro Callixto fides eſt Dominicæ Crucis inventionem narranti lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 29. *Tres*, inquit, *ſparſim diſiectæ Cruces, & tabula præterea alba inventa, in qua diverſis litteris Pilatus Regem Judæorum inſcripſerat; eaque ſupra caput Chriſti collocata, in morem columnæ crucifixum illud Judæorum Regem eſſe promulgarat*. Eamdem ſalutaris ligni formam, commiſſam, ſcilicet, non immiſſam referunt antiqui Ægyptiorum obeliſci Romam advecti, picturæ antiquiſſimæ; quæque Magni quondam Antonii pænulam ſigno illo T. notatam repræſentant.

Neque huic repugnare cenſendi ſunt Patres illi, qui quadratam Crucis formam agnoſcunt, ut Hieronymus in Commentariis ad Caput. 11. Marci, & Minutius Felix in Octavio: aut qui quatuor ejus extrema diſtinguunt, ut S. Maximus Taurinenſis Homil. 11., Damaſcenus lib. 4. de fide Cap. 12., & Sedulius lib. 3., aut demum qui quatuor illius dimenſiones exponunt, ut D. Auguſtinus Tract. 118. in Joannem, & Enarratione in Pſal. 103., cuius hæc verba ſunt: *Erat latitudo, in qua porrectæ ſunt manus; longitudo à terra ſurgens, in qua erat corpus affixum; altitudo ab illo annexo ligno ſurſum, quod eminet profundum, ubi fixa erat Crux, & ubi omnis ſpes vitæ noſtræ*. Non, inquam, iſta repugnant: ſi enim commiſſæ Cruci

ei titulum ſuperne addideris, maximè verò in columnæ modum, ut laudatus paulò ante Nicephorus obſervavit, quadratam formam, quatuor extrema, quatuor dimenſiones habebis: etſi nihil horum præſtiterit ſectus in ſummo palus, ut in immiſſa Cruce contingit. Quod utiq; ſignificatum voluit Auguſtinus, dum Crucis altitudinem petit *ab eo innexo ligno quod ſurſum eminebat*. Hoc enim non aliud erat, niſi tabella titulum præferens, non ipſa defixi ligni ſumma pars. Unde Gloſſa ſupra Clementinam primam de ſumma Trinitate ait: *Tabulam ſupra Crucem loco quarti brachii fuiſſe*. Profectò quadratam Crucis formam niſi hoc ſenſu dixerint Patres, ut quartum angulum ſolus titulus redderet, ſecum ipſi pugnabunt: cùm & Hieronymus, & Tertullianus quadratæ formæ aſſertores, eamdem tamen Crucem litteræ T. ſpeciem, atque figuram retuliſſe, alibi fateantur.

VI. Ad Crucis Dominicæ formam pertinere quoque cenſenda ſunt ſuppedaneum, & ſedile; in quibus falli video propemodum univerſos. Suppedaneum enim Cruci aptatum perpauci hodiè norunt, ſedile vix ullus agnoſcit. Et tamen ex veterum Patrum teſtificatione nil certius, quàm tabulam quamdam ſuppedaneam in infima Crucis parte fuiſſe poſitam, cui pedes ſupponeret crucifixus; imò cui crucifixi pedes affigerentur: itemque in medio Crucis ſtipite lignum perbreve, ſive palum in cornu modum fuiſſe impactum; cui inſederit, & quaſi inequitarit crucifixus. De tabula ſuppedanea diſertus eſt locus S. Gregorii Turonenſis lib. de Gloria Martyrum Cap. 6. *In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam tanquã ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Cui ſubſcribit Innocentius III. Rom. Pont. Sermone 1. de Martyre uno: *Fuerunt autem in Cruce Dominica ligna quatuor: ſtipes erectus, & lignum transverſum: truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*: quo nomine trunci ſuppoſiti, quem titulo ſuperpoſito Innocentius opponit, ſuppedaneum ſcabellum intelligere neceſſe eſt: ut ſicut ille ſuprà verticem, ita & eſſe ſub pedibus eſſet, totique corpori ſupponeretur. Quod perveterſtis Chriſti Crucifixi imaginibus admodùm multis confirmat Franciſcus Fevardentius in Notis ad lib. 2. Sancti Irenæi adversùs Hæreſes Cap. 42., & in veteribus nummis obſervarunt Franciſcus Nanſius, & Joſephus Scaliger in ſuis ad Euſebium Animadverſionibus. Sed & in argentea Crucifixi Imagine, quam Carolus Magnus à Leone III. coronatus Baſilicæ S. Petri in Vaticano dono dedit ſub annum Chriſti 815., idem ſuppedaneum cernebatur, cui bini pedum clavi inſigebantur: ut ſcribit Angelus Rocca in deſcriptione Sacrarii D. Petri. De cornu autem, ſeu ſedili ad medium ſtipitis Crucis infixo deſertus eſt locus S. Juſtini Martyris in Dialogo cum Triphone Judæo: *In medio Crucis defixum eſt lignum, quod etiam ut cornu eminet, in quo vehuntur, & inſident, qui Crucis ſupplicium ſubeunt.* Et S. Irenæi lib. 1. adversùs Hæreſes Cap. 42. *Ipſe habitus Crucis fines* (ſeu ſummitates) *habet quinque: duos in longitudine, duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit, qui clavis affigitur.* Quod etiam non obſcurè ſignificat Tertullianus; palum illum medium in modum ſedilis adnotans lib. adversùs Judæos Cap. 10. *In antenna navis, quæ Crucis*

pars

Digitized by Google

pars eſt, hujus cornua vocantur. Unicornis autem in medio ſtipitis palus. Et lib. 2. contra Marcionem: *Pars Crucis, & quidem major eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur. Sed nobis tota Crux imputatur cum antenna, ſcilicet, ſua, & cum illo ſedilis exceſſu.* Tres, ſcilicet, Crucis partes agnoſcit; majorem, erectum, ſcilicet, robur; alteram, tranſverſum lignum inſtar antennæ; poſtremam, *ſedilis exceſſum*, ſeu palum ad ſedendum eminentem. Nempe *ſedilis exceſſum* nuncupat Tertullianus, quod *cornu eminens*, ſeu *ſummitatem ad inſidendum, & quieſcendum*, Juſtinus & Irenæus appellant.

Iis porrò Patribus eò major in delineanda Crucis forma danda eſt fides, quòd ante Conſtantini Magni tempora Eccleſiam illuſtrarint; quo videlicet, tempore Crucis ſupplicium adhuc apud Romanos ad ſontes puniendos in uſu erat; poterantque in ea deſcribenda oculorum teſtimonio niti. Hoc enim reorum ſupplicium ad Chriſti Crucifixi venerationem lege primus omnium ſuſtulit Conſtantinus: ut eſt apud Sozomenum lib. 1. Hiſtoriæ Cap. 8., & Nicephorum lib. 7. Cap. 46. Cumque Judæi protervi, ac pertinaces quadam anni feſta die Crucifixi imaginem una cum Cruce flammis abſumere ſoliti eſſent: ac ne ſacrilegiis à Chriſtianis arguerentur, illud obtenderent, ſe non Chriſtum noſtrum, ſed Amanem hoſtem ſuum tali olim ſupplicio affectum repræſentare: hujuſmodi facinus novo edicto vetuit Theodoſius junior, cujus hæc verba ſunt, Cod. Theod. lib. 16. titulo 8., & in Cod. Juſtinianeo, titulo de Judæis, & Cœlicolis, L. *Judæos*: *Judæos quadam feſtivitatis ſuæ die ſolemni Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & Sanctæ Crucis aſſimilatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ Fidei ſacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores prohibeant: ne locis ſuis Fidei noſtræ ſignum immiſceant. Sed ritus ſuos infra contemptum Chriſtianæ Religionis retineant: amiſſuri dubio procul permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperaverint.*

At mihi videor, ſatis de Crucis forma diſſeruiſſe. Proximum eſt, ut de ejuſdem materia diſſeramus. Erit id futuræ Exercitationis argumentum, in qua & de ligni ſpecie, & de modo, quo ſuffixus eſt Chriſtus, cumulatiſſimè diſputabimus.

EXER-

EXERCITATIO LIV.

De ligno Crucis, & Chriſti in eo ſuffixione, cæteriſq; nonnullis Crucifixionis adjunctis.

I. DE Crucis Dominicæ forma ea in ſuperiori prælectione ſunt dicta, quæ, cum neceſſaria viderentur, præteriri à me, nec poterant, nec debebant. Nunc de ejuſdem materia primo loco dicturus, vereor maximè, ne curioſa magis, quàm vera, ac neceſſaria ſectari videar: cùm nihil certi hac in parte definiri, ac ſtatui poſſit, veterum quidem Patrum ſuffragio, atque ſententia.

Fuere, fateor, poſtrema ætate nonnulli, qui quatuor ligni ſpecies in ſalutari Cruce excogitarunt, Cedrum, Palmam, Cypreſſum, Olivam. In his eſt Auctor Gloſſæ ad primam Clementinam *de ſumma Trinitate*: *Fertur*, inquit, *etiam Crux quatuor genera lignorum habuiſſe, ſcilicet, Cedrum in ſtipite, Palmam in pado per longum, Cypreſſum in ligno ex tranſverſo, Olivam in tabula ſuper Crucem loco quarti brachii. Et datur Verſus: ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cypreſſus, Oliva.* At id non aliunde petitum, quam ex inſulſo, & malenato Opuſculo Venerabili Bedæ perperam inſcripto, cui titulus, *Collectaneum de quatuor generibus ligni in Chriſti Cruce*; ubi Crux Chriſti quatuor lignis compacta dicitur, ac nec iiſdem omninò, ſed Cedro, Cypreſſo, Pino, & Buxo: *Crux Domini*, inquit, *de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur Cypreſſus, Cedrus, Pinus, & Buxus. Sed Buxus non fuit in Cruce, niſi tabula de ligno illo ſupra frontem Chriſti fuit, in quo ſcripſerant Judæi titulum, Hic eſt Rex Judæorum.* Quæ porrò inepto Opuſculo danda fides?

Miſſo Buxo, tria dumtaxat ligna in Dominica Cruce commenti ſunt alii, aliterque diſpoſita: Cypreſſum in ſummo, Pinum in tranſverſo, Cedrum in imo. Ita Cantacuſenus *in Aſſertione contra Mahumetanos*. Nec defuere demùm, qui Abietem, Buxum, & Pinum ſtatuerunt; deq; Dominicæ Crucis lignis Iſaiæ Oraculum expoſuere: *Gloria Libani ad te veniet; Abies, & Buxus, & Pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ.* Cap. 60. At quo teſte, quo ſuffragatore ſomnia hujuſmodi venditantur? Cùm aliàs certiſſimum ſit, Iſaiam non de Dominica Cruce, ſed de lignis ex Libano Jeroſolymam advectis ad Salomonis Templum conſtruendùm iſta dixiſſe. Ut ſileam, ineptum eſſe, duplicem ligni ſpeciem in eodem recto Crucis palo, Cypreſſum in ſummo, Cedrum in imo, ſeu ſtipite, comminiſci. Procul ergo commenta iſta nulla certa auctoritate fulta.

Si quis in re obſcuriſſima conjecturis eſt locus, ad Lipſium, cœteroſque propiùs accederem; qui Chriſti Crucem ex unico ligno, & quidem quercu, ſeu robore fuiſſe, ſunt opinati. Primò, quia viri fide digni, quibus propiùs intueri, atque conſpicere licuit, quæ nunc extant Sacratiſſimi Ligni fruſta, hujus ligni ſpeciem referre, conteſtantur. Secundò, quòd crebra, & frequens in Judæa olim fuerit, ac nunc quoque

que ſit arbor illa; Cruceſque, & furcas, ex obvio quoque, & prompto ligno fuiſſe conſtructas; veriſimillimum ſit. Tertiò, quia robuſtum eſt lignum, fixionis aptum, atque laturæ, reiſque ſuſpendendis aptari ſolitum. Hinc Silus lib. 1. *Quem, poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit*. Et iterum: *Erecto ſuffixum robore, mæſtis oſtentabat ovans populis*. Interea tamen conjecturæ illæ ſunt, nec certam ſtatuunt opinionem. Præſertim cùm, quæ nunc fruſtra ſuperſunt, tenuiora ſint, quàm ut certum de ligni ſpecie judicium ferri poſſit.

II. Illud majoris momenti eſt, certiorique judicio definiri poteſt: quid de Crucis ipſius erectione, ac defixione ſentiendum veniat. Qua in re peccari ſæpè video à Pictoribus noſtris, qui Chriſtum in Cruce humi ſtrata, atque jacente affixum effingunt; quæ poſtmodum magno ſatellitum, militumque conatu erecta ſit. Cùm contrà, certo certius ſit, in Crucem jam erectam, terræque paxillis, & cuneis infixam actum illum eſſe. Sic enim Perſarum, & Romanorum ferebat uſus, ut in erectam Crucem reos agerent, non in depoſita figerent. Hinc familiares illæ apud prophanos Scriptores loquendi formulæ: *tollere in Crucem, ferre in Crucem, agere in Crucem, dare in Crucem*: uti & iſtæ apud Plautum frequentiſſimæ, *aſcendere in Crucem, ſalire in Crucem, excurrere in Crucem*: quæ certè erectam antea Crucem innuunt, quam in illam agatur reus. Hinc & Joſephus lib. 7. de bello Judaico: *Baſſus juſſit defigi Crucem, tanquam ſtatim ſuſpenſurus in ea Lazarum*. Et lib. 1. Eſdræ Cap. 6. v. 11. *Omnis, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum, & erigatur, & configatur in eo*. Erectio itaque Crucis confixionem ſontis in Cruce antecedebat.

Secundùm hunc morem cum Chriſto Domino actum eſſe, ſignificat Chriſtus ipſe, qui crucifixionem ſuam, *exaltationem* appellat, Joannis 12. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis ..... Si ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Exaltatio ergo ipſa crucifixione fiebat, non crucifixionem ſequebatur. Quod & apertiùs ſignificarunt Judæi ad Pilatum ſucclamantes: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Tollendus itaque fuit priùs, ut crucifigeretur, non crucifigendus, ut tolletur. Imò Lucas Cap. 23. tollere, & crucifigere pro eodem accipit, dum Judæos ad Pilatum clamantes inducit: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabbam*. Evincunt hoc idem frequentes Patrum loquendi formulæ, quæ Chriſtum in Crucem aſcendiſſe, aut in Crucem elatum fuiſſe, ſignificant. Hilarius lib. 10. de Trinitate: *In lignum elevatus eſt*: S. Athanaſius Sermone de Paſſione: *venit ad locum, ubi erat illi aſcendenda Crux*; quæ certè lignum erectum denotant, non humi ſtratum, dum ei Servator affixus eſt. Caſtigandus igitur eſt hoc in capite popularis error Pictorum audacia inductus.

III. Exoritur adhuc hoc loco quæſtio altera minimè contemnenda de Chriſti in Cruce affixione. Chriſtum Cruci clavis affixum nemo negavit hactenus. Quamquam enim id Euangeliſtæ diſtinctè non notent, ubi Crucifixionem narrant; notant tamen maximè, ubi Thomæ increduli diſcipuli Hiſtoriam ſcribunt: Joannis 20. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam*, ajebat ille.

Digitized by Google

ſe. Verùm in errore verſari permultos invenio, quòd tribus dumtaxat clavis Chriſtum ſuffixum exiſtiment; ſingulis, ſcilicet, ſingulas manus forantibus; tertiò verò binos ſimul pedes, alterum alteri ſuppoſitum transfigente. Repugnat planè Patrum auctoritas clavos omninò quatuor agnoſcentium: ut ſicut ſingulæ manus, ita & ſinguli pedes propriis clavis configerentur. Ita Auctor lib. de Operibus Cardinalitiis, Sermone *de Paſſione*: *Clavis*, inquit, *ſacros pedes terebrantibus*. S. Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Martyrum Cap. 6. *Clavi Dominici quòd quatuor fuerint, hæc eſt ratio: duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis*. S. Auguſtinus lib. Meditationum Cap. 6. *Immaculata Chriſti veſtigia diris confixa clavis*. Ex Scriptoribus etiam inventam ab Helena Chriſti D. Crucem referentibus plerique quatuor ſimul clavos, quibus affixus eſt Chriſtus, inventos retulere. Theodoretus; ſcilicet, lib. 1. Hiſt. Cap. 18. Ruffinus lib. 1. Cap. 8. Caſſiodorus in Hiſtoria tripartita Cap. 18. Nicephorus lib. 8. Cap. 19. Dum enim clavos alios fræno equino, alios galeæ Conſtantini inſertos referunt, quatuor utut minimum fuiſſe pro certò ponunt. Ac ſi recentia documenta excipere juvat, idem ſibi revelatum teſtatur S. Brigitta lib. 7. Cap. 7. Imò Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes, & Lucas Vvadingus in Annalibus Fratrum Minorum ad Annum 1224. conteſtantur, ſacra Divi Franciſci Stigmata clavos omninò quatuor repræſentare. Pugnant quoque pro quatuor clavis Dominicæ Crucis Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebium, Caſaubonus Exercitatione 35. Juſtus Lipſius lib. 2. de Cruce Cap. 9. Richardus Montacutius, *de Origine Eccleſiæ* tom. 1. Sanè ex Romanorum more fuiſſe, ut in reis cruci affigendis ſinguli pedes ſingulis clavis perfoderentur, ex Plauto diſcimus in Muſtellaria, ubi de famulo cruci affigendo ait: *Affigantur bis pedes, bis brachia*. Non poterant autem bis pedes affigi, uti & bis brachia, niſi ſuus cuique pedi, ſuus cuique brachio clavus eſſet.

Non me fugit, ſententiam oppoſitam de Chriſto tribus dumtaxat clavis Cruci affixo S. Gregorii Nazianzeni ſuffragio gloriari, *in Tragicomedia de Chriſto patiente*. At illud quoque novi, Opuſculum illud S. Doctori abjudicari ab univerſis criticæ ſcientiæ peritis: illudque ceu parenti legitimo tribui Apollinari Laodiceno inepto Verſificatori, nulliuſque auctoritatis Scriptori. Non eſt ergo, quòd de Gregorii ſuffragio glorietur.

Obſtupui non ita pridem; dum legerem apud Mellonium lib. de Stigmatibus, & apud Cornelium à Lapide, Chriſtum Dominum clavis; non per volam manus, ſed per carpum adactis fuiſſe confixam. Eſt autem carpus brachii extrema pars, quæ manui jungitur, ubi venæ pulſum attingere ſolet Medicus. Ecquæ verò tanti figmenti probatio fertur ab iis? Nulla planè: niſi quòd, ut ipſi quidem ajunt, clavorum per carpum infixorum ſigna in Sacra Sindone Taurinenſi compareant. Quæ, & qualia ſigna illa ſint prorſus ignoro; qui Sacram illam Sindonem numquam vidi. At volam, ſeu mediam manum clavo fuiſſe confixam, non carpum, ex Sacris, quas legi Litteris certò didici, Joannis. 20. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum* &c. Pſal. 21 *Foderunt manus meas, & pedes meos* Zachariæ Cap. 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

Quæ de Chriſto ſunt prophetice dicta. Manus ibi lego, & quidem medias confixas, & plaga ſauciatas, non carpum. Abeant itaque Mellonius, & Cornelius a Lapide, ſuumque, ſi poſſunt, commentum obvolvant Sindone Taurinenſi: nos ſacris Litteris ſtamus.

IV. Chriſtum nudum omninò de Cruce pependiſſe, Patres affirmant, ac ne illas quidem velatum partes, quas in nobis naturalis pudor obtegi poſtulat: ſeu quòd Adamo innocenti ſimillimus nihil haberet in toto corpore, quod puderet, ut loquitur Auguſtinus; ſeu quòd ad paſſionis ejus gravitatem pertineret, ut hoc etiam oneraretur opprobrio. Ita S. Athanaſius Serm. *de Paſſione, & Cruce Domini*, S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, S. Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei Cap. 12. & lib. 12. contra Fauſtum Cap. 23., S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 6. in Cap. 2. Epiſt. ad Coloſſ. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogica 2., Heſichius Homil. de S. Andrea, S. Bonaventura in Medit. Vitæ Chriſti Cap. 78. Ex recentioribus verò, Joannes Heſſelius, Petrus Montanus, Joannes Molanus, Franciſcus Lucas, Vicecomes, Paleotus, Gretſerus, Suareſius. Quare illos, & ratio, & auctoritas longè fugit, qui Chriſtum de Cruce pendentem femoralibus, aut certè perizomate, tenuive aliquo velo contectum arbitrantur: quique laudatos Patres de ea nuditate locutos exiſtimant paulò latiùs accepta, qua quiſque nudus dicitur, modò ſit extimis indumentis exutus, utcumque ſit genitalia contectus: cùm præſertim perizomata, ſive ſuccentoria non cenſeantur in veſte. Aliam longè Patrum fuiſſe ſententiam, illud arguit, quòd Chriſtum ſic nudum in Cruce fuiſſe dicant, *ut naſcimur nos, ut Cœlum petemus, ut Protoparentes fuere in Paradiſo*, unde nonniſi dejecti fecerunt ſibi perizomata: hacque ipſa de cauſa Chriſti patientis opprobrium, & confuſionem vehementer exaggerent.

Pictoribus attamen numine ſuccenſeo, quòd Chriſtum, ſeu de Cruce pendentem, ſeu ad columnam cæſum, ſeu in Jordane tinctum, renes velo contectum effingant: quando in eo ab illis pudori conſulitur, etſi aliter Hiſtoriæ veritas habeat. Illos verò ſuperbo nimis oculo eſſe puto, faſtidioque delicatiori, qui nec ſic quidem pudori ſatis conſultum putant, magnaſque præſertim Chriſti de Cruce pendentis imagines nonniſi talari veſte contectas vellent, putidamque ex Gregorio Turonenſi libro *de gloria Martyrum* Cap. 22. fabulam occentant, Chriſti Domini imaginem ſuam de integro veſtiri præcipientis, ne ſic nuda conſpiceretur. Næ illos, quæſo, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ emendatores, ac reductores, quæ nudas Chriſti de Cruce pendentis imagines probat, recipitque, tamquàm pietatis, ac religionis affectum maximè commoventes: ut conjectis in eas oculis, *aſpiciamus in auctorem Fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta*. Ad Hebræos Cap. 12. v. 2.

V. Nunc ad ſcenæ clauſulam veniamus. Chriſto in Cruce extincto, dum de illius Corpore deponendo ageretur, *Militum unus lancea latus ejus aperuit*; proculdubio probaturus, num verè egiſſet animam; ſin minùs, eumdem extremo illo ictu confecturus. Militem hunc equo inſidentem Pictores adumbrant; atque ita vulgus equitem putat. Perperàm prorſùs,

ac

ac falsò. Pedes enim, non eques id facinus perpetravit; ut multis oſtendit Clar. Salmaſius Epiſt. 2. ad Bartholinum, ac poſt illum Philippus Rhor in Pictore errante. Neque verò equites ad reos cuſtodiendos, ſed pedites expediebantur à Romanis. Huc accedit, quòd haſtis, ac lanceis pedites, non equites apud Romanos inſtructi eſſent; ut videre eſt apud Titum Livium lib. 4., & apud Varronem lib. 4. de lingua Latina: ubi & hoc monet, haſtam dici ſolitam eſſe à ſtando, quòd ab homine ſtante, non equo inſidente ferri ſoleat. Pedes igitur erat miles ille, non eques. At puto, ea ſolùm ratione duci Pictores, ut equitem potiùs, quàm peditem fingant, quòd miles equo ſubvectus, faciliùs Chriſti ex alto pendentis latus attigerit. Nec obſervant imprudentes, militum lancea pro more oblunga fuiſſe uſum; ut pedes licèt eſſet, Chriſti tamen ex humili Cruce pendentis latus attigerit.

VI. Longinus nomine communiter creditur miles ille; errore ſat latè manante, ac in Martyrologia noſtra jamdudum inſerto. Sic enim Romanum habet Idibus Martii: *Cæſarea in Cappadocia paſſio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe dicitur*: cui conſentiunt Uſuardus, Ado, Græcorum Menologium, Laurentius Surius Tom. 2. Sanctorum, Petrus de Natalibus lib. 3. Catalogi Sanctorum Cap. 201. S. Bonaventura in libello Meditationum, Scriptor apochryphus Manualis S. Auguſtino adſcripti in appendice Tomi 10. Errorem hunc acriter reprehendit Cardinal. Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 34., idque nominis, non militi Chriſti latus aperienti tribuendum monet, ſed Centurioni Chriſtum de Cruce pendentem Dei Filium viſis miraculis confitenti. *Prædictum Centurionem*, inquit ille, *Longinum nomine appellatum fuiſſe, Chriſtique Fidem ſecutum abdicaſſe ſe à militia, ac deinde ad Martyrii palmam advolaſſe, qui ejus res geſtas ſcripſere, teſtantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex Apocryphi quibuſdam Scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eumdemque cæcum fuiſſe militem illum, qui lancea latus Domini aperuit.*

Benè eſt, quòd Eminentiſſimum virum Martyrologiorum reprehenſorem hoc in Capite habeamus: ne ſi nos propria auctoritate faceremus, nimiæ fortaſſis audaciæ argueremur. Eumdem tamen perinde hallucinatum exiſtimo, erroremque errore altero emendaſſe. Nec minùs Longini nomen Centurioni per obreptionem datum arbitror, quàm militi Chriſti latus lancea perfodienti. Ex ſiniſtra, ſi benè conjicio, Græci Textus intelligentia natus eſt error: lanceæque nomen, qua perfoſſum eſt Chriſti latus, in nomen militis incautè imprudenterque translatum eſt. Quæ etiam Codri Urcæi Serm. 10., Gerardi Joannis Voſſii Harmoniæ Euang. lib. 2. Cap. 11., & Joannis Talentonii lib. 2. Theſauri Cap. 9. ſententia fuit. Cum enim Joannes ita ſcribat, εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ τὴν πλευρὰν ἔνυξεν; Græcum lanceæ nomen λόγχη aliquantò corruptum Longi, ſeu Longini nomen ineptè creditum eſt: quaſi dixiſſet Joannes: *Unus peditum Longinus Chriſtus latus pupugit*. Lanceam enim Græci λόγχην dicunt; γ. autem apud Græcos ante χ. κ. γ. ξ. & aliud γ. profertur ut ν., & quando eſt ante κ. non ſolùm profertur, ut ν., ſed etiam ipſum κ. profertur ut

γ. eaque propter πέφαγκα exprimentes dicimus *pephanga*. Quare cum dictione λόγχην, id eſt, *lancea* uſus in Evangeliſta, in qua γ. eſt ante χ., credens quiſpiam litteris Græcis mediocriter tinctus id convenire poſſe litteræ χ. quod litteræ κ. tribui ſolet; dictionem illam pronunciavit latinè *Longi*. Imperiti autem poſtea *Longin* debere legi exiſtimarunt: eaque voce eum intelligi cenſuerunt, qui Chriſti Domini latus aperuit. Atque ita ex lancea factus eſt miles, ex λόγχην *Longinus*.

VII. Nec ſatis hìc fabularum. Non modò commentitium nomen Militi datum eſt, ſed & additum miraculum non vulgare priſcis Eccleſiæ Patribus ignoratum. Militem, ſcilicet, antea cæcum, erumpente Chriſti latere aqua ſimul, & ſanguine, atque in oculos ſaliente, viſum derepentè recepiſſe. Quod Baptiſta Mantuanus lib. Faſtorum non ingrato Carmine cecinit:

Tu cæcus non mente minùs, quàm corpore, ſanctum.
Lancea, & admoto pectus mucrone petiſti.
Inde cruor confuſus aquis, haſtilia circum.
In digitos lapſus tetigit cum lumina, morbum.
Suſtulit.

Quis non riſu ilia quatiat, dum cæcum hominem ad reos cuſtodiendos à Romanis expeditum inaudit? Cæcum, inquam, quod lepidum magis - certo ictu Chriſti de Cruce pendentis latus lancea transfigentem, ut probaret, an re ipſa extinctus eſſet? Idcircò Petrus Comeſtor, & Petrus de Natalibus, ut ſtolidam fabulam incruſtarent, Militis *oculos caligantes* dicere maluerunt, quàm militem omninò cœcum.

VIII. Quodnam ab eo milite Chriſti confoſſum ſit latus, dextrumne, an ſiniſtrum, quàm obſcura, tam inutilis quæſtio eſt. Pugnat pro ſiniſtro Lucas Brugenſis in Cap. 19. Joannis. Stant pro dextero Ivo Carnotenſis Epiſt. 235., Innocentius III. R. P. lib. 2. de Sacro Altaris Sacramento Cap. 54., S. Bernardus Serm. 7. in Pſalmos, Goffridus Abbas Vindocinenſis Serm. 5. de Reſurrectione Chriſti, S. Bonaventura in libello Meditat. quique omnibus præſtat, Auctor Verſionis Æthiopicæ *latus ejus dexterum* diſtinctè notans v. 34. Cap. 19. Joannis. In quorum ego ſententiam lubens deſcendo. Quod etenim ſcribunt aliqui, utrumque ſimul latus fuiſſe confoſſum; Euſtachius Antiochenus apud Theodoretum Dial. 1., S. Leo Magnus Ep. 98. Prudentius Periſtep. Hym. 13., Evangelicæ Narrationi apertè repugnat, Joannis Cap. 19. v. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit*: & Cap. 20. v. 25. *Niſi mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Nec ab errore excuſari poſſe puto, niſi à ſummis viris per Synecdochen *latera* pro *latere* dictum ſit. Quàm tamen interpretationem Prudentius minimè patitur, qui utrumque Chriſti latus ita confoſſum cecinit, ut ex uno quidem Sanguis ex altero aqua defluxerit:

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroque,
Hinc cruor effuſus, fluxit & inde latex.

Cui non abſimile habet Auctor Tragœdiæ *Chriſtus patiens*, Appollinaris Laodicenus apud S. Gregorium Nazianzenum.

IX. Hunc

IX. Hunc ex laterali vulnere aquæ defluxum prodigioſum, ac miraculi plenum negant ut plurimùm Medici: qui læſo juxta Chriſti cor pericardio, lancea, ſcilicet, profundè infixa, aquam naturaliter effluxiſſe opinantur. Et quidem aquam in pericardio agnovit Hypocrates, aut alius quiſquis apud illum eſt Auctor libri *de Corde*: itemque Galenus lib. 5. *de locis affectis*. Unde Georgius Bertinus Campanus lib. 5. Medicinæ methodicè comprehenſæ Cap. 9. ita pronunciat: *Pericardium continet aquoſum humorem, ut Cor calidiſſimum eo veluti rore madeat, & faciliùs palpitet. In vulnere cordis, cum hic humor aquoſus effluit, ſtatim mors conſequitur. Unde Euangeliſtæ ad ſignificandam Chriſti mortem, ex corde, vulnere accepto in latere, aquam exiiſſe, verè, ac ſapienter ſcriptum reliquerunt*. Imò non deſunt, qui dicant, ſolam pleurem, ſinè pericardii, Cordiſque læſione, lancea perforatam aquam illam reddere potuiſſe: cùm in capacitate thoracis plus, minuſve aquei liquoris extet, prò cujusque temperamento; inque Chriſto Domino ob doloris acerbitatem liquor ille veriſimiliter adauctus ſit. Miraculum tamen agnoſcunt, celebrantque S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, & in explicatione Symboli, S. Auguſtinus Tract. 120. in Joannem, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem, Theophylactus in Cap. 23. Lucæ: ſeu quòd ſatis aquei humoris in pericardio non eſſet, ut effluxus hujuſmodi naturaliter fieret: ſeu quòd veræ aquæ effluxus è confoſſo latere factus fuerit, non aquei dumtaxat humoris, qualis extat in pericardio: ſeu demum, quòd non admixti defluxerint gemini liquores, ſed planè diſtincti, ac per vices; primùm quidem ſanguis, tum aqua, ut ſcribit Nonnus in paraphraſi in Joannem; aut contra, primum aqua, tum ſubinde ſanguis, quod Tertulliano, Ambroſio, Hieronymo, Damaſceno, Doctori Angelico viſum eſt.

X. Severiori virga ſunt digni plerique Pictores noſtri, qui Virginem Chriſti Matrem juxta Filii patientis Crucem adumbrant, non lugentem modò, atque dolentem, verùm etiam ejulantem, deliquio correptam expiranti ſimilem, ac inter brachia Magdalenæ, aut Mariæ Cleophæ collapſam exanimem. Itane quæſo? Imò *ſtabat juxta Crucem Maria mater ejus*, inquit Joannes Cap. 19. Stabat autem, non modò corpore erecta, ſed animo: ſtabat, inquam, Fidei firmitate, qua eum certò noverat ſurrecturum: ſtabat animi conſtantiſſimi fortitudine, qua ſeſe Divinæ voluntati ſubjiciebat: ſtabat firma in Divinas promiſſiones fiducia, qua humanæ ſalutis opus extremo illo ſacrificio conſummari debuiſſe, non dubitabat. Ita Veteres, ita Patres de Virgine ſentiunt. Nec audiendi, ſi quid aliter D. Bonaventura in Meditatione Vitæ Chriſti Cap. 77., S. Laurentius Juſtinianus de Triumphali agone Chriſti Cap. 21.. Dionyſius Carthuſianus in Cap. 19. Joannis, S. Brigitta lib. 1. Revelationum Cap. 10., & lib. 4. Cap. 70. docuerunt: Virginemque animi deliquium paſſam, cum primùm Chriſtum de Cruce pendentem aſpexit, commenti ſunt. Spurio enim, atque apocrypho libello deluſi ſunt, ſub Divi Bernardi nomine volitante, *de Lamentatione B. Virginis*; in quo nugæ illæ omnes, atque fabellæ copiosè recitantur: quem tamen ſanctiſſimo Abbati adjudicant, quotquot in cenſendis, judicandiſque Patrum operibus

bus vel mediocriter ſapiunt.

Audiendus meliori titulo S. Anſelmus in hunc ipſum, de quo hic agimus, Euangelii locum: *Maria in fide Jeſu conſtantiſſima, & patientiſſima.... ſtabat diſciplinata, verecunda, licèt lacrymis plena, doloribus immerſa*. Audiendus D. Ambroſius lib. *de Inſtitutione Virgin.* Cap. 7. *Stabat juxta Crucem Mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida*. Et in Conſolatione ſuper obitu Valentiniani: *Stabat Sancta Mater juxta Crucem Filii, & ſpectabat Virgo ſui Unigeniti Paſſionem. Stantem lego, flentem non lego*. Vereor tamen maximè, ne hoc ultimo verbo, niſi de miſſo ejulatu intelligatur, exceſſerit D. Ambroſius. Quamquam enim Virginem *flentem* non dicat Euangelium; dicunt tamen cæteri Patres; dicit & Eccleſia ſacro illo Hymno, quem ab Innocentio III. Pontifice doctiſſimo editum ajunt: *Stabat Mater doloroſa juxta Crucem lacrymoſa, dum pendebat Filius*. Neque lacrymæ animi fortitudini, atque conſtantiæ ſemper adverſantur; cùm & Chriſtum ipſum fleviſſe legamus in Euangelio, tum ſupra Jeruſalem, tum ſuper Lazarum. Sed aliud eſt, quòd Virgo pingatur modeſtè lacrymans, cui non omninò repugno; aliud quòd fingatur miſeros ejulatus emittens, ac demum plorando feſſa, animi deliquio correpta, & inter adſtantium brachia collapſa: quod & ineptiſſimum, & Virginis conſtantiæ prorsùs injurium eſſe contendo.

Non ejulantem cernimus,
Non unguẽ vellentem comas:
Silenſque plus novit pati,
Virtus dolore fortior.

ſacri Hymni verba ſunt in Eccleſia Pariſienſi inter precum Officia recitari ſoliti; quæ nuper Gallicis auribus cecinit Poeta ævi noſtri diſertiſſimus.

Nous ne la voyons pas s'abbanner aux pleurs,
S'arracher les cheveux, perdre ſa patience:
Mais ſa haute vertu ſurmontant ſes douleurs,
Sçait d'autant plus ſouffrir, qu'elle ſouffre en ſilence.

EXER-

EXERCITATIO LV.

De Latronibus unà cum Chriſto Cruci affixis.

I. Accedit ad Paſſionis Dominicæ cumulum, quòd inter duos latrones medius Cruci ſuffixus ſit Chriſtus. Hinc ingens illi orta infamia: ſic enim, ut vaticinatus eſt Iſaias Cap. 53. *Cum ſceleratis reputatus eſt*. Mirum quàm multa de miſeris illis fatali ligno affixis conficta ſint, quæ inemendata prætermittere nefas ſit.

Præcipuum illud eſt, quòd non clavis, ut Chriſtus, affixi, ſed funibus potius alligati Crucibus vulgò credantur. Ecquæ verò hujus diſcriminis ratio; cùm Scriptura pari Crucifixionis verbo Græcè *σαυρῶν* ex æquo utatur in illorum ſupplicio enarrando? Certè, ſi ſic eſſet, non crucifixi, ſed crucibus ſuſpenſi dici debuiſſent. Sed & præſto nobis eſt decretorium Argumentum, quo eam vulgi hallucinationem revincamus, ex priſca, & indubitata Hiſtoria petitum. Cùm Helena Conſtantini mater ad ſacra loca veniſſet, & de Chriſti Cruce quæſiiſſet; fodit illa diligentiùs, ac tres invenit, Chriſti, ſcilicet, & latronum. Anceps diu hæſit, quænam illa eſſet, è qua Mundi Servator pependiſſet; propterea quòd titulus, quo dignoſci potuiſſet, jaceret ſeorſim disjectus: ac demùm ingenti cadaveris redivivi miraculo, & Divina indicatione fuit opus ad diſcernendum. Sic ſanè referunt S. Paulinus Epiſt. ad Severum, Theodoretus lib. 1. Hiſt. Cap. 18., Nicephorus lib. 8. Cap. 29., Alexander Monachus Orat. *de Inventione Crucis*. Quid autem eo miraculo, atque prodigio fuiſſet opus, ſi ſola Crux Chriſti foramina, veſtigia clavorum habuiſſet; non item reliquæ ſociorum? Ex æquo igitur clavis affixi ſunt miſeri, non funibus alligati. Quod ſuo etiam ſuffragio confirmant, S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 15. in Epiſt. ad Romanos, & homilia *de Cruce, & Latrone*, S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2., & Tractatu 7. in Joannem, S. Gregorius Magnus lib. 18. Moralium Cap. 25., S. Baſilius Seleuciæ Ora. 17., Alcimus Avitus Carmine 3. & Nonnus in Cap. 19. Joannis.

II. Latronem pœnitentem ad dexteram pependiſſe, reprobum ad ſiniſtram, certam perinde Patrum ſententia eſt: qui hoc ipſo ſymbolo monſtratum jam tunc docuere, quæ demum in Mundi excidio futura ſit bonorum, malorumque diſcretio: S. Leonis Serm. 4. de Paſſione, S. Auguſtini Tract. 31. in Joannem, S. Hieronymi in Cap. 15. Marci, S. Hilarii Canone 33. in Matthæum, Ruperti Abbatis lib. 2. in Iſaiam. Quibus communi conſenſu ſuffragati ſunt recentiores; uno, quod ſciam, excepto Adriano Junio, latronem reprobum ad dexteram locante, pœnitentem ad lævam, futili planè momento: nempe quòd Jacob proximè moriturus Ephraimo ad lævam poſito potiora jura tradiderit, minora Manaſſi dexteram tenenti. Ecquis verò geminos illos Jacobi nepotes binos latrones præſignaſſe commentus eſt unquam? Quamquàm, ſi præſignaſſe fateremur,

illud

illud reponi commodè poſſet: Jacobum nonniſi decuſſatis manibus utrique benedixiſſe, ut vel hoc pacto Ephraimus, qui jura potiora tulit, dexter benedicenti ſit factus, Manaſſes veró ſiniſter.

III. Cœtera, quæ de latronibus cum Chriſto Cruci affixis: maximè verò de pœnitente vulgo jactantur, aut incerta ſunt admodùm, aut etiam omninò falſa. Incerta imprimis amborum omnia, de quibus ante ſæculum undecimum nihil auditum. Bonum *Matha*, improbum, *Joca* primus omnium dixit Collectaneorum Bedæ adſcriptorum ineptus Conſarcinator. Eumdem illum bonum, *Dimam* primus, quod ſciam, nuncupavit Goffridus Vindocinenſis Serm. 10., quem alii ſubinde pari errore ſeu libertate, *Diſmam*, ac etiam *Giſmam*, *Geſmam*, *Geſtam* vocitarunt. Nonnulli demum *Diſmam* dixere reprobum, *Geſtam* pœnitentem, & ſanctum: unde eſt Carmen iſtud apud Petrum Grillardum:

Imparibus meritis tria pendent Corpora ramis:
Diſmas, & Geſtas, in medio eſt Divina poteſtas.
Diſmas damnatur, Geſtas ſuper aſtra levatur.

Nullum tamen Latroni pœnitenti in Martyrologio Romano, cœteriſque Bedæ, Uſuardi, Adonis, adſcribitur nomen: ubi ejuſdem memoria ita ſimpliciter notatur: 8. Calendas Aprilis. *Jeroſolimam commemoratio ſancti Latronis, qui in Cruce Chriſtum confeſſus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiſo.*

IV. Incertum perinde ejuſdem Latronis Pœnitentis genus: quem Gentilem Chryſoſtomus dixit Serm. 7. in Geneſim; alii Judæum cum Euthymio opinantur. Nec temere prorſus, ut puto, cum Chriſtum promiſſum eſſe Meſſiam crederet. Unde porrò ea viro Gentili notitia fuiſſet? Incertum quoque, Chriſtumne initio blaſphemarit & ipſe, nec niſi poſtea reſipuerit: propterea quòd Matthæus Cap. 27. v. 44., & Marcus Cap. 15. v. 32. de duobus dixiſſe videantur: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: atque ita intellexerint Origenes Tract. 35. in Matth., Athanaſius Sermone de Paſſione, & Cruce Domini. Ambroſius lib. 10. in Lucam, Hieronymus in Cap. 27. Matthæi, Chryſoſtomus Homil. 88. in eumdem, S. Proſper lib. contra Collatorem Cap. 14., Theophylactus, Euthymius, & alii. Cum contrà cæteri plerique, quorum princeps eſt Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euang. Cap. 16., contendant, unicum blaſphemaſſe latronem, altero increpante, ac Chriſti partes ſuſcipiente: quod apertè notavit Lucas Cap. 23. v. 39. *Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temet ipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.* Quæ ſanè ne pænitens quidem alteri exprobrare potuiſſet, ſi & ipſe paulò antea blaſphemaſſet. Quare Matthæus, & Marcus, *latrones* indefinitè per Syllepſim dixerunt, loquendi formula Sacris Scriptoribus familiari; ut blaſpemantis conditionem, non numerum adnotarent.

V. Falſa prorſus, quæ à Petro Exquilino, Dionyſio Richelio, Franciſco Mendoza narratur oblata olim occaſio religioſo Latroni exorandæ

randæ

Digitized by Google

randæ Divinæ miſericordiæ. Quod ii ex Hiſtorica S. Anſelmi narratione, lib. *ad Sororem de beneficiis Dei*, colligere ſibi putant: ubi illum prædas olim agentem in Ægypto in Chriſtum adhuc puerculum Herodis tyrannidem aufugientem incidiſſe narrat, his verbis: *Erat, ut dicunt, principis Latronum filius, qui præda potitus, cùm parvulum in Matris gremio comperiſſet, tanta ei ejus ſpecioſiſſimo vultu ſplendoris majeſtas apparuit, ut eum ſupra hominem eſſe non ambigens, incaleſcens amore complexus eſt eum: Et ô, inquit beatiſſime parvulorum, ſi ſe aliquando tempus obtulerit mihi miſerendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivi ſci. Ferunt, hunc eſſe latronem, qui ad Chriſti dexteram crucifixus eſt, cùm alterum blaſphemantem corripuiſſet dicens: Nonne tu times Deũ, quòd in eadem damnatione es? & nos quidẽ digna factis recipimus, hic verò quid mali fecit? Converſus ad Dominũ, eum in illa, quæ in parvulo apparuerat, intuens majeſtate, pacti ſui non immemor: Memento, inquit, mei, cum veneris in regnum tuũ.* Falſum hoc, inquam, & futilitatis plenum, ab ipſomet D. Anſelmo, de vita eremitica (cujus eſt illa narratio, quæ & inter Apochrypha D. Auguſtini locum obtinuit, in Appendice Tomi primi) judicatum eſt: qui hiſtoriam hanc narraturus ſororem præmonet: *Opinare verum eſſe, quod dicitur*: eademque narrata ſubjungit: *Hoc ad incentivum amoris non inutile arbitror; hoc uti opinione, remota tamen omni affirmandi temeritate*; nempe totum id falſum habet, ac ſinè temeritate affirmari non poſſe putat, eaque dumtaxat mente narrat, quòd ad fructum ſpiritualem conferre poſſit; qui ex apologis quoque, & indubitatis commentis non repudiatur. Quid etiam ineptum magis, quàm animo ſibi fingere, latronem per vias publicas prædas agentem, puerulum Jeſum Menſes vix duos natum ſerio fuiſſe allocutum; ejuſdemque miſericordiam in futurum tempus imploraſſe, in amorem illius jam tunc exarſiſſe, ac tum demùm poſt annos ampliùs triginta, dum in Cruce penderet, ex facie cognoviſſe?

VI. Falſa denique eſt, quæ à Jacobo de Voragine Sermone 3. de Innocentibus, & à S. Vincentio Ferrerio Sermone 4. Majoris Hebdomadæ memoratur converſionis illius cauſa: quòd nempe Chriſti de Cruce pendentis umbra in illum ad Septentrionem poſitum inclinarit; non item in alterum, qui, cùm penderet ad Auſtrum, à Chriſti corpore inumbrari perinde non potuit. Quomodo enim ipſo Meridie, quo Chriſtus in Crucem eſt actus, latronem perinde ſublimem attingere potuit ſalutaris umbra? Aut quæ illi ex Chriſti corpore inumbratio fieri potuit; ſi, quod habet Evangelium, *ab hora ſexta uſque ad nonam*, hoc eſt, à Meridie ad horam inde tertiam, qua Chriſtus ſpiritum Patri reddidit, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram?*

VII. At nullus major, ac periculoſior de Latrone pœnitente obtruſus eſt error, quàm qui à quinto Eccleſiæ Sæculo à nonnullis excogitatus eſt; imò in quem propendiſſe videri poteſt Doctorum aquila Auguſtinus: Latronem, ſcilicet, pœnitentem, aqua de Chriſti latere defluente, tanquam ſalutari baptiſmo fuiſſe perfuſum. Equidem Latronis pœnitentis exemplo, adversùs Baptiſmi neceſſitatem ſæpiùs à Donatiſtis, & Pelagianis laceſſitus Sanctiſſimus Doctor; quò is ſinè Baptiſmate Paradiſum eſſet adeptus; tria reponere ſolitus erat, lib. 4. de Baptiſmo contra Dona-

tiſtas Cap. 22., Super Leviticum quæſt. 84., lib. 1. *de Anima, & ejus Origine* Cap. 9. & lib. 4. Capite pariter 9. Primò, ſupplicium Crucis ſponte ab illo ſuſceptum, ac tanta cum ſpe, & charitate toleratum Martyrii vices tenuiſſe. Secundò, incertum eſſe, an non & ipſe, antequam damnaretur, ſacro Baptiſmate tinctus eſſet. Tertiò, aquam de Chriſti latere ſalientem Baptiſmatis loco illi eſſe potuiſſe. *Inventa eſt in eo* (Auguſtini verba ſunt lib. 1. de anima) *menſura Martyrii, qui tunc in Chriſtum crediti, quando defecerunt, qui futuri erant Martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non Baptizato, tanquam Martyrii ſanguine abluto, tantam felicitatem ſtatim contulit. Sed etiam noſtrum quis non conſideret, quanta fide, quanta ſpe, quanta charitate mortem pro Chriſto vivente ſuſcipere potuit, qui vitã in moriente quæſivit? Huc accedit, quia non incredibiliter creditur, Latronem, qui tunc credidit, juxta Dominum Crucifixum aqua illa, quæ de vulnere lateris emicuit, tamquam ſacratiſſimo Baptiſmo fuiſſe perfuſum. Ut omittam quòd eũ, antequam damnaretur, baptizatum non fuiſſe, quoniam nemo noſtrum novit nemo convincit*. Et lib. 4. Cap. 9. *Latro ille, quamvis potuerit judicio Divino inter eos deputari, qui Martyrii confeſſione purgantur, tamen etiam utrùm non fuerit baptizatus, ignoras. Nam, ut omittam, quod creditur, aqua ſimul cum ſanguine exiliente de latere Domini juxta confixus potuiſſe perfundi, atque hujuſmodi ſanctiſſimo Baptiſmate dilui: quid ſi in carcere fuerat baptizatus, quod & poſt perſecutionis tempore nõnulli clamculò impetrare potuerunt? Quid ſi & antequam teneretur?*

Nihiloſeciùs, binis illis Sanctiſſimi Doctoris reſponſis omiſſis, quæ noſtra modò nil referunt; certo certius eſt, aquam illam de Chriſti latere ſimul cum ſanguine ſalientem Latroni pœnitenti baptiſmatis loco eſſe non potuiſſe: cùm is antea confractis cruribus mortuus eſſet, quàm Chriſti latus perfoderetur, ſaliretque ex eo ſanguis, & aqua. Conſtat id ripſa rerum geſtarum ſerie apud Joannem Cap. 19. *Judæi ergo rogaverunt Pilatũ ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autẽ cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed unus militũ latus ejus aperuit, & cõtinuò exivit ſanguis, & aqua*. Dicendũ igitur, Auguſtinum tertium illud de aqua faliente reſponſum tamquam vulgatam, atque à multis ætate ſua receptam narrationem ad ſolutionis cumulum addidiſſe; cui nec ipſe integram fidem adjungeret. Unde ſubjungit è veſtigio *Verùm hæc, ut volet quiſque, accipiat; dum tamen de Baptiſmo non præſcribat ur Salvatoris præcepto hujus Latronis exemplo*. Et ſanè, quàm ſit illud futile, & ineptum ad Baptiſmatis neceſſitatem oppugnandam Latronis pœnitentis exemplum; nemo prima fronte non videt: mirorque, Divum Auguſtinum bonas horas in eo refellendo collocaſſe, ad quod reponere ſatis erat: necdum tunc, cùm Chriſtus de Cruce penderet, ſuſcipiendi Baptiſmatis præceptum obligaſſe, Chriſtumque ſuprema auctoritate poſſe ſe ipſo effectum Sacramenti cuique conferre ſinè Sacramento, atque ita Latronem pœnitentem, nullo Baptiſmate tinctum æternæ gloriæ feciſſe participem.

EXER-

EXERCITATIO LVI.

De tempore, & loco Crucifixionis: Nec non de Lictoribus, atque tortoribus.

I. DUm, inſtante feſtivitate Paſchali, publicas prælectiones intermittere coactus ſum, eò proceſſerat diſputatio, ut de Chriſti Paſſione, & Crucifixione dicerem. Nunc priſtino muneri reſtitutus; interciſum diſputationis argumentum repeto, novoque conatu reſumo. Neque vereor, ne rem faciam parùm tempori congruentem, ſi in hocce Paſchali gaudio, de Chriſti Paſſione, & Crucifixione dicere pergam. Imò Chriſti ipſius juſſis obtemperabo, qui è tumulo redivivus ſigna vulnerum, veſtigia cicatricum, aperta etiam, & hiantia retinuit; Diſcipuloſque, ut cernerent, digitoſque in ea inferrent, manumque immitterent, provocavit. De Chriſti enim Paſſione dum dicam, quid, niſi hiantia adhuc vulnera conſpiciam, atque palpabo? Quid, niſi in ea digitum inferam, manumque immittam? ac meliori etiam, quàm Apoſtoli, ſorte. Viderunt quippe illi vulnera, tetigeruntque ſubdubitantes, ut docerentur: tangam ego, atque videbo certa fide, ut ſtudioſos diſcipulos doceam.

Itaque ad intermiſſum de Paſſione, & Crucifixione inſtitutum accedo. Rejectis, & confutatis nuperrimè vulgaribus opinionibus, quibus Chriſti Domini Paſſionis, ac mortis Myſteria deturparunt benè multi, tria nobis ſuperſunt enodanda ad plenam, & integram luctuoſi hujuſce argumenti tractationem: primum de tempore, alterum de loco peractæ Crucifixionis: quæ duo non vulgaria ingenia, ſed ſublimia, Eccleſiæ Patres intellige, diu, multùmque torſerunt: tertium de Miniſtris, ſeu de Lictoribus, atque tortoribus, qui ferale in Chriſtum Dominum miniſterium obierunt.

II. Ac tempus quidem quod attinet oppetitæ mortis Chriſti Domini: ſi de anno, tum ſæculi, tum vitæ Chriſti quæſtio vertatur; hoc eſt, quo anno Imperii Tiberii Cæſaris mortuus ſit; quoque vitæ ſuæ anno mortem oppetierit, arcanum arbitror inſolubile. Quamquam enim probari utcumque poſſit, Chriſtum anno tertio poſt Baptiſma ſuſceptum fuiſſe mortuum: quippe qui tres publici miniſterii annos exegit: quia tamen quo anno, tum ſæculi, tum vitæ ſuæ fuerit baptizatus, incertiſſimum eſſe demonſtravimus, dum de illius Baptiſmate ageremus, reſtat, ut & quo anno ſit mortuus perinde ſit incertiſſimum.

Auget quæſtionis hujus incertum Sanctorum Patrum de annis vitæ Chriſti mutuum inter ſeſe diſſidium, nullo unquam ſtudio, nulla induſtria conciliandum. Chriſtum enim anno ipſo vitæ ſuæ trigeſimo crucifixum eſſe, ſcribunt, S. Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum, Tertullianus libro contra Judæos Cap. 8., Julius Africanus apud D. Hie-

Hieronymum in Cap. 9. Danielis, Lactantius lib. 4. Inſtitutionum Cap. 1., D. Hieronymus Epiſt. 22., S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. ultimo, S. Proſper in Chronico, S. Bernardus ſerm. 2. Anno vitę ſuæ trigeſimo primo mortuum docuere Origenes Tract. 35. in Matthæum, S. Petrus Chryſologus ſerm. 151., Philoſtrius Brixienſis lib. de Hæreſibus. Anno vitæ ſuæ trigeſimo ſecundo mortuum dixere, S. Epiphanius Hæreſi 51., & S. Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico. Anno trigeſimo tertio Caſſiodorus pariter in Chronico. Anno trigeſimo quarto, S. Maximus parte prima computi Eccleſiaſtici, & Chronicon Alexandrinum ſeptimo ſæculo exaratum. Anno propè vitæ ſuæ quadrageſimo S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 54., & Regino Abbas Prunienſis. Anno propè vitæ ſuæ quinquageſimo, S. Irenæus lib. 2. contra Hæreſes Cap. 39. (ſi tamen nullum in ejus textu mendum eſt, quod aliqui putant) Quid ergo certi, atque conſtantis in tanta Sanctorum Patrum diſſenſione ſtatuemus?

III. Verùm ſi de die oppetitæ mortis quæſtio moveatur, quam ſextam Hebdomadæ fuiſſe, ſeu *Paraſceven*, aſſerit Euangelium: eam ſanè in diem octavam Calendas Aprilis, ſeu vigeſimamquintam Martii anno illo incidiſſe, communis Eccleſiæ traditio eſt: cujus nobis teſtes locupletiſſimi ſunt, Tertullianus lib. contra Judæos Cap. 8., S. Joannes Chryſoſtomus Homil. de Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. ultimo, Beda de ratione Temp. Cap. 28., S. Thomas in Cap. 2. Joannis. Quam quidem Traditionem, cum Rogerus Bachonus Ordinis Minorum rerum Mathematicarum peritiſſimus ſæculo decimotertio oppugnare aggreſſus eſſet, confeſtim de errore ſuſpectus malè audiit, ut teſtatur Lucas Vvadingus lib. de Scriptoribus Ordinis Fratrum Minorum: cùmque rurſus ſæculo ſequenti Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus eamdem Traditionem convellere tentaſſet, Senis in Etruria, datis ab Eugenio IV. Judicibus, ex illorum ſententia damnatus eſt. In hujus Traditionis probationem, teſtatur Enſchenius Actorum Bollandi Continuator, ſe, præter Martyrologia typis edita, viginti Manuſcripta ex variis Europæ Bibliothecis conſuluiſſe, quæ Chriſti mortem conſignant die Martii vigeſimaquinta. Ea tamen omnia nihil morati nonnulli ætatis noſtræ Chronologi, Chriſtum die quarta Aprilis Cruci ſuffixum exiſtimant, aſtronomicis rationibus ducti, in quibus, fateor, me minùs eſſe verſatum, ut de iis judicium ferre qualecumque poſſim. Illud tamen, quamquam non ſum Aſtronomus, pronunciare auſim: nihil ea de re certi colligi poſſe ex Lunæ, Soliſque moribus. Etſi enim in quamquoque anno, ſeu Martii, ſeu Aprilis diem inciderit Martium Plenilunium, retegi poſſit: quia tamen quo anno mortuus ſit Chriſtus Dominus, incertum omninò eſt, etſi in Plenilunio mortuus ſupponatur; certa mortis Chriſti dies ex Aſtronomiæ legibus definiri non poteſt.

IV. Si demum de hora ipſa Crucifixionis controverſia moveatur; non levem difficultatem ingerit apparens Marcum inter, & Joannem diſſonantia. Marcus enim Cap. 15. diſertiſſimis verbis habet: *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, Joannes verò Cap. 19. *Erat*, inquit,

Para-

Paraſceve Paſcha, *hora quaſi ſexta*: nimirum more Judaico computata, quæ incidit in Meridiem. A Meridie autem uſque ad horam nonam, Chriſto in Cruce pendulo, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, ac tum demum hora nona ineunte, Chriſtus vocem magnam emittens tradidit ſpiritum.

Mirum quàm multæ ad hanc Marcum inter, & Joannem diſſonantiam conciliandam quæſitæ fuerint reſponſiones. Nonnulli mendum in Marci Textum imperitorum Scribarum oſcitantia irrepſiſſe reſpondent, ac pro hora ſexta, ut initio legebatur, poſitum *hora tertia* in Textu Græco. Quod eò faciliùs fieri potuit, quòd Græci ſimplicibus elementis, ſeu litteris numeros notent: facilè enim ξ. in γ. mutari potuit. Cui reſponſo favent S. Hieronymus in Commentario ad Pſal. 77., & S. Thomas 3. par. quæſt. 46. art. 9. ad 2. Alii, quorum princeps eſt D. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 13., reponunt, ſtare ſalvum & integrum utriuſque Euangeliſtæ contextum: & Chriſtum quidem juxta Marcum crucifixum fuiſſe *hora tertia*, clamoribus Judæorum Chriſtum ad mortem Crucis poſtulantium; crucifixum verò fuiſſe *hora quaſi ſexta* juxta Joannem manibus Lictorum, atque carnificum Pilati ſententiam executioni mandantium. Alii demum, quorum & major eſt numerus, & expeditior nodi ſolutio, reponunt, Chriſtum crucifixum eſſe hora tertia, ut loquitur Marcus, non quidem inchoante, ſed finiente, ac deſinente in ſextam; unde à Joanne dictum ſit, fuiſſe horam, non omnino ſextam, ſed *quaſi ſextam*. Quod ut ab omnibus Judaicarum horarum uſum non habentibus faciliùs intelligatur, recolere neceſſe eſt, quod aliàs me arbitror obſervaſſe, dum de ultimæ Chriſti Domini Cœnæ celebratione diſputarem: Judæos totum diurnum tempus à Sole oriente ad occiduum in quatuor dumtaxat horas diſtribuiſſe; primam, tertiam, ſextam, & nonam, quas ſolas ex nomine appellabant; etſi illarum ſingulæ ternas horas juſtæ menſuræ complecterentur. Adeòque tertia hora judaica deſinente, qua Marcus Chriſtum dixit crucifixum, ſexta hora incipere dicebatur; eratque quaſi hora ſexta, qua eum crucifixum Joannes aſſeruit. En totius ænigmatis ſolutionem, expeditamque Marcum inter, & Joannem ſpecioſæ diſſonantiæ conciliationem.

V. Sequitur, ut de loco, ubi crucifixus eſt Dominus, difficultatem haud ita contemnendam expediamus. Locus ille *Calvariæ dictus eſt* Matthæi 27., hebraicè *Golgotha*; eſtque mediocriter altus, Civitati Jeruſalem proximus ad Occidentem, & Septentrionem. Veterum penè omnium ſententia fuit, idcircò *Calvariæ* nomen obtinuiſſe, quòd illic Adæ caput, ſeu calvaria ſepulta fuiſſet. Sic enim conſtanter affirmant, S. Cyprianus tractatu de Reſurrectione Chriſti, Origenes Tract. 35. in Matthæum, S. Baſilius in Cap. 5. Iſaiæ, S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 84. in Joannem, S. Ambroſius lib. 4. in Lucam, S. Epiphanius lib. 1. adverſus Hæreſes, aliique non pauci à me fusè, atque diſtinctè recenſiti in vindicationibus Melchioris Cani Canarienſis Epiſcopi. Repugnat nihilominus Divus Hieronymus, nec ſinè ſtomacho in Commentariis in Matthæum; locum Calvariæ dictum aſſerens à Calvariis, ſeu Capitibus decollato-

rum:

rum: propterea quòd ibi truncarentur Capita damnatorum, quæ ſæpius jacebant inſepulta. Divo Hieronymo ſubſcribunt, S. Iſidorus lib. 15. Originum Cap. 1., Venerabilis Beda in Cap. 27. Matthæi, Paſchaſius Rathbertus lib. 12. in Euangelium Matthæi, ac etiam Doctor Angelicus 3. par. quæſt. 47. art. 10. ad 3.

Fatendum tamen bona fide, priorem opinionem defenſorum auctoritate, ac numero alteram vincere, imò & ratione etiam ſuperare. Incredibile enim eſt, locum aliquem apud Judæos à truncatis reorum Capitibus nomen ſortiri potuiſſe: cum decollationis ſupplicium, nec lege apud eos ſancitum eſſet, nec conſuetudine comprobatum. Quamquam non negaverim, ſenſim ſinè ſenſu induci cœpiſſe ſupplicium illud, quo ex tempore Judæi Romanis ſubjecti fuere: exempla tamen decollationis apud Judæos rarò admodum occurrunt; ac unicum quidem Joannis Baptiſtæ, Herode jubente, capite minuti ante Chriſti Domini Paſſionem; quòd ita puella ſaltatrix poſtulaſſet.

At obiicit Hieronymus contra communem illam Sanctorum Patrum opinionem: Adamus non propè Jeroſolymam in loco Crucifixionis Chriſti ſepultus eſt, ſed in Hebron, ſeu in Cariatharbe, ut legitur lib. Joſue Cap. 14. v. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Verùm tanti Doctoris bona pace dixerim; meram æquivocationem illic eſſe, luſumque verborum. Agitur quippe ibi de ſepultura *Arbeæ*, viri magnitudine corporis celeberrimi, & patris gigantum Enacitarum, quorum comparatione cæteri quique homines tanquam locuſtæ videbantur, ut habetur Numerorum Cap. 13. v. 34. Arbea ille ſepultus eſt in Hebron, unde Civitas illa ab eo nomen acceperat: dictaque fuerat *Cariatharbe*, hoc eſt, Civitas Arbeæ. Id ergo eſt, quod liber Joſue ſignificat his verbis, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*: hoc eſt, homo maximus inter gigantes Enacitas ibi ſepultus eſt. Adam enim quandoque commune nomen eſt, hominem quemcumque ſignificans, ac non ſemper Protoparentem.

Poſſent tamen ambæ ſententiæ commodè inter ſeſe conciliari. Fieri quippe poſſet, ut ille ipſe locus, ubi primus homo ſepultus aſſeritur, poſtmodum etiam ſit electus ad ſupplicia Damnatorum: unde illi duplici titulo Calvariæ nomen adhæſerit; tum ob calvariam Protoparentis, tum ob calvarias decollatorum, quæ illic inſepultæ relinquerentur: ſi tamen ſat frequens apud Judæos extitit ſupplicium illud, ut ex inſepultorum Capitum multitudine nomen huic loco poſſet imponi. Mitto ſingularem S. Cyrilli Jeroſolymitani opinationem Catecheſi 13., ubi locum hunc, nec ex Adami cranio, nec ex Capitibus damnatorum, ſed ab ipſo Chriſto Capite noſtro ibidem aliquando paſſuro *Calvariam* propheticè nuncupatum affirmat. Sed affirmat ſolus, nulloque momento oſtendit, ac probat.

VI. Tertiam quæſtionem aliquantulum odioſam ægrè admodùm attingo, de Lictoribus, tortoribus, & carnificibus, qui ex Pilati ſententia Chriſto Domino ſupplicia inflixere. Vereor enim, ne ad alicujus Regionis injuriam pronunciare, cenſeri poſſim. Quia tamen nil poſſum

contra

contra veritatem, dicam liberè, Chriſti Lictores, atque carnifices fuiſſe Bruttios, ſeu Bruttianos Italiæ populos, tractum illum Italiæ quondam incolentes, qui hodie Calabria dicitur. Conſtat ſiquidem ex Aulio Gelio, Noctium Atticarum lib. 10. Cap. 3., ex Feſto Pompejo in verbo *Bruttiani*, ex Strabone lib. 6., ex Diodoro Siculo, Bruttios in pœnam, quòd primi totius Italiæ e Romanis ad Hannibalem defeciſſent, ea infamia notatos fuiſſe, ut Magiſtratibus ad regendas Provincias euntibus parerent; & ad infligenda ſupplicia delinquentibus ſuam operam exhiberent. Hinc illud Catonis lib. de falſis pugnis: *Juſſit illius veſtimenta detrahi, & flagro cædi, quem ſubinde Bruttiani verberaverunt*. Nempe ii Lictorum officio fungebantur. Nihil itaque dubitandum, Pilatum Judææ Procuratorem, ac Præſidem ex more, & uſu Romanorum Bruttiis ceu adminiſtris ad infligenda Chriſto ſupplicia uſum eſſe.

Non me fugit. Cardinalem Baronium, ut Bruttiorum gratiam demereretur, auſum non fuiſſe aſſerere, Chriſtum ab iis flagellis cæſum, & Cruci ſuffixum eſſe. At dum Bruttiorum famæ conſulit ſcriptor Eminentiſſimus, haud ſatis conſulit ſuæ. Eas enim, ut Bruttios infamia liberet, rationes affert, quæ minùs profectò congruunt, ac etiam contrarium evincunt. Nimirum, ait ille: Alexandrinos in Ægypto honoris gratia, non à Bruttiis Lictoribus, ſed a ſuis popularibus virgis cædi fuiſſe ſolitos, ubi id judiciorum ratio poſtularet. Addit, ætate Tertulliani, non ſolos Bruttios ferali huic miniſterio fuiſſe deſtinatos, ſed cæteros cujuſque Nationis milites, ut ex illius libro *de Corona militis* liquet. Sit ita porrò, ut Baronius obſervat; quid hoc, quæſo, ad Chriſti flagella, atque ſupplicia: ne & ipſe à Bruttiis cæſus dicatur, & crucifixus? Cùm Chriſtus Alexandrinus non fuerit, ut eo privilegio frueretur, ſed Galilæus; nec in Ægypto cæſus, & crucifixus ſit, ſed in Judæa. Imò, inquio ego, ſi Alexandrinorum hoc erat privilegium, ut non à Bruttiis, ſed à ſuis popularibus cæderentur; argumento eſt, cæteros, atque ita Judæos à Bruttiis Lictoribus pro more, & uſu Romanorum fuiſſe flagellis cæſos, extremoque ſupplicio affectos, ubi eſſet lata ſententia. Fatendum itaque bona fide, quod res eſt, ſemotiſque Regionum affectibus, id ſimpliciter aſſerendum, quod Scriptorum omni exceptione majorum teſtificatione compertum eſt; Bruttios Chriſti tortores, atque Carnifices extitiſſe.

VII. Quandoquidem autem de Chriſti Lictorum, tortorumque patria ſermo incidit; non erit abs re, nonnihil etiam de Judæ patria dicere, de qua multos digladiari video, ſatis meo judicio inutiliter; cùm eam millies in Euangelio ſubindicatam habeamus. Judas enim Magiſtri ſui, ac Domini proditor cognomento *Simonis* dicebatur; quòd quemdam nomine Simonem patrem haberet: & patria *Iſcariotes* eſt dictus, quòd vir eſſet ex *Cariot* oriundus. *Is* enim Hebraicè virum ſonat; *Cariot* civitatis eſt nomen: quare *Iſcariot*, & *Iſcariotes*, idem eſt ac *vir Cariot*, ſeu vir Carioti natus. Qua loquendi formula Hebræi Patavinum hominem dicerent *Is Patavii*; Romanum, *Is Roma*. Ita Divus Hieronymus Judæ patriam retegit in Commentariis ad Caput 18. Iſaiæ. Quia tamen duplex hujus nominis Civitas eſt, altera quidem in Tribu Juda, cujus mentio

eſt

EXERCITATIO LVII.

De prodigiis, Chriſto de cruce pendente, patratis.

I. QUæ, Chriſto de Cruce pendente, patrata ſunt naturæ portenta, atque prodigia, cùm ad patientis gloriam, tùm ad Judaici ſceleris execrationem, ea duplicis generis eſſe dicuntur. Nonnulla à Sacris Euangeliorum Scriptoribus memorantur: ut tenebræ in univerſam terram effuſæ, Sol obſcuratus, velum Templi ſciſſum, terra commota, diſruptæ petræ, aperta denique monumenta. Aliqua à privatis dumtaxat Scriptoribus recenſentur: ut collapſum derepentè Templi ſuperliminare: audita ex intimis Templi adytis horrifica vox, diſceſſum inde, ac ſeceſſionem inclamans, Magni Panos obitus a malis Geniis denunciatus. De primis, quòd Divina auctoritate conſtent, quin re ipſa patrata ſint, nemo ambigit: quo tamen modo, quave ratione ſint geſta, acriter diſputatur. De cæteris humana dumtaxat auctoritate fultis, & hoc ipſum controvertitur, peracta ne fuerint, an temerè ficta. Quod utrumque nobis eſt inquirendum. Itaque ad rem.

II. Tenebras ſuper univerſam terram factas ab hora ſexta, qua in Crucem Chriſtus eſt actus, uſque ad horam nonam, qua ſpiritum tradidit, hoc eſt, à Meridie ad horam inde tertiam, referunt Matthæus, & Marcus; quibus factam Solis obſcurationem addit Lucas Cap. 23. v. 44. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque ad horam nonam: & obſcuratus eſt Sol.* Quocirca univerſæ terræ nomine totum terrarum Orbem, uti & nomine obſcurati Solis veram eclipſim, prodigioſam tamen, intellexere cum Auguſtino Epiſt. 80. ad Heſychium, quotquot Magno Dionyſio Areopagitæ tributa Opuſcula, libros, videlicet, & Epiſtolas tamquam genuinos, germanoſque illius fœtus incircumſpectè reque nondum expenſa receperunt. Quandoquidem obſervatas à ſe, & ab Apollophane in Ægypto tenebras illas, notatumque prodigioſam eclipſim illam memorat larvatus Scriptor Epiſtola 7. ad Polycarpum data, in hæc verba, *Eramus unà ambo, & ſtabamus ad Heliopolim* (quæ inclita Ægypti civitas eſt) *ac cernebamus, nec opinatò, cùm Luna ſe Soli obiiciebat: neque enim conjunctionis tempus erat: rurſuſque cùm eadem ab hora ſexta ad veſperam ſe mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat.* Verùm quo ex tempore à viris criticæ ſcientiæ peritis deprehenſum eſt, ſpurias, ac pſeudepigraphas eſſe Epiſtolas illas, ac libros Magni Areopagitæ nomine venditatos: quæque illic de Dioniſii, & Apollophanis obſervationibus recitantur, eſſe penitus commentitia, nemo eſt, qui non ultrò conſentiat, nullam patiente Chriſto eclipſim accidiſſe, quæ tenebras illas in univerſum Orbem induxerit. Sed, vel ex prodigioſa radiorum ſubtractione, vel ex corporis cujuſpiam opaci oppoſitu eam Solis obſcurationem contigiſſe: ut nihil, aut certè modicum lucis à parte Judææ obverſa diffunderetur. Quæ olim Origenis Tract. 35. in Matth., Chryſoſtomi Homil. 89.,

Hieronymi, Theophylacti, Euthymii, aliorumque ſententia fuit longè profectò veriſimilior, quàm quæ Recentium quorundam opinio fuit, Lunam plenam ex adverſo Solis, Deo jubente, in locum Soli ſubjectum procurriſſe; (quod ad veram eclipſim neceſſe erat) ac deinde poſt horas ternas in locum priſtinum ſe recepiſſe. Deus enim vel miracula patrans non ſolet præſtare pluribus, quod paucioribus poteſt: quid autem ad Solis obſcurationem neceſſe erat, diſſoluta cœleſtium orbium machina, Lunam plenam in locum alterum ſubſilire; quò ſe Soli, terræque interponeret? Quod utique ſi contigiſſet, ut res eſt in natura omnium maximè prodigioſa, & obſervatu facillima, millenos habuiſſet illius obſervatores Aſtronomos, qui poſterorum memoriæ prodidiſſent.

III. Ferunt equidem, Tertullianus in Apologetico Cap. 21., Euſebius, & Hieronymus in Chronico, Phlegontem Adriani Imperatoris Libertuæ, qui Hiſtoriam per Olympiades ſcripſit in libros ſexdecim diſtributam, hujuſce Solis obſcurationis, quæ Chriſto moriente contigit, meminiſſe; eamdemque pro vera Solis eclipſi habuiſſe. Phlegontis verba latinè ſic reddidit Hieronymus in Chronico Euſebiano: *Quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta eſt. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus eſt, ut ſtellæ in Cælo viſa ſint; terraque motus in Bithinia Nicææ urbis multas ædes ſubverterit.* Demus id verò, Phlegontem eclipſim dixiſſe, quam nos natam aliunde Solis obſcurationem exiſtimamus: Phlegontem tamen Hiſtoricum novimus, non Aſtronomum; qui, quam fortè in Actis à Pilato tranſmiſſis legerat, prodigioſam Solis obſcurationem Jeſu Nazareno patiente Jeroſolymis factam, eclipſim exiſtimavit; utque exiſtimavit, ſimpliciter ſcripſit. Neque id à nobis temerè dictum. Patet enim, Phlegontem eclipſim illam ſuam, tametſi *magnam, & excellentem*, naturalem tamen exiſtimaſſe: porrò ſi fuiſſet Aſtronomus, imò vel leviter Syderalis ſcientiæ principiis tinctus, id profectò noviſſet; non poſſe juxta naturæ leges in Plenilunio Solarem eclipſim accidere. Nec dubitandum, quin ad ſuæ hujus eclipſis excellentiam commendandam, illud potiùs dicturus fuiſſet, contigiſſe illam in Plenilunio, quàm ſtellas in Cœlo fuiſſe viſas. Quid, quòd Phlegontem hac in parte deceptum fateri videtur ipſemet Tertullianus: tanquam Solis deliquium, ſeu eclipſim temerè crediſſet, quæ aliunde nata Solis obſcuratio fuit. *Eodem momento*, inquit, *quo Chriſtus affixus eſt Cruci, dies, medium orbem ſignante Sole, ſubiecta eſt. Deliquium putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædictum neſciverunt. Et tamen eum Mundi caſum relatum in Archivis veſtris habetis.* Viden, quo pacto *deliquium reputatum*, non quod verè fuerit, dixerit Tertullianus?

Addiderim, nec id quidem cæteris Patribus conſtare, quòd Tertullianus, Euſebius, & Hieronymus habent: Phlegontem de Solis obſcuratione in Euangelio memorata ſcripſiſſe laudato loco. Negat id apertè Origenes Tract. 35. in Matth., neminemque eo contra Gentiles argumento agere vult, *quod neminem ſapientem movere poſſet*. Nec temerè negat. Phlegon enim ſuum illud Solare deliquium Luna Plena contigiſſe non ait, quod illi fuiſſet notandum maximè, ſi de Solis obſcuratione in Euangelio notata

tata

Google

tata loqueretur. Silet, ad tres horas perduraſſe, quod ſuæ hujus eclipſis admirabilitatem auxiſſet. Narrat terræ motus in Bithinia, maximèque Nicææ factos, ſiletque de terræ motibus factis in Palæſtina; quod illi præcipuum fuiſſet. Anno demum quarto Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ magnum illud, excellenſque naturæ phænomenon accidiſſe ponit; quæ dubia, incertaque Chriſti morientis eſt epocha. Num ergo ad portentum Chriſto moriente patratum digitum intenderit Phlegon, incertum eſt. Ut ſileam, ignoranter illum aſſeruiſſe ex eclipſi, quam credidit naturalem, *Diem ita in tenebroſam noctem verſum eſſe, ut ſtellæ in Cœlo viſæ ſint*; quod planè repugnat. Cùm enim Luna ſit Sole minor, numquam eum ita tegere, & obſcurare poteſt; quin multum etiam lucis appareat, multumque etiam lucis diffundatur in terram.

Veriſimilius igitur eſt, Solis obſcurationem in Euangelio notatam à Phlegonte Adriani Imperatoris Liberto obſervatam non fuiſſe loco laudato: eamdemque ex Lunæ plenæ in locum Soli ſubjectum procurſu non accidiſſe: ſed, vel ex corporis cujuſdam opaci oppoſitu, vel ex radiorum ſolarium ſubtractione contigiſſe. Obſervat, fateor, Illuſtriſſimus Præſul Huetius in *Demonſtratione Euangelica*, Sinenſes in rerum ſuarum monumentis, non ita pridem in Europa vulgatis, notatum habere: Ad id tempus, in quod annum ætatis Chriſti trigeſimum tertium Chriſtiani referunt, circa Menſem Aprilem Solare deliquium præter naturæ ordinem, & contra leges curriculis Aſtrorum præfixas contigiſſe: eaque rei novitate *Quamuntum* Sinarum Imperatorem vehementèr fuiſſe commotum. Quod vir ſummus ad Solis obſcurationem Chriſto patiente factam inflectit, ut veram eclipſim fuiſſe convincat. Verùm quis neſciat, ea rerum Sinenſium monumenta in Galliis ante annos aliquot publicata, pura, nudaque non eſſe, qualia in ipſis Sinenſium tabulis continentur; ſed alienis Editoris additamentis, & obſervationibus aucta, & illuſtrata? Nec enim quidpiam de anno Chriſti trigeſimo tertio, in quem ea eclipſis inciderit, in ipſis Sinenſium tabulis contineri putandum eſt: ſed Europæi Editoris obſervatio illa fuit; qui vulgaribus de Chriſto ætatis ſuæ anno trigeſimo in Crucem acto, deque Sole hac ipſa hora eclipſim patiente imbutus opinionibus, obſervatam ad illa circiter tempora à Sinis defectionem, cum obſervata in Euangelio Solis obſcuratione confundit; ipſoſque Sinas rerum noſtrarum ignaros traxit in præconceptæ ſententiæ probationem. In quem igitur, aut Chriſti Domini, aut Æræ vulgaris annum inciderit obſervata ab Sinis eclipſis, definire ex illorum tabulis impoſſibile eſt; multò minùs, num in Martium Æquinoctium inciderit, ſtatui certò poteſt, cùm ea de re ne ipſi quidem documentorum Editores verbum habeant. Atque ita nihil commune habet Phœnomenon illud cum Solis obſcuratione moriente Domino facta, quam non ex Lunæ in ſubjectum Soli locum procurſu, ſed ex Solarium radiorum ſubtractione, aut etiam ex opaci cujuſpiam corporis oppoſitu contigiſſe, veriſimillimum eſt.

IV. Utcumque autem acciderit, obortas inde tenebras in Euangelio perinde memoratas ultra Judæam non eſſe diffuſas, quod putant aliqui,

certa mihi, indubitataque fides eſt. Tum quòd ita teſtetur Origenes Tract. 35. in Matth. *Arbitror ego, ſicut cætera ſigna, quæ facta ſunt in Paſſione ipſius, in Jeruſalem tantummodo facta ſunt: ſic & tenebræ tantummodo ſuper omnem terram Judæam ſunt factæ uſque ad horam nonam*. Tum quòd propter ſolos Judæos, ad illorum, videlicet, ſceleris execrationem inductæ ſint. Tum quòd, ſi toto terrarum Orbe effuſæ, cognitæque fuiſſent incredibile omninò ſit, Gentilium Scriptorum neminem poſterorum memoriæ fuiſſe proditurum. Tum demum, quod ne fieri quidem poſſet, ut per totum terrarum Orbem ab hora ſexta ad nonam, ſeu à Meridie ad horam inde tertiam prodigioſæ tenebræ ex Solis obſcuratione contingerent: cùm in media Orbis parte nox ſumma tunc eſſet, ac ſinè Solis obſcuratione, oppanſæ nocturnæ tenebræ citra prodigium, citra miraculum.

Quare, quod ait Euangelium, tenebras *in univerſam terram* factas eſſe, obſcurato Sole, accommodatè ad locum, de quo agitur oportet intelligi: ut quia res ipſa tota; de qua illic ſermo fit, in Judæa agebatur: *univerſa* quoque *terra* Judææ tenebris oppleta intelligatur. Uti planè dum Lucæ 2. v. 1. dictum eſt, *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*; non totus, qua latè patet, terrarum Orbis intelligendus venit; ſed ille tantùm, cui imperitabat Auguſtus. Quidni etiam cum Origene reponamus: *tenebras in univerſam terram factas* per hyperbolem in Euangelio dici, ut longè, latèque juxta Jeroſolymam offuſæ ſignificentur? Quemadmodum de Chriſti Domini geſtis in Euangelio per hyperbolem dictum eſt: *ſi ſcribantur ſingula Mundum ipſum capere non poſſe, qui ſcribendi ſunt, libros*: Joannis 21. v. 25., ut magnus geſtorum, ſcribendorumque librorum numerus denotetur. Atque hæc de primo patrato prodigio. Chriſto adhuc in Cruce patiente: cætera, illo jam paſſo, atque extincto, contigere.

V. In his primo loco eſt Veli Templi ſciſſio, de qua Matthæus Cap. 27. v. 50. *Jeſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum. Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum*: ut nonniſi extincto jam Chriſto, non antequam extingueretur, ac dum obſcuratus eſt Sol, velum ſciſſum intelligamus. Quapropter quòd Lucas Cap. 23. v. 45. Veli ſciſſionem cum Solis obſcuratione conjungat, anticipatione factum eſt. Sed & hoc ſatis notum, ac pervulgatum eſt illud maximè controverſum, ac diligenti diſpoſitione dignum, unicumnè: an duplex Templi Velum eſſet? Si duplex, utrum illorum extincto Chriſto diſciſſum ſit? Unicum plerique ponunt: in quibus eſt Gerardus Voſſius lib. 2. Harmoniæ Euang. Cap. 11., eo præſertim momento nixus, quòd ſi duplex re ipſa fuiſſet, non ſimpliciter *Velum Templi ſciſſum* dixiſſent Euangeliorum Scriptores; ſed utrum Templi velum foret, addidiſſent. Fuiſſe tamen duplex, conſtanter affirmo. Cùm enim præcipuæ tres eſſent Templi partes: Atrium, in quo populus conſiſtebat; Sanctum, in quo Sacerdotes ſacra obibant miniſteria; Sanctum Sanctorum, in quod unus Summus Pontifex, ac ſemel tantùm in anno ingrederetur; quemadmodum Sanctum Sanctorum à Sancto ſacro Velo (quod nemo ambigit) diſtinguebatur; ita quoque Sanctum ab Atrio Velo altero dividebatur: quod Joſephus ipſe libro 6. de bello Judaico Cap. 6. *Velum Babylonicum* dicit, *hyacintho, & biſſo,*

& coc-

& cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum; & ab altero Sanctum Sanctorum velante, de quo ſubinde loquitur, omninò diſtinctum. Geminum illud Templi Velũ agnovit Origenes Tract. 75. in Matth., Sacraſque Scripturas non negligenter intelligentibus perſpectum eſſe ait: *Duo eſſe vela; unum quidẽ interius, quod velat Sancta Sanctorũ; alterum autem exterius, ſive Tabernaculi ſive Templi, quæ figuræ erant Tabernaculi Sancti quod præparavit ab initio Pater.* Agnovit & Hieronymus Epiſt. ad Hedibiam 150. qu. 8., ac primũ quidem *exterius*, alterum *interius velum* appellat, quemadmodum & Origenes.

Utrum autem illorum ſciſſum fuerit, haud ita facilè definierim. Dicam tamen, quotquot Patres geminum velum cum Flavio Joſepho diſtinxerunt, extimum ſciſſum docuiſſe, non intimum; nec ſinè myſtica ratione. Sic Origenes loco laudato: *Duorum velorum Templi unum ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, quando voce magna clamans Jeſus emiſit Spiritum, hoc oſtẽdens, ſicut puto, myſterium: quoniam in Paſſione Domini Salvatoris velum, quod erat à foris, conſciſſũ eſt à ſummo uſque deorſum; ut ab initio Mundi uſque ad deorſum, id eſt, uſque ad finem ejus conſciſſo velamine Myſteria publicentur; quæ uſque ad Chriſti adventũ rationabiliter fuerant occultata Et niſi ex parte cognoſceremus, ſed jam nunc manifeſtarentur omnia, adhuc in corpore conſtitutis dilectis Chriſti Diſcipulis utrũque velũ fuerat conſcindendum: id eſt, quod à foris eſt, & interius. Nunc autẽ, quoniã ad ſcientiam rerũ novarũ producimur, ideò quod à foris quidem fuerat velum, interim cõſcinditur à ſurſum uſque deorſũ; ut quando venerit, quod perfectum eſt, & revelata fuerint cætera, quæ reſtabant, tunc auferatur etiam ſecundum velum: ut videamus etiam, quæ intra ſecundũ velum ſunt occultata, verã Arcam Teſtamenti; & ſicut ipſa ſe habet natura, videamus Cherubim, & Propitiatorium verum, & repoſitionem mannæ in aureo vaſe, & omnia manifeſta, atque majora illis, quæ per legem Moyſi fuerant demonſtrata: in quibus dixit Deus ad eum, facias omnia ſecundùm formam eorum, quæ tibi oſtenſa ſunt in monte.* Sic & Divus Hieronymus laudata jam Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 8. *Quærendum, quod Velum Templi ſciſſum ſit, exterius, an interius? Mihi videtur in Paſſione Domini, illud velum eſſe conſciſſum, quod in Tabernaculo, & in Templo foris poſitum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte vidimus, & ex parte cognoſcimus: cùm autem venerit, quod perfectum eſt, tunc & velum interius diſrumpendum eſt: ut omnia, quæ nunc nobis abſcondita ſunt, domus Dei Sacramenta videamus.* Quotquot verò Patres Velum Sancto Sanctorum ſuperpoſitum ſciſſum exiſtimarunt, ut Leo Magnus Serm. 10. de Paſſione, Cyrillus Alexandrinus in Caput 19. Joannis, Euthymius in Matth., in eam venere ſentẽtiam, quòd re minùs benè perſpecta, unicum illud in Templo Velum agnoverint. Nec me movet quòd *velum Templi ſciſſum* ſimpliciter dixerint Euangeliorum Scriptores. Cùm enim duplex fuiſſe omninò conſtet: illud eos intellexiſſe perſpectum eſt, quod in omnium oculis erat, populi, ſcilicet, & Sacerdotum, quod Sancta omnia obtegebat, quod miræ amplitudinis, & longitudinis erat: (unde & prodigii loco habent, quòd à ſummo uſque deorſum ſciſſum fuerit) quæ notæ in Velum extimum, non intimum cadunt.

Repentinæ huius, ac prodigioſæ ſciſſionis rationes referunt Patres numero multas, arcani plenas, atque Myſterii. Primam ex Origene, & Hie-

Hieronymo jam vidimus: quorſum extimum Velum, non intimum ſciſſum fuerit: cæteræ, nulla gemini Veli diſtinctione poſita; Veli ſciſſionem ſimpliciter factam probant: 1., ut abrogata Synagoga, ac veluti diſſoluta denotetur. 2., ut Judaici populi diſſipatio, atque diviſio, ipſiuſque etiam Templi futura proximè violatio præſignetur. 3., Ut Chriſti Domini Paſſio finita, ejuſque anima à corpore ſeparata intelligatur. 4., ut eo portento ſignificetur, veteris Legis arcana, figuras, ſacramenta, quæ ante Chriſti mortem obducto quaſi velo tegebantur, ne vel ab eruditiſſimis intelligerentur, Chriſto jam mortuo, reducto veluti, diſciſſoque velo ab univerſis facilè percipi, Chriſtianoſque revelata jam facie contemplari, quæ nonniſi in figuris, atque arcanis Hebræi antea præſagibant. Ita Origenes laudato ſæpè Tractatu 35. in Matthæum, Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum Manichæum Cap. 11., & Enarratione in Pſalmū 70., S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joannem, S. Hieronymus in Cap. 27. Matthæi, S. Leo Magnus Sermone 10. de Paſſione Domini.

VI. Veli ſciſſioni, terræ motum, petrarum fracturam, ſepulcrorum apertionem adjungit Matthæus v. 51. *Terra, inquit, mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: & monumenta aperta ſunt.* Puto in Judaici ſceleris execrationem, iramque Dei in perfidos demonſtrandam. Quàm latè portenta iſta patuerint, quæret aliquis. Non ultra Judæam patuiſſe, reſpondet Origenes Tract. 35. in Matthæum; quod idem de factis tenebris definierat. *Arbitror ego, ſicut cætera ſigna, quæ facta ſunt in Paſſione ipſius, in Jeruſalem tantummodo facta ſunt: ſic & tenebræ tantummodò ſuper omnem terram Judæorum ſunt factæ uſque ad horam nonam. Quod autem dico, in Jeruſalem tantummodò hæc facta ſunt, quòd velum Templi ſciſſum eſt, quòd terra contremuit; quòd petræ diſruptæ ſunt. Nec enim extra Judæam petræ diſruptæ ſunt, aut monumenta aperta ſunt alia, niſi ea tantummodò, quæ in Jeruſalem erant, aut fortè in terra Judææ. Nec alia terra tremuit tunc, niſi terra Jeruſalem. Nec enim refertur alicubi, quòd omne elementum terræ tremuerit in tempore illo; ut ſentirent, verbi gratia, & qui in Æthiopia erant, & in India, & in Scithia. Quod ſi factum fuiſſet, ſinè dubio inveniretur in Hiſtoriis aliquibus eorum, qui in Chronicis ſcripſerunt nova aliqua facta.*

Evincunt hoc idem rationes non paucæ, ſeu ab Origene inſinuatæ, ſeu ab aliis Interpretibus excogitatæ. De apertis imprimis monumentis decretorium argumentum eſt. Quæ enim inde ſurgente Chriſto corpora prodierunt, Jeroſolymis viſa ſunt, teſte Matthæo v. 53. *Exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Quæ itaque, ut exirent, aperta ſunt monumenta, ea, aut Jeroſolymis poſita erant, aut certè non inde admodum diſſita. Niſi velimus, ſuſcitatos in longinquis regionibus viros ſanctos Jeroſolymam novo portento per aera fuiſſe delatos: quod ad miraculi celebritatem Matthæus minimè tacuiſſet.

Ad hæc: ſi portenta illa ubique gentium in omnium oculis patrata fuiſſent: ſi totus terræ Globus, ut effutiunt aliqui, è centro ſuo convulſus contremuiſſet; quis putet, prophanarum Gentium Scriptorem

ptorem omninò neminem litteris fuiſſe commendaturum?

Accedit, quòd eos terræ motus in Judaici ſceleris pœnam à Deo immiſſos Patres non ſemel affirment. Quid ergo exterarum etiam gentium in hujus ſceleris partem minimè venientium urbes iis ipſis terræ motibus ſubverſæ finguntur? Certè nihil tam à veri ſpecie abhorret, quàm quod librorum *de Mirabilibus Scripturæ locis* Scriptor Apocryphus narrat lib. 2. Cap. 3., eo terræ motu in Euangeliis memorato *undecim in Thracia urbes corruiſſe*: plures etiam *in Bithinia Nicææ urbis ædes* eodem illo terræ motu fuiſſe ſubverſas (quod à Phelegonte perperam intellecto memoriæ proditum aliqui putant) dum interim in Judæa, ubi ſcelus patrabatur, non modò urbem nullam, ſed & Ædem nullam legimus corruiſſe. Nihilque ineptum magis, quàm ad terræ motum Chriſto Domino moriente factum trahere velle, quæ Plinius lib. 2. Hiſt. Cap. 84., & Svetonius in Tiberio Cap. 48. narrant de duodecim Aſiæ urbibus ingenti terræ motu dirutis, atque disjectis; cùm hæc non ad annum Tiberii 18., quo Chriſtus paſſus communiter creditur; ſed ad annum quartum, aut quintum à Tacito lib. 2. Annalium, à Strabone lib. 2. Hiſtoriæ, ab Euſebio in Cronico referantur: quo tempore necdum Chriſtus publicum miniſterium auſpicatus erat.

Certè apud priſcos Eccleſiæ Patres, maximè verò apud S. Cyrillum Jeroſolymitanum Catecheſi 13., necnon in antiquis Eccleſiæ monumentis, in Actis, ſcilicet, S. Luciani Martyris, atque in deſcriptionibus Terræ Sanctæ, Golgothæ, ſeu Calvariæ petras ſciſſas legimus; alibi tamen ſciſſas non legimus: donec poſtremæ ætatis Scriptores rupium, petrarumque ſciſſiones in Italia factas tota libertate commenti ſunt, nulla Majorum fide, nullo Veterum teſtimonio ſuffragante: incertaque ruptarum, neſcio, quo caſu, rupium veſtigia ad portentum Chriſto moriente patratum temerè detorſerunt. Id ergo verius, id certius, quod jam à tertio Chriſtiani nominis ſæculo propugnavit Origenes, narrata illa à Matthæo prodigia non ultra Judæam patuiſſe.

Quærendum nunc videretur: quinam ex apertis miraculo monumentis exierint? Numve ad illa ſecundò redierint? Mirum enim, quantùm ea de re Scripturarum Interpretes digladientur! Verùm quia nonniſi ſuſcitato Chriſto ipſi quoque ſunt ſuſcitati, dicente Matthæo Cap. 27. v. 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*: idcircò aptior de iis erit dicendi locus, ubi de Chriſti Domini Reſurrectione, cujus illi ſocii, teſteſque fuerunt, ex inſtituto diſputabimus. Videndum itaque modò de prodigiis aliis, de quibus Scriptura cùm ſileat, nil niſi ab humana auctoritate habemus.

VII. In apocripho Nazareorum Euangelio ſcriptum refert D. Hieronymus Epiſtola ad Hedibiam 150., quæſtione 8., Chriſto de Cruce pendente, *ſuperliminare Templi miræ magnitudinis corruiſſe.* At refert tantùm Sanctiſſimus Doctor, non approbat, non fidem adjungit. Imò liquet ex Flavio Joſepho, id eſſe falſiſſimum: qui cùm vaſtam illam Templi Jeroſolymitani molem tam ſæpè deſcribat, maximè verò lib. 8. Antiquitatum Judaicarum Cap. 2., & lib. 9. de Bello Judaico Cap. 6., ejuſdemque adver-

ſos

ſos caſus, infauſtoſque eventus è Judæis quavis ætate toleratos diligenter obſervet; nuſpiam tamen everſum aliquo caſu ſuperliminare Templi vel leviter innuit.

In alteram fortaſſe fabulam conſenſiſſe videbitur Hieronymus: extincto, ſcilicet, Chriſto, auditam ex intimis Templi adytis horrificam vocem: *Trànſeamus ex his ſedibus*. Hoc enim laudata jam Epiſtola non refert modo, ſed & Flavii Joſephi ſuffragio confirmat: *Velum Templi*, inquit, *ſciſſum eſt in duas partes, ut compleretur illud; quod refert Joſephus, præſides Templi Virtutes dixiſſe: Tranſeamus ex his ſedibus*. Non eſt tamen ita, ut prima fronte videri poteſt. Ac primò quidem, quod factum intereſt, nihil portentum illud, qualecumque ſit, cum Chriſti morte commune habet: nec tempore Chriſti patientis, ſed poſt annos triginta ſeptem, obſeſſa à Romanis Jeroſolyma, audita eſt illa terrifica vox, teſte Joſepho lib. 7. de Bello Judaico Cap. 12., (alibi eſt lib. 6. Cap. 31.,) quod eſt *de prodigiis excidium Jeroſolymæ præcedentibus*, ubi ſic habet: *Feſto autem die, quem Pentecoſtem vocant, noctè Sacerdotes intimum Templum, more ſuo ad Divinas res celebrandas ingreſſi, primùm quidem motum, quemdamque ſtrepitum ſenſerunt: poſtea verò ſubitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc*. Quod idem, phraſi ad gentilitatis ſuperſtitionem compoſita, Tacitus retulit lib. 4. Annalium: *Expanſæ repentè Delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos: ſimul ingens motus excedentium*. Dum itaque Hieronymus ait laudata ad Hedibiam Epiſtola, ſciſſo Templi Velo, impletum illud eſſe, quod Flavius Joſephus retulit; id ſibi vult unum: jam tunc, dum ſciſſum eſt Velum, Spiritum Domini è Templo Jeroſolymitano abſceſſiſſe, quod faciendum ſignificabat terrifica illa vox a Joſepho memorata lib. 7. de Bello Judaico Cap. 12. Neque enim ita fuierat immemor Hieronymus, ut quod in Commentariis ad Caput 66. Iſaiæ ſcripſerat, ignoraret: non Paſſionis Dominicæ tempore, ſed in Urbis excidio, ſub Tito, videlicet, ac Veſpaſiano, ac dum propè erat, ut caperetur, terrificam illam Angeli vocem ex intimis Templi adytis inſonuiſſe. Sic enim ille Iſaiæ vaticinium exponens: *Vox fremitus de Civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis. Vox illa, haud dubium, quin Jeruſalem ſignificet, Romano exercitu circumdatam, & in tres partes intus ſeditione diviſam, quando unus Templum obtinuit, & omnia priùs Sancta poſſedit, forinſecus contra hoſtes, intrinſecus contra cives dimicans. Eo tempore, & in Urbe, & in Templo, tam Sacerdotum, & Levitarum, quàm vulgi ignobilis, mulierumque, ac puerum ululatus auditus eſt, quando reddidit Dominus retributionem inimicis ſuis, implens comminationem, qua dixerat: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta; et illam prophetiam: Dereliqui Domum meam; quando Præſides Templi conſona Angeli voce dixerunt: Tranſeamus ex his ſedibus. De quibus non ſolùm Joſephus Judaicæ Scriptor Hiſtoriæ, ſed multis priùs ſæculis Pſalmiſta teſtatur, dicens: Vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate, quæ circumdedit muros ejus tota die, & tota nocte, ita ut ſubverteretur Civitas, & impleretur aliud vaticinium*. Mich. 3. *Sion quaſi ager arabitur, & Jeruſalem quaſi caſula in cucumerario relinquetur*.

VII. Supereſt magni *Panos* obitus à malis Geniis denunciatus, quem ingentis prodigii loco viri etiam doctiſſimi ponunt: quo Deus homo factus mortem ſuam teſtatam malignis ſpiritibus, ac ipſi etiam Tiberio

Cæſari

Cæſari voluit: quamquam ille falſis allati ſibi nuncii Interpretibus adhibitis rem totam præpoſterè intellexerit. Ad id, ſcilicet, trahunt, miſerèque detorquent, quòd apud Plutarchum legere eſt, Opuſculo *de Oraculorum defectu* à Cleombroto interlocutore recitatum, cujus vel ſumma facies fabulam refert omnium ineptiſſimam, quam, miror, à Viris ſummis non fuiſſe deprehenſam. Sic enim advocatus in ſcenam Cleombrotus ſermonem inſtituit: *De morte Geniorum narrationē audivi, viri nequaquam fatui, aut vani. Æmiliani Rhetoris, quē & veſtrū nonnulli præceptorē, atque magiſtrū audiverunt, Pater fuit Epitherſes civis meus, & Grāmaticæ Doctor. Is ajebat, ſe aliquando in Italiam navigare contendiſſe, ac cōſcendiſſe Navim, quæ mercibus, & multis vectoribus eſſet onuſta. Sub veſperam verò, cum juxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, navimque certo curſu prope Paxas delatā. Vigilaſſe tunc vectorū pleroſque, multos etiam à cæna potaſſe. Tum ſubitò ab Inſula Paxis auditam fuiſſe vocem, quæ Thamū quemdā nominatim diceret, non ſinè admiratione hominū. Erat autem Thamus iſte Ægyptius gubernator paucis unà vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum ſiluiſſe: tertiò vocanti ſe dediſſe. Eumque contenta voce dixiſſe. ubi ad Palodes veneris, annuncia, Magnum Pana eſſe mortuum. Perterritos, ajebat Epitherſes, hoc audito univerſos; ac inter ſe diſputaſſe, præſtaretne, exequi hoc mandatum, an verò omittere, neque quidquam curiosè agere? Thamum autem ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe prætervecturum: ſin Malacia ad eū locum pervectis exiſteret; expoſiturum quod audiviſſet. Poſtquam ad Palodes perventum fuit, cū neque ventus eſſet, neque fluctibus mare agitaretur, Thamum è puppi versùs terrā proſpexiſſe; ac quod inaudiverat dixiſſe. Mortuus eſt Magnus Pan. Vixdū conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum fuiſſe, non unius, ſed multorū, admiratione mixtū. Quod autē fieri ſolet, cùm eveait aliquid multis teſtibus præſentibus, ſtatim rei famam Romæ fuiſſe auditam, Thamumque à Tyberio Cæſare fuiſſe accerſitū; ac Cæſarem ita pro certo crediſſe, ut de Pane illo diligenter inquiſierit. Doctos verò, quos ille, multos ſecum habebat, conjeciſſe, eum eſſe, qui Mercurio, & Penelope fuiſſet natus.* Sic ſanè apud Plutarchum Cleombrotus Interlocutor: quem Euſebius Cæſarienſis exſcripſit lib. 5. Præparationis Euangelicæ Cap. 9.

Quid hìc tamen eſt, quod Chriſti mortem à Dæmonibus publicatam veriſimili aliqua ratione contingat? Si enim temporis notam, quo res ipſa peracta dicitur, dumtaxat exceperis, Imperium, ſcilicet. Tyberii Cæſaris, quo Chriſtus quoque morti traditus eſt; cætera, ne admotis quidem centum jugis boum, ad mortem Chriſti Domini trahi poſſunt. Cleombrotus quippe nomine *Magni Panos*, cujus interitum refert, Genium neſcio quem intellexit: cùm ad id fabulam narret, ut Genios interdum probet morti occumbere. Docti verò a Tyberio Cæſare in conſultationem adhibiti, *Pana* Mercurio, & Penelope natum intellexere ab Ægyptiis ſub hirci ſpecie cultum, diviniſque honoribus celebratum, de quo tam multa extant apud Herodotum, & Lucianum. Sed & factum ipſum per ſeſe ſpectatum, (ne ab Ethnicis perperam acceptum reponant aliqui) de Chriſto repugnat intelligi: ſeu *Magnus Pan* Chriſtus ipſe fingatur eſſe, quod Baronius, cæterique exiſtimarunt: ſeu Dæmon ipſe putetur eſſe ab Ægyptiis eo nomine ſub hirci ſpecie coli ſolitus; cujus interitus, regnive ipſius everſio, per Chriſti mortem illata eſt: quod Euſebio, alii-

que viſum fuit. Quid enim abſurdius, quàm Dæmones Paxis inſulam occupantes Chriſti mortem cæteris Palodes obtinentibus nunciare à Deo juſſos, atque compulſos, (quod Baronius autumat) eumdem nomine *Magni Panos* indigitaſſe, ac deſignaſſe; quod infamis, ac ſpurciſſimi Ægyptiorum idoli proprium erat? Quid ineptius, quàm Chriſtum Dæmones mortis ſuæ nuncios voluiſſe, conſtituiſſe, quos virtutum ſuarum præcones noluit, rejecitque? Lucæ 4. v. 41. *Increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum*. Quid à recta ratione alienum magis, quàm alios aliis monitores à Deo Dæmones dari, qui illos de Chriſti morte commoneant? Quid demum à Dęmonum natura, & conditione abhorret magis, quàm, ut, ſi quid fortè ſecum invicem communicare velint, prodere, aperire, nunciis utantur, ac tabellariis? Idcircò priſci Chriſtianæ Religionis defenſores, Tertullianus, Juſtinus martyr, Joannes Chryſoſtomus, aliique nonnulli, qui ex nunciis de Chriſto noſtro ſub Tiberio Cæſare Romam allatis, rebuſque inibi geſtis, tam gravia ad cauſæ defenſionem momenta petiere, totam illam Cleombroti apud Plutarchum narrationem futilem habuerunt; aut certè nihil cum Chriſti Domini morte habere commune exiſtimarunt: quippe qui nullum inde momentum ad cauſæ præſidium delibarunt. Eò verò faciliùs in eum Plutarchi Centonem induci fabellæ potuerunt, quòd non à ſe ipſo loquatur illic Plutarchus, ſed Cleombrotus Interlocutor; qui & rem narrat ab altero, Æmilio nimirum, acceptam; quam & ille ab Epitherſe parente ſuo didiciſſet. In ea autem alterius ad alterum narrationum multitudine nænias obrepere facillimum eſt.

EXERCITATIO LVIII.

De Chriſti ſepultura, ejuſque deſcenſu ad Inferos.

I. SEpulturæ Dominicæ apparatum, de quo mihi eſt in præſenti diſſerendum, brevi verbo complecti viſus eſt dilectus Apoſtolus Cap. 19. Euangelii ſui; Chriſtum ſepultum inquiens, *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*. Quod ideò fortaſſis ab eo diligenter eſt obſervatum, ne, ſicut more Romano ſupplicio Crucis affectus erat, ita more Romano ſepultus fuiſſe crederetur.

Ex more in primis Judaico fuit, quòd Chriſtus circa horam nonam, & inclinante jam die Paraſceves extinctus in Cruce, antequam dies ipſa elaberetur, de Cruce depoſitus fuerit, ac tumulo datus. Id enim lege ſancitum erat, Deuteronomii Cap. 21. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti, ſuſpenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur*. Poſtulabat & id religio diei Sabbathi proximè ſecuturi; ne, videlicet, deturparetur, & funeſtaretur horrendo illo corporum in crucibus ſuſpenſorum ſpectaculo. Quam rationem factæ tam citò depoſitionis inſinuat Euangelium: *Ut non remanerent in cruce corpora ſabbatho: erat enim magnus valdè dies ille Sabbathi*: quòd nempe inter dies Paſchales occurreret anno illo.

Ex more itidem Judaico fuit, quòd ſacrum Chriſti Corpus, & ſindone fuerit involutum, & linteis, faſciiſque à pedibus ad collum uſque colligatum; ſudario capiti ſuperpoſito, faciemque illius obvelante. Cujus rei etiam habemus exemplum in Lazaro, qui ad Chriſti Domini vocem è tumulo prodiit, *ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*: Joannis Cap. 11. Cum contra, Romani defunctorum corpora igne abſumerent, cineresque urnis conderent.

Ex more etiam Judaico fuit, quòd corpus aromatibus inunctum fuerit myrrha, ſcilicet, & aloe: quæ, cùm ſint ſucci amariſſimi, vim habent corporum à putredine ſervandorum. Quamquam porrò mos ille inungendorum corporum defunctorum Ægyptiis, Syris, aliiſque nonnullis nationibus communis eſſet; à ſolis tamen Judæis in ſpem futuræ reſurrectionis, quam ii ſoli noverant, ex religione tenebatur. Fuit autem mixtura illa myrrhæ, & aloes, qua Dominicum Corpus delibutum eſt, librarum circiter centum, ut loquitur Euangelium: quod argumento eſt, non modò fuiſſe illud iis unguentis, & balſamis inunctum, ſed quaſi iis immerſum, atque ſepultum.

Fuerunt autem hujus funeris curatores, ac pollinctores, non ex infima plebe viri, ſed illuſtres, ac nobiles: Joſeph, ſcilicet, Arimathæus, dives, & nobilis Decurio, qui Corpus Jeſu à Pilato petierat; & Nicodemus princeps Judæorum, qui magnam illam aromatum copiam ære ſuo profudit. Etſi enim nec Chriſtum tertia die ſurrecturum ſcirent, nec uti Deum agno-

 ſcerent,

ſcirent, hunc tamen uti Prophetam habebant, virumque planè mirabilem, eoque honore digniſſimum. Joſepho, & Nicodemo Chriſti Corporis curatoribus Deiparam Virginem adjungit Simeon Metaphraſtes, quam ſacrum caput ſudario primùm deterſiſſe ait, ac tum illud Joſepho tradidiſſe, ut illo inter ſepulcralia lintea uteretur. Sed quis neſciat, quàm multa Scriptor ille Veteribus ignorata, vel è recentioribus lacunis hauſerit, vel ipſe confinxerit? Donec ergo graviori auctoritate id conſtet, pro certo, atque indubitato haberi non poteſt.

Ad Judaicos perinde mores referendum putaverim, quòd Chriſti Corpus ita in ſepulcro conditum ſit, *ut caput illius ad Occidentem, & pedes ad Orientem collocarentur*: uti Haimo Halberſtatenſis, Homilia in die ſancto Paſchæ habita, curioſiùs obſervavit. Quemadmodum enim in Jeroſolymitanum Templum obverſi orare Judæi ſoliti erant: ita quotquot in Judæa, maximè verò juxta Jeroſolymam tumulis condebantur, in hoc idem Templum obverſi, venerationis ergo, componebantur. Cùm itaque Chriſtus in monte Calvariæ ad Occidentem extra Jeroſolymam ſito ſepultus ſit: Templum autem ad Orientalem Jeroſolymæ partem ſitum eſſet; neceſſe profectò fuit, Chriſti caput ad Occidentem, pedes verò ad Orientem componi, ut Templum ſepultus ſpectaret, eòque ſacrum vultum obverteret. Neq; huic Judæorum conſuetudini contrarium putes, quod Adamnanus lib. 2. *de ſitu, & locis Terræ ſanctæ*, ac poſt illum Venerabilis Beda, lib. 5. Hiſtoriæ Gentis Anglorum memoriæ prodiderunt: Patriarchas, ſcilicet, veteris Teſtamenti *plantis ad meridiem verſis, capitibus verò ad Septentrionalem plagam converſis fuiſſe ſepultos*. Ii quippe diù ante conſtructum Templum tumulo dati fuerant; nec an ita humati re ipſa fuerint, certò liquet ex tam levi recentium Scriptorum auctoritate. Unde enim poſt annos ſupra bis mille reſcire Adamnanus, & Beda potuere, quam in partem plantas, & caput olim obverterent occluſa ſuis tumulis cadavera Patriarcharum: etiamſi extantem adhuc ipſorum ætate tumulorum illorum ſtructuram obſervaſſent? Cùm enim ampla olim conditoria eſſent, ac ſpatioſa, totius numeroſæ familiæ condendæ capacia; liberumque componendis ut liberet cadaveribus locum darent: nemo nunc, quo ſitu ſtrata intus cadavera fuerint; conjicere potis eſt. Non ſic temerè de Dominici Corporis in ſepulcro compoſiti ſtatu, habituque pronunciamus; quem non modò ex Judæorum illius ætatis moribus diſcimus; verùm etiam ex priſca Chriſtianæ Eccleſię diſciplina certò colligimus. Ab exemplo ſiquidem Chriſti Domini in ſepulcro compoſiti, vetus ille manavit ritus, quem doleo non eſſe ubique nunc uniformem; quo, ſcilicet, humatorum capita ad Occidentem, pedes ad Orientem collocantur: ut vel ſic Orientem Chriſtiani ſepulti ſpectent, in ſpem futuræ reſurrectionis, cujus Oriens ſymbolum eſt.

Sepulcrum porrò, quo ſacrum Chriſti Corpus conditum eſt, & novum erat, & exciſum in petra: Novum, inquam, *in quo nemo unquam conditus fuerat*; Deo ita providente, ne, ſurgente Chriſto, alius quiſpiam antea ſepultus ſurrexiſſe crederetur, aut fingeretur: exciſum in petra, ne, ſi ex multis lapidibus conſtructum fuiſſet, Chriſto ſuſcitato, ſuffoſſis tumuli funda-

fundamentis, aut refoſſa ſcrobe, ablatus à Diſcipulis furto diceretur. Qua etiam ratione, lapis ingens ad oſtium tumuli eſt advolutus, qui & ſubinde à principibus Sacerdotum publico ſigillo ſignatus eſt, adhibitis etiam ad cuſtodiam militibus. Ita volente Deo, ut quo magis ſibi cavit perfida gens, ne fraus ſibi Apoſtolis fieret, eò minùs factam ſibi fraudem cauſſari poſſit, ex quo reſurrectio facta eſt.

II. Totum id operis, quantum quantum erat, peractum, perfectumque fuit, ut dixi, antequam dies Paraſceves elapſa eſſet, dum, ſcilicet, ad exitum inclinaret, hora, ideſt, de Meridie quinta, antequam Sabbatum Veſpere, ut moris erat, inciperet.

Quid ergo, inquiet aliquis ſibi vult Lucas in Euangelio, dum ait Cap. 23. v. 54. *Dies Paraſceves erat, & Sabbathum illuceſcebat*, dum Chriſti Corpus ſepulcro conditum eſt? Si etenim Paraſceves erat, quantumcumque ad exitum vergens, ut diximus, Sabbatum veſpere, Soleque occiduo incœpturum imminere utique dici potuit, minimè tamen illuceſcere, ſeu matutinam Sabbathi lucem oboriri. Inepta æquivocatio illa eſt, ex rituum Judaicorum ignoratione oborta. Non enim, quod ait hic Lucas: *Dies Paraſceves erat, & Sabbathum illuceſcebat*, ad matutinam Sabbathi lucem alludit; cùm à fine Paraſceves ad matutinam Sabbati lucem duodecim circiter horarum interſtitium eſſet; ſed alludit ad lucernarum, lampadumque lucem, quas, inclinante Paraſceve, paulò ante primam Sabbathi veſperam, ac Sole ad occaſum properante, accendebant Judæi; quòd eas toto ſubinde Sabbatho prohiberentur accendere. Quare id unum Lucas ſibi voluit, Chriſti Domini ſepulturam fuiſſe curatam, atque perfectam, dùm adhuc Paraſceves eſſet ad exitum vergens; Sabbathumque, accenſis de more lampadibus, ſub veſperam illuceſceret.

Sic itaque curatum eſt Chriſti Domini Corpus, nonnullorum quidem pietate, ac religione, aliorum verò ſagacitate, atque ſolertia: verùm beatiſſimæ illius animæ ſors longè altera fuit. Hanc ad Inferos deſcendiſſe, Catholica Fides docet jam inde ab Apoſtolorum temporibus, ut ex illorum Symbolo compertum eſt: *Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis*: ac etiam ex Epiſtola ad Epheſios Cap. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Deſcendit porrò, non quo genere motus moventur corpora, ſed quo genere motus moventur Angeli: eadem enim Angelorum, & animarum ſeparatarum conditio eſt. Eumdem illum Animæ Chriſti deſcenſum ad Inferos confirmat Petrus in Actibus Apoſtolicis Cap. 2. v. 24., & à Davide prædictum monet iis Pſalmi 15. verbis: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quare ingentis impietatis, atque audaciæ reus eſt Joannes le Clere ſub Joannis Phereponi larva deliteſcens; qui pro *Inferno* ſepulcrum illic intelligi vult; idque apud Hebræos ſonare ait vocabulum *Scebol*, quo Regius Vates eſt uſus: nihilque aliud laudato Pſalmorum oraculo ſignificari, quàm *non permiſſurum Deum, ut David ipſe vulneratus, aut malè affectus moreretur*. Si etenim ita eſt, ut Phereponus effutit, hæbraici vocabuli poteſtatem ignoravit Petrus, Judæoſque, quos illic alloquebatur, apertè deluſit. Perſpectum quippe eſt, cum Regii Vatis oracu-

lum

lum recitaſſe, ut Chriſti excitationem ex Inferis, ad quos deſcenderat, palam evinceret: *Quem Deus ſuſcitavit*, inquit Petrus loco laudato, *ſolutis doloribus Inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper quoniã à dextris eſt mihi, ne commovear: propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea; inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctũ tuũ videre corruptionem.* Et poſt pauca: *Providens* David *locutus eſt de Reſurrectione Chriſti: quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Licèt ergo Hebraica vox *Scehol*, qua Regius Vates à Petro laudatus eſt uſus, ſepulcrum quandoque ſignificet, loca tamen infera ſoluturum corporibus animarum receptacula perinde ſignificare, notum eſt, ex illo Geneſis *37.*, *v. 35.* ubi Jacob de filio ſuo Joſeph, quem à fera peſſima devoratum, atque ita inſepultum exiſtimabat, dixiſſe fertur: *Deſcendam ad filium meum lugens in Infernum*: Hebraicè *Scehol*, in eum, ſcilicet, locum inferum, quò hominum animi à corpore ſoluti abeunt, & quò non dubitabat filium deſcendiſſe, cùm ad ſepulcrum delatus ille non eſſet, ſed nec delatus putaretur à Patre. Nihil itaque dubitandum, Chriſti Animam (quidquid in oppoſitum Phereponus obganniat) ad Inferos eo mortis triduo deſcendiſſe.

III. Verùm cùm Inferorum nomine varia loca intelligantur: primò Limbus Patrum, quò veterum Juſtorum animæ continebantur: ſecundò locus animarum, quæ Divinæ juſtitiæ necdum planè ſatisfecerunt, qui & Purgatorius nominatur: tertiò Infernus damnatorum, in quo pueros quoque cum ſolo peccato originali ex hac vita ſublatos detineri docuimus: non eadem planè ratione, eodemque modo deſcendit ad ſingulos. In Limbum Patrum, veterumque Juſtorum deſcendit ſecundùm eſſentiam, atque ſubſtantiam, ut peractum humanæ Redemptionis opus ſignificaret, illoſque prope diem in Cœleſtem patriam deducendos denunciaret. In cætera verò loca virtute dumtaxat, & operatione deſcendit: ad animas, ſcilicet, nondum plenè purgatas, ut eas in certam ſpem gloriæ obtinere erigeret ad damnatos, ut illorum incredulitatem, atque malitiam] redargueret. Ita Doctor Angelicus 3. part. quæſt. 52. art. 2.

IV. Quare vitandus hìc venit geminus error: alter quidem perinde ſtultus, ac impius Joannis Calvini, qui Chriſti Animam damnatorum cruciatus, ac pœnas in Inferis ſuſtinuiſſe blaſphemavit lib. 2. Inſtitutionum Cap. *16.*, cùm contrà Scriptura Sacra disertè teſtetur: *Deus Chriſtum ſuſcitavit à mortuis, ſolutis doloribus Inferni, quibus impoſſibile erat teneri eũ.* Alter nonnullorum imprudentum Theologorum error devitandus eſt, qui Chriſtum in Inferos damnatorum deſcendentem ſalutem, & liberationem etiam incredulis attuliſſe, commenti ſunt. Quam ſententiam hæreſibus adnumeravit in anteceſſum Divus Auguſtinus lib. de hæreſibus ad Quodvult Deũ, num. 70., ac poſt illum Philaſtrius hæreſi 74.: damnaruntque perinde S. Irenæus lib. 4. Cap. *29.*, S. Epiphanius Hæreſi *69.*, S. Petrus Chryſologus Serm. 122., & S. Gregorius Magnus lib, 13. Moralium Cap. 15.; quamque ſubinde ſæculo nono damnavit Concilium Valentinum quatuor Provinciarum Cap. 4.

Theo-

Theologos illos deluſit perdifficilis, & obſcurus locus Epiſtolæ primæ Catholicæ D. Petri Cap. 3. ita de Chriſto ſcribentis: *His, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur Arca.* Unde colligi videtur, illos ipſos, qui tempore Noe increduli fuerant, quique infernali carcere detinebantur, fuiſſe à Chriſto Domino liberatos. At ſpuria hæc, falſaque conſecutio eſt. 1., quia non de ſpirituum illorum liberatione, ſed de prædicatione Chriſti ſpiritibus illis facta loquitur D. Petrus. Potuit autem Chriſtus ſpiritibus illis incredulis in Inferno detentis prædicare ad increpationem, majoremque terrorem, nec tamen illos ex Inferis liberare. Ita S. Joannes Damaſcenus lib. 3. de Fide Cap. 29. locum illum exponit. 2., Quia non liquet, an de ſpiritibus incredulis in ipſa incredulitate defunctis loquatur Petrus: an potiùs de iis, qui cum adhortationibus, & admonitionibus Noè fidem non dediſſent toto tempore, quo conſtruebantur Arca; poſtea tamen, inundante Diluvio, ad Deum per pœnitentiam converſi ſunt: qui idcircò non in carcere infernali damnatorum, ſed in carcere purgatorio Juſtorum detinebantur. Iis Chriſtum deſcenſu ſuo ſalutem attuliſſe, aut certè imminentem denunciaſſe, nemo negaverit. Divi Hieronymi interpretatio eſt, in Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim ad Cap. 63., Quia nequidem conſtat, loqui illic Petrum de Chriſti deſcenſu ad Inferos, de quo nobis eſt diſputatio. Imò veriſimilius exiſtimatur, loqui illum de Chriſti Divinitatis operatione, quam à principio Mundi exercuit; ut ſit ſenſus, Chriſtum iis ſpiritibus, qui in hoc mortali corpore tamquam in carcere incluſi erant, ſpiritu Divinitatis ſuæ venientem prædicaſſe per internas inſpirationes; ac etiam per externas, Juſtorum, ſcilicet, miniſterio, atque monitis: illiſque eo modo ſpeciatim prædicaſſe, qui increduli fuerunt tempore Noe. Interpretationem hanc Auguſtino debemus Epiſt. 95. ad Evodium, & D. Thomæ 3. par. quæſt. 52. art. 2. ad 3. Quare nihil in illius erroris præſidium extundi poteſt ex obſcuro illo, ac perdifficili D. Petri teſtimonio.

V. Sed quid tandem de Divino Verbo ſtatuendum toto illo mortis triduo, quo, & anima deſcendit ad Inferos, & corpus jacuit in ſepulcro? Iis ne perinde, ac antea hypoſtaticè manſit unitum; an autem ſubſtantialis illa unio ſoluta eſt? Manſiſſe omninò unionem hypoſtaticam, Catholica Fides docet: adeò ut quamquam ambæ partes humanitatem conſtituentes, corpus, nimirum, & anima eſſent à ſe invicem ſeparatæ; ambæ tamen Verbo Divino, ac Dei Filio hypoſtaticè unitæ remanerent. Quo enim titulo profitemur in Symbolo, Filium Dei unigenitum conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, & paſſum ſub Pontio Pilato; ita profitemur, eumdem ſepultum eſſe, & deſcendiſſe ad Inferos: at non alio titulo profitemur, Filium Dei unigenitum conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, ac denique paſſum; quàm quia Filius Dei hypoſtaticè erat unitus humanæ naturæ, conceptæ, natæ, patienti: igitur nec alio titulo profitemur eodem in Symbolo, Filium Dei ſepultum eſſe, & ad

Inferos

Inferos deſcendiſſe; quàm quia hypoſtaticè remanebat unitus Corpori ſepulto, & Animæ ad Inferos deſcendenti. Quid etiam, quòd Eccleſiæ Patres, maximè verò S. Athanaſius lib. de Salutari Adventu Domini, & S. Gregorius Nyſſenus Oratione 2. contra Eunomium, probant adversùs Apollinariſtas, Verbum Divinum in Chriſto Animæ vices minimè geſſiſſe; quia hoc pacto Corpus ejus immortale fuiſſet; quippe quod à Verbo ſeparari non poſſet, Animæ vices, vt ipſi fabulabantur, gerente? Principii itaque loco habent, Verbum numquam à corpore fuiſſe ſeparatum. Quod utique tanquam conſtanti fide credendum proponit Catechiſmus Concilii Tridentini in expoſitione quarti articuli Symboli Apoſtolici. Accedunt angelicæ, D. Thomæ rationes 3. p. quæſt. 5. art. 2. *Id quod per gratiam Dei conceditur, numquam abſque culpa revocatur. Unde dicitur ad Rom.* 10. quòd ſinè pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio. *Multò autem major eſt gratia unionis, per quam Divinitas eſt unita carni in perſona, quàm gratia adoptionis, qua aliqui ſanctificantur, & etiam magis permanens ex ſuiratione: ſed gratia adoptionis numquam perditur ſinè culpa: cùm ergo in Chriſto nullum peccatum fuerit; impoſſibile fuit, quòd ſolveretur unio Divinitatis Chriſti à carne ipſius. Et ideò ſicut ante mortem, caro Chriſti unita fuit ſecundùm perſonam, & hypoſtaſim Verbo Dei; ita etiam remanſit unita poſt mortem, dicit Damaſcenus lib. 3. de fide Orthodoxa.* Et in 3. Sentent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. *Corpus Chriſti in mortem non fuit ſeparatum à Divinitate. Cujus ratio ex tribus poteſt accipi. Primò ex parte Dei: quia cùm ipſe ſit immutabilis, ei, quod ſibi perfectè conjunctum eſt, immutabilitatem præſtat, ut, ſcilicet, immobiliter ei adhæreat. Secundò ex parte ipſius aſſumpti: quia poſt mortem, quam per Patris obedientiam ſuſtinuit, non debuit ſuam dignitatem amittere, ſed magis glorificari. Tertiò ex fine aſſumptionis, quia ea, quæ poſt mortem ipſius circa ipſum acta ſunt, ſalutaria nobis non fuiſſent, niſi Divinitas adjuncta eſſet.* Quæ omnia, etſi de unione Divinitatis cum corpore dumtaxat dicta ſint, de unione tamen ejuſdem cum Anima perinde concludunt. Unde 3. p. q. 50. a. 3. ſubjungit: *Anima unita eſt Verbo Dei immediatè, & per priùs, quàm corpus, cùm Corpus ſit unitum Verbo Dei mediante Anima: Cum ergo Verbum Dei non ſit ſeparatum in morte à Corpore, multò minùs ſeparatum eſt ab Anima.*

VI. Neque verò huic dogmati repugnaſſe cenſendi ſunt Patres nonnulli, qui Divinitatem ab humanitate ad tempus ſaltem receſſiſſe docuerunt; dum Chriſtùs morti proximus in hæc verba exclamavit: *Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Ut S. Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Clamavit homo ſeparatione Divinitatis moriturus:* S. Hilarius Comment. in Matth. Cap. 3. *Clamor iſte ad Deum Corporis vox eſt, recedentis à ſe Verbi Dei conteſtata diſſidium:* S. Epiphanius hæreſi 69. *Videns Divinitatem jam in procinctu eſſe, ut Sanctum Corpus deſereret, vocem illam emiſit.* Nihil enim aliud ſibi volunt Patres illi, quam Divinitatem à Chriſti Corpore receſſiſſe, illudque deſeruiſſe foris, ut nòn adeſſet illi ad defenſionem contra tortores; non tamen defeciſſe intus ad unionem hypoſtaticam. Quæ Magiſtri Sententiarum interpretatio eſt lib. 3. Diſt. 21., & D. Thomæ 3. p. q. 50. a. 2. ad 1. Aut etiam, ut nonnullis Theologis viſum eſt, Divinitatem Chriſtum in Cruce patientem deſeruiſſe, ſubtractione delectationis ſpiritualis ex viſione beatifica

fica in animam profluentis; non ſubtractione unionis hypoſtaticæ. Sunt etenim Theologi primæ notæ, inter quos Melchior Cano, Alphonſus Salmeronius, Joannes Maldonatus, Gregorius de Valentia, qui putant, Deum, qua ratione toto tempore vitæ Chriſti beatitudinem ex Divina, qua fruebatur, Viſione promanaturam cohibuit, ne deflueret in Corpus, ut, videlicet, pati poſſet; ita eamdem in ſupremo Crucis ſacrificio cohibuiſſe, ne & inde gaudium, ac delectatio redundaret in Animam; ut ſupremum, & doloris, & triſtitiæ ſenſum pro nobis habere poſſet. Quod ingens ejus erga nos Charitatis argumentum fuit.

Non me fugit, ſententiam illam aliis pleriſque Theologis minùs probari; qui putant delectationem Animæ à Dei fruitione ſejungi non poſſe: quia fieri nequit, ut ſummum bonum ſinè gaudio, atque delectatione poſſideatur. Sed has quoque difficultates laudati Theologi diluere adnituntur; noſque utcumque diluimus in noſtris Melchioris Cani vindiciis, quæ in poſtrema illius Editione in Patavino Seminario curata anno 1714. legi poſſunt. Illud tamen diſſimulare omninò non poſſum, nihil eſſe neceſſitatis, in Theologorum illorum ſententiam deſcendere; ſummumque gaudium ex Dei Viſione profluens Chriſto in extrema Paſſione ſubtractum dicere, ut ſumma tunc triſtitia, ſummoque dolore affici poſſet. Quo pacto enim in Chriſto Domino ſtare duo illa potuerint, ſummum gaudium, ſummuſque dolor, atque triſtitia, eleganter exponit Doctor Angelicus in 3. Sent. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 5., cujus verba de integro recitare non pigebit: *Dicendum, quòd fruitio Deitatis, & gaudium inde conſequens erat in ſuperiori parte rationis in ordine ad ſuum objectum. Dolor autem non perveniebat ad ſuperiorem rationem, niſi ſecundùm quòd fundatur in eſſentia Animæ: ſed in ratione inferiori, & in ſenſualitate, & in ſenſu erat triſtitia, & dolor etiam ſecundùm comparationem ad objecta inquantùm hujuſmodi: qui tamen dolor erat quodam modo materia gaudii fruitionis; inquantùm gaudium illud ſe extendebat ad omnia illa, quæ apprehenduntur, ut Deo placita. Et ſic patet, quòd dolor, qui erat in Anima Chriſti, nullo modo gaudium fruitionis impediebat, neque per modum contrarietatis, neque per modum redundantiæ. Triſtitia enim contrarium gaudium impedit, ſicut quodlibet contrarium impeditur à ſuo contrario: triſtitia autem, quæ erat in Anima Chriſti, nullo modo gaudio fruitionis contraria erat, quod patet ex tribus: primò, quia non inerat eidem, ſed vel in diverſis potentiis erant, vel in eadem ſecundùm diverſam operationem. Secundò, quia non erant de eodem. Tertiò, quia unum erat materia alterius: ſicut accidit in pœnitẽte, qui dolet, & de dolore gaudet. Sed ulteriùs omnis triſtitia ſecundùm Philoſophum in 7. Ethicorum impedit omnem delectationem propter quamdam redundantiam, ſecundùm quòd nocumentum unius potentiæ redundat in aliam: talis autem redundantia non fuit in Chriſto, niſi quando ipſe volebat. Unde gaudiũ, quod erat in ſuperiori ratione per comparationem ad objectum non redundabat in vires inferiores, ut ab eis dolor, & triſtitia tollerentur; neque ulteriùs in corpus, ut à læſione immune eſſet: nec per conſequens in animam, nec in potentias, ſecundùm quòd in eſſentia animæ radicãtur, prout læſio corporis ad eſſentiam animæ, & ad potentias in ea radicatas pertingit.*

VII. Illud nunc majori ſtudio quærendum nobis eſſet: an ſecuti Verbum Divinum Corpori, & Animæ Chriſti à ſe invicem ſeparatis reman-

ſit ſemper unitum; ita & Sanguini effuſo, & ab exangui corpore in Paſſione ſeparato unitum ſemper fuerit, atque conjunctum? Ea de re tamquam pro aris, & focis ſæpenumero diſputatum eſt Dominicanos inter, & Franciſcanos, anno 1351. ſub Clemente VI., anno 1462. ſub Pio II.; Dominicanis indivulſam, & conſtantem Divini Verbi cum Sanguine etiam effuſo unionem propugnantibus; Franciſcanis verò negantibus: Eccleſia autem priorum ſententiam magis probante, & confirmante, ac tantùm non definiente. Verùm, quia donec in publicum prodeat Apoſtolicæ Sedis judicium, a contrariæ ſententiæ cenſuris interdictum eſt; idcircò pio ſilentio litabo, rerumque ſub Pio II. geſtarum ſimplicem narrationem ſubjiciam aliorum potiùs lingua, quàm mea, ne in cauſa domeſtica ad meorum gratiam loqui, priſtinaque odia excitare videar. Sic igitur factum narrant Gobellinus lib. 2. de geſtis Pii II., Henricus Spondanus, & Odericus Raynaldus ad annum 1462. & 63. „Hoc eodem anno magna mota „ eſt controverſia inter Fratres Minores, & Prædicatores de Sanguine „ Chriſti in triduo Paſſionis a corpore ſeparato: utrùm Divinitati unitus „ perſeveraverit? Cum enim apud Brixiam Jacobus Marchianus Ordinis „ Minorum die Paſchæ Sermonem ad populum habens inter cœtera aſſeruiſſet, pretioſum Chriſti Sanguinem, dum triduo illo jacuit in terra ſparſus, indignum fuiſſe latriæ cultu, quoniam fuſus, & à corpore „ Dominico ſeparatus Hypoſtaticam Verbi unionem protinùs amiſiſſet: „ Hoc audiens Inquiſitor Hæreticæ pravitatis Ordinis Prædicatorum, illico Jacobo præcepit revocare tanquam erronea, quæ dixerat; & interim contrariam ſententiam per unum è ſuis prædicari fecit. Creſcente „ contentione, & Schiſmate in populo facto, nec valente Epiſcopo loci tumultum ſedare, res ad Apoſtolicam Sedem remiſſa eſt. Qua de „ re Pius II. eo tempore Summus Pontifex Præfectis Ordinum mandavit, doctiſſimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in feſto „ Natalis Domini audivit diſputantes tribus diebus in Palatio Apoſtolico, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, ac Divini, & humani juris „ Doctoribus, qui in Curia erant. Denique poſt triduum, cùm partes, „ quæcumque voluiſſent, in medium produxiſſent, diſſoluto auditorio, „ Pium cum Cardinalibus pleriſque diebus rem tractaſſe: majorem partem ſententiam Prædicatorum approbaſſe; paucos cum Minoribus ſentiſſe: Pium quoque in majori parte fuiſſe: ſed non eſſe viſum, eo „ tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus „ erat contra Turcas prædicatio neceſſaria, offenderetur: ac propterea „ in aliud tempus deciſionem referri placuiſſe. Quam tamen numquam „ placuit decidere. Sed biennio poſt Anconæ, dum eſſet navigaturus „ in Turcas, Calendis Auguſti 1464., die ante obitum decimaquinta, „ Conſtitutionem edidit: qua ad pacem inter illos Ordines, & in univerſa Eccleſia ſuper hac quæſtione conſervandam, ſtatuit, nulli licere, opinionem negantem Sanguinem Chriſti in triduo Paſſionis à corpore ſeparatum Divinitati unitum permanſiſſe, ut Hereticam proſcribere, donec per Sedem Apoſtolicam, quid in hujuſmodi quæſtione „ ſentiendum eſſet, definiretur.

EXER-

EXERCITATIO LIX.

De Chriſti Reſurrectione.

I. Dominicæ Reſurrectionis Myſterium tandem attigimus, ex quo, uti tota Chriſti Domini veracitas, ita & tota Fidei noſtræ firmitas pendet. *Si Chriſtus non reſurrexit*, ajebat Apoſtolus 1. ad Corinth. Cap. 15., *inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Cùm etenim Chriſtus toties ſe reſurrecturum eſſe promiſerit, ſuæque Paſſionis ignominiam ea promiſſione depulerit: is, & falſa docuiſſe, & homine turpiter deluſiſſe convincitur, ſi re ipſa non reſurrexit. Sed nec una illa peractæ Reſurrectionis ratio fuit; ſunt & aliæ longè plures ex Sacris Litteris delibatæ, quas brevi complexus eſt Doctor Angelicus 3. parte quæſt.
„ 53. art. 1. Neceſſarium fuit, inquit ille, Chriſtum reſurgere propter
„ quinque. Primò quidem, ad commendationem Divinæ juſtitiæ, ad
„ quam pertinet exaltare illos, qui ſe propter Deum humiliant, ſecun-
„ dùm illud Lucæ 1. *depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Quia
„ igitur Chriſtus propter charitatem, & obedientiam Dei ſe humiliavit
„ uſque ad mortem Crucis, oportebat, quòd exaltaretur à Deo uſque
„ ad glorioſam Reſurrectionem. Unde ex ejus perſona dicitur in Pſal.
„ 138. *Tu cognoviſti*, ideſt, approbaſti *ſeſſionem meam*, ideſt, humilita-
„ tem & Paſſionem, *& reſurrectionem meam*, ideſt, glorificationem in Re-
„ ſurrectione: ſicut Gloſſa exponit. Secundò ad Fidei noſtræ inſtructio-
„ nem: quia per ejus reſurrectionem, confirmata eſt fides noſtra circa Di-
„ vinitatem Chriſti; quia ut dicitur 2. ad Corint. ultimò: *Etſi crucifixus*
„ *eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* Et ideò 1. ad Corint. 15. dici-
„ tur: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides*
„ *veſtra.* Et in Pſal. 29. dicitur: *Quæ utilitas in ſanguine meo*, i deſt, in effuſio-
„ ne ſanguinis mei, *dum deſcendo*, quaſi per quoſdam gradus malorum,
„ *in corruptionem?* quaſi dicat: nulla. Si enim ſtatim non reſurgo, corru-
„ ptumque fuerit corpus meum, nemini annunciabo, nullum lucrabor,
„ ut Gloſſa exponit. Tertiò, ad ſublevationem noſtræ ſpei; quia dum
„ videmus Chriſtum reſurgere, qui eſt Caput noſtrum, ſperamus & nos
„ reſurrecturos. Unde dicitur 1. ad Corint. 15. *Si Chriſtus prædicatur, quòd*
„ *reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio*
„ *mortuorum non erit?*... Quartò, ad informationem vitæ fidelium, ſe-
„ cundùm illum Roman. 6. *Quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam*
„ *Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et infrà: *Chriſtus reſurgens ex*
„ *mortuis jam non moritur: ita vos exiſtimate, mortuos quidem eſſe peccato, vi-*
„ *ventes autem Deo.* Quintò, ad complementum noſtræ ſalutis: quia ſicut
„ per hoc, quòd mala ſuſtinuit, humiliatus eſt moriendo, ut nos liberaret
„ à malis; ita glorificatus eſt reſurgendo, ut nos promoveret ad bona,

„ ſecundùm illud Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit* „ *propter juſtificationem noſtram*.

Hæc ipſa neceſſariæ in Chriſto Domino Reſurrectionis momenta nos movent, ut peculiari ſtudio, ac diligentia Myſterium iſtud, ex quo tota Catholicæ Religionis ratio pendet, bono in lumine collocemus; omnes obortas difficultates expediamus, de die, & hora peractæ Reſurrectionis, de probationibus, quibus veritas ejus aſſerta eſt, de dotibus Corporis Chriſti à mortuis redivivi, de iis demum juſtorum corporibus, quæ unà cum Chriſto Domino ſurrexiſſe leguntur in Euangelio. Ad rem itaque veniamus.

II. Chriſtum prima hebdomadæ die, quæ nobis Dominica eſt, ad diluculum, ſubque Auroram ſurrexiſſe, compertum eſt. Mulieres enim religioſæ, quæ hac ipſa die ſummo mane, ac Sole vix illuceſcente ad Sepulcrum veniſſe dicuntur à Marco Cap. 16., & à Luca Cap. 23., factam jam reſurrectionem invenerunt. Duo tamen difficultatem ingenerant non ita ſolutu facilem. Primum, quòd ſecum invicem pugnare videantur Euangeliſtæ in piarum illarum Mulierum ad Sepulcrum adventu enarrando; Matthæus enim veniſſe eas ait ipſo veſpere Sabbathi: *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum*: Marcus verò *cùm tranſiſſet ſabbathum*, veniſſe illas obſervat. Rurſus Joannes Mariam Magdalene veniſſet ait *mane, cùm adhuc tenebræ eſſent*: Marcus autem *valde* quidem *mane veniſſe*, ſcribit, ſed *orto jam Sole*. En primum, in quo ſecum collidere videntur Euangeliſtæ. Secundò difficultatem ingenerat, quòd ſi Chriſtus Dominica ipſa die ſub Auroram, atque diluculum reſurrexit (cùm die Paraſceves, ut diximus, hora circiter de Meridie quinta fuerit tumulo datus) tertia die reſurrexiſſe non videatur: quod tamen ille futurum ſpoponderat: multò minùs tribus diebus, & tribus noctibus in Sepulcro jacuiſſe dici poſſit; quod tamen eventurum prænunciaverat Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. En ſcopulum alterum, in quem videntur impingere Scriptores Euangelici.

III. Antequam primæ difficultati ſatisfaciam, obſervet neceſſe eſt ſtudioſa Juventus, nomine *Sabbati*, ſeu *Sabbathorum*, non ſolùm ſeptimam diem quieti deſtinatam intelligi Sacris in Litteris; verùm etiam totam quandoque hebdomadam diebus ſeptem omninò conſtantem: quo ſenſu dictum legimus in Euangelio Luc. 18. *Jejuno bis in Sabbatho*, hoc eſt, in hebdomada: cùm una die bis jejunare impoſſibile ſit. Sic ergo dum ait Matthæus: *Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi, Venit Maria Magdalene*, ad duplex Sabbathum ſtatim alludit; Mariamque Magdalenam veniſſe ſignificat *veſpere Sabbathi*, nempe diei ſeptimæ; & in *prima Sabbathi*, hoc eſt prima die hebdomadæ. Quia tamen & hæc duo etiam pugnare videntur, quòd venerit Veſpere Sabbathi, & illuceſcente die prima hebdomadæ; quandoquidem ad Sabbathi veſperam nondum illuceſcit prima hebdomadæ dies: ſcire juvat, Matthæum *Veſperam Sabbathi* vocare, non veſpertinum tempus, quod inter lucem deſinentem, & tenebras obo-

rientes

rientes interjacet; ſed totam noctem intelligit Sabbathum ſubſequentem; in cujus extrema parte, id eſt, mane jam luceſcente, Maria cum aliis ad tumulum venit. Hebræi enim totam plerumque noctem veſperam vocant, & totam plerumque diem mane nuncupant: quod maximè videre eſt Geneſis Cap. 1. *Factum eſt veſpere, & mane dies primus*; adeò ut Matthæi ſenſus ſit: *Veſpere autem Sabbathi*, id eſt, nocte ſequente Sabbathum. Eum porrò eſſe Matthæi ſenſum, liquet ex Græco Textù, ad quem Latinam Verſionem debemus exigere; ſic enim habet: *ὀψὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*, id eſt, *tardè poſt Sabbathum, ea die, quæ luceſcit in primam Sabbathi, ſeu in primam hebdomadæ diem*. Quod tantùm abeſt, ut Marco repugnet, ut potiùs maximè congruat dicenti Cap. 15. *Cùm tranſiiſſet Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum*. Si quis autem in Latina Matthæi periodo grammaticum ſenſum requirat, quem putet vitiatum, dum ait: *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi*, hunc ad Ludimagiſtros amandabimus, ut noverit, pronomina non ſemper ad priora, ſed quandoq; ad poſteriora referri, hancque idcircò conſtructionem eſſe: *Veſpere autem Sabbathi, in prima, quæ luceſcit die Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum*. Atque hæc de prima Matthæum inter, & Marcum antilogia.

Altera, quæ Marcum inter, & Joannem occurrit repugnantia de Mulieribus ad Sepulcrum properantibus; quæ ab uno quidem, *orto jam Sole*, ab altero, *dum adhuc tenebræ eſſent*, veniſſe dicuntur; priſcos Eccleſiæ Patres non modicè torſit. Nonnulli enim Mulieres illas, non ſemel, ſed bis, ac etiam tertiò ad tumulum veniſſe reſpondent: ac primùm quidem, *dum adhuc tenebræ eſſent*, quod Joannes ait: poſtea *orto jam Sole*, quod Marcus memoriæ prodidit. Ita Divus Hieronymus in Commentariis, & S. Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Baſilidem. Alii, non eaſdem prorſus Mulieres à Joanne, & Marco memoratas exiſtimant; ſed diverſas omninò, aliaſque aliis diligentiores. Ita S. Ambroſius lib. 10. Commentariorum in Lucam, & S. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. de Reſurrectione. Attamen quia utrumque Euangeliſtam diligentiùs meditanti perſpectum eſt, de iiſdem prorſus Mulieribus, ac de eodem ad Sepulcrum acceſſu Marcum, & Joannem fuiſſe locutos: imò cùm hanc ipſam apparentem antilogiam in eodem Euangeliſta, eodemque Orationis contextu obſervemus: Marcus enim utrumque ait, & *valde mane* veniunt, & *orto jam Sole*: utrumque ſimiliter Lucas habet; *valde diluculo* Cap. 23. v. 56., & *ante lucem* Cap. 24. v. 22., idcircò aptior, expeditiorque mihi viſa eſt D. Auguſtini conciliatio lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 24., qui in eo Mulierum ad Sepulcrum acceſſu duas veluti partes, ſeu intervalla diſtinguit; egreſſum nimirum è domibus ſuis, & acceſſum ad tumulum; atque illum quidem non modico temporis ſpatio iſto priorem; cùm Calvariæ locus, hortuſque in eo ſitus, ubi Chriſtus ſepultus fuerat, extra Jeroſolymam ſitus eſſet, ad Occidentem, & Septentrionem. Ita, ſcilicet, ut quæ ante diluculum è domibus ſuis Mulieres egreſſæ fuerant, nonniſi ſub Solis ortum ad tumulum adventarint. Eaque ratione factum eſt, ut Joannes in ea ſcri-

ſcribenda hiſtoria egreſſum è domibus ſpectans, veniſſe Mulieres dixerit, *dum adhuc tenebræ eſſent*: Marcus autem in adventum ipſum, atq; acceſſum intendens, veniſſe illos ſcripſerit *orto jam Sole*. Quod tamen non de toto Solari corpore ſuper terram apparente, ſed de primis radiis noctis tenebras depellentibus intelligi vult Sanctiſſimus Doctor, ac poſt illum Theophilactus, Euthymius, & Venerabilis Beda. Quis etiam certò ſpondere audeat, nihil illis religioſis Mulieribus accidiſſe, unde illarum ad Sepulcrum adventus ad Solis ortum fuerit retardatus; quamquam ipſæ ante diluculum è ſuis domibus profectæ fuiſſent? Quid, ſi domos ſuas ad Orientalem Jeroſolymæ partem ſitas habuerint; cùm tamen extra Jeroſolymam ad Occidentem ſitum eſſet Chriſti Sepulcrum? Quid, ſi portam Civitatis occluſam adhuc invenerint, ac nonniſi poſt diluculum aperiendam? Quid, ſi hortus, in quo ſepultus eſt Dominus, muris, aut ſepibus cinctus eſſet, qui obex ſuperandus illis fuerit, antequam ad tumulum pervenirent? Nihil itaque mirum, Marcum ad utrumque reſpicientem utrumque perinde dixiſſe: *Et valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum orto jam Sole*. Nempe valde mane profectæ, orto jam Sole perveniunt.

Mitto quorumdam loci hujus impeditiſſimi ſolutionem, plus ſcurrilitatis, & dicacitatis, quàm pietatis, & religionis habentem: Marcum, ſcilicet, Mulieres ad Sepulcrum *orto jam Sole* venientes dixiſſe, *valdè mane* veniſſe: quòd nempe Mulieribus delicatis, atque ad ſurgendum è lectulo pro more pigris, Solis ortus ſummum mane cenſeatur. De iis enim Mulieribus ſermo venit, quas ardens in Chriſtum zelus, & amor, non modò ſupra ſexum evexerat, verùm etiam viris, ac ipſis Apoſtolis antetulerat.

IV. Aliò me vocat objecta altera difficultas de tribus diebus, totidemque noctibus, quibus Chriſti Corpus in Sepulcro dicitur jacuiſſe, Matthæi Cap. 12., quod tamen ab hora circiter quinta poſt Meridiem diei Paraſceves, qua tumulo datum eſt, ad diluculum uſque diei Dominicæ, qua ſurrexit ex tumulo, triginta ſex horas ut ſummè jacuit. Fuere, qui, ut eo ſe nodo exſolverent, Chriſti ſepulturam anticiparint; eumque non de die Veneris, ſed die ipſa Jovis crucifixum, atque ſepultum commenti fuerint, Euangelio palam, apertèque repugnante, ubi Chriſtus die ipſa *Paraſceves, quòd eſt ante Sabbathum*, crucifixum legimus, ac ſepultum. Alii, quos inter numeratur Alcuinus, lib. *de Divinis Officiis*, nuovo abſurditatis genere Chriſti reſurrectionem procraſtinarunt; eumque à mortuis ſuſcitatum poſuere ſecunda duntaxat Hebdomadæ die, Euangelio perinde reclamante, ubi Chriſtum legimus ſuſcitatum *prima Sabbathorum ...., & una Sabbathorum*, hoc eſt, prima hebdomadæ die. Nos, nec anticipata, ut prioribus placuit, ſepultura; nec procraſtinata, ut aliis viſum eſt, reſurrectione, ſatis abundè ſpatii inveniemus ad tres dies, noctesque totidem numerandas: non omnes quidem plenas, & integras, ſed partiales aliquas, ac per Synecdochen computatas.

Quod ut faciliùs percipiat ſtudioſa Juventus, obſervet, oportet, dies natu-

naturales ab Aſtronomis, & Romanis fuiſſe ſolitos computari à media nocte ad alteram mediam noctem; uti & illos Eccleſia computat in jejuniis. Quam naturalium dierum computationem à Romanis in Judæa tunc temporis imperitantibus Judæi ipſi fuerant mutuati. Etſi enim dies ſacros, ſeu feſtivos à veſpera ad veſperam ducerent; artificiales verò a Solis ortu ad ortum alterum; naturales tamen à media nocte ad alteram mediam noctem computabant. Sic ergo, diebus naturæ ordine ſecundùm Aſtronomos computatis, tres dies, totidemque noctes a Chriſti morte ad reſurrectionem facilè numeramus per Synecdochen. Chriſtus enim hora nona Judaica Paraſceves, ſeu tertia poſt meridiem mortuus eſt, & quinta circiter tumulo datus: quidquid ergo lucis reſiduum fuit, & quidquid tenebrarum acceſſit ante mediam Sabbati noctem, id ad naturalem Paraſceves diem, noctemque pertinebat. En jam diem unam, noctemque unam per Synecdochen computatas, partem pro toto accipiendo. Tum à media nocte integra Sabbathi dies ſecuta eſt ad alteram mediam noctem, quæ Dominicam inchoavit: en rursùs diem alteram, noctemque alteram. Demum quidquid tenebrarum, luciſque fuit ab ea ſecunda media nocte ad diluculum Reſurrectionis, totum id ad noctem, diemque Dominicæ pertinebat; alteramque idcirco noctem, diemque conflavit, per Synecdochen pariter computatas. A morte igitur ad Reſurrectionem tres dies, totidemque noctes extitere. Dies nimirum una, itemque nox una plena, & integra, nempe Sabbathi: verò duæ, noctesque duæ dimidiatæ; illæ quidem ad Paraſcevem, iſtæ ad Dominicam pertinentes.

Cur autem hac ipſa die tertia fuerit ſuſcitatus, elegantem rationem aſſignat Doctor Angelicus 3. parte quæſt. 53. art. 2. *Reſurrectio Chriſti*, inquit, *neceſſaria fuit ad inſtructionem Fidei noſtræ. Eſt autem Fides noſtra, & de Divinitate, & de Humanitate Chriſti: non enim ſufficit, alterum ſinè altero credere. Et ideo ad hoc, quòd confirmaretur Fides de veritate Divinitatis ipſius, oportuit, quòd citò reſurgeret, & ejus Reſurrectio non differetur uſque ad finem Mundi. Ad hoc autem, quòd confirmaretur Fides de veritate Humanitatis, & mortis ejus, oportuit, moram eſſe inter mortem, & Reſurrectionem. Si enim ſtatim poſt mortem reſurrexiſſet: videri poſſet, quòd ejus mors vera non fuerit, & per conſequens nec Reſurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Chriſti manifeſtandam ſufficiebat, quòd uſque ad tertium diem ejus reſurrectio differretur: quia non contingit, quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cùm vivat, appareant aliqua indicia vitæ.*

V. Verùm & hæc ipſa, tametſi per ſeſe gravia, imò graviſſima, fiunt tamen eorum, quæ de Reſurrectionis veritate dicenda ſunt, comparatione leviſſima. In id enim Theologorum deſudare debet induſtria, ut Chriſtum verè à mortuis ſuſcitatum evincant, quod ni faciant, ruit ab imo Chriſtianæ Fidei fundamentum. Compendio confecta res eſſet, ſi Judæis integram ea in re fidem faceret Flavii Joſephi Scriptoris inter illos celeberrimi, quique Apoſtolorum temporibus vixit, diſertiſſimum teſtimonium lib. 18. Antiquitatum Judaicarum Cap. 4., ubi tam apertè Jeſum no-

Digitized by Google

noſtrum à mortuis ſuſcitatum memorat, ſuiſque poſt ſuſcitationem Diſcipulis conſpicuum ſcribit: *Fuit autem*, inquit ille, *hoc tempore Jeſus, vir ſapiens; ſi tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, Magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plures quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad ſe pertraxit. Chriſtus hic dicebatur: Cùmq; eum à primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad crucem damnaſſet, ab eo diligendo non deſtiterunt, qui primùm cœperant. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit: cùm Divini Vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixiſſent. Neq; ad hanc diem deficit denominatum ab eo Chriſtianorum genus.* Verùm cùm de hoc ipſo Joſephi teſtimonio, genuinum ne ſit, an autem ejuſdem Codicibus inſertum, mutuò inter ſeſe digladientur Chriſtiani quoque Tractatores, ac viri etiam ſummè Catholici: ineptum planè fuerit, Judæos eo ſuffragio revincere velle. Attamen res ipſa tota in hocce Dominicæ Incarnationis miraculo ita geſta eſt, ut ipſo etiam tacente Joſepho, Apoſtolorum teſtificatio ad extorquendum protervorum ingeniorum aſſenſum ſola ſufficiat, ſi ſingula penſitentur.

In primis enim, ut eruditè, ſapienterque animadvertit Illuſtriſſimus Præſul Petrus Huetius in Demonſtratione Euangelica, eam Reſurrectionis Hiſtoriam eo tempore ſcripſit Matthæus, quo infiniti ſupererant patrati portenti oculati teſtes, vel auriti, qui mendacium exemplo refellere potuiſſent. Tum addit alia non pauca Matthæus; quæ fidem veluti publicam faciant: multa, ſcilicet, Sanctorum corpora unà cum Chriſto ſuſcitata, quæ deinceps Jeroſolymis viſa ſint pluribus: habitum Judæorum conſilium, ut ſatellites Sepulcri cuſtodes numerata pecunia ſubornarent, qui publicè teſtarentur, ipſis dormientibus Chriſti Corpus ab illius Diſcipulis fuiſſe ſurreptum. Quæ, cùm facta publica ſint, totique Jeroſolymorum Civitati notiſſima, confingi pro arbitrio nequiverunt: utpote quæ unicuique refellere promptum erat. Rurſus hanc ipſam Reſurrectionis Hiſtoriam quinque Judæorum millibus in publica concione narravit Petrus, Actorum 4. Quingentos, & eò amplius teſtes, quibus Chriſtus redivivus apparuerit, producit Paulus 1. Corinth. 15. Ecquis putet, eos pudori ſuo tam malè conſuluiſſe, ut ſtolidum adeò, craſſumque commentum ipſis rei geſtæ conſciis, oculatiſque teſtibus venditarent? Aut certè ſi illos fabulatores imprudentes fuiſſe, hodierni Judæi velint; vel unum illius ætatis Scriptorem proferant nobis, quo conſtet, iiſdem fuiſſe ab aliquo contradictum.

VI. Clamant, Jeſu Corpus ab Apoſtolis fuiſſe ſurreptum, ſopitis ſomno cuſtodibus: hincque ortam opinionem de Jeſu ad vitam vocato. At, ut idem proſequitur doctiſſimus Præſul, cùm Judææ principes Chriſti de futuro ſuo ad vitam reditu pollicitatione commoti Sepulcrum ipſimet obſignaſſent, cuſtodes appoſuiſſent, modiſque omnibus præcaviſſent, ne ſibi fraus ab illius Diſcipulis fieret: eadem opera factum eſt, ne intentatam ſibi fraudem cauſari jam poſſint, poſtquam re ipſa revixit: nullaque jam iis ſuppetit de dolo malo criminatio, atque exceptio. Præterea quis putet, Apoſtolos viros ſimplices, rudes, imperitos, meticuloſos; & ad ſatellitum adventum, imò ad unius ancillulæ vocem paulò ante trepi-

trepidantes, tantum auſos fuiſſe facinus; ut Corpus Jeſu ſurriperent, & deceptis cuſtodibus numeroſiſſimæ Judæorum factioni os ſublinirent? Quis credat, tantum ipſis fuiſſe otii, ut ingentem lapidem Sepulcri oſtio advolutum amovere, ſudarium, & inſtitas corpori adhærentes explicare, atque disjungere poſſent, dum propè erant ſatellites ſemiſomnes, quos vel leviſſimum murmur poterat excitare? Sed etſi daremus, id attentare Apoſtolos potuiſſe, quis eos id voluiſſe ſibi perſuadeat? Quis eos adeò inſaniiſſe cenſeat, ut, nullo propoſito operæ pretio, fraudem univerſo hominum generi, ſibique ipſis ſtruere vellent; & vitam pro mendacio, cujus eſſent ſibi conſcii, & pro fictitia religione paciſci, atque profundere? Quis fingat, tot homines in periculoſum adeò flagitium, (cujuſmodi erat ſurreptio Corporis Chriſti) falſamque de eo redivivo opinionem ſpargendam mutuò conſpiraſſe.

Ad hæc, imprudenter omninò à Judæis excogitatum eſt commentum illud de cuſtodibus ſomno correptis, qui ſurreptum Chriſti Corpus atteſtarentur. Quomodo enim ſopiti, homines deprehendere per ſomnum potuere, Corpus Jeſu ab Apoſtolis fuiſſe ſurreptum? Quove pacto id reſciverunt, quod inſciis ipſis, ac dormitantibus factum eſt? Accedit & illud obſervatione digniſſimum, Apoſtolos poſt vulgatum de Chriſto redivivo rumorem diu Jeroſolymis ſubſtitiſſe, palamque fuiſſe converſatos. Si ergo Chriſtus ad vitam minimè rediiſſet, ſed ipſius è contrario Corpus emortuum de tumulo ſuſtuliſſent: quid facilius Pontificibus, aliiſque Synagogæ principibus, quam ab iiſdem ſublatum Corpus iterum repetere, palamque ſpectandum plebi proponere: quo conſpecto, rumor ſtatim omiſſis de redivivo Chriſto conticuiſſet? At nihil hujuſmodi quidquam ab iis tentatum eſt, quorum tanti nihilominùs intereat, vulgatum rumorem momento depellere.

VII. Erunt fortaſſe, qui dicant, Apoſtolos ad Sepulcrum ſubterraneos cuniculos egiſſe, ſuffoſſaque ſubtus humo, Corpus Chriſti ab ima parte ſurripuiſſe; qua arte facile fuerit cuſtodes fallere. Sed & hoc ipſum brevi viri ſummi obſervatione refellitur: qua conſtat, Chriſti Sepulcrum in rupe fuiſſe inciſum; aut potiùs fuiſſe rupem ipſam ferro excavatam; adeò ut per ſubterraneos meatus penetrare illuc, res fuerit immenſi operis, atque temporis. Quamquàm etſi daremus, ſatis otii, atque audaciæ Apoſtolis fuiſſe, ut per durum ſilicem tam longos agere cuniculos poſſent; manifeſta tamen in ſuffoſſa rupe extitiſſent furti indicia, quæ nulla arte, vel humo ingeſta, vel infartis lapidibus, ac cæmentis cælari ab Apoſtolis potuiſſent. Atque adeò Judæorum principes ad patefaciendam fraudem, refoſſa ſcrobe, Diſcipulorum cuniculos retexiſſent; neque abſurdam illam ſuam de cuſtodibus ſopore correptis calumniam evulgaſſent.

Quid ergo? An alterum loco Jeſu ex eo tumulo ſurrexiſſe fabulabûtur? At os illis in anteceſſum Matthæus occluſit; Jeſum in novo monumento poſitum notans, ubi nullus unquam conditus fuerat: Deo ita volente ne fortè, cœteris corporibus remanentibus, ſurrexiſſe alius homo fingeretur.

Sic ergo, quocumque ſe vertat miſera gens, non aliis tantùm, ſed & ſibi ipſi facultatem ademit, Dominicæ Reſurrectionis veritatem labefactandi

ſtandi. Quantò enim diligentiùs ſibi cavit ne fraus ſibi ab Apoſtolis fieret; exciſo in rupe ſepulcro, ingenti advoluto lapide, atque ſignato, appoſitis ad cuſtodiam ſatellitibus; ne Diſcipuli ſurrepto clamculum Corpore, credulitati plebis illuderent; tantò luculentiùs ſibi negandæ Reſurrectionis, fraudiſque Diſcipulis objectandæ poteſtatem eripuit, ubi ſemel Reſurrectio facta eſt: Quas omnes animadverſiones Illuſtriſſimo Præſuli Huetio debemus; ut & ipſe Divo Auguſtino, ac Divo Hieronymo maximam partem acceptas refert.

Quo loco paſſus eſt Chriſtus, Veneris ſimulacrum Adriani temporibus à Gentilibus poſitum eſt; ut vel hac arte Chriſti mortis memoriam delerent ex hominum mentibus, uti & Reſurrectionis Dominicæ locus, conſtituta illic Jovis ſtatua, prophanatus eſt: donec Conſtantini pietate, ſubmotis, dejectiſque impiis Simulacris, ſuus Sacris locis honor redderetur. Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini Cap. 25., Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Ruffinus, Hieronymus Epiſt. 13. ad Pammachium, cujus hæc verba ſunt: *Ab Adriani temporibus uſque ad imperium Conſtantini per annos circiter centum octoginta in loco Reſurrectionis ſimulachrum Jovis; in Crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à gentibus poſita colebatur: Exiſtimantibus perſecutionis Auctoribus, quòd tollerent nobis fidem Reſurrectionis, & Crucis, ſi loca Sancta polluiſſent.*

EXER.

EXERCITATIO LX.

Proſecutio ejuſdem Argumenti. De variis Dominicæ Reſurrectionis adjunctis.

I. PEractam Chriſti Domini Reſurrectionem, ejuſdemque definitam diem, & horam ſat benè ſuperiori relectione in aperto poſuimus. Sequitur, ut de redivivi Corporis dotibus, deque triumphalis Reſurrectionis ſociis, teſtibuſque in præſenti dicamus. Ne autem in ampliſſimo pertractando Argumento ſatis nobis otii, temporiſque non ſuppetat, ad rem ipſam ſtatim accedimus.

II. Dotes Chriſti Corporis redivivi, quatuor de more Theologi ponunt, Claritatem, Impaſſibilitatem, Subtilitatem, Agilitatem. Nec immeritò. Cum enim Chriſtus à mortuis ſuſcitatus futuræ hominum reſurrectionis cauſa ſit, & exemplar; iis profectò dotibus præditum reſurrexiſſe neceſſe eſt, quibus Juſtos omnes in poſtrema reſurrectione donandos eſſe, monet Apoſtolus 1. ad Corinthios Cap. 15. *Sicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Maximè etiam cùm in Chriſto Domino uniuſcujuſque dotis experimenta, & probationes Sacris in Litteris obſervemus. Claritatis quidem, ad Philippenſes Cap. 4. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum Corpori claritatis ſuæ.* Impaſſibilitatis, ad Romanos Cap. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Subtilitatis, Lucæ Cap. ultimo, & Joannis Cap. 20. intravit in Cœnaculum ſæpiùs *januis clauſis, & evanuit ab oculis eorum.* Agilitatis demum; in Judæa etenim ſuſcitatus, momento in Galilæa viſus fuit, nulloque alieno ſubſidio in Cœlum tandem elatus eſt.

Neque verò glorioſæ Dominici corporis claritati repugnat, quòd illud irretorta oculorum acie Apoſtoli viderint. Cùm enim corpus glorioſum Animæ plenè ſubdatur, poteſt ipſa, ſi velit, ita ſplendorem illius attemperare, ut ſinè oculorum læſione, à quibus libuerit, cerni queat. Quod in Chriſto neceſſarium omninò fuit: ut per reſiduos quadraginta dies ſeſe identidem Apoſtolis, aliiſque Fidelibus ſpectandum exhiberet, ad Reſurrectionis veritatem oculorum experimento certiſſimam faciendam. Nec glorioſæ ſubtilitati officit, quòd Corpus ejus palparint manibus Apoſtoli, & contrectarint: corpus enim ſubtile ex gloria factum ſenſibilibus qualitatibus perinde conſtat, poteſtque tangenti reſiſtere atque ita palpari ab aliis, & contrectari. Neque demum glorioſæ impaſſibilitati, ſeu incorruptibilitati aduerſatur, quòd alimenta ſumpſerit Chriſtus, veraque comeſtione ſe verum habere Corpus oſtenderit. Quia non nutritionis neceſſitate, ſed naturali, atque vitali facultate comeſtio facta eſt. Nec propterea deſiit eſſe vera comeſtio, quamquam

Digitized by Google

Chriſtus corruptionis, augmentationis, alterationiſque cujuſque factus incapax, cibum in ſui ſubſtantiam non converteret; ſed potius in præjacentem materiam reſolveret eo planè modo, quo Solis radius aquam abſumit, non uniendo ſibi, ſed in vapores reſolvendo: non, inquam ob id deſiit eſſe vera comeſtio; cùm talis naturæ corpus illud eſſet, in quod cibus naturaliter converti debuiſſet. Hinc videas diſcrimen ingens inter Chriſti à mortuis redivivi comeſtionem, & comeſtionem Angeli E. G. Raphaelis junioris Tobiæ ductoris. Prior etenim vera idcircò fuit, quòd Chriſti Corpus talis eſſet naturæ, ut veſci peteret, & nutriri; etſi per accidens nec veſceretur, nec nutriretur: altera ficta fuit, atque apparens, quòd aſſumptum Raphaelis corpus, utpote ex aere formatum, atque concretum, nec veſci natura ſua peteret, nec nutriri. Quod ille utrique Tobiæ parenti, nimirum, & filio tandem denunciavit his verbis: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Tob. Cap. 12. Cùm ex oppoſito Chriſtus Dominus ex mortuis ſuſcitatus ſæpenumerò manducarit, etiam proximè aſcenſurus in Cœlum; *ut per effectum comeſtionis veritas pateſceret carnis.* Gregorius Magnus Homil. 29. in Euangelia.

III. Gravior meo quidem judicio oboritur difficultas de naturali Dominici Corporis integritate: an ea perinde reſurgendo præditum eſſet? Quandoquidem ſuſceptorum in Paſſione vulnerum cicatrices reſurgendo ſervaſſe, illaſque non obductas, ſed hiantes adhuc, atque patentes retinuiſſe, liquet ex hiſtoria Thomæ increduli, Joannis 20., quem Chriſtus ad digitum plagis pedum, ac manuum inferendum, manumque in laterale vulnus immittendam legitur invitaſſe. Quin etiam an exangue omninò fuerit Corpus Chriſti redivivum, dubitare viſus eſt D. Auguſtinus. Cùm enim ab eo quæſiiſſet Conſentius: utrùm *Corpus Chriſti oſſa, & Sanguinem babeat, & reliqua Carnis lineamenta?* Reſpondit Sanctiſſimus Doctor Epiſt. 146., ſe nec inquirere, nec definire velle, an Chriſtus ſanguinem habeat, *Fides adſit*, inquit, *& nulla quæſtio remanebit, niſi fortè de ſanguine requirendum eſt. Quia cùm dixiſſet*, palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, *non additur, ſanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere. Et de compendio, ſi placet, finita ſit quæſtio.*

Attamen nihil iſta dictis officiunt. Demus enim, Chriſti Corpus non omninò integrum ſurrexiſſe, ob relicta ſuſceptorum veſtigia vulnerum: tantùm abeſt, ut id ejus officiat gloriæ, ut augeat potiùs; cùm non infirmitate, & impotentia ſanandi res ipſa contigerit, ſed juſtis de cauſis. 1., ut idem corpus ſurrexiſſe convinceret, quod fuerat crucifixum. 2., ut reportati triumphi inſignia perennarent. 3., ut patentes etiamnum vulnerum hiatus, & cicatrices perenne veluti ſacrificium Æterno Patri offerrentur. 4., ut in extremo Judicio ſolutæ Redemptionis pretium hominibus Judicandis oſtenderet; Juſtis quidem ut incentivum amoris, Impiis in opprobrium, & ignominiam. Cæterùm non exangue ſurrexiſſe Chriſti Corpus, ſed debito ſanguine oppletum priſca ſæculo-

rum

Digitized by Google

rum omnium fides docet, qua vinum in Chriſti ſanguinem in tremendo Altaris Sacrificio converti profitemur: cui tantùm abeſt, ut repugnaverit Auguſtinus, ut eam potiùs modis omnibus aſtruat lib. 3. de Trinitate Cap. 10., & lib. 17. de Civitate Dei Cap. 20. Si quam verò dubitationem habuit Sanctiſſimus Doctor, num Chriſti Corpus poſt Reſurrectionem, ac etiam nunc in Cœlo ſanguinem habeat; non de naturali, atque vitali, qui ad humani corporis naturam pertinet, dubitatio illi fuit; ſed de excrementitio, qui ex humoribus efformatur, ſeu veriùs humor eſt. Hanc unam Auguſtini mentem, dubitationemque fuiſſe, liquet ex hac ipſa objecta Epiſtola. Idcircò enim a propoſitæ quæſtionis ſolutione abſtinere ſe ait, quia perinde quæri ab aliquo poſſet: num glorioſum Chriſti Corpus aliis humoribus, pituita, ſcilicet, atra, flavaque bili coaleſcat? Quod ſanè argumento eſt, de ſolo humore ſanguineo quæſtionem illi fuiſſe propoſitam; deque ſolo illo dubitaſſe; non itidem de Sanguine naturali ad humani corporis integritatem attinente. Rurſus, ideò quæſtionem de Corporis redivivi ſanguine ſupervacaneam dicit Auguſtinus, quia Chriſtus ſimpliciter dixit: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habent, ſicut me videtis habere*, nulla ſanguinis facta mentione: at qui palpat, videtque carnem vegetam, atque viventem, qualis tunc certè erat Chriſti Domini caro, ex conſequenti quoque palpat, videtque ſanguinem vitalem, ac naturalem, uti palpat, videtque oſſa: non itaque loquitur de eo ſanguine Sanctiſſimus Doctor, ſed ut ſummè de excrementitio, qui ad corporis viventis, & humani conſtitutionem neceſſariò non pertinet. Ut ſileam, Auguſtinum ad calcem laudatæ Epiſtolæ ſignificare, ſcribere ſe feſtinanti calamo, nec ſatis ſibi ſupereſſe otii ad propoſitam ſibi quæſtionem maturè expendendam, ac reſolvendam.

IV. Reſurrectionis Dominicæ gloriam non mediocriter auget, quòd reportati triumphi ſocios ſibi fecerit Chriſtus Juſtos non paucos diu ante defunctos una ſecum à mortuis ſuſcitando. Rem planè prodigalem his verbis enarrat Matthæus Cap. 27., poſtquam Chriſtum in cruce animam egiſſe ſignificavit: *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis*.

Quinam illi fuerint cum Chriſto Domino ſuſcitati, non ita curioſè Patres inquiſiere. Exiſtimare tamen facile eſt, eos præ cæteris fuiſſe veteris Teſtamenti Juſtos, qui peculiarem ad Chriſtum ordinem referebant, illiuſque figuræ, ac typi illuſtriores extiterant; ut Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, David, Job, Melchiſedech. Nonnullos etiam in iis fuiſſe, non ita pridem defunctos, ut Zachariam, Simeonem, Joanem Baptiſtam, qui cùm Apoſtolis, cæteriſque Judæis ex facie noti eſſent, aptiores teſtes eſſe poterant, qui & ſurrexiſſe Chriſtum, & ſui ipſorum reſurrectionis Auctorem eſſe teſtarentur.

V. Eccleſiæ Patres, Sacrarumque Scripturarum Interpretes longè magis anxios habuit altera quæſtio: Num, ſcilicet, qui cum Chriſto ſurrexere, ad vitam immortalem ſubinde tranſierint; Chriſtoque in Cœlum aſcendente, ipſi quoque cum ſuis corporibus in Cœlum aſcenderint? Affir-

Affirmant Origenes in Cap. 27. Matthæi, Euſebius lib. 4. Demonſtrationis Euangelicæ Cap. 12., S. Epiphanius hæreſi 57., S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Magneſianos. Negant tamen alii, Juſtoſque illos Chriſto ſurgente ſuſcitatos ad ſua iterum ſepulcra rediiſſe contendunt, ſit ad extremum diem cum toto Eccleſiæ corpore ſecundò reſurgant; nimirum S. Auguſtinus Epiſtola 99. ad Evodium, S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 28. in Epiſtolam ad Hebræos, Theodoretus in Caput 11. ejuſdem Epiſtolæ, S. Gregorius Magnus lib. 1. Moralium in Job. Cap. 7., & S. Thomas 3. part. quæſt. 53. art. 3. ad 2. Quorum ſententia Sacris Litteris, communique Eccleſiæ ſenſui congruit magis; in quam idcircò lubens deſcendo.

Primò, quia Davidem ex eorum Juſtorum, qui cum Chriſto ſurrexere numero fuiſſe, veriſimillimum eſt, fatenturque univerſi: aut jacuiſſe illum adhuc in ſepulcro ſuo in die Pentecoſtes, ſeu poſtquam Chriſtus in Cœlum aſcendit, perſpectum eſt teſtimonio D. Petri in Actibus Apoſtolicis Cap. 2., ubi probat verba hæc Pſalmi 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, de David intelligi non poſſe, *quoniam*, inquit, *defunctus eſt, & ſepultus eſt., & ſepulcrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.* Quæ ratio Divi Petri nihil evinceret niſi tunc etiam in ſepulcro jacuiſſet. Imò ſi cum Chriſto ſuſcitatus David ad perpetuam incorruptionem tranſiiſſet, in eo maximè laudati Pſalmi verba exitum habuiſſent: quod tamen falſum eſſe contendit Petrus.

Secundò, ex eo quoque ſuſcitatorum Juſtorum numero fuiſſe, & Jobum, & Joannem Baptiſtam perinde veriſimile eſt. At prior ſe in extremo judicio reſurrecturum profitetur Cap. 19. libri ſui: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*; quod utique nullo pacto evenire poteſt, niſi è Chriſto reſurgente ſuſcitatus primùm in priſtinum ſepulcrum ſubinde redierit. Alterius autem reliquiæ ſervantur in terris; Caput quidem Romæ, Brachium Perpiniani. Non itaque cum Chriſto ſecundùm corpus in Cœlum aſcendit.

Tertiò, Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos Cap. 11. De Juſtis veteris Teſtamenti univerſim pronunciat, illos conſummatam felicitatem, quæ in corporis ſimul, & animæ glorificatione ſita eſt, accepturos non eſſe, niſi cum totius Eccleſiæ corpore: *Hi omnes teſtimonio probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid meliùs diſponente, ut non ſinè nobis conſummarentur.* Fuiſſent porrò ſinè nobis conſummati, ſi ad vitam ſimpliciter immortalem reſurrexiſſent: & cum Chriſto in Cœlum cum ſuis corporibus aſcendiſſent.

Quartò, communis Catholicorum ſenſus eſt, neminem præter Chriſtum, ejuſque ut ſummè Virginem Matrem corporis ſimul, & animæ gloria potiri in cœlis. Dixi, ejuſque ut ſummè Virginem Matrem: quia non deſunt Eccleſiæ Patres, (quorum tamen judicio non ſtamus) qui illud corporeæ glorificationis privilegium ſolius Chriſti eſſe velint: maximè verò Divus Ambroſius, & S. Avitus Viennenſis: de quibus, dum de Virgine in Cœlos aſſumpta quæſtio fiet, pleniùs dicemus. Ut quid ergo tam eximium, tam ſingulare privilegium ad Juſtos illos omnes prætendemus,

demus, qui cum Chriſto ſurrexere? Ecquis etiam putet, Lucam Chriſti in Cœlos aſcenſum tam accuratè, imò tam curioſè deſcribentem, partim in Euangalio, partim in Actibus Apoſtolicis, nihil de illo ſenſibili tot corporum glorioſorum comitatu fuiſſe dicturum, ſi quid hujuſmodi contigiſſet?

Quintò, Chriſti Domini ſolius Reſurrectio perfecta à Patribus dicitur: quòd is ita fuerit a mortuis ſuſcitatus, ut ad vitam immortalem rectà tranſierit: non itidem alii, qui ab Elia, aut ab Eliſeo in veteri Teſtamento, aut ab ipſomet Chriſto in novo ita ſunt ſuſcitati, ut ſecundò ſint mortui, Apoſtoluſque tanquam ſingulare Chriſti Domini privilegium ponit ad Romanos 6., quòd reſurgens ex mortuis non eſſet jam moriturus, nec ultra illi dominatura mors eſſet. Quæ profectò falſa omninò eſſent, ſi & illi, qui ab eo reſurgente ſunt ſuſcitati, non ultra ſub inde ſunt mortui; ſed ad beatam cum illo perennitatem pervenere.

VI. At, inquiunt recentiores nonnulli quibus aliter ſentire lubet, decebat, Chriſtum mortis, ac reſurrectionis ſuæ fructum ſtatim oſtendere, procurata Juſtis illis conſtanti, perennique reſurrectione. Decebat, eoſdem illos aſcenſus ſui comites in Cœlum efferre; ut & illos ſecum corpore quoque beatos habeat, quorum aſpectu, & collocutione externa paſcatur ejus humanitas. Quis, quæſo, ratiuncularum illarum futilitatem non rideat? Quid Chriſtum deceat, novit ille; nihilque decere putandum eſt, quod Sacris Litteris adverſetur. Hunc reſurrectionis ſuæ fructum oſtendit ille, quem pro temporis conditione cenſuit neceſſarium, ut nimirum illius veritas certò conſtaret. Ad id porrò temporanea, ſed vera interim Juſtorum illorum reſurrectiò ſatis erat. Sui in Cœlos aſcenſus comites tales habuit, quales ad peragendum, celebrandumque triumphum opportunos judicavit; Juſtos veteris Teſtamenti penitùs univerſos, quorum animas in Cœlum triumphator evexit, ſuis tamen corporibus exutas; quorum gloria ad generalem noſtrum omnium reſurrectionem, Deo pro nobis ita diſponente, dilata eſt. Nihilque refert, ſi externa corporum beatorum collocutione nondum in Cœlis paſcitur Chriſti humanitas; ſatis ſe ipſa fœlix, atque beata, ut eo non egeat felicitatis adminiculo.

Urget nihilominus Maldonatus. Obſervat Matthæus, Sanctos illos ſurgente Domino ſuſcitatos, non omnibus quidem, *ſed multis* apparuiſſe: illorum itaque corpora glorioſa erant; maximè cùm talia beatis illorum animabus deberentur: ſi autem glorioſa, non igitur ultra mortua ſunt, ſed æterna cum Chriſto felicitate donata fuere. Egregiè verò! Et nonne Moyſis anima perinde beata erat, dum à Chriſto transfigurato ad breve tempus ſuſcitatum eſt corpus ejus? Nonne tunc Moyſes paucis apparet, non item omnibus? Et tamen quis dicat, corpus Moyſis jam tunc ab ipſa Chriſti Domini transfiguratione fuiſſe glorioſum, ac non ultra ad tumulum rediiſſe? Potuerunt itaque pari modo Juſtorum corpora cum Chriſto Domino ſuſcitata non omnibus apparere in Sancta Civitate, ſed multis; non quòd glorioſa eſſent, ſed quòd ſeſe conſpicua non omnibus darent: nec neceſſe omninò fuit, ut beatæ illorum animæ glorioſis corporibus

tibus jungerentur. Ac ſi illis aliquæ fortè glorioſorum corporum dotes Divina largitate conceſſæ ſunt; eæ non inſtar habitus permanentis fuere; ſed inſtar diſpoſitionis fugitivæ; uti planè corpori Moyſis ad Chriſti Transfigurationem ſuſcitato contigiſſe exiſtimatur. Quare quæ ſubinde corporibus illis ſecunda mors contigit, dum ad priſtina rediere ſepulcra, non alteratione, aut corruptione naturali, aliave vi illata eſt; ſed ſimplici animarum è ſuis corporibus ſolutione, citra dolorem, uti & citra culpam.

VII. Non eorum dumtaxat corporum à mortuis excitatorum teſtimonio ſuam ipſius Reſurrectionem teſtatam voluit Chriſtus Dominus; ſed & diſtincta, manifeſtaque ſui ipſius ſpecie Diſcipulis, cæteriſque Fidelibus frequenter exhibita. Quot, quibuſve vicibus ſeſe ſpectandum præbuerit, ex Sacris Litteris facilè colligitur; accuratiſſimèque percenſet D. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 25. At cui ſe primùm viſendum dederit ſtatim à mortuis excitatus, miror, tam multos, inconſulta pietate contra Scripturarum, ac Patrum fidem comminiſci. Honorem hunc Virgini Deiparæ, utpote omnium optimè meritæ, datum plerique volunt. Nonnulli etiam, ut Catharinus lib. de *conſummata Chriſti, & Deiparæ gloria*, tanquàm Fidei caput oſtentant: nihilque faciundum ajunt Sacrorum ea de re Euangeliorum ſilentium: tum quòd eas dumtaxat Chriſti viſiones memoriæ prodiderint Scriptores Sacri, quæ Reſurrectionis Dominicæ veritati ſtabiliendæ inſervire poſſent, qualis (illorum quidem judicio) non videtur facta Deiparæ viſio, cùm Maternum teſtimonium nemo à Chriſto alienus duxiſſet idoneum: tum quòd ſuperfluum Sacris Scriptoribus videretur, hoc piiſſimi Filii in Matrem pro illo afflictiſſimam ſtudium ſcripto prodere, de quo vix ullus, niſi in Caucaſo natus poſſit ambigere. Ita plerique pro arbitrio fabulantur. Quiſquis tamen, ſemotis præjudiciis, rem totam intimiùs penſitarit, comperiet ſanè, non eſſe in Caucaſo natos Chrodobertum Epiſcopum Turonenſem, in *Judicio de Muliere adultera*, Petrum Bleſſenſem Epiſtola 50., Guilelmum Eſtium, & Joannem Heſſelium in Cap. 16. Marci, Cornelium Janſenium Gandavenſem Epiſcopum Cap. 45. Concordantiarum, Natalem Alexandrum ſæculo 1., qui ea de re non ambigunt modò, verùm etiam conſtantiſſimè diffitentur.

Primum enim Chriſti à mortuis redivivi conſpectum Virgini Deiparæ conceſſum, non modò ſilet Euangelium; ſed & apertiſſimè negat, Marci 16. v. 9. *Surgens autem mane Chriſtus prima Sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem Dæmonia.* Qui etenim Chriſti redivivi conſpectum Mariæ Magdalenæ primò conceſſum ait, Deiparæ primò conceſſum apertè negat. Sed & Eccleſia Marci dictum ita univerſim, ac generatim intelligit, ut Mariam Magdalenam in obtinendo Chriſti redivivi conſpectu cæteris mortalibus anteponat in ſolemnibus precum officiis, quibus Sanctiſſimæ Pœnitentis memoriam recolit: *Celſi meriti Maria, quæ Solem verum reſurgentem videre meruiſti mortalium prima: obtine, ut nos viſu gloriæ ſuæ tecum lætificet in Cœlis*. Quotquot etiam Eccleſiæ Patres de variis Chriſti reſurgentis manifeſtationibus, ſeu *apparitionibus* ſcripſere, ut illarum

or di-

ordinem, ac numerum definirent, primam omnium Magdalenæ factam conſtantiſſimè poſuerunt: donec, duodecimo vertente ſæculò, Rupertus Abbas Tuitienſis lib. de Officiis Cap. 25., & Edmerus libri de excellentia B. Virginis Sancto Anſelmo tributi, genuinus Auctor Cap. 6. primam omnium factam Deiparæ ſcriptitarunt; nullo Sacrarum Scripturarum, ac Patrum prælucente ſuffragio, ſed allatis paulò ante rationibus nixi, quarum futilitatem oſtendere facillimum eſt.

VIII. Et quidem excellens Deiparæ meritum altiùs exaggerant, cui id honoris, atque ſolatii, præ cæteris deberetur. Bellè id quidem: ecquis enim excellens Deiparæ ſupra creaturam omnem reliquam meritum neget? At unde habent ii, Chriſtum redivivum, in concedendo ſui conſpectu, ac viſione, perſonarum excellentiam ſpectaſſe, & ad meritorum ordinem attendiſſe; ut illos priùs ſuo recrearet aſpectu, quibus plus eſſet meritorum, & excellentiæ? Imò cùm aliàs certò liqueat, priùs Chriſtum viſendum ſe præbuiſſe piis, religioſiſque mulieribus, quàm Joanni, quàm Petro, quam aliis quibuſque Apoſtolis; perſpectum eſt, eum, non ad perſonarum excellentiam, ac meritum attendiſſe in concedenda per ordinem ſui Corporis viſione; ſed infirmitati potiùs, atque neceſſitati Fidelium conſuluiſſe: iiſque ſe primùm viſendum præbuiſſe, quos eo præ aliis eguiſſe ſubſidio noverat: aut alio fortaſſe fine, atque conſilio humanæ prudentiæ prorsùs ignotò primas tanti honoris, ac beneficii partes in aliquos contuliſſe. Certè ſi Chriſtum, in hujuſmodi gratiis, ac beneficiis concedendis, ad perſonarum excellentiam, ac meritum attendiſſe omninò volumus; quid aliud reliquum eſt, quàm ut Deiparam Virginem inter Apoſtolos, ac etiam ſupra Apoſtolos Euchariſticæ Cœnæ diſcumbentem effutiamus, Corporis Dominici participem ante omnes, ac ſupra omnes effectam? In his ergo Scripturarum, ac Patrum auctoritati ſtandum omninò; non excogitatis quibuſque rationibus, quæ uti petuntur ex congruis, ita ſæpiſſimè fallunt: Deo longè aliter, quam quod homini congruere viſum eſt, decernente, ac ſtatuente. *Non enim cogitationis meæ cogitationes veſtræ; neque viæ meæ viæ veſtræ; dicit Dominus*. Iſaiæ 55. v. 8.

IX. Cæteræ, quæ feruntur ſervari à Sacris Scriptoribus ſilentii rationes, futiliores ſunt longè multò. Eccur enim, ſi qua Chriſti Domini redivivi viſio Deiparæ primùm facta eſſet, ea Dominicæ Reſurrectionis veritati ſtabiliendæ non fuiſſet idonea; eaque de cauſa ſilentio mitti debuiſſet? Eſtò enim maternum de Chriſto redivivo teſtimonium nemo (ut ajunt) alienus à Chriſto duxiſſet idoneum: idoneum tamen, locupletiſſimumque duxiſſent Chriſti Diſcipuli. Porrò quæ primùm religioſis mulieribus viſiones factæ ſunt, quæque tamen accuratè ab Euangeliorum Scriptoribus referuntur, non ad id profectò ſunt factæ, ut Chriſtum à mortuis ſuſcitatum alienis à Chriſto Domino teſtarentur, ſed Diſcipulis ejus. Unde & Chriſtus iis conſpicuus factus ait: *Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Matth. 28. v. 10. Quidni ergo factam tunc Deiparæ viſionem (ſi qua fortè contigiſſet) Euangeliſtæ perinde narraſſent, ad confirmandos Diſcipulorum animos plus reliquis

valituram? Quidni ardens illud piiſſimi Filii in Matrem afflictiſſimam ſtudium memoriæ prodidiſſent; de quo tam multi non omninò in Caucaſo nati dubium movent, ac etiam conſtantiſſimè negant: multòque dignius Deiparæ Virginis gloriæ, ſummiſque meritis conſultum putant; ſi eam præpropera illa Chriſti redivivi viſione non eguiſſe dicant, ut peractæ Reſurrectioni fidem adjungeret; quam ex ejuſdem pollicitatione certiſſimam, indubitatamque tenebat?

Illud demum levitatis plenum eſt, quod ultimo loco Rupertus obſervat ex ordine Romano: Stationem, ſcilicet, ad S. Mariam Majorem indici ipſo Paſchatis die; ut prima omnium adeatur Deipara, eique congaudeatur ob Filii regreſſum ad vitam. Sit ita porrò: quid ergo, ut hæc ipſa contra Marci teſtificationem prima omnium Chriſti redivivi conſpectu recreata demonſtretur? Poteſt enim Eccleſia illi præ cæteris congaudere, quòd Chriſto ſuſcitato intimiùs conjuncta eſſet; eaque ratione prima fuiſſet gaudii particeps. Imò potuit peractæ Reſurrectionis prima omnium certior fieri; tametſi prima omnium corporali illius aſpectu recreata non eſſet: tum ſuſcepto fortè per Angelum nuncio; tum maximè Fidei certitudine; qua eum, ut ſpoponderat, noverat ſuſcitatum.

X. Dum finem dicendi faciam, inemendatum prætermittere omninò non poſſum errorem in vulgus ſat latè manantem, cui locum ſolita Pictorum inſcitia dedit. Ii quippe, dum Chriſtum à mortuis ſurgentem penicillo adumbrant, patens omninò Sepulcrum, lapidem revolutum, Cuſtodeſque timore concuſſos, in terram proſtratos, ac ſemimortuos repreſentant; unde facilè prophanum vulgus inducitur, ut exiſtimet, Chriſtum Dominum monumentum, quo conditus fuerat, ſurgendo reſignaſſe, lapidem ſubmoviſſe, militeſque in terram perterritos dejeciſſe. Res tamen ipſa longè aliter ceſſit, Patrum quidem judicio, atque ſententia. Chriſtus, ut clauſo Virginis utero in lucem naſcendo prodiit; ita morti traditus, ac tumulo datus, clauſo monumento, obſignatoque lapide, ad vitam rediit immortalem, quin Cuſtodes adverterent, aut etiam advertere poſſent. Nec niſi peracto de morte triumpho, dum ad videndum Sepulcrum religioſæ mulieres proceſſerunt; Angeli de Cœlo delapſi virtute excitatus eſt terræ motus, lapis revolutus, exterriti Cuſtodes, factique exanimes. Quod à Matthæo disertè notatum eſt Cap. 28. *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre Sepulcrum. Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo: & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix. Præ timore autem ejus exterriti ſunt Cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.*

EXERCITATIO LXI.

De Chriſti in Cœlos aſcenſu.

I. QUæ Chriſtum rationis impulerint, ut, impleto humanæ Redemptionis officio, reportatoque de morte triumpho, in Cœlum tandem aſcenderet, nemo eſt, qui non ſtatim intelligat. Is etenim locus partæ jam, tum corporis, tum animæ gloriæ debebatur: hæc mortis oppetitæ debita merces: hæc novi Regni ſanguine ſuo quæſiti digna Regia: hoc novi Dominatoris ſolium triumphale. Eo etiam in Cœlum aſcenſo Doctrinam ſuam, ac Legem cœleſtem eſſe; Regnum ſuum æternum, non temporarium palam oſtendit: quodque cæteris præſtat, Spiritum S., quem Doctrinæ ſuæ confirmatorem in Diſcipulos miſit, ex ipſo, & ab ipſo eſſe demonſtravit.

Verùm, quæ Chriſtum ratio moverit, ut in Cœlum aſcendere cùm poſſet ſtatim, ad quadrageſimum tamen diem diſtulerit, non ita fortè divinare facile fuerit. Quamquam enim dies aliquot neceſſarii viderentur, ut Reſurrectionis ſuæ veritatem certis argumentis oſtenderet, quorſùm tamen ad quadrageſimum uſque diem aſcenſus dilatus eſt? Ænigma ſolvit D. Auguſtinus quæſtione 26. inter ſexagintaquinque ad Oroſium: factum id aſſerens, ut quadraginta circiter horarum abſentiam, quâ diſcipulos ſuos vehementer afflixerat moriendo, quadraginta dierum præſentia, antequam ad Patrem aſcenderet, compenſaret. Ab hora ſiquidem nona Paraſceves, qua in Cruce extinctus eſt, ad Auroram Dominicæ, quâ ſurrexit, quadraginta circiter horas numeramus. Solvit hoc idem Ænigma Doctor Angelicus obſervatione allegorica. Quemadmodum enim poſt tranſitum maris rubri Deus Moyſi Legis ſuæ Nuncio, & Adminiſtro ſeſe per dies quadraginta viſendum exhibuit, quò eum pleniùs, uberiùſque de Legis arcanis, atque myſteriis erudiret; ita Chriſtus, tranſacto Paſſionis ſuæ mari rubro; Apoſtolis Evangelicæ Legis Adminiſtris totidem diebus viſendum præbere ſe debuit, ut eoſdem ſecretiora publicæ Legis arcana multò diſtinctiùs edoceret. Unde communis Patrum ſententia eſt, Apoſtolos eo quadraginta dierum ſpatio à Chriſto Domino accepiſſe, quæcumque ad nos, de dogmatibus, de Sacramentis, de ſacris ritibus traditione tranſmiſere, quorum altum in Evangelio ſilentium eſt. Ut mittam, quadragenarium dierum numerum Divinis in Litteris ſacratum eſſe jejunio Moyſis, Eliæ, ipſiuſque Chriſti Domini.

Neque tamen, dum Chriſtum per dies illos quadraginta Apoſtolos præſentia ſua recreaſſe dicimus, continuatam, ac nuſquam intermiſſam præſentiam intelligimus; uti nec eam Lucas intelligit Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum, dum ait: *iis præbuiſſe ſe ipſum vivum in multis argumentis, per quadraginta*: ſed præſentiam interpolatam intelligimus, ac per vices exhibitam; iiſdem, ſcilicet, interdum *apparendo*, ut Lucas addit, *& loquendo*

de

de Regno Dei: quantum, ſcilicet, exiſtimavit neceſſarium ad fidem Reſurrectionis adſtruendam, Apoſtoloſque docendos, atque ſolandos. Imo non deſunt, qui Chriſtum toto illo quadraginta dierum interſtitio majorem traxiſſe moram exiſtiment, verſatumque frequentiùs in eo terrenæ fœlicitatis loco, ubi Enoch, & Elias ad extremum uſque Judicium ævum agitant. Quamquam & id quærere vanum eſt, & definire temerarium. Quis enim, citra peculiarem Dei revelationem, id ſcire quæat, cujus nullum Sacris in Litteris, nullum in antiqua Traditione veſtigium eſt?

II. Quæ, & quanta Aſcenſus hujus gloria fuerit, ex quatuor præſertim capitibus colligi poteſt. 1. ex cauſa illius phyſica. 2. ex natura motus, quo in Cælum aſcendit. 3. ex termino motus ejuſdem. 4. ex fructibus, ſeu effectibus inde derivatis.

Cauſa enim Aſcenſus hujuſce non alia profectò fuit, niſi Chriſtus qui non alienis præſidiis, ſed virtute Divinitatis ſuæ, ac etiam Animæ propriæ unitum ſibi Corpus pro agilitatis dote ad nutum, atque arbitrium moventis elatus eſt, juxta Oraculum Iſaiæ 63. *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Quocirca Gregorius Magnus Homil. 29. in Evangelia: *Notandum eſt*, inquit, *quòd Elias in curru legitur aſcendiſſe, ut videlicet apertè demonſtretur, quòd homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemptor autem noſter, non curru, non Angelis ſublevatus legitur; quia qui fecerat omnia ſuper omnia virtute ſua ferebatur.* Quare quod Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum, & Cap. 16 Marci de Chriſto aſcendente legimus, *Aſſumptus eſt in Cælum*, non ad Angelos, aliamve quamcumque virtutem exteruam eſt transferendum, ſed ad ipſam Divinitatem, qua in Cælum elatus fuit: maximè cùm Textus Græcus ſimpliciter habeat ἀνελήφθη, hoc eſt, *ſurſum aſcendit*. Quin etiam ſicubi fortè legeretur, Chriſtum à Patre in Cælum fuiſſe aſſumptum; non illicò conſequens eſſet, eum propria virtute non fuiſſe elatum; cùm Patris, & Filii una, eademque ſit virtus, una poteſtas. Quod ſapienter obſervat Doctor Angelicus 3. p. quæſt. 57. art. 3. ad 1. *Sicut Chriſtus dicitur, propria virtute ſurrexiſſe, & tamen eſt ſuſcitatus à Patre, eò quòd eadem eſt virtus Patris, & Filii: ita etiam Chriſtus ex propria virtute aſcendit in Cælum, & tamen à Patre eſt elevatus, & aſſumptus....* Nubes autem illa, quæ *ſuſcepit eum ab oculis Diſcipulorum, non præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignum Divinitatis, ſecundùm quòd gloria Dei apparebat ſuper Tabernaculū in nube*, art. 4. ad 4.

III. Nil minus admirabilitatis habuit natura motus, quo ſeſe Chriſtus in Cælum extulit. Quouſque enim intuentium Diſcipulorum oculi pertingere potuere, ſenſim, ac pedetentim elatus eſt, ut commodiùs obſervaretur. Ubi verò ſubduxit eum nubes, illicò fulguris inſtar vibravit ſeſe in Cœlum Empireum, non motu quidem inſtantaneo, quo corpora tametſi glorioſa moveri non poſſunt; ſed velocitate, ac pernicitate tanta, ut penè momento infinita propemodum ſpatia emenſus, Empirei culmen attigerit. Quæ res prodigium vincit omne, ac penè fidem ſuperat Aſtronomorum; quorum concors ſententia eſt, Terram à concavo duntaxat Firmamenti, in quo ſunt ſtellæ fixæ, diſtare octoginta millionibus

Digitized by Google

nibus Milliarium: adeò ut lapis molaris pondere ſuo è Firmamento decidens per annos nonaginta caſurus eſſet, antequam Terram attingeret. Novo perinde portento ad Empirei verticem pervenit Chriſtus, non diſrupta ſoliditate Cœlorum; ſed infinita illa quantitatis mole penetrata: dicente Apoſtolo ad Hebræos 4. *Habemus Pontificem, qui penetravit Cœlos.*

IV. Tam prodigialis, tam ſtupendi aſcenſus terminus fuit conceſſus ad dexteram Patris, Marco atteſtante: *Aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Qua loquendi formula abſit, ut Antropomorphitarum errorem inſinuatum putemus, Deo humana membra adſcribentium: ſed parem cum Æterno Patre regnandi, judicandique poteſtatem intelligere oportet, ipſi etiam Humanitati Chriſti conceſſam: *Dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Joan. 5. Quòd certè ſingulare Chriſti privilegium fuit, quo vicit, ac ſuperavit Angelos univerſos: *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando; ſed à dextris meis?* inquit Apoſtolus ad Hebræos Cap. 1. Quare ſicubi in Sacris Litteris legimus, Sanctos regnare cum Chriſto, eoſdemque ſeſſuros ſuper ſedes duodecim; ſicque judicaturos duodecim Tribus Iſraël: hos inferiori longè gradu, & ſeſſuros, & judicaturos intelligere præſtat; ac veluti Chriſti ſupremi Judicis ſervos, & adminiſtros.

V. Fructus demum mirandi hujus in Cœlos aſcenſus, non unus, aut alter extitit, ſed longè multiplex. 1. Miſſio Spiritus Sancti in Apoſtolos; unde Chriſtus ſæpiùs eoſdem alloquens ajebat: *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Joan. 6. Secundus, apertio Regni Cælorum, cujus nobis januam Protoparentis inobedientia clauſaret; nemo enim hominum ante Chriſtum Cœleſti fœlicitate potitus eſt. Tertius, erectio ſpei noſtræ; ut quò pervenit gloria Capitis, eò tendat membrorum affectus. Quartus, jugis Chriſti ad Patrem pro nobis interpellatio; Advocati enim officio defungitur ex hoc loco. 1. Joan. 2. *Advocatũ habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis.* Quintus demum, ſupremæ poteſtatis ſuæ manifeſtatio, juxta Apoſtoli dictum ad Epheſios. 4. *Aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut adimpleret omnia.* Nempe, ut ſicuti ſignis ſupremæ poteſtatis ſuæ terram impleverat, quam ſanctificavit; Inferos, quos ſpoliavit; ita & Cęlos, ubi regnat, impleret.

VI. Iis ita explicatis, quæ ad ipſam, ut ita dicam, Myſterii hujuſce ſubſtantiam attinent; ea nobis explicanda veniunt, quæ ad externas ejus circumſtantias ſpectare dicuntur: quo, ſcilicet tempore, quoque ex loco Chriſtus in Cęlum aſcenderit.

Ac de die quidem triumphalis hujus Aſcenſus: quænam, ſcilicet, illa fuerit, tota ex Paſchatis conſignatione quæſtio pendet. Cùm enim à Reſurrectione ad Aſcenſum dies quadraginta notet Lucas in Actibus Apoſtolicis: quotquot Chriſtum ſurrexiſſe ponunt die 27. Martii, (uti certè ponere neceſſe eſt illos omnes; qui mortuum illum aſſerunt die 25. Menſis ejuſdem) eumdem aſcendiſſe decernunt die 5. Maii, quæ in feriam quintam, ſeu in diem Jovis neceſſariò incidit. Quare rejicienda omninò eſt S. Joannis Chryſoſtomi ſingularis opinio, Chriſtum

aſcen-

aſcendiſſe aſſerentis die Sabbathi, Homil. 3. in Acta Apoſtolorum; Quacumque enim die Menſis Chriſtum ſurrexiſſe ponas; cum hæc Dominica certò fuerit, diem inde quadrageſimam, Jovis diem eſſe neceſſe eſt; Sabbathum eſſe omninò non poteſt. Nec rationibus Theologicis nobis eſt opus, ut id evincamus: ſatis eſt calculos adhibere.

Qua verò diei hora aſcenderit, non ita certò ſtatuero, quamvis vulgò putetur; circa Meridiem, aut certè paulò poſt Meridiem aſcendiſſe. Unde enim id habent? Nimirum ex hoc uno, quòd Chriſtus *conveſcens* cum Apoſtolis ultima illis monita dederit: *Et conveſcens præcepit eis, ab Jeroſolymis ne diſcederent*; ac poſtea, *videntibus illis elevatus ſit*, Actor. 1. Illud verò *conveſcens*, de prandio cum Apoſtolis circa Meridiem ſumpto ſcriptum exiſtimant. Itane quæſo? Sed age, demus de prandio id eſſe dictum, quod circa Meridiem ſumi ſolet: prandium tamen illud Jeroſolymis ſumptum eſt: antequam autem in Cœlum aſcenderet, ad culmen montis Oliveti pervenit Chriſtus, ſex ſtadiis Græcis diſtantis ab Jeroſolymis: quo in itinere quantum temporis poſuerit, ignoratur, cùm illuc pergeret tota comitante caterva. Sed & hoc ipſum incertum eſt, Chriſtum *conveſcentem*, ſeu prandentem ultima Diſcipulis dediſſe monita, antequam aſcenderet. Latini enim plerique Codices pro *conveſcens*, quod in vulgata legitur, habent, *conveſans*: Græci etiam conſtanter legunt *συναυλιζόμενος*, hoc eſt, converſans cum *eis in eadem aula*; aut etiam *συναλιζόμενος*, hoc eſt, *congregans in eodem loco*: quæ profectò, ſeu *converſatio*, ſeu *congregatio* nihil cum prandio commune habet, & quamvis hora diei fieri poteſt. Græci Textus lectionem exprimit Verſio Arabica: *Cùmque ſe collegiſſet cum eis, præcepit eis, ne diſcederent ab Jeruſalem*. Eamdem amplectitur Auguſtinus lib. 1. de Actis cum Felice Man. Cap. 4. locum illum Actuum Apoſtolicorum ita recitans: *Quibus præbuit ſe vivum poſt Paſſionem in multis Argumentis dierum; viſus eis dies quadraginta, & docens de regno Dei, & quomodo converſatus ſit cum illis. Et præcepit eis, ne diſcederent ab Jeroſolymis, ſed ſuſtinerent pollicitationem Patris*. Congruitque quam maximè cum eo, quod paulò poſt ſequitur iiſdem in Actibus Apoſtolicis v. 6. *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes &c.*, quæ verba factum tunc conventum, ſeu congreſſum innuunt, non ſumptum prandium.

Non me fugit, Marcum Cap. 16. memoriæ prodidiſſe, Chriſtum *recumbentibus undecim Diſcipulis*, nimirum ad menſam, *exprobaſſe incredulitatem eorum, & duritiam cordis*: ac poſtmodum illius in Cœlo aſcenſum enarrare. At perſpectum eſt, longè aliud iſtud eſſe, quàm quod enarratur à Luca in Actibus; tametſi *conveſcens* illic legeremus, & non *converſans*. Alioquin, ſi Chriſtus hac ipſa in occaſione, de qua loquitur Marcus, unà cum Diſcipulis recubuiſſet ſeu comediſſet, id certè diſtinctè notaſſet; nec ſolos undecim Diſcipulos recubuiſſe ſignificaſſet. Qua itaque hora diei Chriſtus in Cœlum aſcenderit, ex Divinis Scripturis incertum eſt. Sed nec id ex Sanctis Patribus extundi poteſt, quippe qui ab ea movenda quæſtione penitus abſtinuerunt, nec quidpiam ea de re vel obiter inſinuarunt.

VII. Non

VII. Non perinde incertus eſt locus, ex quo in Cœlum elatus eſt, tametſi prima fronte ſecum ipſo in ea re deſcribenda pugnare, Lucas videatur. Is etenim Cap. ultimo Euangelii, Chriſtum ex Bethania in Cœlum aſcendiſſe ſignificat: *Eduxit*, inquit, *Diſcipulos foras in Bethaniam, & elevatis manibus benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & elevatus eſt.* In Actibus autem Apoſtolicis, quorum ille perinde Scriptor eſt, ex Monte Oliveti Chriſtum in Cœlos elatum apertiſſimè ſcribit: quandoquidem Diſcipulos Aſcenſus illius ſpectatores, ac teſtes, peracto, conſummatoque Myſterio, reverſos ait Jeroſolymam *ex monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbathi habens iter.* Verùm hæc ipſa ſecum minimè pugnare, imò congruere maximè, facilè intelliget quiſquis animadverterit, Bethaniam ſub ipſo monte Oliveti, ac in ipſius declivio fuiſſe ſitam. Bethaniam ergo priùs pervenit Chriſtus, fortè ut Lazarum, ejuſque ſorores Martham, & Magdalenam poſtremi triumphi ſui teſtes ſecum adduceret; ac tùm poſtea, tota comitante caterva, ad montis cacumen aſcendit, unde in Cœlum elatus eſt. Dicitur porrò, montem Oliveti Jeroſolymam uſque iter habuiſſe Sabbathi, hoc eſt, tanto diſtaſſe ſpatio, quantum Judæis in Sabbatho licebat conficere. Eſt autem ſpatium illud ſex circiter Stadiorum Græcorum, ſeu unius Milliarii noſtri. Quapropter, dum legimus apud Joannem Cap. 11., Bethaniam, quæ certè in declivio montis Oliveti ſita erat, *ſtadiis quaſi quindecim* diſtaſſe Jeroſolymis; de ſtadiis Hebraicis accipi debet, quæ Græcis duplo minora erant.

VIII. Chriſtum in Cœlos elatum petroſo montis Oliveti cacumini impreſſa plantarum ſuarum veſtigia reliquiſſe; ibidemque extructum templum ab Helena Conſtantini matre numquam contegi, & concamerari potuiſſe, teſtantur S. Hieronymus libro de locis Hebraicis, S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſt. 11. ad Severum Sulpitium, S. Auguſtinus tract. 47. in Joannem, Optatus Milevitanus lib. 6., Severus Sulpicius lib. 2. Hiſtoriæ Cap. 48. Quin etiam addit Venerabilis Beda lib. de locis Sanctis Cap. 7., per annos ſingulos, ipſo die feſto Aſcenſus Dominici, Miſſa peracta, validi Flaminis procellam deſurſum venire conſueviſſe; totaque ibi nocte lucernas ardere, ut non tantùm illuſtrari, ſed conflagrare mons Oliveti videatur. Quod ad Bedæ ætatem uſque contigiſſe veroſimile eſt, ne illum in mendacio habeamus; nihil enim hujuſmodi, aut obſervatur in præſenti, aut à Scriptoribus Bedæ ævo poſterioribus memoriæ traditum eſt.

IX. Chriſti in Cœlum aſcendentis ſpectatores, ac teſtes adfuiſſe numero centum viginti, ſcribit Cornelius à Lapide in commentariis ad Cap. 1. Actuum Appoſtolicorum, quos ibidem verſiculo 15. notatos ait, his verbis: *Erat autem turba hominum quaſi centum viginti.* Verùm errat toto oſtio vir aliàs eruditus: nec enim de Chriſti aſcendentis ſpectatoribus agit ibi Lucas, ſed de Fidelibus ad electionem Matthiæ in locum Judæ proditoris convocatis. Imò ſi totam Sacræ hujus Hiſtoriæ ab illo deſcriptæ ſeriem obſervemus attentiùs, non alios, niſi Apoſtolos adnotatos inveniemus: uti non alii niſi Apoſtoli à Marco recenſentur Cap. ultimo Euangelii.

Digitized by Google

angeli. Si quis alios adjicere velit, maximè verò Deiparam Virginem, non repugnabo. Illud tamen admoneo, nihil hujuſmodi Sacris in Litteris, aut etiam apud Eccleſiæ Patres haberi. Multò minùs ſacra illa colloquia apud Patres leguntur, a piis recentioris ævi Contemplatoribus ficta; quibus ſe invicem Chriſtus, illiuſque Mater ultimò ſalutarint, ſummumque ſibi vale dixerint. Quæ certè, ſi qua fuere, pio ſilentio venerari ſatius eſt, quàm humano, ac repente per humum ſermone, imitari velle. Miror que, nonnullos Homiliam neſcio quam *de Aſcenſione*, ubi data ultima ſalutatio, pingui admodum, craſſàque Minerva deſcribitur, S. Joannis Chryſoſtomi nomine venditare; quæ ſimplicis cujuſpiam, rudiſque Monachi partus eſt, Euangelium Fratribus ſuis incultè, & imperitè explicantis: ut obſervat Card. Bellarminus in Cenſura Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

X. Illud nunc pro coronide ſupereſt explicandum; quid rei ſit, quòd Chriſtus Sacris in Litteris *in Cœlum* dicatur aſcendiſſe, itidemque *ſuper omnes Cœlos*? In Actibus enim Apoſtolicis Cap. 1. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Ad Epheſios autem Cap. 3. *Aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut adimpleret omnia.* Num quæſo ſecum pugnant iſta duo? Qui enim in Cœlum aſcendit, ſedetque in Cœlo, ſupra Cœlos eſſe non poteſt: maximè cùm nullus ſupra Cœlos omnes extet locus, quo Chriſti Corpus contineri poſſit. Nec verò difficultatem expediunt, ſed intricant multò magis, qui Chriſtum ſuper omnes Cœlos eatenus eſſe reſpondent; quòd in ſuprema parte ſupremi Cœli collocetur. Sic enim non eſt Chriſtus ſupremo Cœlo ſuperior, qui intra illud continetur: ideòque nec ſupra omnes Cœlos eſt.

Nodum fæliciùs expedit Doctor Angelicus 3. parte quæſt. 57. art. 4. ad 2. modum exponens, quo Corpus Chriſti glorioſum in Cęlo, ac ſupra Cęlos eſt. *Locus*, inquit, *habet rationem continentis; unde primum continens habet rationem primi locantis, quod eſt primum Cœlum. In tantùm igitur corpora indigent eſſe in loco per ſe, in quantum indigent contineri à corpore Cœleſti Corpora autem glorioſa, & maximè Corpus Chriſti non indiget tali continentia; quia nihil recipit à corporibus Cœleſtibus, ſed à Deo mediante Anima. Unde nihil prohibet, Corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam corporum Cœleſtium, & non eſſe in loco continente. Nec tamen oportet, quòd extra Cœlum ſit vacuum, quia non eſt ibi locus. Nec eſt ibi aliqua potentia ſuſceptiva alicujus corporis. Sed potentia illuc perveniendi eſt in Chriſto. Quod autem Ariſtoteles probat l. b. de Cœlo, quòd extra Cœlum non eſt corpus; intelligendum eſt de corporibus in ſolis naturalibus conſtitutis, ut per probationes apparet.* Uno verbo, ſupra omnes Cœlos ideò eſt Chriſti Domini Corpus, tametſi in Cœlo ſit; quia ita in Cœlo eſt, ut tamen in eo non egeat contineri.

Riſum tenere vix potui, dum paucos ante dies, Chriſtum in Cęlos elatum eleganti penicillo expreſſum cernerem, benedictionem Diſcipulis impertientem, elata manu dextera, depreſſiſque in palmam digitis auriculari, & annulari, cæteriſque erectis, Crucemque ſignantibus; in eum planè modum, quo Sacerdos ſub Sacri finem præſenti populo benedicit. Nempe Pictor ſanè bonus, ſed peſſimus antiquarius, Chriſtum Diſcipulis benedictionem in Cęlos aſcendiſſe, utcumque noverat; quis tamen be-

nedi-

nedictionis impertiendæ ritus tunc temporis eſſet, penitus ignorabat; deque priſcis moribus ex hodiernis Eccleſiæ ritibus ſtatuebat. Quod & ii imprudentiſſimè faciunt, qui Iſaacum extenta pariter manu, Crucemque ſignante, Jacobo filio benedicentem nobis effingunt. Inſcientes, ignari! Neſciunt, ſcilicet, benedictiones illas, de quibus tam ſæpè ſacris in Litteris ſermo venit, nil niſi fauſtas comprecationes fuiſſe, benèque ominatas preces, quibus boni quique proſpera cæteris precabantur: quæ dum ſolemni ritu à Sacerdotibus fierent, extenſis ad populum manibus fundebantur. Levitici Cap. 9. v. 22. *Extendens Aaron manus ad populum benedixit ei.* Quod fecit & Chriſtus in Cœlos aſcendens: *Elevatis manibus benedixit eis.* Lucæ Cap. ultimo. At quòd dextra manu, digitiſque Crucem ſignantibus benedictio concedatur, Eccleſiæ nunc ritus eſt, nullo Chriſti Domini Apoſtolis benedicentis exemplo, paulatim inductus: ob id certè, quòd ſit illud nobis ſalutis ſignum: *Quo benedixit nos Deus, in omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus, in Chriſto.* Ad Epheſ. 1. v. 3.

Digitized by Google

tibus jungerentur. Ac ſi illis aliquæ fortè glorioſorum corporum dotes Divina largitate conceſſæ ſunt; eæ non inſtar habitus permanentis fuere; ſed inſtar diſpoſitionis fugitivæ; uti planè corpori Moyſis ad Chriſti Transfigurationem ſuſcitato contigiſſe exiſtimatur. Quare quæ ſubinde corporibus illis ſecunda mors contigit, dum ad priſtina rediere ſepulcra, non alteratione, aut corruptione naturali, aliave vi illata eſt; ſed ſimplici animarum è ſuis corporibus ſolutione, citra dolorem, uti & citra culpam.

VII. Non eorum dumtaxat corporum à mortuis excitatorum teſtimonio ſuam ipſius Reſurrectionem teſtatam voluit Chriſtus Dominus; ſed & diſtinctà, manifeſtaque ſui ipſius ſpecie Diſcipulis, cæteriſque Fidelibus frequenter exhibita. Quot, quibuſve vicibus ſeſe ſpectandum præbuerit, ex Sacris Litteris facilè colligitur; accuratiſſimèque percenſet D. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum Cap. 25. At cui ſe primùm viſendum dederit ſtatim à mortuis excitatus, miror, tam multos, inconſulta pietate contra Scripturarum, ac Patrum fidem comminiſci. Honorem hunc Virgini Deiparæ, utpote omnium optimè meritæ, datum plerique volunt. Nonnulli etiam, ut Catharinus lib. de *conſummata Chriſti, & Deiparæ gloria*, tanquàm Fidei caput oſtentant: nihilque faciundum ajunt Sacrorum ea de re Euangeliorum ſilentium: tum quòd eas dumtaxat Chriſti viſiones memoriæ prodiderint Scriptores Sacri, quæ Reſurrectionis Dominicæ veritati ſtabiliendæ inſervire poſſent, qualis (illorum quidem judicio) non videtur facta Deiparæ viſio, cùm Maternum teſtimonium nemo à Chriſto alienus duxiſſet idoneum: tum quòd ſuperfluum Sacris Scriptoribus videretur, hoc piiſſimi Filii in Matrem pro illo afflictiſſimam ſtudium ſcripto prodere, de quo vix ullus, niſi in Caucaſo natus poſſit ambigere. Ita plerique pro arbitrio fabulantur. Quiſquis tamen, ſemotis præjudiciis, rem totam intimiùs penſitarit, comperiet ſanè, non eſſe in Caucaſo natos Chrodobertum Epiſcopum Turonenſem, in *Judicio de Muliere adultera*, Petrum Bleſſenſem Epiſtola 50., Guillelmum Eſtium, & Joannem Heſſelium in Cap. 16. Marci, Cornelium Janſenium Gandavenſem Epiſcopum Cap. 45. Concordantiarum, Natalem Alexandrum ſæculo 1., qui ea de re non ambigunt modò, verùm etiam conſtantiſſimè diffitentur.

Primum enim Chriſti à mortuis redivivi conſpectum Virgini Deiparæ conceſſum, non modò ſilet Euangelium, ſed & apertiſſimè negat, Marci 16. v. 9. *Surgens autem mane Chriſtus prima Sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem Dæmonia.* Qui etenim Chriſti redivivi conſpectum Mariæ Magdalenæ primò conceſſum ait, Deiparæ primò conceſſum apertè negat. Sed & Eccleſia Marci dictum ita univerſim, ac generatim intelligit, ut Mariam Magdalenam in obtinendo Chriſti redivivi conſpectu cæteris mortalibus anteponat in ſolemnibus precum officiis, quibus Sanctiſſimæ Pœnitentis memoriam recolit: *Celſi meriti Maria, quæ Solem verum reſurgentem videre meruiſti mortalium prima: obtine, ut nos viſu gloriæ ſuæ tecum lætificet in Cœlis.* Quotquot etiam Eccleſiæ Patres de variis Chriſti reſurgentis manifeſtationibus, ſeu *apparitionibus* ſcripſere, ut illarum or di-

ordinem, ac numerum definirent, primam omnium Magdalenæ factam conſtantiſſimè poſuerunt: donec, duodecimo vertente ſæculò, Rupertus Abbas Tuitienſis lib. de Officiis Cap. 25., & Edmerus libri de excellentia B. Virginis Sancto Anſelmo tributi, genuinus Auctor Cap. 6. primam omnium factam Deiparæ ſcriptitarunt; nullo Sacrarum Scripturarum, ac Patrum prælucente ſuffragio, ſed allatis paulò ante rationibus nixi, quarum futilitatem oſtendere facillimum eſt.

VIII. Et quidem excellens Deiparæ meritum altiùs exaggerant, cui id honoris, atque ſolatii, præ cæteris deberetur. Bellè id quidem: ecquis enim excellens Deiparæ ſupra creaturam omnem reliquam meritum neget? At unde habent ii, Chriſtum redivivum, in concedendo ſui conſpectu, ac viſione, perſonarum excellentiam ſpectaſſe, & ad meritorum ordinem attendiſſe; ut illos priùs ſuo recrearet aſpectu, quibus plus eſſet meritorum, & excellentiæ? Imò cùm aliis certò liqueat, priùs Chriſtum viſendum ſe præbuiſſe piis, religioſiſque mulieribus, quàm Joanni, quàm Petro, quam aliis quibuſque Apoſtolis; perſpectum eſt, eum, non ad perſonarum excellentiam, ac meritum attendiſſe in concedenda per ordinem ſui Corporis viſione; ſed infirmitati potiùs, atque neceſſitati Fidelium conſuluiſſe: iiſque ſe primùm viſendum præbuiſſe, quos eo præ aliis eguiſſe ſubſidio noverat: aut alio fortaſſe fine, atque conſilio humanæ prudentiæ prorsùs ignoto primas tanti honoris, ac beneficii partes in aliquos contuliſſe. Certè ſi Chriſtum, in hujuſmodi gratiis, ac beneficiis concedendis, ad perſonarum excellentiam, ac meritum attendiſſe omninò volumus; quid aliud reliquum eſt, quàm ut Deiparam Virginem inter Apoſtolos, ac etiam ſupra Apoſtolos Euchariſticæ Cœnæ diſcumbentem effutiamus, Corporis Dominici participem ante omnes, ac ſupra omnes effectam? In his ergo Scripturarum, ac Patrum auctoritati ſtandum omninò; non excogitatis quibuſque rationibus, quæ uti petuntur ex congruis, ita ſæpiſſimè fallunt: Deo longè aliter, quam quod homini congruere viſum eſt, decernente, ac ſtatuente. *Non enim cogitationis meæ cogitationes veſtræ; neque viæ meæ viæ veſtræ; dicit Dominus.* Iſaiæ 55. v. 8.

IX. Cæteræ, quæ feruntur ſervari à Sacris Scriptoribus ſilentii rationes, futiliores ſunt longè multò. Eccur enim, ſi qua Chriſti Domini redivivi viſio Deiparæ primùm facta eſſet, ea Dominicæ Reſurrectionis veritati ſtabiliendæ non fuiſſet idonea; eaque de cauſa ſilentio mitti debuiſſet? Eſtò enim maternum de Chriſto redivivo teſtimonium nemo (ut ajunt) alienus à Chriſto duxiſſet idoneum: idoneum tamen, locupletiſſimumque duxiſſent Chriſti Diſcipuli. Porrò quæ primùm religioſus mulieribus viſiones factæ ſunt, quæque tamen accuratè ab Euangeliorum Scriptoribus referuntur, non ad id profectò ſunt factæ, ut Chriſtum à mortuis ſuſcitatum alienis à Chriſto Domino teſtarentur, ſed Diſcipulis ejus. Unde & Chriſtus iis conſpicuus factus ait: *Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth. 28. v. 10. Quidni ergo factam tunc Deiparæ viſionem (ſi qua fortè contigiſſet) Euangeliſtæ perinde narraſſent, ad confirmandos Diſcipulorum animos plus reliquis

valituram? Quidni ardens illud piiſſimi Filii in Matrem afflictiſſimam ſtudium memoriæ prodidiſſent; de quo tam multi non omninò in Caucaſo nati dubium movent, ac etiam conſtantiſſimè negant: multòque dignius Deiparæ Virginis gloriæ, ſummiſque meritis conſultum putant; ſi eam præpropera illa Chriſti redivivi viſione non eguiſſe dicant, ut peractæ Reſurrectioni fidem adjungeret; quàm ex ejuſdem pollicitatione certiſſimam, indubitatamque tenebat?

Illud demum levitatis plenum eſt, quod ultimo loco Rupertus obſervat ex ordine Romano: Stationem, ſcilicet, ad S. Mariam Majorem indici ipſo Paſchatis die; ut prima omnium adeatur Deipara, eique congaudeatur ob Filii regreſſum ad vitam. Sit ita porrò; quid ergo, ut hæc ipſa contra Marci teſtificationem prima omnium Chriſti redivivi conſpectu recreata demonſtretur? Poteſt enim Eccleſia illi præ cæteris congaudere, quòd Chriſto ſuſcitato intimiùs conjuncta eſſet; eaque ratione prima fuiſſet gaudii particeps. Imò potuit peractæ Reſurrectionis prima omnium certior fieri; tametſi prima omnium corporali illius aſpectu recreata non eſſet: tum ſuſcepto fortè per Angelum nuncio; tum maximè Fidei certitudine; qua eum, ut ſpoponderat, noverat ſuſcitatum.

X. Dum finem dicendi faciam, inemendatum præterire omninò non poſſum errorem in vulgus ſat latè manantem, cui locum ſolita Pictorum inſcitia dedit. Ii quippe, dum Chriſtum à mortuis ſurgentem penicillo adumbrant, patens omninò Sepulcrum, lapidem revolutum, Cuſtodeſque timore concuſſos, in terram proſtratos, ac ſemimortuos repreſentant; unde facilè prophanum vulgus inducitur, ut exiſtimet, Chriſtum Dominum monumentum, quo conditus fuerat, ſurgendo reſignaſſe, lapidem ſubmoviſſe, militeſque in terram perterritos dejeciſſe. Res tamen ipſa longè aliter ceſſit, Patrum quidem judicio, atque ſententia. Chriſtus, ut clauſo Virginis utero in lucem naſcendo prodiit; ita morti traditus, ac tumulo datus, clauſo monumento, obſignatoque lapide, ad vitam rediit immortalem, quin Cuſtodes adverterent, aut etiam advertere poſſent. Nec niſi peracto de morte triumpho, dum ad videndum Sepulcrum religioſæ mulieres proceſſerunt; Angeli de Cœlo delapſi virtute excitatus eſt terræ motus, lapis revolutus, exterriti Cuſtodes, factique exanimes. Quod à Matthæo diſertè notatum eſt Cap. 28. *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre Sepulcrum. Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo: & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix. Præ timore autem ejus exterriti ſunt Cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.*

EXER-

EXERCITATIO LXI.

De Chriſti in Cœlos aſcenſu.

I. QUæ Chriſtum rationis impulerint, ut, impleto humanæ Redemptionis officio, reportatoque de morte triumpho, in Cœlum tandem aſcenderet, nemo eſt, qui non ſtatim intelligat. Is etenim locus partæ jam, tum corporis, tum animæ gloriæ debebatur; hæc mortis oppetitæ debita merces; hæc novi Regni ſanguine ſuo quæſiti digna Regia: hoc novi Dominatoris ſolium triumphale. Eo etiam in Cœlum aſcenſo Doctrinam ſuam, ac Legem cœleſtem eſſe; Regnum ſuum æternum, non temporarium palam oſtendit: quodque cæteris præſtat, Spiritum S., quem Doctrinæ ſuæ confirmatorem in Diſcipulos miſit, ex ipſo, & ab ipſo eſſe demonſtravit.

Verùm, quæ Chriſtum ratio moverit, ut in Cœlum aſcendere cùm poſſet ſtatim, ad quadrageſimum tamen diem diſtulerit, non ita fortè divinare facile fuerit. Quamquam enim dies aliquot neceſſarii viderentur, ut Reſurrectionis ſuæ veritatem certis argumentis oſtenderet, quorsùm tamen ad quadrageſimum uſque diem aſcenſus dilatus eſt? Ænigma ſolvit D. Auguſtinus quæſtione 26. inter ſexagintaquinque ad Oroſium: factum id aſſerens, ut quadraginta circiter horarum abſentiam, qua diſcipulos ſuos vehementer afflixerat moriendo, quadraginta dierum præſentia, antequam ad Patrem aſcenderet, compenſaret. Ab hora ſiquidem nona Paraſceves, qua in Cruce extinctus eſt, ad Auroram Dominicæ, qua ſurrexit, quadraginta circiter horas numeramus. Solvit hoc idem Ænigma Doctor Angelicus obſervatione hallegorica. Quemadmodum enim poſt tranſitum maris rubri Deus Moyſi Legis ſuæ Nuncio, & Adminiſtro ſeſe per dies quadraginta viſendum exhibuit, quò eum pleniùs, uberiùſque de Legis arcanis, atque myſteriis erudiret; ita Chriſtus, tranſacto Paſſionis ſuæ mari rubro, Apoſtolis Euangelicæ Legis Adminiſtris totidem diebus viſendum præbere ſe debuit, ut eoſdem ſecretiora publicæ Legis arcana multò diſtinctiùs edoceret. Unde communis Patrum ſententia eſt, Apoſtolos eo quadraginta dierum ſpatio à Chriſto Domino accepiſſe, quæcumque ad nos, de dogmatibus, de Sacramentis, de ſacris ritibus traditione tranſmiſere, quorum altum in Euangelio ſilentium eſt. Ut mittam, quadragenarium dierum numerum Divinis in Litteris ſacratum eſſe jejunio Moyſis; Eliæ, ipſiuſque Chriſti Domini.

Neque tamen, dum Chriſtum per dies illos quadraginta Apoſtolos præſentia ſua recreaſſe dicimus, continuatam, ac nuſquam intermiſſam præſentiam intelligimus; uti nec eam Lucas intelligit Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum, dum ait: *iis præbuiſſe ſe ipſum vivum in multis argumentis, per quadraginta*: ſed præſentiam interſcalatam intelligimus, ac per vices exhibitam; iiſdem, ſcilicet, interdum *apparendo*, ut Lucas addit, *& loquendo*

de Regno Dei: quantum, ſcilicet, exiſtimavit neceſſarium ad fidem Reſurrectionis adſtruendam, Apoſtoloſque docendos, atque ſolandos. Imò non deſunt, qui Chriſtum toto illo quadraginta dierum interſtitio majorem traxiſſe moram exiſtiment, verſatumque frequentiùs in eo terrenæ fœlicitatis loco, ubi Enoch, & Elias ad extremum uſque Judicium ævum agitant. Quamquam & id quærere vanum eſt, & definire temerarium. Quis enim, citra peculiarem Dei revelationem, id ſcire queat, cujus nullum Sacris in Litteris, nullum in antiqua Traditione veſtigium eſt?

II. Quæ, & quanta Aſcenſus hujus gloria fuerit, ex quatuor præſertim capitibus colligi poteſt. 1. ex cauſa illius phyſica. 2. ex natura motus, quo in Cœlum aſcendit. 3. ex termino motus ejuſdem. 4. ex fructibus, ſeu effectibus inde derivatis.

Cauſa enim Aſcenſus hujuſce non alia profectò fuit, niſi Chriſtus qui non alienis præſidiis, ſed virtute Divinitatis ſuæ, ac etiam Animæ propriæ unitum ſibi Corpus pro agilitatis dote ad nutum, atque arbitrium moventis elatus eſt, juxta Oraculum Iſaiæ 63: *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Quocirca Gregorius Magnus Homil. 29. in Evangelia: *Notandum eſt*, inquit, *quòd Elias in curru legitur aſcendiſſe, ut videlicet apertè demonſtretur, quòd homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemptor autem noſter, non curru, non Angelis ſublevatus legitur; quia qui fecerat omnia ſuper omnia virtute ſua ferebatur.* Quare quod Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum, & Cap. 16 Marci de Chriſto aſcendente legimus, *Aſſumptus eſt in Cœlum*, non ad Angelos, aliamve quamcumque virtutem exteruam eſt transferendum, ſed ad ipſam Divinitatem, qua in Cœlum elatus fuit: maximè cùm Textus Græcus ſimpliciter habeat *ἀνελήφθη*, hoc eſt, *ſurſum aſcendit*. Quin etiam ſicubi fortè legeretur, Chriſtum à Patre in Cœlum fuiſſe aſſumptum; non illicò conſequens eſſet, eum propria virtute non fuiſſe elatum; cùm Patris, & Filii una, eademque ſit virtus, una poteſtas. Quod ſapienter obſervat Doctor Angelicus 3. p. quæſt. 57. art. 3. ad 1. *Sicut Chriſtus dicitur, propria virtute ſurrexiſſe, & tamen eſt ſuſcitatus à Patre, eò quòd eadem eſt virtus Patris, & Filii: ita etiam Chriſtus ex propria virtute aſcendit in Cœlum, & tamen à Patre eſt elevatus, & aſſumptus....* Nubes autem illa, quæ *ſuſcepit eum ab oculis Diſcipulorum, non præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignum Divinitatis, ſecundùm quòd gloria Dei apparebat ſuper Tabernaculū in nube*, art. 4. ad 4.

III. Nil minus admirabilitatis habuit natura motus, quo ſeſe Chriſtus in Cœlum extulit. Quouſque enim intuentium Diſcipulorum oculi pertingere potuere, ſenſim, ac pedetentim elatus eſt, ut commodiùs obſervaretur. Ubi verò ſubduxit eum nubes, illicò fulguris inſtar vibravit ſeſe in Cœlum Empireum, non motu quidem inſtantaneo, quo corpora tametſi glorioſa moveri non poſſunt; ſed velocitate, ac pernicitate tanta, ut penè momento infinita propemodum ſpatia emenſus, Empirei culmen attigerit. Quæ res prodigium vincit omne, ac penè fidem ſuperat Aſtronomorum; quorum concors ſententia eſt, Terram à concavo duntaxat Firmamenti, in quo ſunt ſtellæ fixæ, diſtare octoginta millio-

nibus

nibus Milliarium: adeò ut lapis molaris pondere ſuo è Firmamento decidens per annos nonaginta caſurus eſſet, antequam Terram attingeret. Novo perinde portento ad Empirei verticem pervenit Chriſtus, non diſrupta ſoliditate Cœlorum; ſed infinita illa quantitatis mole penetrata: dicente Apoſtolo ad Hebræos 4. *Habemus Pontificem, qui penetravit Cælos.*

IV. Tam prodigialis, tam ſtupendi aſcenſus terminus fuit conceſſus ad dexteram Patris, Marco atteſtante: *Aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Qua loquendi formula abſit, ut Antropomorphitarum errorem inſinuatum putemus, Deo humana membra adſcribentium: ſed parem cum Æterno Patre regnandi, judicandique poteſtatem intelligere oportet, ipſi etiam Humanitati Chriſti conceſſam: *Dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Joan. 5. Quod certè ſingulare Chriſti privilegium fuit, quo vicit, ac ſuperavit Angelos univerſos: *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando; ſed à dextris meis?* inquit Apoſtolus ad Hebræos Cap. 1. Quare ſicubi in Sacris Litteris legimus, Sanctos regnare cum Chriſto, eoſdemque ſeſſuros ſuper ſedes duodecim; ſicque judicaturos duodecim Tribus Iſrael: hos inferiori longè gradu, & ſeſſuros, & judicaturos intelligere præſtat; ac veluti Chriſti ſupremi Judicis ſervos, & adminiſtros.

V. Fructus demum mirandi hujus in Cœlos aſcenſus, non unus, aut alter extitit, ſed longè multiplex. 1., Miſſio Spiritus Sancti in Apoſtolos; unde Chriſtus ſæpiùs eoſdem alloquens ajebat: *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Joan. 6. Secundus, apertio Regni Cælorum, cujus nobis januam Protoparentis inobedientia clauſaret; nemo enim hominum ante Chriſtum Cœleſti fœlicitate potitus eſt. Tertius, erectio ſpei noſtræ; ut quò pervenit gloria Capitis, eò tendat membrorum affectus. Quartus, jugis Chriſti ad Patrem pro nobis interpellatio; Advocati enim officio defungitur ex hoc loco. 1. Joan. 2. *Advocatũ habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis.* Quintus demum, ſupremæ poteſtatis ſuæ manifeſtatio, juxta Apoſtoli dictum ad Epheſios. 4. *Aſcendit ſuper omnes Cælos, ut adimpleret omnia.* Nempe, ut ſicuti ſignis ſupremæ poteſtatis ſuæ terram impleverat; quam ſanctificavit; Inferos, quos ſpoliavit; ita & Cęlos, ubi regnat, impleret.

VI. Iis ita explicatis, quæ apipſam, ut ita dicam, Myſterii hujuſce ſubſtantiam attinent; ea nobis explicanda veniunt, quæ ad externas ejus circumſtantias ſpectare dicuntur: quo, ſcilicet tempore, quoque ex loco Chriſtus in Cęlum aſcenderit.

Ac de die quidem triumphalis hujus Aſcenſus: quænam, ſcilicet, illa fuerit, tota ex Paſchatis conſignatione quæſtio pendet. Cùm enim à Reſurrectione ad Aſcenſum dies quadraginta notet Lucas in Actibus Apoſtolicis: quotquot Chriſtum ſurrexiſſe ponunt die 27. Martii, (uti certè ponere neceſſe eſt illos omnes; qui mortuum illum aſſerunt die 25. Menſis ejuſdem) eundem aſcendiſſe decernunt die 5. Maii, quæ in feriam quintam, ſeu in diem Jovis neceſſariò incidit. Quare rejicienda omninò eſt S. Joannis Chryſoſtomi ſingularis opinio, Chriſtum

aſcen-

aſcendiſſe aſſerentis die Sabbathi, Homil. 3. in Acta Apoſtolorum; Quacumque enim die Menſis Chriſtum ſurrexiſſe ponas; cum hæc Dominica certò fuerit, diem inde quadrageſimam, Jovis diem eſſe neceſſe eſt: Sabbathum eſſe omninò non poteſt. Nec rationibus Theologicis nobis eſt opus, ut id evincamus: ſatis eſt calculos adhibere.

Qua verò diei hora aſcenderit, non ita certò ſtatuero, quamvis vulgò putetur; circa Meridiem, aut certè paulò poſt Meridiem aſcendiſſe. Unde enim id habent? Nimirum ex hoc uno, quòd Chriſtus *conveſcens* cum Apoſtolis ultima illis monita dederit: *Et conveſcens præcepit eis, ab Jeroſolymis ne diſcederent*; ac poſtea, *videntibus illis elevatus ſit*, Actor. 1. Illud verò *conveſcens*, de prandio cum Apoſtolis circa Meridiem ſumpto ſcriptum exiſtimant. Itane quæſo? Sed age, demus de prandio id eſſe dictum, quod circa Meridiem ſumi ſolet; prandium tamen illud Jeroſolymis ſumptum eſt: antequam autem in Cœlum aſcenderet, ad culmen montis Oliveti pervenit Chriſtus, ſex ſtadiis Græcis diſtantis ab Jeroſolymis: quo in itinere quantum temporis poſuerit, ignoratur, cùm illuc pergeret tota comitante caterva. Sed & hoc ipſum incertum eſt, Chriſtum *conveſcentem*, ſeu prandentem ultima Diſcipulis dediſſe monita, antequam aſcenderet. Latini enim plerique Codices pro *conveſcens*, quod in vulgata legitur, habent, *converſans*: Græci etiam conſtanter legunt συναυλιζόμενος, hoc eſt, converſans cum *eis in eadem aula*; aut etiam συναλιζόμενος, hoc eſt, *congregans in eodem loco*: quæ profectò, ſeu *converſatio*, ſeu *congregatio* nihil cum prandio commune habet, & quamvis hora diei fieri poteſt. Græci Textus lectionem exprimit Verſio Arabica: *Cùmque ſe collegiſſet cum eis, præcepit eis, ne diſcederent ab Jeruſalem*. Eamdem amplectitur Auguſtinus lib. 1. de Actis cum Felice Man. Cap. 4., locum illum Actuum Apoſtolicorum ita recitans: *Quibus præbuit ſe vivum poſt Paſſionem in multis Argumentis dierum; viſus eis dies quadraginta, & docens de regno Dei, & quomodo converſatus ſit cum illis. Et præcepit eis, ne diſcederent ab Jeroſolymis, ſed ſuſtinerent pollicitationem Patris*. Congruitque quam maximè cum eo, quod paulò poſt ſequitur iiſdem in Actibus Apoſtolicis v. 6. *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes &c.*, quæ verba factum tunc conventum, ſeu congreſſum innuunt, non ſumptum prandium.

Non me fugit, Marcum Cap. 16. memoriæ prodidiſſe, Chriſtum *recumbentibus undecim Diſcipulis*, nimirum ad menſam, *exprobaſſe incredulitatem eorum, & duritiam cordis*: ac poſtmodum illius in Cœlo aſcenſum enarrare. At perſpectum eſt, longè aliud iſtud eſſe, quàm quod enarratur à Luca in Actibus; tametſi *conveſcens* illic legeremus, & non *converſans*. Alioquin, ſi Chriſtus hac ipſa in occaſione, de qua loquitur Marcus, unà cum Diſcipulis recubuiſſet ſeu comediſſet, id certè diſtinctè notaſſet; nec ſolos undecim Diſcipulos recubuiſſe ſignificaſſet. Qua itaque hora diei Chriſtus in Cœlum aſcenderit, ex Divinis Scripturis incertum eſt. Sed nec id ex Sanctis Patribus extundi poteſt, quippe qui ab ea movenda quæſtione penitus abſtinuerunt, nec quidpiam ea de re vel obiter inſinuarunt.

VII. Non

VII. Non perinde incertus eſt locus, ex quo in Cœlum elatus eſt, tametſi prima fronte ſecum ipſo in ea re deſcribenda pugnare, Lucas videatur. Is etenim Cap. ultimo Euangelii, Chriſtum ex Bethania in Cœlum aſcendiſſe ſignificat: *Eduxit*, inquit, *Diſcipulos foras in Bethaniam, & elevatis manibus benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & elevatus eſt.* In Actibus autem Apoſtolicis, quorum ille perinde Scriptor eſt, ex Monte Oliveti Chriſtum in Cœlos elatum apertiſſimè ſcribit: quandoquidem Diſcipulos Aſcenſus illius ſpectatores, ac teſtes, peracto, conſummatoque Myſterio, reverſos ait Jeroſolymam *ex monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbathi habens iter*. Verùm hæc ipſa ſecum minimè pugnare, imò congruere maximè, facilè intelliget quiſquis animadverterit, Bethaniam ſub ipſo monte Oliveti, ac in ipſius declivio fuiſſe ſitam. Bethaniam ergo priùs pervenit Chriſtus, fortè ut Lazarum, ejuſque ſorores Martham, & Magdalenam poſtremi triumphi ſui teſtes ſecum adduceret; ac tùm poſtea, tota comitante caterva, ad montis cacumen aſcendit, unde in Cœlum elatus eſt. Dicitur porrò, montem Oliveti Jeroſolymam uſque iter habuiſſe Sabbathi, hoc eſt, tanto diſtaſſe ſpatio, quantum Judæis in Sabbatho licebat conficere. Eſt autem ſpatium illud ſex circiter Stadiorum Græcorum, ſeu unius Milliarii noſtri. Quapropter, dum legimus apud Joannem Cap. 11., Bethaniam, quæ certè in declivio montis Oliveti ſita erat, *ſtadiis quaſi quindecim* diſtaſſe Jeroſolymis; de ſtadiis Hebraicis accipi debet, quæ Græcis duplo minora erant.

VIII. Chriſtum in Cœlos elatum petroſo montis Oliveti cacumini impreſſa plantarum ſuarum veſtigia reliquiſſe; ibidemque extructum templum ab Helena Conſtantini matre numquam contegi, & concamerari potuiſſe, teſtantur S. Hieronymus libro de locis Hebraicis, S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſt. 11. ad Severum Sulpitium, S. Auguſt. in tract. 47. in Joannem, Optatus Milevitanus lib. 6., Severus Sulpicius lib. 2. Hiſtoriæ Cap. 48. Quin etiam addit Venerabilis Beda lib. de locis Sanctis Cap. 7., per annos ſingulos, ipſo die feſto Aſcenſus Dominici, Miſſa peracta, validi Flaminis procellam deſurſum venire conſueviſſe; totaque ibi nocte lucernas ardere, ut non tantùm illuſtrari, ſed conflagare mons Oliveti videatur. Quod ad Bedæ ætatem uſque contigiſſe veroſimile eſt, ne illum in mendacio habeamus; nihil enim hujuſmodi, aut obſervatur in præſenti, aut à Scriptoribus Bedæ ævo poſterioribus memoriæ traditum eſt.

IX. Chriſti in Cœlum aſcendentis ſpectatores, ac teſtes adfuiſſe numero centum viginti, ſcribit Cornelius a Lapide in commentariis ad Cap. 1. Actuum Appoſtolicorum, quos ibidem verſiculo 15. notatos ait, his verbis: *Erat autem turba hominum quaſi centum viginti.* Verùm errat toto oſtio vir aliàs eruditus: nec enim de Chriſti aſcendentis ſpectatoribus agit ibi Lucas, ſed de Fidelibus ad electionem Matthiæ in locum Judæ proditoris convocatis. Imò ſi totam Sacræ hujus Hiſtoriæ ab illo deſcriptæ ſeriem obſervemus attentiùs, non alios, niſi Apoſtolos adnotatos inveniemus: uti non alii niſi Apoſtoli à Marco recenſentur Cap. ultimo Euangelii.

Digitized by Google

angelii. Si quis alios adjicere velit, maximè verò Deiparam Virginem, non repugnabo. Illud tamen admoneo, nihil hujuſmodi Sacris in Litteris, aut etiam apud Eccleſiæ Patres haberi. Multò minùs ſacra illa colloquia apud Patres leguntur, a piis recentioris ævi Contemplatoribus ficta; quibus ſe invicem Chriſtus, illiuſque Mater ultimò ſalutarint, ſummumque ſibi vale dixerint. Quæ certè, ſi qua fuere, pio ſilentio venerari ſatius eſt, quam humano, ac repente per humum ſermone, imitari velle. Miror que, nonnullos Homiliam neſcio quam *de Aſcenſione*, ubi data ultima ſalutatio, pingui admodum, craſſaque Minerva deſcribitur, S. Joannis Chryſoſtomi nomine venditare; quæ ſimplicis cujuſpiam, rudiſque Monachi partus eſt, Euangelium Fratribus ſuis incultè, & imperitè explicantis: ut obſervat Card. Bellarminus in Cenſura Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

X. Illud nunc pro coronide ſupereſt explicandum; quid rei ſit, quòd Chriſtus Sacris in Litteris *in Cælum* dicatur aſcendiſſe, itidemque *ſuper omnes Cælos*? In Actibus enim Apoſtolicis Cap. 1. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum.* Ad Epheſios autem Cap. 3. *Aſcendit ſuper omnes Cælos, ut adimpleret omnia.* Num quæſo ſecum pugnant iſta duo? Qui enim in Cœlum aſcendit, ſedetque in Cœlo, ſupra Cœlos eſſe non poteſt: maximè cùm nullus ſupra Cœlos omnes extet locus, quo Chriſti Corpus contineri poſſit. Nec verò difficultatem expediunt, ſed intricant multò magis, qui Chriſtum ſuper omnes Cœlos eatenus eſſe reſpondent; quòd in ſuprema parte ſupremi Cœli collocetur. Sic enim non eſt Chriſtus ſupremo Cœlo ſuperior, qui intra illud continetur: ideòque nec ſupra omnes Cœlos eſt.

Nodum fæliciùs expedit Doctor Angelicus 3. parte quæſt. 57. art. 4. ad 2. modum exponens, quo Corpus Chriſtiglorioſum in Cęlo, ac ſupra Cęlos eſt. *Locus*, inquit, *habet rationem continentis; unde primum continens habet rationem primi locantis, quod eſt primum Cælum. In tantùm igitur corpora indigent eſſe in loco per ſe, in quantum indigent contineri à corpore Cæleſti Corpora autem glorioſa, & maximè Corpus Chriſti non indiget tali continentia: quia nihil recipit à corporibus Cæleſtibus, ſed à Deo mediante Anima. Unde nihil prohibet, Corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam corporum Cæleſtium, & non eſſe in loco continente. Nec tamen oportet, quòd extra Cælum ſit vacuum, quia non eſt ibi locus. Nec eſt ibi aliqua potentia ſuſceptiva alicujus corporis. Sed potentia illuc perveniendi eſt in Chriſto. Quod autem Ariſtoteles probat lib. de Cælo, quòd extra Cælum non eſt corpus; intelligendum eſt de corporibus in ſolis naturalibus conſiſtentis, ut per probationes apparet.* Uno verbo, ſupra omnes Cœlos ideò eſt Chriſti Domini Corpus, tametſi in Cœlo ſit; quia ita in Cœlo eſt, ut tamen in eo non egeat contineri.

Riſum tenere vix potui, dum paucos ante dies, Chriſtum in Cęlos elatum eleganti penicillo expreſſum cernerem, benedictionem Diſcipulis impertientem, elata manu dextera, depreſſiſque in palmam digitis auriculari, & annulari, cæteriſque erectis, Crucemque ſignantibus; in eum planè modum, quo Sacerdos ſub Sacri finem præſenti populo benedicit. Nempe Pictor ſanè bonus, ſed peſſimus antiquarius, Chriſtum Diſcipulis benedictionem in Cęlos aſcendiſſe, utcunque noverat; quis tamen be-

nedi-

nedictionis impertientiæ ritus tunc temporis eſſet, penitus ignorabat; deque priſcis moribus ex hodiernis Eccleſiæ ritibus ſtatuebat. Quod & ii imprudentiſſimè faciunt, qui Iſaacum extenta pariter manu, Crucemque ſignante, Jacobo filio benedicentem nobis effingunt. Inſcientes, ignari! Neſciunt, ſcilicet, benedictiones illas, de quibus tam ſæpè ſacris in Litteris ſermo venit, nil niſi fauſtas comprecationes fuiſſe, benèque ominatas preces, quibus boni quique proſpera cæteris precabantur: quæ dum ſolemni ritu à Sacerdotibus fierent, extenſis ad populum manibus fundebantur. Levitici Cap. 9. v. 22. *Extendens Aaron manus ad populum benedixit ei*. Quod fecit & Chriſtus in Cœlos aſcendens: *Elevatis manibus benedixit eis*. Lucæ Cap. ultimo. At quòd dextra manu, digitiſque Crucem ſignantibus benedictio concedatur, Eccleſiæ nunc ritus eſt, nullo Chriſti Domini Apoſtolis benedicentis exemplo, paulatim inductus: ob id certè, quòd ſit illud nobis ſalutis ſignum: *Quo benedixit nos Deus, in omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus, in Chriſto*. Ad Epheſ. 1. v. 3.

Digitized by Google

EXERCITATIO LXII.

De miſſione Spiritus Sancti in Diſcipulos.

I. QUam Chriſtus Apoſtolis ſuis fidem dederat, miſſurum ſe, cùm primùm abiret, Spiritum Sanctum, hanc ipſam poſt dies non ampliùs decem exſolvit: eoq; poſtremo beneficio omnium maximo tanquam extremo ſigillo humanæ Redemptionis opus abſolvit. *Amen dico vobis*, ajebat ille in humanis degens, Joan. 16. *expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos*; idcircò cùm primùm in Cœlos aſſumptus eſt, promiſſi benè memor, Spiritum veritatis in Diſcipulos miſit ſui ipſius operis conſummatorem, initique cum Eccleſia fœderis obſignatorem. Cujus Myſterii elucidatio, & explicatio hodiernæ exercitationi materiam miniſtrabit.

Ne porrò ipſo ſtatim in limine ambiguo illo, atque æquivocis obnoxio *Miſſionis* vocabulo deludatur ſtudioſa Juventus: neve Spiritum Sanctum Filio ipſo minorem, illiuſque miniſtrum exiſtimet, quem ab ipſo miſſum inaudivit: illud ſciat oportet, Theologos *Miſſionis* nomine, ubi de Divinis Perſonis ſermo venit, nihil aliud intelligere, quàm unius perſonæ ab alia proceſſionem ad intra, & productionem alicujus effectus ad extra cum aliquo ſigno ſenſibili effectum ad extra productum indicante. Quare, nec pro poteſtate, nec pro imperio miſſio fit in Divinis; ſed tribus hiſce perficitur: 1. proceſſione ad intra, quo fit, ut quæ perſona à nulla procedit, uti Pater, à nulla mittatur. 2. productione alicujus effectus ad extra; quo fit, ut ex æternitate nulla ſit miſſio, quia nihil ex æternitate ad extra productum eſt. 3. Signo ſenſibili effectum editum indicante: ut nimirum ſolemnis, & viſibilis miſſio à ſecreta, & inviſibili diſtinguatur; qua quotidie Divinus Spiritus Juſtorum animis intimiùs per gratiam illabitur.

Ut ergo Miſſionis Spiritus Sancti Myſterium pro modulo noſtro, ac pro ſuſcepti officii parte explicemus: quinque potiſſimùm, quæ difficultatem non levem habent, ad examen vocabimus. 1. Quo tempore Spiritus Sancti miſſio facta ſit? 2. Quo loco? 3. Ad quos? 4. Quo externo ſigno prodiderit ſeſe Spiritus Sanctus? 5. Quos tandem effectus produxerit? Iis quippe omnibus bono in lumine poſitis, nihil ultra, quod quæratur à Theologo, reliquum erit.

II. Illapſum Spiritus S. die ipſa Pentecoſtes, ſeu die quinquageſima contigiſſe, nemo neſcit: id quippe Græco illo vocabulo denotatur, Luca in Actibus Apoſtolicis Cap. 2. v. 1. diſtinctè ſcribente: *Cum complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt repentè de Cœlo ſonus &c.* Verùm quia duplex

plex diſtinguitur Pentecoſtes; altera Judæorum, quæ die quinquageſimo poſt immolationem Agni Paſchalis agebatur in memoriam datæ à Deo Legis in monte Sina: altera Chriſtianorum, quæ die pariter quinquageſimo à Chriſti Reſurrectione celebratur: dubium non leve ſuboritur, de qua Pentecoſte dixerit Lucas. Si etenim de Chriſtiana Pentecoſte dixit, die ipſa Dominica Spiritus S. illapſus eſt: quandoquidem dies quinquaginta à Reſurrectione, quæ in Dominicam incidit, numerati, Dominica poſt ſeptima conſummantur. At ſi de Judaica Pentecoſte locutus eſt Lucas, Spiritum S. die Sabbathi illapſum eſſe, neceſſe eſt. Siquidem Paſcha Judaicum eo anno in diem Paraſceves inciderat: dies verò quinquaginta ad Judaicam Pentecoſtem numerandi exordium ducebant, non ab ipſamet prima die Azimorum, ſeu Paſchatis; ſed à die ſecunda Azimorum, qua primus meſſis ordeaceæ manipulus offerebatur; uti monet Joſephus lib. 3. Antiq. Cap. 10. quæ dies anno illo in Sabbathum incidit: atque adeò ſeptimo poſt Sabbatho quinquaginta dies impleti ſunt.

Hoc igitur opus, hic labor eſt, divinare, quam Pentecoſtem Lucas velit intelligi. Ego quidem, quantum capio, quantum ſapio, Judaicam Pentecoſtem intelligi puto, quidquid plerique Sacrarum Scripturarum Interpretes aliter ſentiant. Nondum enim inducta tunc erat diſtinctio illa duplicis Pentecoſtes, alterius quidem Judaicæ, alterius Chriſtianæ, ſed ſola tunc Judaica obtinebat: ac ſicuti Paſcha ſuum eadem cum Judæis die Apoſtoli una cum Chriſto Domino celebraverant; ita eadem cum Judæis die Pentecoſtem ſuam celebraſſe putandi ſunt: hæc enim ſolemnitas alterius veluti conſectarium erat; atque ex ejus deſignatione, & definitione pendebat. Certè eam Pentecoſtem Lucas intelligit, quam anno illo Apoſtoli celebrabant, quamque pro more aliarum feſtivitatum à primis veſperis cœperant celebrare: at repugnat, Apoſtolos anno illo Chriſtianam Pentecoſtem à primis Veſperis celebraſſe, dum in illos ſub horam tantùm diei tertiam illapſus eſt Spiritus Sanctus: cùm nonniſi ad illapſum illum celebrandum Chriſtiana ſubinde Pentecoſte fuerit inſtituta: ſic enim Myſterium celebrare cœpiſſent, quo necdum tempore peractum erat.

III. Reponent fortaſſe, qui ſecùs ſentiunt: nondum quidem anno illo primo duplicis Pentecoſtes diſtinctionem invaluiſſe, Apoſtoloſque nonniſi Judaicam celebraſſe: fuiſſe tamen hujuſmodi diſtinctionem, quo tempore Actus Apoſtolicos ſcripſit Lucas, anno circiter poſt Chriſtum 28. atque adeò, dum ait: Spiritum Sanctum in Apoſtolos illapſum eſſe, *cùm complerentur dies Pentecoſtes*, id ſibi voluiſſe unum, illapſum nimirum die, dum illius Pentecoſtes complerentur dies, quæ ſua jam cœperat ætate celebrari. Verùm, ut mittam, interpretationem illam Lucæ verbis vim facere apertiſſimam; & hoc ipſum conſtat eſſe falſiſſimum, quod tanta fiducia ponunt, anno, ſcilicet, poſt Chriſtum 28. eam Solemnitatum Judaicarum, & Chriſtianarum diſtinctionem, quantùm ad dies attinet, fuiſſe inductam: cùm nonniſi poſt Jeroſolymorum ruinam invecta ſit. Judæi enim omnes ad Chriſtum vocati, ad id uſque temporis

Moſaicæ Legis æmulatores erant tenaciſſimi, ut legimus Actorum Cap. 21. v. 20., eamque idcircò diſtinctionem Solemnitatum paſſi non eſſent, nec executioni demandaſſent. Hinc Joannes Apoſtolus, & Philippus Diaconus Paſcha ſemper eadem cum Judæis die celebrarunt, teſte Euſebio lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 24., etſi Petrus, & Paulus Romæ degentes, ubi major Gentilium, quàm Judæorum ad Fidem converſorum copia erat, ſecùs agerent. Sed & Paulus ipſe, cui viarum comes Lucas aderat, legitur *feſtinaſſe*, (Actorum 20.) *ut ſi poſſibile ſibi eſſet, diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*. Ut quid porrò feſtinatio illa, niſi quòd Pentecoſte Judaica Jeroſolymis celebranda eſſet juxta legem Exodi 23., & Levitici 16. latam: cùm ex adverſo Chriſtiana Pentecoſte ubivis celebrari poſſet. Liquet ergo, quo tempore Lucas ſcriberet, anno, ſcilicet 28. poſt Chriſtum in Cœlos aſſumptum, nondum ex publica Eccleſiæ lege Chriſtianam Pentecoſtem à Moſaica quantùm ad diem fuiſſe diſtinctam; ipſumque Paulum Pentecoſtem more Judaico celebraſſe. Ex quo verò publica Eccleſiæ lege decretum eſt, ut Paſcha in memoriam Dominicæ Reſurrectionis, non Luna 14. Martii Judaico ritu celebraretur, ſed die ipſa Dominica ſequente, qua Reſurrectio peracta fuit; eadem quoque lege, & neceſſaria conſecutione ſancitum eſt, ut Chriſtiana Pentecoſte, in memoriam illapſus Spiritus S., ſeptima poſt die Dominica ageretur. Quod unum ex primæva traditione deſcendit: non quod à Baronio fingitur, Spiritum S. die ipſa Dominica miſſum eſſe; qui veriùs Sabbatho miſſus eſt, in quod anno illo Judaica Pentecoſte inciderat. Laudantur, fateor, in fictitiæ hujuſce Traditionis probationem Clementis Conſtitutiones, Sermo S. Auguſtini 154. de Tempore, & S. Leo. Serm. de Pentecoſte. At Clementis Conſtitutiones nemo tanquam ſuppoſititias non rejicit Eruditus; Sermo verò Auguſtini de tempore 154. in Apocryphorum claſſem in poſtrema, eademque caſtigatiſſima Benedictinorum Editione rejectus eſt. Solus ſupereſt Leo Magnus, qui, ut cadente 5. Sæculo vixit, Traditionem unus ille non facit.

IV. Urget nihilominus Cardinalis Baronius, ut in diem Dominicam incidiſſe Pentecoſtem evincat. Tametſi, inquit ille, ex communi Legis præſcripto dies quinquaginta ad Pentecoſtes celebrationem numerari ſoliti eſſent, à ſecunda Azimorum die, qua primus manipulus metendus, offerenduſque Deo erat: quia tamen quo anno Chriſtus eſt mortuus, ſecunda illa Azimorum dies in Sabbathum incidit, qua per eamdem Legem metere non licet; (Exodi 34.) nonniſi à tertia Azimorum die, quæ Dominica fuit, & in qua metere licuit, numerati ſunt dies illi: atque ita dies inde quinquageſimus, non in Sabbathum, ſed in Dominicam incidit. Verùm aberrat purpuratus Hiſtoricus; nec aduertit, communem tantùm meſſem ex generali Legis præſcripto fuiſſe Sabbatho vetitam: non item tamen peculiarem manipuli meſſionem, qui in Templo ſecunda die Azimorum, utcumque caderet, offerendus erat. Auctor mihi eſt R. Moyſes Ægyptius in Commentariis ſuper Miſna, & in lib. *Jad Akazacha*: *Quantùm ad manipulum attinet, qui offerebatur ſecunda die Azimorum, meti ille, & colligi debebat nocte diem decimam ſextam precedente.*

Meteba-

Metebatur autem, quamquam dies Sabbathi eſſet. Nec ſolum hoc erat licitum, ſed etiam præceptum. Quod idem confirmat, & probat ex *Alacot Temidim* Cap. 7., & ex Tractatu *Manahot* pag. 61., ubi diſtinctè habetur: *Generatim quidem opus omne, quod ante Sabbathi diem fieri poſſet, ante diem Sabbathi fieri debuiſſe: excepto tamen præcepto de metendo manipulo, qui etiam nocte ipſa Sabbathi metendus erat.* Neque verò id mirum; cùm demeſſio manipuli ſervile opus minimè cenſeretur, ſed potiùs Religionis actus. Atque ita in Sabbatho, intacta diei religione, fieri licitè poterat, ac etiam debebat. Eo ſanè modo, quo licebat etiam in Sabbatho nonnulla in Templo obire miniſteria; (ut ignem ad Sacrificia componere, atque accendere) quæ in privatis domibus exercere nefas erat. Quia in Templo religionis actus erant; in privatis domibus, opera ſervilia. Id itaque certum, indubitatumque, quo anno Chriſtus eſt mortuus, Pentecoſtem in diem Sabbathi, non in Dominicam, ut Baronius exiſtimat, incidiſſe.

V. De hora verò diei, qua Divina hæc Miſſio facta eſt, nullum unquam dubium fuit. Tertiam fuiſſe diei horam, à Sole, ſcilicet, oriente Judaico more computatam, ex D. Petro diſcimus, Actorum Cap. 2. Cùm enim Apoſtoli Spiritu S. pleni, variiſque idcircò linguis derepentè loquentes à Judæis tanto portento attonitis ſigillarentur, tanquam ebrii, ac muſto pleni eſſent; Petrus communem, & ſui, & ſociorum cauſam agens, converſo in illos ſermone, ait: *Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* Unde Spiritum S. in Apoſtolos tertia diei hora effuſum conſentiunt univerſi, ipſaque Eccleſia feſto jubilo canit: *Dum hora cunctis tertia, repentè Mundus intonat, orantibus Apoſtolis, Deum veniſſet nuntiat.* Curioſitatem fortaſſe veſtram excitabit ea Petri ratio, qua non eſſe ebrios Apoſtolos probat, quòd eſſet hora diei tertia. Ecquid enim vetat, inquiet aliquis, hominem hora Solis orientis tertia ebrium eſſe; cùm bonos interdum potatores à ſummo mane ebrius videamus? Imò vetabat id maximè recepta tunc apud Judæos, & tanquam publica lege probata Diſciplina; qua cautum erat, ne quis diebus feſtis, ac Sabbathis ante ſextam horam cibum ſumeret. Meminit hujus diſciplinæ, ac legis Flavius Joſephus in vita ſua: *Sexta hora noſtros ad prandium vocare ſolet in Sabbathis.* Quia iis diebus offerebatur Sacrificium ſolemne in Templo Jeroſolymorum, ac nonniſi circa horam ſextam conſummari ſolitum erat: donec porrò conſummaretur, cibum ſumere nefas erat. Qui ritus in præſenti apud Judæos exolevit, quia everſo, diruto que Templo, non ultra Sacrificia offerunt. In hanc igitur diſciplinam, ac legem intendens Petrus ætate ſua vigentem meritò ait: *Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia*, qua nimirum ne quidem cibum ſumere illis licuit. Ex quo etiam novum petitur fundamentum ſtatutæ à nobis paulò ante Sententiæ confirmandæ: Spiritum S., non die Dominica Chriſtianorum, ſed ipſa die Sabbathi, in quam anno illo Judaica Pentecoſte inciderat, miſſum eſſe. Niſi enim feſtum Judaicum, Sabbatumve fuiſſet; Apoſtolis ante horam tertiam cibum ea die ſumere licuiſſet; atque adeò Petri ſe, ſuoſque

que ab impacta calumnia vindicantis adducta ratio futilis omninò, ac nulla fuiſſet. Sed videamus de loco patrati tanti Myſterii.

VI. Ac de communi quidem loco non eſt dubium, Spiritum Sanctum in Apoſtolos effuſum eſſe Jeroſolymis, ob Chriſti præceptum illis impoſitum, (Act.1.) *ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*; Divini, ſcilicet, Spiritus effuſionem. At de proprio, privatoq; loco nonnulla inter Interpretes diſſenſio eſt. Etſi enim privatarum quarumdam ædium Cœnaculum fuiſſe conſtet, ex verſiculo 13. Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum; cujus tamen eſſent Ædes illæ, diſceptatur. Joannis Euangeliſtæ fuiſſe putant Nicephorus, lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 28., & Cedrenus. Fuiſſe Simonis leproſi, contendit Theophylactus in Caput 26. Matthæi. Joſephi ab Arimathia, aut fortè Nicodemi fuiſſe, opinatur Euthymius. Verius tamen, certiuſque fuiſſe crediderim, Ædes Mariæ matris Joannis cognomento Marci: quæ quidem ædes ob id ipſum, aliaque ibidem patrata myſteria in Templum ſubinde converſæ ſunt, teſte Divo Hieronymo Epiſt. 27., & Venerabili Beda lib. de locis ſanctis Cap. 3. Id ut aſſeram, cogit me ratio longè graviſſima. Capite ſiquidem primo Actuum Apoſtolicorum v. 13. apertè ſignificatur, domum illam, in qua erant Diſcipuli congregati, dum in eos orantes, ac ſupplicantes Spiritus S. effuſus eſt, fuiſſe ſolitam Petri, aliorumque Apoſtolorum habitationem, dum Jeroſolymis hoſpitabantur: *In Cœnaculum aſcenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas &c.* Capite verò 12., ubi narratur Petri è carcere Herodiano liberatio miniſterio Angelico facta, diſtinctè notatur: Petrum de nocte è carcere liberum in domum ſtatim venisse Mariæ matris Joannis cognomento Marci, tanquam ad ſolitum hoſpitium; eoque januam pulſante, puellam quamdam nomine Rhode, quæ ad audiendum proceſſerat, vocem ejus illicò cognoviſſe: ac tum poſtea Petrum, narrata Fidelibus illic congregatis liberationis ſuæ ſerie, abiiſſe in locum alterum; ne, videlicet, à Judæis ſolitum ejus hoſpitium probè ſcientibus ſecundò comprehenderetur. Quæ omnia plus ſatis indicant, domum illam Mariæ matris Joannis cognomento Marci ſolitam Petri, aliorumque Apoſtolorum habitationem fuiſſe Jeroſolymis: atque adeò hac ipſa in domo Spiritum Sanctum in Apoſtolos die ſacro Pentecoſtes effuſum eſſe.

VIII. Num autem in ſolos Apoſtolos, an in alios quoque Spiritus S. effuſus ſit die illa, non erit ſupervacaneum inveſtigare: præſertim cùm datum è Chriſto præceptum, ne abſcederent Jeroſolymis, donec in eos Spiritus S. illaberetur, ſolis Apoſtolis legatur impoſitum, Actorum Cap. 1., iiſque ſolis tanti beneficii promiſſio facta ſit. Fidenter tamen pronuncio, eodem beneficio alios longè multos die ipſo Pentecoſtes affectos eſſe, & quidem ad centum circiter, ac viginti. In eos enim Spiritus S. ea die effuſus eſt, qui *pariter in eodem loco erant*, ſeu in Cœnaculo congregati; ut legitur Actorum 2. *Sedit enim ſupra ſingulos eorum* Spiritus S. At ex Cap. 1. v. 4. liquet, non ſolos Apoſtolos, ſed & alios in Cœnaculo fuiſſe; diſertiſſima verba ſunt: *Hi omnes*, nempe Apoſtoli, *erant* in Cœnaculo *perſeverantes unanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus*

tribus

tribus ejus: hoc eſt, cognatis tam Mariæ, quàm Jeſu: non igitur in ſolos Apoſtolos ea die Spiritus S. effuſus eſt. Confirmat hoc idem Joelis Oraculum Cap. 2., quod in ea Spiritus S. effuſione impletum eſſe, ait D. Petrus Cap. 2. Actuum Apoſtolicorum: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ex quo profectò diſcimus, omnis ſexus, omniſque ætatis homines Divinæ hujus effuſionis fuiſſe participes; atque ita non ſolos Apoſtolos. Hæc verò tanto donatos beneficio ad centum circiter, & viginti fuiſſe, inde fit veroſimile, quòd totidem fuiſſe legantur Actorum 2. in eodem Cœnaculo congregati paucis ante diebus, dum de Matthia in locum proditoris eligendo actum eſt. Unde & Auguſtinus Serm. 186. de Tempore ſcribit, Spiritum Sanctum duodecim Apoſtolis à Chriſto promiſſum decuplo numero datum eſſe: duodecim porrò decuplicati centum ſunt, ac viginti. Ea quippe Chriſti liberalitas fuit, ut quod paucis Apoſtolis promiſerat beneficium, multis contulerit. *Paſſus eſt*, inquit Auguſtinus, *reſurrexit, aſcendit: reſtabat, ut impleret, quod promiſit. Hoc expectantes Diſcipuli ejus, animæ, ut ſcriptum eſt, centum viginti, decuplato numero Apoſtolorum. Duodecim enim elegit, & ad centum viginti Spiritum miſit.* Et Tract. 19. in Joannem: *Centum, & novem cum Apoſtolis undecim, centum, & viginti erant, quando ſimul congregati poſt ejus Aſcenſum expectaverunt, & receperunt promiſſum Spiritum Sanctum.* Cui præiverat S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 4. in Cap. 2. Actuum Apoſtolicorum: *Quid autem, an in duodecim venit tantùm, non etiam in cæteros? Nequaquam: ſed venit etiam in illos centum viginti.*

IX. Jam verò quo ſe externo ſigno prodiderit Spiritus Sanctus in eam hominum multitudinem effuſus, paucis verbis enarrat Lucas Actorum 2. Nempe prodidit ſeſe ſub ſymbolo linguarum ignearum: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*. Quæ verba ita communiter accipi video, ut vulgò putetur, miraculum illud; ac ſymbolum in eo fuiſſe poſitum, quòd ſuper ſingula Apoſtolorum, cœterorumque Fidelium capita apparuerint *diſpertitæ*, ſeu diſtributæ linguæ, velut igneæ. Unde & Pictores linguas Cœlo delapſas depingere ſolent, ſurſum flammantes, & figura piramidali ex cujuſque capite in acumen ſurgentes. Rem tamen aliter geſtam exiſtimant Eruditi nonnulli, patratumque miraculum in eo poſitum dicunt, quòd, cùm omnes illic ſedentes ad repentinum ſonitum advenientis veluti ſpiritus vehementis ſtupentes hærerent, atque attoniti, ore hianti, atque aperto; illorum ipſorum linguæ in ore proprio ſint viſæ velut igneæ, & quidem *diſpertitæ*, ſeu diſſectæ: ut ſicut linguarum igne præſignabatur infuſæ charitatis ardor; ita ſectili linguarum forma conceſſa illis polyglottia deſignaretur. Et quidem veteres Patres vocabuli hujus ambigui, unde vulgaris ſententia nata eſt, certam intelligentiam dedere; & *diſpertitas* linguas, pro diſciſſis, atque diviſis, non pro diſtributis ſuper Apoſtolorum capita accipiendas monuerunt. Sic D. Cyprianus lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum Cap. 101., D. Auguſtinus lib. 5. de Actis cum Felice Manichæo Cap. 5., Idacius Clarus lib. 3. adversùs Varimadum Arianum, aliique communiter legunt: *Viſa illis*

ſa illis

ſæ illis linguæ diviſæ ſicut ignis. Vetus etiam Translatio habet: *Viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ velut igneæ*. Scholion quoque Vatabili, & Hugo à S. Charo Cardinalis, *diſpertitæ linguæ, id eſt, diviſæ*. Quin & hunc ipſum ſenſum Textus Græcus apertiſſimè refert. Pro eo enim, quod in vulgata Verſione Latinè legitur, *apparuerunt illis*, Græcè habetur ὤφθησαν αὐτοῖς; & pro eo, quod legimus, *diſpertitæ linguæ*, Græcè habetur, διαμεριζόμεναι, hoc eſt, diſſectæ in duas veluti partes; non diſtributæ, ut vulgo creditur: diſſectæ, inquam, in ipſorum oribus, non capitibus inſidentes. Profectò, inquiunt Eruditi viri, ut ardor ille Divinus, variarumque linguarum peritia, quibus tunc ad prædicandum Euangelium Apoſtoli donabantur, opportuno ſigno monſtraretur; congruentius longè erat, illorum ipſorum linguas ignitas, ac ſectiles divinitùs apparere, quàm ſymbolicas linguas ex alto demiſſas illorum capitibus inſidere. Data quippe divinitùs ſigna, quorum exempla tam multa leguntur Sacris in Litteris, quamquàm ſupra naturam eſſe ſoleant, eam tamen quantum aliundè fieri poteſt, imitantur. Quid autem à recto naturæ ordine abhorret magis, quàm linguas capitibus inſidere? Quare quod additur ibidem in Actibus: *Seditque ſupra ſingulos eorum*; non de illo igne ſymbolico dictum eſt, ſeu de linguis flammantibus, quaſi illorum capitibus inſederint: aliàs vitiata locutio eſſet, dicendumque fuiſſet: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis; ſederuntque ſupra ſingulos eorum*: ſed de ipſo Spiritu Sancto dicitur, qui ſupra eos ſedere intelligitur, in quorum cordibus habitat: de quo idcircò proximè ſubditur: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Ipſa etiam Eccleſia eum Scripturæ locum uſurpans; atque tranſcribens in ſolemni precum Officio tempore Pentecoſtes ita diſertiſſimè legit: *Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus*. In Reſp. feriæ tertiæ. Sedit igitur Spiritus ipſe, hoc eſt, conſtanter in Apoſtolis manſit, non igneæ linguæ; quæ ut erant ſymbola dumtaxat fugacia, & tranſitoria, ſediſſe dici non poſſunt. Hinc Chryſoſtomus Homilia 4. in Acta: *Inſedit ſingulis illorum Sp. S., hoc eſt, manſit apud illos, & in illis requievit. Nam ſedendi verbum ſtabilitatem, ac manſionem declarat*. Totum id obſervavit Laurentius Valla in Cap. 2. Actorum, *Erant autem linguæ eorum, & multifidæ, & velut igneæ, ad ſignificandam idiomatum varietatem; non linguæ igneæ ſuper vertices eorum, ut quidam volunt*. Obſervavit perindè Philippus Rohr in Pictore errante Cap. 26. *Conſpectæ ſunt illis, non ſuper illos, aut in Capitibus illorum, linguæ; quæ in proprio ſtant ſignificatu, à quo, niſi urgeat neceſſitas, non eſt recedendum*. Cui præluſit Urſinus lib. 6. Analectorum Cap. 38. Quorum tamen auctoritati nihilo plus tribuo, quàm Viris eruditis, linguarumque peritis, quos ab Eccleſia ſegreges fecit Hæreſis, tribui debeat.

X. Supereſt, ut de effectibus à Spiritu S. productis diſſeramus, maximè verò de dono linguarum Apoſtolis tunc, cæteriſque Fidelibus conceſſo. At quia novam Argumentum iſtud induſtriam deſiderat, ac laborem, idcircò in alteram Relectionem mittimus, accuratiùs pertractandum.

EXER-

EXERCITATIO LXIII.

De effectibus à Spiritu S. productis: maximè de dono Linguarum.

I. NOvum, illudque magni moliminis opus aggrediar, ſi de univerſis effectibus a Spiritu S. in Apoſtolos die ſacro Pentecoſtes effuſo productis velim in præſentia diſputare. Longa enim, ac propemodum infinita concertatio mihi eſſet inſtituenda, de gratia ſanctificante, de donis Spiritus S., de fructibus, de gratiis gratis datis; quæ, cùm ad alias Theologiæ partes intimiùs ſpectent, de iis quoque alia occaſione cumulatiſſimè diſputavi. Ne tamen officio omninò deſim, univerſos effectus compendio percenſebo, ut levem ſaltem illorum informationem habeat ſtudioſa Juventus: ac tum de illo ſpecialiter diſputabo, qui, cùm præ cæteris conſpicuus eſſet, & ad id uſque temporis inauditus, Judæos, atque Gentiles in patrati prodigii admirationem præſertim adduxit.

II. Illapſus itaque Spiritus S. in Diſcipulos effuſi effectus quadruplicis generis extitere. Primus fuit gratià ſanctificans, non prima illa quidem, quæ ſpiritualis regenerationis eſt, ſed ſecunda, quæ roboris, perfectionis, atque conſummationis à Patribus dicitur; quamque Chriſtus ipſe *virtutis*, ſeu fortitudinis gratiam dixerat ad publicam ſui nominis confeſſionem, Lucæ ultimo: *Ego mittam promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et Actuum Apoſtolicorum 1. *Accipietis virtutem Spiritus S. in vos; & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*

Alter effectus eſt gratia ſeptiformis, ſeu dona ſeptem, quæ vulgò Spiritus Sancti dicuntur, ab Iſaia Cap. 11. recenſita: Donum, ſcilicet, Sapientiæ, donum Intellectus, donum Conſilii, donum fortitudinis, donum ſcientiæ, donum pietatis, donum timoris Domini. Sunt autem dona hæc generatim accepta *habitus ſupernaturales, quibus homo juſtus diſponitur; ut promptè, faciliterque ſequatur inſtinctum Spiritus S.* ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 68. art. 1. Donum quidem Sapientiæ *ad judicandum de rebus Divinis, quibus debeat adhærere.* Donum Intellectus *ad rectam de ultimo fine æſtimationē habendā.* Donum Conſilii *ad rectè deliberandum in difficillimis, & præſertim inopinatis.* Donum Fortitudinis *ad conſequendum finem operis ardui propter Deū ſuſcepti, & ſuperanda quæcumque mala ex adverſo imminentia.* Donū Scientiæ *ad diſcernēda credenda à nō credendis, recteque judicandū de rebus humanis, quatenus ducunt ad Deū.* Donū Pietatis *ad exhibendū cultū Deo debitū.* Donum Timoris *ad Deū reverendū, timendumque, timore utique, non ſervili, ſed filiali.*

Tertius Spiritus S. in Diſcipulos illabentis effectus ex donis ipſis promanans eſt fructus duodenarius ab Apoſtolo notatus Cap. 6. Epiſt. ad Galatas: *Fructus autem ſpiritus eſt Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.* Sunt autem hujuſmodi fructus ſpirituales hominis operationis, ex altiori Spiritus S. vir-

angeli. Si quis alios adjicere velit, maximè verò Deiparam Virginem, non repugnabo. Illud tamen admoneo, nihil hujuſmodi Sacris in Litteris, aut etiam apud Eccleſiæ Patres haberi. Multò minùs ſacra illa colloquia apud Patres leguntur, a piis recentioris ævi Contemplatoribus ficta; quibus ſe invicem Chriſtus, illiuſque Mater ultimò ſalutarint, ſummumque ſibi vale dixerint. Quæ certè, ſi qua fuere, pio ſilentio venerari ſatius eſt, quam humano, ac repente per humum ſermone, imitari velle. Miror que, nonnullos Homiliam neſcio quam *de Aſcenſione*, ubi data ultima ſalutatio, pingui admodum, craſſaque Minerva deſcribitur, S. Joannis Chryſoſtomi nomine venditare; quæ ſimplicis cujuſpiam, rudiſque Monachi partus eſt, Euangelium Fratribus ſuis incultè, & imperitè explicantis: ut obſervat Card. Bellarminus in Cenſura Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

X. Illud nunc pro coronide ſupereſt explicandum; quid rei ſit, quòd Chriſtus Sacris in Litteris *in Cœlum* dicatur aſcendiſſe, itidemque *ſuper omnes Cœlos*? In Actibus enim Apoſtolicis Cap. 1. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Ad Epheſios autem Cap. 3. *Aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut adimpleret omnia.* Num quæſo ſecum pugnant iſta duo? Qui enim in Cœlum aſcendit, ſedetque in Cœlo, ſupra Cœlos eſſe non poteſt: maximè cùm nullus ſupra Cœlos omnes extet locus, quo Chriſti Corpus contineri poſſit. Nec verò difficultatem expediunt, ſed intricant multò magis, qui Chriſtum ſuper omnes Cœlos eatenus eſſe reſpondent, quòd in ſuprema parte ſupremi Cœli collocetur. Sic enim non eſt Chriſtus ſupremo Cœlo ſuperior, qui intra illud continetur: ideòque nec ſupra omnes Cœlos eſt.

Nodum fæliciùs expedit Doctor Angelicus 3. parte quæſt. 57. art. 4. ad 2. modum exponens, quo Corpus Chriſti glorioſum in Cœlo, ac ſupra Cœlos eſt. *Locus*, inquit, *habet rationem continentis; unde primum continens habet rationem primi locantis, quod eſt primum Cœlum. In tantùm igitur corpora indigent eſſe in loco per ſe, in quantum indigent contineri à corpore Cœleſti Corpora autem glorioſa, & maximè Corpus Chriſti non indiget tali continentia: quia nihil recipit à corporibus Cœleſtibus, ſed à Deo mediante Anima. Unde nihil prohibet, Corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam corporum Cœleſtium, & non eſſe in loco continente. Nec tamen oportet, quòd extra Cœlum ſit vacuum, quia non eſt ibi locus. Nec eſt ibi aliqua potentia ſuſceptiva alicujus corporis. Sed potentia illuc perveniendi eſt in Chriſto. Quod autem Ariſtoteles probat l. b. de Cœlo, quòd extra Cœlum non eſt corpus; intelligendum eſt de corporibus in ſolis naturalibus conſiſtentis, ut per probationes apparet.* Uno verbo, ſupra omnes Cœlos ideò eſt Chriſti Domini Corpus, tametſi in Cœlo ſit; quia ita in Cœlo eſt, ut tamen in eo non egeat contineri.

Riſum tenere vix potui, dum paucos ante dies, Chriſtum in Cœlos elatum eleganti penicillo expreſſum cernerem, benedictionem Diſcipulis impertientem, elata manu dextera, depreſſiſque in palmam digitis auriculari, & annulari, cæteriſque erectis, Crucemque ſignantibus; in eum planè modum, quo Sacerdos ſub Sacri finem præſenti populo benedicit. Nempe Pictor ſanè bonus, ſed peſſimus antiquarius, Chriſtum Diſcipulis benedictionem in Cœlos aſcendiſſe, utcumque noverat; quis tamen bene-

nedi-

nedictionis impertiendæ ritus tunc temporis eſſet, penitus ignorabat; deque priſcis moribus ex hodiernis Eccleſiæ ritibus ſtatuebat. Quod & ii imprudentiſſimè faciunt, qui Iſaacum extenta pariter manu, Crucemque ſignante, Jacobo filio benedicentem nobis effingunt. Inſcientes, ignari! Neſciunt, ſcilicet, benedictiones illas, de quibus tam ſæpè ſacris in Litteris ſermo venit, nil niſi fauſtas comprecationes fuiſſe, benèque ominatas preces, quibus boni quique proſpera cæteris precabantur: quæ dum ſolemni ritu à Sacerdotibus fierent, extenſis ad populum manibus fundebantur. Levitici Cap. 9. v. 22. *Extendens Aaron manus ad populum benedixit ei*. Quod fecit & Chriſtus in Cœlos aſcendens: *Elevatis manibus benedixit eis*. Lucæ Cap. ultimo. At quòd dextra manu, digitiſque Crucem ſignantibus benedictio concedatur, Eccleſiæ nunc ritus eſt, nullo Chriſti Domini Apoſtolis benedicentis exemplo, paulatim inductus: ob id certè, quòd ſit illud nobis ſalutis ſignum: *Quo benedixit nos Deus, in omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus, in Chriſto*. Ad Epheſ. 1. v. 3.

EXERCITATIO LXII.

De miſſione Spiritus Sancti in Diſcipulos.

I. QUam Chriſtus Apoſtolis ſuis fidem dederat, miſſurum ſe, cùm primùm abiret, Spiritum Sanctum, hanc ipſam poſt dies non ampliùs decem exſolvit: eoq; poſtremo beneficio omnium maximo tanquam extremo ſigillo humanæ Redemptionis opus abſolvit. *Amen dico vobis*, ajebat ille in humanis degens, Joan. 16. *expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos*; idcircò cùm primùm in Cœlos aſſumptus eſt, promiſſi benè memor, Spiritum veritatis in Diſcipulos miſit ſui ipſius operis conſummatorem, initique cum Eccleſia fœderis obſignatorem. Cujus Myſterii elucidatio, & explicatio hodiernæ exercitationi materiam miniſtrabit.

Ne porrò ipſo ſtatim in limine ambiguo illo, atque æquivocis obnoxio *Miſſionis* vocabulo deludatur ſtudioſa Juventus: neve Spiritum Sanctum Filio ipſo minorem, illiuſque miniſtrum exiſtimet, quem ab ipſo miſſum inaudivit: illud ſciat oportet, Theologos *Miſſionis* nomine, ubi de Divinis Perſonis ſermo venit, nihil aliud intelligere, quàm unius perſonæ ab alia proceſſionem ad intra, & productionem alicujus effectus ad extra cum aliquo ſigno ſenſibili effectum ad extra productum indicante. Quare, nec pro poteſtate, nec pro imperio miſſio fit in Divinis; ſed tribus hiſce perficitur: 1. proceſſione ad intra, quo fit, ut quæ perſona à nulla procedit, uti Pater, à nulla mittatur. 2. productione alicujus effectus ad extra; quo fit, ut ex æternitate nulla ſit miſſio, quia nihil ex æternitate ad extra productum eſt. 3. Signo ſenſibili effectum editum indicante: ut nimirum ſolemnis, & viſibilis miſſio à ſecreta, & inviſibili diſtinguatur; qua quotidie Divinus Spiritus Juſtorum animis intimiùs per gratiam illabitur.

Ut ergo Miſſionis Spiritus Sancti Myſterium pro modulo noſtro, ac pro ſuſcepti officii parte explicemus: quinque potiſſimùm, quæ difficultatem non levem habent, ad examen vocabimus. 1. Quo tempore Spiritus Sancti miſſio facta ſit? 2. Quo loco? 3. Ad quos? 4. Quo externo ſigno prodiderit ſeſe Spiritus Sanctus? 5. Quos tandem effectus produxerit? Iis quippe omnibus bono in lumine poſitis, nihil ultra, quod quæratur à Theologo, reliquum erit.

II. Illapſum Spiritus S. die ipſa Pentecoſtes, ſeu die quinquageſima contigiſſe, nemo neſcit: id quippe Græco illo vocabulo denotatur, Luca in Actibus Apoſtolicis Cap. 2. v. 1. diſtinctè ſcribente: *Cum complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt repentè de Cœlo ſonus &c.* Verùm quia duplex

plex diſtinguitur Pentecoſtes; altera Judæorum, quæ die quinquageſimo poſt immolationem Agni Paſchalis agebatur in memoriam datæ à Deo Legis in monte Sina: altera Chriſtianorum, quæ die pariter quinquageſimo à Chriſti Reſurrectione celebratur: dubium non leve ſuboritur, de qua Pentecoſte dixerit Lucas. Si etenim de Chriſtiana Pentecoſte dixit, die ipſa Dominica Spiritus S. illapſus eſt: quandoquidem dies quinquaginta à Reſurrectione, quæ in Dominicam incidit, numerati, Dominica poſt ſeptima conſummantur. At ſi de Judaica Pentecoſte locutus eſt Lucas, Spiritum S. die Sabbathi illapſum eſſe, neceſſe eſt. Siquidem Paſcha Judaicum eo anno in diem Paraſceves inciderat: dies verò quinquaginta ad Judaicam Pentecoſtem numerandi exordium ducebant, non ab ipſamet prima die Azimorum, ſeu Paſchatis; ſed à die ſecunda Azimorum, qua primus meſſis ordeaceæ manipulus offerebatur; uti monet Joſephus lib. 3. Antiq. Cap. 10. quæ dies anno illo in Sabbathum incidit: atque adeò ſeptimo poſt Sabbatho quinquaginta dies impleti ſunt.

Hoc igitur opus, hic labor eſt, divinare, quam Pentecoſtem Lucas velit intelligi. Ego quidem, quantum capio, quantum ſapio, Judaicam Pentecoſtem intelligi puto, quidquid plerique Sacrarum Scripturarum Interpretes aliter ſentiant. Nondum enim inducta tunc erat diſtinctio illa duplicis Pentecoſtes, alterius quidem Judaicæ, alterius Chriſtianæ, ſed ſola tunc Judaica obtinebat: ac ſicuti Paſcha ſuum eadem cum Judæis die Apoſtoli una cum Chriſto Domino celebraverant; ita eadem cum Judæis die Pentecoſtem ſuam celebraſſe putandi ſunt: hæc enim ſolemnitas alterius veluti conſectarium erat; atque ex ejus deſignatione, & definitione pendebat. Certè eam Pentecoſtem Lucas intelligit, quam anno illo Apoſtoli celebrabant, quamque pro more aliarum feſtivitatum à primis veſperis cœperant celebrare: at repugnat, Apoſtolos anno illo Chriſtianam Pentecoſtem à primis Veſperis celebraſſe, dum in illos ſub horam tantùm diei tertiam illapſus eſt Spiritus Sanctus: cùm nonniſi ad illapſum illum celebrandum Chriſtiana ſubinde Pentecoſte fuerit inſtituta: ſic enim Myſterium celebrare cœpiſſent, quo necdum tempore peractum erat.

III. Reponent fortaſſe, qui ſecùs ſentiunt: nondum quidem anno illo primo duplicis Pentecoſtes diſtinctionem invaluiſſe, Apoſtoloſque nonniſi Judaicam celebraſſe: fuiſſe tamen hujuſmodi diſtinctionem, quo tempore Actus Apoſtolicos ſcripſit Lucas, anno circiter poſt Chriſtum 28. atque adeò, dum ait: Spiritum Sanctum in Apoſtolos illapſum eſſe, *cùm complerentur dies Pentecoſtes*, id ſibi voluiſſe unum, illapſum nimirum die, dum illius Pentecoſtes complerentur dies, quæ ſua jam cœperat ætate celebrari. Verùm, ut mittam, interpretationem [illegible] Lucæ verbis vim facere apertiſſimam; & hoc ipſum conſtat eſſe falſiſſimum, quod tanta fiducia ponunt, anno, ſcilicet, poſt Chriſtum 28. eam Solemnitatum Judaicarum, & Chriſtianarum diſtinctionem, quantùm ad dies attinet, fuiſſe inductam: cùm nonniſi poſt Jeroſolymorum ruinam invecta ſit. Judæi enim omnes ad Chriſtum vocati, ad id uſque temporis

Moſaicæ Legis æmulatores erant tenaciſſimi, ut legimus Actorum Cap. 21. v. 20., eamque idcircò diſtinctionem Solemnitatum paſſi non eſſent, nec executioni demandaſſent. Hinc Joannes Apoſtolus, & Philippus Diaconus Paſcha ſemper eadem cum Judæis die celebrarunt, teſte Euſebio lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 24., etſi Petrus, & Paulus Romæ degentes, ubi major Gentilium, quàm Judæorum ad Fidem converſorum copia erat, ſecùs agerent. Sed & Paulus ipſe, cui viarum comes Lucas aderat, legitur *feſtinaſſe*, (Actorum 20.) *ut ſi poſſibile ſibi eſſet, diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*. Ut quid porrò feſtinatio illa, niſi quòd Pentecoſte Judaica Jeroſolymis celebranda eſſet juxta legem Exodi 23., & Levitici 16. latam: cùm ex adverſo Chriſtiana Pentecoſte ubivis celebrari poſſet. Liquet ergo, quo tempore Lucas ſcriberet, anno, ſcilicet 28. poſt Chriſtum in Cœlos aſſumptum, nondum ex publica Eccleſiæ lege Chriſtianam Pentecoſten à Moſaica quantùm ad diem fuiſſe diſtinctam; ipſumque Paulum Pentecoſten more Judaico celebraſſe. Ex quo verò publica Eccleſiæ lege decretum eſt, ut Paſcha in memoriam Dominicæ Reſurrectionis, non Luna 14. Martii Judaico ritu celebraretur, ſed die ipſa Dominica ſequente, qua Reſurrectio peracta fuit; eadem quoque lege, & neceſſaria conſecutione ſancitum eſt, ut Chriſtiana Pentecoſte, in memoriam illapſus Spiritus S., ſeptima poſt die Dominica ageretur, Quod unum ex primæva traditione deſcendit: non quod à Baronio fingitur, Spiritum S. die ipſa Dominica miſſum eſſe; qui veriùs Sabbatho miſſus eſt, in quod anno illo Judaica Pentecoſte inciderat. Laudantur, fateor, in fictitiæ hujuſce Traditionis probationem Clementis Conſtitutiones, Sermo S. Auguſtini 154. de Tempore, & S. Leo. Serm. de Pentecoſte. At Clementis Conſtitutiones nemo tanquam ſuppoſititias non rejicit Eruditus; Sermo verò Auguſtini de tempore 154. in Apocryphorum claſſem in poſtrema, eademque caſtigatiſſima Benedictinorum Editione rejectus eſt. Solus ſupereſt Leo Magnus, qui, ut cadente 5. Sæculo vixit, Traditionem unus ille non facit.

IV. Urget nihilominus Cardinalis Baronius, ut in diem Dominicam incidiſſe Pentecoſten evincat. Tametſi, inquit ille, ex communi Legis præſcripto dies quinquaginta ad Pentecoſtes celebrationem numerari ſoliti eſſent, à ſecunda Azimorum die, qua primus manipulus metendus, offerenduſque Deo erat: quia tamen quo anno Chriſtus eſt mortuus, ſecunda illa Azimorum dies in Sabbathum incidit, qua per eamdem Legem metere non licet; (Exodi 34.) nonniſi à tertia Azimorum die, quæ Dominica fuit, & in qua metere licuit, numerati ſunt dies illi: atque ita dies inde quinquageſimus, non in Sabbathum, ſed in Dominicam incidit. Verùm aberrat purpuratus Hiſtoricus; nec aduertit, communem tantùm meſſem ex generali Legis præſcripto fuiſſe Sabbatho vetitam: non item tamen peculiarem manipuli meſſionem, qui in Templo ſecunda die Azimorum, utcumque caderet, offerendus erat. Auctor mihi eſt R. Moyſes Ægyptius in Commentariis ſuper Miſna, & in lib. *Jad Akazzacha*: *Quantùm ad manipulum attinet, qui offerebatur ſecunda die Azimorum, meti ille, & colligi debebat nocte diem decimam ſextam præcedente.*

Meteba-

Metebatur autem, quamquam dies Sabbathi eſſet. Nec ſolùm hoc erat licitum, ſed etiam præceptum. Quod idem confirmat, & probat ex *Alacot Temidim* Cap. 7., & ex Tractatu *Manahot* pag. 61., ubi diſtinctè habetur: *Generatim quidem opus omne, quod ante Sabbathi diem fieri poſſet, ante diem Sabbathi fieri debuiſſe: excepto tamen præcepto de metendo manipulo, qui etiam nocte ipſa Sabbathi metendus erat.* Neque verò id mirum; cùm demiſſio manipuli ſervile opus minimè cenſeretur, ſed potiùs Religionis actus. Atque ita in Sabbatho, intacta diei religione, fieri licitè poterat, ac etiam debebat. Eo ſanè modo, quo licebat etiam in Sabbatho nonnulla in Templo obire miniſteria; (ut ignem ad Sacrificia componere, atque accendere) quæ in privatis domibus exercere nefas erat. Quia in Templo religionis actus erant; in privatis domibus, opera ſervilia. Id itaque certum, indubitatumque, quo anno Chriſtus eſt mortuus, Pentecoſtem in diem Sabbathi, non in Dominicam, ut Baronius exiſtimat, incidiſſe.

V. De hora verò diei, qua Divina hæc Miſſio facta eſt, nullum unquam dubium fuit. Tertiam fuiſſe diei horam, à Sole, ſcilicet, oriente Judaico more computatam, ex D. Petro diſcimus, Actorum Cap. 2. Cùm enim Apoſtoli Spiritu S. pleni, variiſque idcircò linguis derepentè loquentes à Judæis tanto portento attonitis ſigillarentur, tanquam ebrii, ac muſto pleni eſſent; Petrus communem, & ſui, & ſociorum cauſam agens, converſo in illos ſermone, ait: *Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* Unde Spiritum S. in Apoſtolos tertia diei hora effuſum conſentiunt univerſi, ipſaque Eccleſia feſto jubilo canit: *Dum hora cunctis tertia, repentè Mundus intonat, orantibus Apoſtolis, Deum veniſſet nuntiat.* Curioſitatem fortaſſe veſtram excitabit ea Petri ratio, qua non eſſe ebrios Apoſtolos probat, quòd eſſet hora diei tertia. Ecquid enim vetat, inquiet aliquis, hominem hora Solis orientis tertia ebrium eſſe; cùm bonos interdum potatores à ſummo mane ebrius videamus? Imò vetabat id maximè recepta tunc apud Judæos, & tanquam publica lege probata Diſciplina; qua cautum erat, ne quis diebus feſtis, ac Sabbathis ante ſextam horam cibum ſumeret. Meminit hujus diſciplinæ, ac legis Flavius Joſephus in vita ſua: *Sexta hora noſtros ad prandium vocare ſolet in Sabbathis.* Quia iis diebus offerebatur Sacrificium ſolemne in Templo Jeroſolymorum, ac nonniſi circa horam ſextam conſummari ſolitum erat: donec porrò conſummaretur, cibum ſumere nefas erat. Qui ritus in præſenti apud Judæos exolevit, quia everſo, dirutoque Templo, non ultra Sacrificia offerunt. In hanc igitur diſciplinam, ac legem intendens Petrus ætate ſua vigentem meritò ait: *Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia*, qua nimirum ne quidem cibum ſumere illis licuit. Ex quo etiam novum petitur fundamentum ſtatutæ à nobis paulò ante Sententiæ confirmandæ: Spiritum S., non die Dominica Chriſtianorum, ſed ipſa die Sabbathi, in quam anno illo Judaica Pentecoſte inciderat, miſſum eſſe. Niſi enim feſtum Judaicum, Sabbatumve fuiſſet; Apoſtolis ante horam tertiam cibum ea die ſumere licuiſſet: atque adeò Petri ſe, ſuoſ-

que

que ab impacta calumnia vindicantis adducta ratio futilis omninò, ac nulla fuiſſet. Sed videamus de loco patrati tanti Myſterii.

VI. Ac de communi quidem loco non eſt dubium, Spiritum Sanctum in Apoſtolos effuſum eſſe Jeroſolymis, ob Chriſti præceptum illis impoſitum, (Act. 1.) *ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*; Divini, ſcilicet, Spiritus effuſionem. At de proprio, privatoq; loco nonnulla inter Interpretes diſſenſio eſt. Etſi enim privatarum quarumdam ædium Cœnaculum fuiſſe conſtet, ex verſiculo 13. Cap. 1. Actuum Apoſtolicorum; cujus tamen eſſent Ædes illæ, diſceptatur. Joannis Euangeliſtæ fuiſſe putant Nicephorus, lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 28., & Cedrenus. Fuiſſe Simonis leproſi, contendit Theophylactus in Caput 26. Matthæi. Joſephi ab Arimathia, aut fortè Nicodemi fuiſſe, opinatur Euthymius. Verius tamen, certiuſque fuiſſe crediderim, Ædes Mariæ matris Joannis cognomento Marci: quæ quidem ædes ob id ipſum, aliaque ibidem patrata myſteria in Templum ſubinde converſæ ſunt, teſte Divo Hieronymo Epiſt. 27., & Venerabili Beda lib. de locis ſanctis Cap. 3. Id ut aſſeram, cogit me ratio longè graviſſima. Capite ſiquidem primo Actuum Apoſtolicorum v. 13. apertè ſignificatur, domum illam, in qua erant Diſcipuli congregati, dum in eos orantes, ac ſupplicantes Spiritus S. effuſus eſt, fuiſſe ſolitam Petri, aliorumque Apoſtolorum habitationem, dum Jeroſolymis hoſpitabantur: *In Cœnaculum aſcenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas &c.* Capite verò 12., ubi narratur Petri è carcere Herodiano liberatio miniſterio Angelico facta, diſtinctè notatur: Petrum de nocte è carcere liberum in domum ſtatim veniſſe Mariæ matris Joannis cognomento Marci, tanquam ad ſolitum hoſpitium; eoque januam pulſante, puellam quamdam nomine Rhode, quæ ad audiendum proceſſerat, vocem ejus illicò cognoviſſe: ac tum poſtea Petrum, narrata Fidelibus illic congregatis liberationis ſuæ ſerie, abiiſſe in locum alterum; ne, videlicet, à Judæis ſolitum ejus hoſpitium probè ſcientibus ſecundò comprehenderetur. Quæ omnia plus ſatis indicant, domum illam Mariæ matris Joannis cognomento Marci ſolitam Petri, aliorumque Apoſtolorum habitationem fuiſſe Jeroſolymis: atque adeò hac ipſa in domo Spiritum Sanctum in Apoſtolos die ſacro Pentecoſtes effuſum eſſe.

VIII. Num autem in ſolos Apoſtolos, an in alios quoque Spiritus S. effuſus ſit die illa, non erit ſupervacaneum inveſtigare: præſertim cùm datum è Chriſto præceptum, ne abſcederent Jeroſolymis, donec in eos Spiritus S. illaberetur, ſolis Apoſtolis legatur impoſitum, Actorum Cap. 1., iiſque ſolis tanti beneficii promiſſio facta ſit. Fidenter tamen pronuncio, eodem beneficio alios longè multos die ipſo Pentecoſtes affectos eſſe, & quidem ad centum circiter, ac viginti. In eos enim Spiritus S. ea die effuſus eſt, qui *pariter in eodem loco erant*, ſeu in Cœnaculo congregati; ut legitur Actorum 2. *Sedit enim ſupra ſingulos eorum* Spiritus S. At ex Cap. 1. v. 4. liquet, non ſolos Apoſtolos, ſed & alios in Cœnaculo fuiſſe; diſertiſſima verba ſunt: *Hi omnes*, nempe Apoſtoli, *erant* in Cœnaculo *perſeverantes unanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus*

tribus

tribus ejus: hoc eſt, cognatis tam Mariæ, quàm Jeſu: non igitur in ſolos Apoſtolos ea die Spiritus S. effuſus eſt. Confirmat hoc idem Joelis Oraculum Cap. 2., quod in ea Spiritus S. effuſione impletum eſſe, ait D. Petrus Cap. 2. Actuum Apoſtolicorum: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ex quo profectò diſcimus, omnis ſexus, omniſque ætatis homines Divinæ hujus effuſionis fuiſſe participes; atque ita non ſolos Apoſtolos. Hæc verò tanto donatos beneficio ad centum circiter, & viginti fuiſſe, inde fit veroſimile, quòd totidem fuiſſe legantur Actorum 2. in eodem Cœnaculo congregati paucis ante diebus, dum de Matthia in locum proditoris eligendo actum eſt. Unde & Auguſtinus Serm. 186. de Tempore ſcribit, Spiritum Sanctum duodecim Apoſtolis à Chriſto promiſſum decuplo numero datum eſſe: duodecim porrò decuplicati centum ſunt, ac viginti. Ea quippe Chriſti liberalitas fuit, ut quod paucis Apoſtolis promiſerat beneficium, multis contulerit. *Paſſus eſt*, inquit Auguſtinus, *reſurrexit, aſcendit: reſtabat, ut impleret, quod promiſit. Hoc expectantes Diſcipuli ejus, animæ, ut ſcriptum eſt, centum viginti, decuplato numero Apoſtolorum. Duodecim enim elegit, & ad centum viginti Spiritum miſit.* Et Tract. 19. in Joannem: *Centum, & novem cum Apoſtolis undecim, centum, & viginti erant, quando ſimul congregati poſt ejus Aſcenſum expectaverunt, & receperunt promiſſum Spiritum Sanctum.* Cui præiverat S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 4. in Cap. 2. Actuum Apoſtolicorum: *Quid autem, an in duodecim venit tantùm, non etiam in cæteros? Nequaquam: ſed venit etiam in illos centum viginti.*

IX. Jam verò quo ſe externo ſigno prodiderit Spiritus Sanctus in eam hominum multitudinem effuſus, paucis verbis enarrat Lucas Actorum 2. Nempe prodidit ſeſe ſub ſymbolo linguarum ignearum: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Quæ verba ita communiter accipi video, ut vulgò putetur, miraculum illud; ac ſymbolum in eo fuiſſe poſitum, quòd ſuper ſingula Apoſtolorum, cæterorumque Fidelium capita apparuerint *diſpertitæ*, ſeu diſtributæ linguæ, velut igneæ. Unde & Pictores linguas Cœlo delapſas depingere ſolent, ſurſum flammantes, & figura piramidali ex cujuſque capite in acumen ſurgentes. Rem tamen aliter geſtam exiſtimant Eruditi nonnulli, patratumque miraculum in eo poſitum dicunt, quòd, cùm omnes illic ſedentes ad repentinum ſonitum advenientis veluti ſpiritus vehementis ſtupentes hærerent, atque attoniti, ore hianti, atque aperto; illorum ipſorum linguæ in ore proprio ſint viſæ velut igneæ, & quidem *diſpertitæ*, ſeu diſſectæ: ut ſicut linguarum igne præſignabatur infuſæ charitatis ardor; ita ſectili linguarum forma conceſſa illis polyglottia deſignaretur. Et quidem veteres Patres vocabuli hujus ambigui, unde vulgaris ſententia nata eſt, certam intelligentiam dedere; & *diſpertitas* linguas, pro diſciſſis, atque diviſis, non pro diſtributis ſuper Apoſtolorum capita accipiendas monuerunt. Sic D. Cyprianus lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum Cap. 101., D. Auguſtinus lib. 5. de Actis cum Felice Manichæo Cap. 5., Idacius Clarus lib. 3. adversùs Varimadum Arianum, aliique communiter legunt: *Vi-*

ſæ illis

Digitized by Google

ſæ illis linguæ diviſæ ſicut ignis. Vetus etiam Translatio habet: *Viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ velut ignea*. Scholion quoque Vatabili, & Hugo à S. Charo Cardinalis, *diſpertitæ linguæ, id eſt, diviſæ*. Quin & hunc ipſum ſenſum Textus Græcus apertiſſimè refert. Pro eo enim, quod in vulgata Verſione Latinè legitur, *apparuerunt illis*, Græcè habetur ὤφθησαν αὐτοῖς; & pro eo, quod legimus, *diſpertitæ linguæ*, Græcè habetur, διαμεριζόμεναι, hoc eſt, diſſectæ in duas veluti partes; non diſtributæ, ut vulgo creditur: diſſectæ, inquam, in ipſorum oribus, non capitibus inſidentes. Profectò, inquiunt Eruditi viri, ut ardor ille Divinus, variarumque linguarum peritia, quibus tunc ad prædicandum Euangelium Apoſtoli donabantur, opportuno ſigno monſtraretur; congruentius longè erat, illorum ipſorum linguas ignitas, ac ſectiles divinitùs apparere, quàm ſymbolicas linguas ex alto demiſſas illorum capitibus inſidere. Data quippe divinitùs ſigna, quorum exempla tam multa leguntur Sacris in Litteris, quamquàm ſupra naturam eſſe ſoleant, eam tamen quantum aliundè fieri poteſt, imitantur. Quid autem à recto naturæ ordine abhorret magis, quàm linguas capitibus inſidere? Quare quod additur ibidem in Actibus: *Seditque ſupra ſingulos eorum*; non de illo igne ſymbolico dictum eſt, ſeu de linguis flammantibus, quaſi illorum capitibus inſederint: aliàs vitiata locutio eſſet, dicendumque fuiſſet: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis; ſederuntque ſupra ſingulos eorum*: ſed de ipſo Spiritu Sancto dicitur, qui ſupra eos ſedere intelligitur, in quorum cordibus habitat: de quo idcircò proximè ſubditur: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Ipſa etiam Eccleſia eum Scripturæ locum uſurpans; atque tranſcribens in ſolemni precum Officio tempore Pentecoſtes ita diſertiſſimè legit: *Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus*. In Reſp. feriæ tertiæ. Sedit igitur Spiritus ipſe, hoc eſt, conſtanter in Apoſtolis manſit, non igneæ linguæ; quæ ut erant ſymbola dumtaxat fugacia, & tranſitoria, ſediſſe dici non poſſunt. Hinc Chryſoſtomus Homilia 4. in Acta: *Inſedit ſingulis illorum Sp. S., hoc eſt, manſit apud illos, & in illis requievit. Nam ſedendi verbum ſtabilitatem, ac manſionem declarat*. Totum id obſervavit Laurentius Valla in Cap. 2. Actorum, *Erant autem linguæ eorum, & multifidæ, & velut igneæ, ad ſignificandam idiomatum varietatem; non linguæ igneæ ſuper vertices eorum, ut quidam volunt*. Obſervavit perindè Philippus Rohr in Pictore errante Cap. 26. *Conſpectæ ſunt illis, non ſuper illos, aut in Capitibus illorum, linguæ; quæ in proprio ſtant ſignificatu, à quo, niſi urgeat neceſſitas, non eſt recedendum*. Cui prælufit Urſinus lib. 6. Analectorum Cap. 38. Quorum tamen auctoritati nihilo plus tribuo, quàm Viris eruditis, linguarumque peritis, quos ab Eccleſia ſegreges fecit Hæreſis, tribui debeat.

X. Supereſt, ut de effectibus à Spiritu S. productis diſſeramus, maximè verò de dono linguarum Apoſtolis tunc, cæteriſque Fidelibus conceſſo. At quia novam Argumentum iſtud induſtriam deſiderat, ac laborem, idcircò in alteram Relectionem mittimus, accuratiùs pertractandum.

EXER-

EXERCITATIO LXIII.

De effectibus à Spiritu S. productis: maximè de dono Linguarum.

I. NOvum, illudque magni moliminis opus aggrediar, ſi de univerſis effectibus à Spiritu S. in Apoſtolos die ſacro Pentecoſtes effuſo productis velim in præſentia diſputare. Longa enim, ac propemodum infinita concertatio mihi eſſet inſtituenda, de gratia ſanctificante, de donis Spiritus S., de fructibus, de gratiis gratis datis; quæ, cùm ad alias Theologiæ partes intimiùs ſpectent, de iis quoque alia occaſione cumulatiſſimè diſputavi. Ne tamen officio omninò deſim, univerſos effectus compendio percenſebo, ut levem ſaltem illorum informationem habeat ſtudioſa Juventus: ac tum de illo ſpecialiter diſputabo, qui, cùm præ cæteris conſpicuus eſſet, & ad id uſque temporis inauditus, Judæos, atque Gentiles in patrati prodigii admirationem præſertim adduxit.

II. Illapſus itaque Spiritus S. in Diſcipulos effuſi effectus quadruplicis generis extitere. Primus fuit gratia ſanctificans, non prima illa quidem, quæ ſpiritualis regenerationis eſt, ſed ſecunda, quæ roboris, perfectionis, atque conſummationis à Patribus dicitur; quamque Chriſtus ipſe *virtutis*, ſeu fortitudinis gratiam dixerat ad publicam ſui nominis confeſſionem, Lucæ ultimo: *Ego mittam promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et Actuum Apoſtolicorum 1. *Accipietis virtutem Spiritus S. in vos; & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*

Alter effectus eſt gratia ſeptiformis, ſeu dona ſeptem, quæ vulgò Spiritus Sancti dicuntur, ab Iſaia Cap. 11. recenſita: Donum, ſcilicet, Sapientiæ, donum Intellectus, donum Conſilii, donum fortitudinis, donum ſcientiæ, donum pietatis, donum timoris Domini. Sunt autem dona hæc generatim accepta *habitus ſupernaturales, quibus homo juſtus diſponitur; ut promptè, faciliterque ſequatur inſtinctum Spiritus S.* ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 68. art. 1. Donum quidem Sapientiæ *ad judicandum de rebus Divinis, quibus debeat adhærere.* Donum Intellectus *ad rectam de ultimo fine æſtimationē habendā.* Donum Conſilii *ad rectè deliberandum in difficillimis, & præſertim inopinatis.* Donum Fortitudinis *ad conſequendum finem operis ardui propter Deū ſuſcepti, & ſuperanda quæcumque mala ex adverſo imminentia.* Donū Scientiæ *ad diſcernēda credenda à nō credendis, rectèque judicandū de rebus humanis, quatenus ducunt ad Deū.* Donū Pietatis *ad exhibendū cultū Deo debitū.* Donum Timoris *ad Deū reverendū, timendumque, timore utique, non ſervili, ſed filiali.*

Tertius Spiritus S. in Diſcipulos illabentis effectus ex donis ipſis promanans eſt fructus duodenarius ab Apoſtolo notatus Cap. 6. Epiſt. ad Galatas: *Fructus autem ſpiritus eſt Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.* Sunt autem hujuſmodi fructus ſpirituales hominis operationis, ex altiori Spiritus S. vir-

tute tanquam ex ſemine prodeuntes cum perfectione, & ſuavitate, S. Thom. 1. 2. quæſt. 7. art. 1. Quare alio titulo Fides, exempli gratia, Charitas, Continentia, Caſtitas virtutem albo cenſentur; alio fructuum. Virtutum enim titulo gaudent, ut ſunt habitus perficientes in ordine ad objecta ſua: fructuum verò Spiritus S. titulo potiuntur, ut perfectionem, ſuavitatemque referunt ex Spiritu S. tanquam interno ſemine prodeuntem: juxta illud 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet.*

Quartus effectus effuſi in Apoſtolos Spiritus S. gratia eſt gratis data, cujus novem ſpecies recenſet Apoſtolus in Epiſt. 1. ad Cor. Cap. 12. *Alii per ſpiritum datur ſermo Sapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem ſpiritum: alii fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum.* Quo nomine gratiæ gratis datæ, non eam intelligunt Theologi, quæ ſinè meritis data eſt: ſic enim gratia nulla non eſt gratis data, ſed eam, quæ ad ſuſcipientis profectum minimè datur ſed ut ejus ope ad alterius ſalutem, & converſionem cooperetur; non quidem interiùs movendo, quod ſolius Dei eſt; ſed exteriùs docendo, perſuadendo, convincendo. Qua ratione fit, ut novem ab Apoſtolo gratiæ gratis datæ numerentur: cùm totidem ad alterum de Fide, ac Religione Chriſtiana edocendum, in Magiſtro, atque Doctore ſint neceſſariæ. Tres quidem, ut Magiſter ipſe probè norit; quæ ſint alii tradenda: Sapientia nimirum, Scientia, & Fides. Duæ; ut, quæ docenda noverit; aptè, & opportunè proponere poſſit: nempe Genera Linguarum ad opportunitatem idiomatis, & Interpretatio Sermonum ad planum ſententiarum ſenſum aperiendum. Quatuor demum, ut, quæ tradit, ac docet, prodigiis, atque portentis confirmare valeat: Nimirum Gratia ſanitatum, qua ſalutem corporibus impertit; Operatio virtutem, qua Divinam in elementa, aliaque id genus poteſtatem exercet; prophetia, qua futura prænunciat ſoli Deo nota; Diſcretio ſpirituum, qua ſecreta cordium uni Deo perſpecta ſcrutatur: ac detegit. Sic enim maximè probat, ſe Dei nomine loqui; qui ea præſtat, quæ ſolus in illo Deus præſtare poteſt.

III. Cæterùm in eo gratiarum gratis datarum ordine, quibus cumulatiſſimè donati ſunt Chriſti Diſcipuli, in ea prodigiali Divini Spiritus effuſione, prima omnium illis in uſum venit Linguarum gratia; cujus illicò publicum Jeroſolymis dederunt experimentum, ſcribente Luca Cap. 2. Actuum Apoſtolicorum, *Repleti ſunt omnes Spiritu S., & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.* Quæ res in cauſa eſt, cur graves de ea difficultates obortæ ſint, quas modò expedire neceſſe eſt. 1. An ſinguli Apoſtoli linguis omnibus loquerentur? 2. Quomodo id factum ſit? An quòd propria dumtaxat loquentes lingua, nempè Syrohebræa à variarum nationum populis, tanquam illorum lingua loquentes intelligerentur? An autem, quòd exteras, ac peregrinas linguas callerent ipſi, eaſdemque revera loquerentur? 3. Num ſingulare Apoſtolorum privilegium illud fuerit; an cæterorum quoque Fidelium, in quo Spiritus S. die ſacro Pentecoſtes effuſus eſt?

IV. Prin-

IV. Principio itaque, ut viam agitandis hiſce quæſtionibus faciam, ſingularis S. Joannis Chryſoſtomi ſententia fuit, Oratione 40., totum quidem Cœtum Apoſtolicum gentium omnium linguas calluiſſe, non tamen de cœtu ſingulos, ſed alios alios, prout erant variis in Regionibus Euangelium nunciaturi, imò hoc ipſum fuiſſe Divinæ voluntatis indicium, ut in eas regiones pergerent ſinguli, quarum linguæ intelligentiam Divino munere fuerant aſſecuti.

Difficultatem ea in re non mediocriter auget, quòd plerique Apoſtoli, ac inter illos celeberrimi, ut Petrus, & Paulus in miniſterio Apoſtolico obeundo Interpretibus uterentur: quibus certè non fuiſſet illis opus, ſi linguarum omnium intelligentiam aſſecuti fuiſſent. Vulgata enim eſt ſententia Patrum, Irenæi, Melitonis, Hieronymi, Clementis Alexandrini, Marcum fuiſſe interpretem Petri, Titum interpretem Pauli. Quin & addit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, Marco tandem Alexandriæ relicto, Glautiam Petro interpretem adfuiſſe, Paulus etiam 2. ad Corinth. Cap. 2. ſcribit: *Cum veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino; non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non inveniſſem Titum fratrem meum, ſed valefaciens profectus ſum in Macedoniam.* Quæ verba ſic intelligit D. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 11., ut Apoſtolo ingentis doloris cauſa fuerit, quòd Tito interprete deſtitutus, Troade pro concione dicere non potuerit: *Quia prædicationis ſuæ fiſtulam, organumque, per quod Chriſtum caneret, non invenerat.* Quocirca obſervat: *Paulum Divinorum ſenſuum majeſtatem digno non potuiſſe Græci eloquii explicare ſermone.* Notat inſuper Sanctiſſimus Doctor, geminas, quas habemus Divi Petri Epiſtolas: *Stylo inter ſe, & Charactere diſcrepare, ſtructuraque verborum, quod pro rerum neceſſitate diverſis interpretibus in conſcribendis Epiſtolis uſus eſſet.*

Nihiloſecius communis Sanctorum Patrum ſententia eſt, Apoſtolos ſingulos omnium nationum linguis fuiſſe locutos: S. Auguſtini tract. 93. in Joannem, S. Ambroſii in Pſal. 18., S. Cyrilli Alexandrini Catecheſi 17., S. Leonis Serm. 1. de Pentecoſte, S. Gregorii Magni Homil. 30. in Euangelia. Hinc Paulus ipſe 1. ad Corint. 14. *Gratias ago Deo meo quòd omnium veſtrum lingua loquor:* omnium, ſcilicet, qui ex variis Orbis partibus oriundi Corinthi habitabant. Atque id quidem miniſterii Apoſtolici neceſſitas poſtulabat: cùm unus quandoque Apoſtolus ad variarum linguarum populos mitteretur, nec tot addiſcendis idiomatibus tempus ſuppeteret; nec facultas adeſſet.

V. Illud ergo explicare neceſſe eſt, qua ratione, quo titulo Petrus, & Paulus, & in habendis concionibus, & in conſcribendis Epiſtolis Interpretibus uterentur? Illud enim unum difficultatem patitur aliquam.

In primis itaque dici poſſet, gratias gratis datas, quale eſt donum Linguarum, non ſemper ad inſtar habitus permanentis obtineri; ſed plerumque inſtar tranſitoriæ motionis, & vialis cujuſdam afflatus, & impetus Spiritus S. Compertum id eſt exemplo prophetiæ, quæ altera eſt gratia gratis data. Propheticum quippe lumen non ſemper Prophetis affulget, ut quacumque in occaſione quæcumque futura prænuncient: ſed

certis duntaxat in caſibus, dum peculiari quodam afflatu, ac tranſitoria veluti coruſcatione docentur, & illuſtrantur à Spiritu S., quod in Nathane Propheta videre fuit lib. 2. Regum Cap. 7., & in Eliſæo lib. 4. Cap. 3. Tale in Apoſtolis fuiſſe donum Linguarum videri poteſt, juxta Lucæ dictum in Actibus Cap. 2. *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis*: quaſi dicat, pro tempore, & loco quo à Spiritu Sancto peculiariter agebantur: quo tamen afflatu, motuque Divino ceſſante, perinde ac cœteri homines interpretibus indigerent, ſi peregrinæ linguæ homines alloqui vellent. Ac ſic certè aliquibus Theologis viſum eſt.

Quia tamen Apoſtolos donum Linguarum inſtar habitus permanentis obtinuiſſe communiter exiſtimatur: idcircò objectæ difficultati veriùs reſpondetur, ac certiùs: Apoſtolos, ac in iis maximè Petrum, & Paulum interpretes habuiſſe Sententiarum, atque Doctrinæ, non itidem idiomatis; niſi fortè ad elegantiam, atque ornatum. Quæ enim Apoſtoli afflati Spiritu S. plerumque alta, & obſcura Myſteria eructabant, illi plano, faciliquе, atque ad captum ſimplicium accomodato ſermone reddebant. Cum enim impetum Spiritus S., quo ducebantur, interdum temperare non poſſent, altiora, obſtruſioraque aliquando fundebant oracula, quorum explanatio Interpretibus relinquebatur. Quæ quidem explanatio ad aliam gratiam gratis datam pertinebat; nempè ad Interpretationem ſermonum, quæ non ſemper, omnique momento cum dono Linguarum conjuncta erat: ut patet ex 2. Epiſt. ad Corint. Cap. 14. *Volo autem, vos loqui linguis, magis autem prophetare: nam major eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur .... Qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur*. Quare ad id peculiares interpretes conſtituebantur: interpretes, inquam, non idiomatis, ſed Doctrinæ, ac Sententiarum.

Neque verò is eſt verborum Apoſtoli ſenſus 2. ad Cor. Cap. 2., qui prima fronte videtur eſſe: Paulum, ſcilicet, ingenti dolore fuiſſe affectum, quòd Tito interprete deſtitutus, Troade pro concione dicere non potuerit. Non enim ſe ab habenda concione fuiſſe retardatum ait: ſed id unum innuit; requiem ſpiritui ſuo non habuiſſe, quòd Titum Corintho reverſum non inveniſſet, cujus relatione certior fieret de ſtatu illius Eccleſiæ: quod ſanè à præſenti difficultate longè abeſt, imò nihil cum ea commune habet, quod noſtram exerceat diligentiam.

Quod autem ait Hieronymus, *Paulum Divinorum ſenſuū majeſtatem digno non potuiſſe Græci eloquii explicare ſermone*; non de ignorantia Græci idiomatis dictum eſt, ſed de ornatu, & elegantia, quibus erat deſtitutus; unde & ajebat 2. Cor. Cap. 11. v. 6. *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia; in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis*. Quam ob cauſam Patres obſervant, Epiſtolam ad Hebræos, utpote patrio ſermone ab Apoſtolo ſcriptam, cæteris Græco idiomate exaratis longè eſſe ornatiorem, elegantioremque.

Nec eſt, quod quis nobis obtrudat, Dei opus fore imperfectum, ſi linguarum peritia Dei dono accepta eo ornatu careat, qui naturali facultate, atque induſtria comparatur. Deus enim prodigialibus hujuſmodi donis ea duntaxat Apoſtolis largitus eſt, quæ ad Eccleſiæ utilitatem

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſimpliciter neceſſaria, qualia profectò non ſunt ornatus, & elegantia ſermonis.

VI. Nunc quod ad alterum inſtitutæ diſputationis Caput attinet, ea Divo Gregorio Nazianzeno ſententia ſtetit, Oratione 44., in eo prodigium illud fuiſſe poſitum, quòd propria dumtaxat lingua loquentes Apoſtoli Syrohebræa, à variarum nationum populis intelligerentur. Qua de cauſa in Actibus Apoſtolicis Cap. 2. obſervatum ſit, diverſarum Nationum populos inclamaſſe: *Quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus?* Et infra: *Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei*; quaſi id audirent illi tantùm, non item ipſimet Apoſtoli loquerentur.

Equidem ſi nihil aliud in Actibus Apoſtolicis adnotatum eſſet, æſtimari utcumque poſſet, ita planè rem accidiſſe, quod & poſtremis hiſce temporibus in viris nonnullis Apoſtolicis, Vicentio Ferrerio, Ludovico Bertrando, & Franciſco Xaverio accidiſſe fertur, ut patria lingua locuti, à diſſonis gentibus intelligerentur. At & hoc alterum in laudatis Actibus legimus: *Cœperunt loqui variis linguis*: quod variarum linguarum peritiam Apoſtolis infuſam apertè ſignificat. Ad hæc etiam, Apoſtolus 1. ad Cor. Cap. 14. *Omnium veſtrum lingua loquor.* Et Chriſtus Marci 16. Id futurum ſpoponderat, ut *linguis loquerentur novis*; quibus nempe antea minimè loquebantur. Quapropter quòd à variis populis auditi ſint Apoſtoli illorum linguis loquentes, idcircò fuit, quia re ipſa illorum linguis loquebantur.

Et ſanè, quamquam, Deo volente, utroque perinde modum prodigium illud patrari potuerit: ſeu quòd ſua dumtaxat linguâ locuti Apoſtoli à diverſarum nationum populis intelligerentur: ſeu quòd variarum nationum linguis inſtructi loquerentur univerſas; congruentiùs tamen fuit, poſteriori modò rem fieri: quàm priori; aliàs non in Apoſtolis, ſed in Auditoribus miraculum accidiſſet: non, inquam, in Apoſtolorum mentibus, ac linguis, ſed in auribus auditorum. Nec ſatis Euangelicæ prædicationis neceſſitati fuiſſet proviſum. Quomodo enim Apoſtoli mutuos cum exterarum Nationum populis ſermones ſerere potuiſſent, illoſque ſecum loquentes intelligere? Plura etiam fuiſſent neceſſaria miracula. Ut enim propriam linguam loquente uno, varii varias ſuas linguas inaudiant; neceſſe eſt, vocem ſeu ſonum nativæ linguæ uniuſcujuſque auditorum in aere efformari; atque ita ad aures uniuſcujuſque efferri: totque idcirco ſunt patranda miracula, quot adſunt ibi auditores: Deus autem, tametſi poſſit hæc omnia; abſque neceſſitate tamen miracula patrare non ſolet: Gratia enim, non ſecùs, ac natura nihil fruſtra operatur.

VII. Nolim tamen inficiari, certis in caſibus, ubi neceſſitas poſtulabat; dum, ſcilicet, ad variarum gentium populos pro concione dicendum erat; id contingere potuiſſe, ut una lingua loquentes Apoſtoli, ab omnibus intelligerentur. Quamquam enim omnibus linguis inſtructi eſſent, multis tamen ſimul linguis loqui nequibant: niſi fortè præter naturam, ingentique prodigio iis in caſibus experti eſſent Apoſtoli, quod Diodorus Siculus lib. 5. Cap. ultimo narrat: homines Inſulæ cujuſpiam lingua ſectili inſtructos eſſe; ac una quidem linguæ parte idiomate uno, altera alte-

ro ſimul loqui, ut lubet, libetve. At in Diodoro Siculo fidem deſidero; nec id ipſum Apoſtolis iis in caſibus ſuffeciſſet. Ecquis etiam id Apoſtolis primitias ſpiritus habentibus negatum putet, ubi neceſſitas poſtulabat, quod poſtremis hiſce temporibus viris aliquibus Apoſtolicis datum eſt? Hinc Venerabilis Beda ad ea Actuum verba, *Audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus*, addit: *Aut quia linguis omnibus loquebantur aut quia ſua lingua loquentes ab omnibus intelligebantur*.

VIII. Decætero, non ſolos Apoſtolos, ſed & reliquos omnes, in Cœnaculo ſedentes: in quos Spiritus S. effuſus eſt, eo perinde linguarum dono fuiſſe cumulatos æquè liquet. 1., quia de omnibus in Cœnaculo poſitis communiter ſcriptum eſt, Act. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu S., & cœperunt loqui variis linguis*. 2., quia aliis in occaſionibus, ubi per manus Apoſtolorum conferebatur Spiritus S., Fideles etiam privati, & ad miniſterium Apoſtolicum minimè deſtinati, quin & ipſi Gentiles ad Chriſtum converſi eo linguarum dono cumulabantur, ut legitur Actor. Cap. 10. *Obſtupuerunt ex Circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus S. effuſa eſt: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*. Quocirca D. Auguſtinus Serm. 186. de tempore Cap. 2. *Omnes, qui aderant* (in Cœnaculo) *unam linguam didicerant. Venit Spiritus S., impleti ſunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nec didicerant. Sed docebat ille, qui venerat, intravit, impleti ſunt, fudit. Et tunc hoc erat ſignum, quicumque accipiebat Spiritum Sanctum, ſubitò impletus Spiritu linguis omnium loquebatur, non illi ſolùm centum viginti. Docent nos Litteræ ipſæ, poſtea crediderunt homines, baptizati ſunt, acceperunt Spiritum Sanctum, linguis omnium gentium locuti ſunt*.

Cur itaque, inquis fortaſſe mihi, Judæi in tanti prodigii admirationem adducti ſucclamarunt: *Nonne omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram illos loquentes?* Soli agitur Apoſtoli variis linguis loquebantur: nam eo Galilæorum nomine deſignantur. R. Reſponſio in promptu eſt: Ita Judæos admirabundos ſucclamaſſe: quia quamquam Fideles omnes Cœnaculo concluſi, & Spiritu S. perfuſi linguarum donum accepiſſent, ſoli tamen Apoſtoli primo illo impetu foras erumpentes, accepti doni experimentum dedere; utpote verbi duces, ſuſceptæque gratiæ præcones à Chriſto Domino conſtituti. De reliquo tamen alios perinde variis linguis fuiſſe locutos, quæ protulimus teſtimonia, plus ſatis evincunt.

Digitized by Google

EXERCITATIO LXIV.

De Chriſti virtutum, ac prodigiorum Narratione à Pilato ad Tiberium Cæſarem miſſa; deque ejuſdem Apotheoſi apud Senatum Romanum tentata.

I. VIxdum Chriſtus Cœlo redditus erat, ejuſque Divinus Spiritus in Diſcipulos effuſus, cùm virtutum ejus, ac prodigiorum fama longè latèque diffuſa Romam quoque ipſam occupavit. Pilatus Judææ Præſes res, quæ illic contigiſſent magni momenti, ad Cæſarem ſcribere ſolitus, patratorum à Chriſto prodigiorum, Divinarum virtutum, excitationis ipſius à mortuis, novæque ab eo conditæ Religionis narrationem ad Tiberium miſit. Is, perceptis Actis, reque, quantum licuit, intellecta, retulit ad Senatum, ut & Chriſtus inter Deos, quos Roma coleret, referretur. Renuit Senatus Auguſtus. Cæſar tamen perſtitit in ſententia; Chriſtianoſque ob eam, quam de Chriſto conceperat opinionem, ſingulari benevolentia fovit.

Totum id tamen variis difficultatibus obſtructum eſt; & à nonnullis quidem ex parte, ab aliis ex integro vocatur in controverſiam. Quare, ut ſua dictis veritas conſtet; tria nobis quærenda ſunt: 1. Conſtet ne prorsùs, Pilatum de rebus à Chriſto præclarè geſtis Tiberium Cæſarem monuiſſe: Cæſaremque Chriſti apotheoſim tentaſſe apud Senatum Romanum? 2. Quæ cauſæ, ut renueret, Senatum impulerint? 3. Quid de Epiſtolis, quæ vulgò circumferuntur, à Pilato ea in occaſione ad Cæſarem datis ſentiendum veniat? Quibus ad liquidum perductis plana, expeditaque res erit.

II. Primum, illudque potiſſimum uſque adeò, meo quidem judicio, certum eſt; ut citra ſummam audaciam in dubium verti nequeat; utpote teſtium omni exceptione majorum ſuffragio communitum.

Tertullianus in Apologetico adversùs Gentes Cap. 5. *Apud vos*, inquit, *de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit, annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ illic veritatem ipſius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui: Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Et Cap. 21., præmiſſa brevi prodigialium Chriſti geſtorum analyſi, ita ſubdit. *Ea omnia ſupra Chriſto Pilatus & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nunciavit: ſed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi, aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.*

S. Ju-

S. Juſtinus Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, in hæc ipſa Acta à Pilato ad Tiberium miſſa digitum intendit, dum, nonnullis Chriſti prodigiis enarratis, ſubjungit: *Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta, poteſtis*. Tum aliis interjectis: *Et quod iſta fecerit Chriſtus, ex eis, quæ ſub Pilato conſcripta ſunt commentariis, cognoſcere poteſtis*.

S. Lucianus in Deciana perſecutione Nicomediæ Martyr ad eadem illa Pilati Acta videtur Præſidem provocaſſe, dum diceret: *Conſulite Annales veſtros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, media die fugatum Solem, & interruptum diem*. Veriſimile quippe eſt, Pilatum inter tam multa, de quibus ad Cæſarem ſcripſit, portenta, atque prodigia mirabilem illam Solis obſcurationem, quæ Chriſto patiente contigerat, minimè ſiluiſſe. Aliàs obſervari Romæ nequiviſſet; cùm portenta, Chriſto moriente, patrata non ultra Judæam, uti loco ſuo docuimus, patuiſſent, Longè minùs, tacente Pilato, ſciri Romæ potuiſſet, eam obſcurationem qua Chriſtus hora de Cruce pendebat, Jeroſolymis accidiſſe.

Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Cap. 2. Rem totam ſat fusè proſequitur. *Cum per omnem jam locum de Reſurrectione, & mirabilibus Domini Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione ejus ad Cælum ſalix fama loqueretur; ac per omnium aures, beati hujus rumoris volveretur opinio: quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, ſi quid fortè novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi, vel Senatui nunciarent; ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de Reſurrectione à mortuis, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus; & ut poſt mortem, cùm reſurrexiſſet, à quamplurimis jam Deus eſſe crederetur. Tiberius, quæ compererat, retulit ad Senatũ. Senatus autem ſpreviſſe dicitur, pro eo quòd non ſibi priùs hujus rei judicium fuerit delatum: ſed auctoritatem ſuam prævenit vulgi ſententia; lex etenim erat antiquitus deſignata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, niſi Senatus decreto atque ſententia confirmatus. Porrò autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne Divina virtus humanis putaretur aſſertionibus indigere. Cùmque ſecundùm ea, quæ ſupra diximus, renuiſſet Senatus; Tiberius tamen tenuit ſentẽtiam ſuam, ut ne quid adversùs doctrinam Chriſti contrarium moliretur*.

S. Joannes Chryſoſtomus hujus perinde fidem facit Homilia 26. in Epiſtolam 2. ad Corinthios. *Romanorum Senatus hanc poteſtatem habebat, ut Deos crearet, atque conſcriberet. Quippe, cùm res omnes à Chriſto geſtæ nunciatæ ſunt, Romam miſit is, qui Judæorum nationi præerat, ſciſcitans ex ipſis, num eum quoque Deum creare placeret. Id verò illi facere recuſarunt, quòd iniquo, atque infenſo animo ferrent, ante decretum ſuum, atque ſententiam, Crucifixi potentiam affulgentem, univerſum Orbem ad ſui cultum, & venerationem attraxiſſe*.

Hegeſippus, non ille quidem, qui Aniceti, & Eleutherii Romanorum Pontificum temporibus floruit; ſed alter junior, qui, cadente ſæculo quarto, poſt Conſtantini tempora vixit, in Anacephalæoſi librorum ſuorum de excidio Urbis Jeroſolymorum. *Quamvis Pilatus* inquit, *manus laverit dicens: mundus ego ſum à ſanguine juſti hujus, vos videritis; nequaquam tamen minùs extitit reus, qui gloriam Dominicæ Reſurrectionis agnoſcens, prædicare invitus ſtuduit;*

ſuit; ſed credere perfidus contempſit, ſicut teſtatur ejuſdem Epiſtola Cæſari in hunc modum directa: &c. Tum Epiſtolam ſubiicit, de qua nobis paulò poſt ſermo erit.

Paulus Oroſius lib. 7. Hiſtor. Cap. 4. *Poſtquam paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum miſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibus virtutibus, quæ, vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant; & de eo, quòd certatim, creſcente plurimorum fide, Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi priùs ſecundùm morem delatum eſſet; ut de ſuſcipiendo cultu priùs ipſe decerneret, cõſecrationẽ Chriſti recuſavit edictoq; cõſtituit, exterminãdos eſſe urbe Chriſtianos; præcipuè cùm & Sejanus Præfectus Tiberii ſuſcipiendæ Religioni contradiceret, Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorũ mortẽ cõminatus eſt.*

S. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtor. Cap. 25. factum paucis enarrat: *Pilatus Chriſti geſta ad Tiberium Cæſarem mittit; & ei tam de virtutibus Chriſti, quàm de Paſſione, & Reſurrectione ejus inſinuat. Quæ geſta hodie apud nos retinentur ſcripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recenſuit: quod Senatus cum ita reſpuit pro eo, quòd non ad eum primitus adveniſſet.* Rem poſteris pergratam feciſſet Gregorius, ſi quæ geſta apud ſe ſcripta retinere dixit, publicaſſet: cujus illa coloris ſint probaremus.

Extremum facto, quod hic unicè quærimus, ſigillum ponit Nicephorus Callixtus lib. 2. Hiſtor. Cap. 8. *Conſuetudo jàm inde à plurimis annis obtinuerat, ut qui Præfecturas, ac Provincias ſortiti eſſent, res novas, quæ ſub eis accidiſſent, ſingulas ſummum imperium habenti Cæſari ſignificarent, ut illum nihil prorſus rerum lateret. Itaque de Reſurrectione ex mortuis, aliiſque prodigiis Jeſu Chriſti Tiberio Cæſari ſcribens Pilatus, cùm res ejus pleraſque; tum quòd ex mortuis redivivus, ſibique ipſi ſuperſtes, Deus jam à multis, & quidem præcipuus eſſe crederetur, renunciavit. Quamobrem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem non eſſe deliberandum de ea cenſuit, ſub illo quidem prætextu, quòd ille non priùs veteri more, ipſius Senatus ſententia in Deos eſſet relatus: re autem ipſa, quòd Divinæ doctrinæ diſciplina humana prorſus non indigeret auxilio. Sed enim etiamſi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejeciſſet, Cæſar tamen in ſententia ſua perſtitit, ſalutarique prædicationi impedimento non fuit.*

III. Sic ſanè ſummi viri per omnem ætatem, a ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo, ad decimum tertium ſummo conſenſu tradiderunt. Iis porrò refragari, ac repugnare velle, annon ſummæ temeritatis eſt, atque audaciæ? Repugnat tamen, ac refragatur hac ipſâ ætate noſtra Tanaquillus Faber in Proteſtantium Schola Profeſſor Salmurienſis; Tertullianum ex Actis Pilati apocryphis fabellam hauſiſſe dictitans; quam cæteri deinceps ejus fide deſcripſerint imprudenter, tranſmiſerintque ad poſteros. Scilicet, non advertit imprudens ipſe, Acta Pilati de Chriſti virtutibus ad Tiberium miſſa, ad quæ deinceps Tertullianus, S. Juſtinus, & S. Lucianus, ambo Martyres, Romanos, cæteroſque Ethnicos provocabant, ab iis longè diverſa eſſe, quæ a Maximino Tyranno Chriſtianis infenſiſſimo conficta eſſe, narrat Euſebius lib. 9. Hiſtor. Eccleſ. Cap. 4. plena impietatis, atque blaſphemiæ. Ab iis quoque longè eſſe diſtincta, quibus, ut

Auctor eſt D. Epiphanius Hæreſi 50., Quartodecimani hæretici inſigniter abutebantur: nec ad ea ſummos, quos retulimus, viros digitum intendiſſe: ſed ad illa potiùs, quæ, curante Pilato, à publicis Notariis excepta, Romamque tranſmiſſa, in publicis Archivis ſumma cura, & integra fide ſervabantur. Unde & ad illorum Annales, ad illorum Commentarios, atque Archiva Tertullianus, Juſtinus, Lucianus liberè provocabant. Quis autem putet, illos, & famæ ſuæ, & Chriſtiani nominis gloriæ tam malè conſuluiſſe, ut ad ſpuria inſtrumenta, quæ in Romanorum manibus eſſent, tam fidenter, tam liberè provocarent; quorum falſitatem Romani ipſi tam facilè retexiſſent, nec ſinè Chriſtiani nominis deriſione, atque ludibrio ſuggillaſſent?

Sed nec ab omni veri ſpecie abhorret, uti Tanaquillus obtendit, Tiberium Chriſto, ejuſque Religioni minimè addictum, de illo adeò curaſſe, ut de ejus Apotheoſi retulerit ad Senatum. Quidni enim id eum tentaſſe veriſimillimum ſit; Chriſti quidem, quæ didiſcerat, operum admirabilitate permotum? Certè nec Chriſto, nec ejus Religioni addictus erat Adrianus Imperator: & is tamen, ut auctor eſt Ælius Lampridius Ethnicus ipſe in ejus vita: *Templa ſinè Simulacris juſſerat fieri; quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, in Chriſto Jeſu conſecraret, niſi Sacrorum conſultores deterruiſſent*: veriti nempè ne, ſi id egiſſet Adrianus, ad Chriſti partes relicto idolorum cultu, univerſi tranſirent. Nihilo magis Chriſto, ejuſque Religioni addictus erat Alexander Severus: & hunc tamen *Chriſto templum facere, eumque inter Deos recipere voluiſſe*, idem Lampridius memorat; tametſi nefariis conſiliis circumventus executioni non dederit. Quid ergo, ſimile quidpiam tentaſſe Tiberium, à veri ſpecie prorsùs abhorreat?

Abhorret multò minùs a vero, (qui alter Tanaquilli cavillus eſt) Senatum Romanum reſpuiſſe, quod placuiſſet Tiberio. Ea quippe Tiberius erat animi moderatione, ut ſibi, ſuiſque conſiliis Senatum repugnare, ubi juſta ſubeſſet ratio, moleſtè non ferret. *Quædam*, inquit Suetonius, *adverſùs ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem eſt*. Imò, cùm vocem minùs idoneam, ſeu fortè barbaram inter ſcribendum uſurpaſſet aliquando, quam idcircò honoris gratia uſu impoſterum recipiendam, ac jure Latii donandam aliqui dicerent: Marcum Pomponium Marcellum moroſum verborum exactorem æquo animo tulit liberè pronunciantem: *Tu Cæſar, Civitatem dare potes hominibus, verbis non potes*: ut ſcribit Dio Caſſius Lib. 57. Et mirabimur, Senatum Romanum optatam à Cæſare Chriſti Domini Apotheoſim rejeciſſe, idque tuliſſe Tiberium?

IV. Mirabimur longè minùs, ſi quæ Senatum Romanum, ut repugnaret, rationes impulerint, perpendamus. Quod caput eſt ſuſceptæ diſputationis alterum.

Prima à Patribus paulò ante laudatis diligenter obſervata, iſta fuit: quòd antea Chriſto Domino Divini honores delati fuiſſent, quàm integra ad Senatum delata res eſſet. Quare præreptum ſibi Sacrorum honorum decernendorum auctoritatem cùm ferret ægerrimè, Apotheoſim à Tiberio licèt optatam decernere noluit. Altera, quòd, niſi cæteris Gentium Diis ſua ſede pulſis, Jeſus ſolemni Apotheoſi conſecrari non poſſet:

ſet:

ſet: quippe qui ſolus coli vellet; neminemque Divinorum honorum conſortem pateretur. Tertia, quòd Chriſtum cernerent, paupertatis, humilitatis, patientiæ aſſertorem: quibus omnibus nil magis Romano Imperio, quod armis ſtabat & opibus, contrarium videbatur. Quarta; quòd externa Sacra recipi vetuiſſet non ita pridem Senatus Auguſtus, ut eſt apud Titum Livium lib. 39. Quinta, quòd infami ſupplicio Chriſtus fuiſſet affectus, Judæis quidem popularibus ſuis inſtantibus, atque urgentibus; at viro Romano Sententiam pronunciante. Quibus tamen omnibus, ut ad negandam Chriſto Domino Apotheoſim rationibus moverentur, Divini judicii ſapientia fecit: ne Chriſtus falſorum Numinum inſtar, Divinitatem ab hominibus precario videretur accipere: neve Chriſtiana Religio toto Orbe propè diem diffundenda Senatus Romani judicio, atque præſidio tuta, ejuſdemque auctoritate propagata cenſeretur.

V. Reſtat, ut de Epiſtolis videamus, quæ à Pilato ad Tiberium nunc temporis datæ referuntur: quas ſpurias, ac pro arbitrio à quibuſdam nebulonibus fictas nullus dubitat. Harum tria producuntur exempla, quorum falſitas, ſuppoſitio, notheia in ipſos incurrit oculos. Primum, illudque pervetuſtum, *Claudio* inſcriptum exhibet Hegeſippus in Anacephalæoſi librorum ſuorum, de Excidio Jeroſolymorum, quarto cadente Chriſtiani nominis ſæculo: ex quo illud tranſcripſit Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 34. Alterum in eumdem omninò ſenſum elegantioribus tamen verbis *Claudio Tiberio Neroni Imperatori* inſcriptum refert Sixtus Senenſis, lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ; *in vetuſtis*, ut præmonet, *Bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum*. Tertium in lucem edidit Florentinus in Notis, & Exercitationibus ad Apoſtolorum indiculum: quod *à Notatore quodam*, ut ait, *in antiqua pagina cum aliis memoratu dignis circa annum* 1480. *ſcriptum* invenit à ſuperioribus exemplis, & verbis, & ſenſu longè diverſum. Quod, quia à viris hodie eruditis melioris aliquanto notæ judicatur, integrum ſubjicere non pigebit. Eſt igitur hujuſmodi apud Florentinum loco laudato pag. 113.

Pilatus Tiberio Cæſari Salutem. De Jeſu Chriſto, quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Verum hercle ita pium, ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura eſt. Sed mirus extitit populi conatus, omniumq; Scribarum, & Seniorum populi conſenſus, ſuis Prophetis, & more noſtro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis Legatum crucifixere: ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus. Vigent illius Diſcipuli opere, & vita continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi. Niſi ego ſeditionem populi propè extuantem pertimuiſſem, fortaſſe adhuc nobis ille vir viveret. Etſi tua magis dignitatis fide compulſus, quàm voluntate mea adductus pro viribus non reſtiterim. Sanguinè juſtum totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate iniquè in eorum famen (ut Scriptura interpretantur) exitium pati, & verecundari. Vale. Quarto nonas Aprilis.

VI. In ſingulis tamen Epiſtolarum exemplis, ſeu Hegeſippi, ſeu Sixti, ſeu demum Florentinii aperta ſunt falſitatis, & ſuppoſitionis indicia. Vel enim iis ipſis Epiſtolis conſtant Acta integra a Pilato ad Tibe-

rium Cæſarem miſſa, ad quæ Juſtinus, Tertullianus, Lucianus Ethnicos provocabant; aut certè tranſmiſſis fuſioribus Actis comites Epiſtolæ datæ ſunt. Primum illud tam falſum eſt, quàm quòd maximè: cùm nonnulla iis Actis contenta notent laudati Patres, de quibus nihil extat citatis Epiſtolis. Alterum non eſt veriſimile: cùm ſubmiſſa ſimul Acta nequaquam appellent Epiſtolæ illæ; ſed paucula Chriſti prodigia compendio notent; nulloque interim verbo ſignificent, fuſiùs illa, atque prolixiùs adjunctis Actis contineri: quod Pilatum facere congruebat, ſi prolixiorum Actorum conjunctas Epiſtolas dediſſet Imperatori.

Quid etiam, quòd ejuſdem ſenſus, ejuſdemque ſententiæ ab Hegeſippo, & Sixto Senenſis producuntur Epiſtolæ, verbis dumtaxat inter ſeſe, ac loquendi formulis diſcrepantes: ut qui eas legerit, binas ejuſdem Autographi, Græci fortè, aut, ſi mavis, Hebræi interpretationes latinas putet? Pilatus porrò, ſi quas tunc Tiberio unà cum ſubmiſſis Actis dedit Epiſtolas, latinas profectò dedit; ut binas illarum verſiones latinas facere, neceſſe non eſſet. Niſi fortè quis dicat: Hegeſippum græcè ſcribentem, Pilati qualeſcumque Epiſtolas græcè reddidiſſe; unde variæ deinceps interpretationes latinæ prodierint, verbis dumtaxat, loquendique formulis aliquanto diverſæ. At nec id quidem conſtat; Hegeſippum Judæum, genere græcè ſcripſiſſe: cujus potiùs operum nullum græcum extat exemplar. Quod Renatus Laurentius Barrenſis in Prænotatione ad libros de Excidio Jeroſolymitano ſapienter admonet.

VII. Inſuper priora exempla duo ab illius ætatis ſtilo non parùm abhorrent: maximè verò primum ab Hegeſippo publicatum. Nonnulla præterea continent ambo, quæ Pilatum virum Romanum, ac Cæſaris adminiſtrum litteris ad ipſum datis ſignificaſſe, non eſt veriſimile: ut quòd Jeſus *Judæorum jure, ac meritò diceretur*: cùm alium Judæis Regem conſtituiſſet Tiberius. Unumquodque etiam illorum complectitur aliquid, aut apertè falſum, aut Pilato minùs congruens. Falſa, inquam, eſt prioris Epigraphe: *Pontius Pilatus Claudio ſalutem.* Quamquàm enim ex Claudia ſtirpe natus Tiberius, *Claudius* quoque ſit dictus; nuſpiam tamen ita ſimpliciter eſt appellatus; ſed *Tiberius Claudius Nero*; unde & vulgatum ſcomma à Svetonio fertur, ut pro *Tiberio Biberius*, *pro Claudio Caldius*, *pro Nerone Mero* ab æmulis diceretur. Pilato quoque minùs congruit periodus illa poſterioris Exempli: *Hoc expectabant Judæi, ut Deus illorum, per Virginem juvenculam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur: hunc me præſente miſit in Judæam.* Unde enim reſcire Pilatus potuit, Jeſum ex Virgine Matre in lucem fuiſſe editum? Non utique à Judæis à Chriſto averſis; qui eum uti Mariæ, ita & Joſephi habebant filium. Sed nec à Judæis ſectatoribus Chriſti: quorum perpauci illibatæ illius conceptionis Myſterium noverant; qui verò noverant; necdum ante illapſum Spiritus Sancti, & publicam Evangelii prædicationem propalandum agnoſcebant.

VIII. Poſtremum tandem, quod deſcripſimus Epiſtolarum exemplar, tametſi notæ aliquanto melioris Eruditis hodie videatur, multis tamen capitibus peccat, quæ fraudem prodant patentiſſimam. Ipſo enim ſtatim initio ſignificat Pilatus, ſe de Chriſto, antequam morti addiceretur,

priores

priores ad Tiberium Epiſtolas deſtinaſſe: *De Chriſto Jeſu*, inquit, *quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Virum hercle ita pium, ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, aut habitura eſt.* Quod ſcripſiſſe Pilatum, nemo ſibi facilè in animum inducet. Si enim talem Jeſum Tiberio datis antea litteris declaraſſet, incredibile omninò eſt, eum tam citò, ac ne ſpectato quidem reſcripto, importunis Judæorum querelis, atque clamoribus ceſſurum fuiſſe, ut acerbum de illo Judæi ſupplicium ſumerent. Imò qui illum à morte liberare tantoperè cupiebat, eo præſertim obtentu expectandi reſcripti Cæſarei, cauſam ſaltem traxiſſet in longum; non hac ipſa die, qua cœpta eſt, lata ſuis in gratiis ſententia finiviſſet. Addit ſubinde Pilatus: *Judæos veritatis Legatum crucifixiſſe, ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus.* At qui Philoſophi Jeroſolymis aderant, qui ea de re judicium ferrent? Attendit haud dubiè Epiſtolæ fabricator ad vulgatum Dionyſii verbum, qui Solem, quo tempore penderet Chriſtus, præter naturæ leges obſcur tum cernens exclamaſſe fertur, *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvitur.* At id, præterquam à recentioribus dumtaxat eſt traditum, vertiturque in dubium, Athenis tamen à Dionyſio dictum fertur, non Jeroſolymis: cujus idcircò notitiam Pilatus, dum ſcriberet, nullam habuit. Subjungit: *Vigent illius Diſcipuli opere, & vita continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi.* Nempe ad prodigia ab Apoſtolis in hominum beneficium patrata alludit: qualia tamen nulla ante illapſum Spiritus Sancti ſunt facta. Et tamen, ſi Superis placet, data notatur Epiſtola *quarto Nonas Aprilis*, diu antequam in Apoſtolos Spiritus Sanctus illaberetur. Proſequitur Epiſtolæ quiſquis eſt Auctor: *Niſi ego ſeditionem populi extuantem pertimuiſſem, fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret.* Certè de Chriſto extincto, ac nondum a mortuis excitato iſta dicuntur: de viro enim ad vitam reduce nemo ſic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epiſtola, ad vitam redierat Chriſtus; ſi, quod habet communis Eccleſiæ Traditio, die vigeſima quinta Martii in Crucem eſt actus: aut certè nondum ſecunda Aprilis die extinctus erat, ſi, quod nonnulli ætatis noſtræ Chronologi putant, die dumtaxat Aprilis quarta ſuffixus eſt. Quocumque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epiſtolæ fabricator. Nec eſt, quod quis nobis obtrudat, ſecundam illam Aprilis diem, qua data perſcribitur Epiſtola, ſequentis anni eſſe, non illius, quo paſſus eſt Chriſtus: eaque idcircò verba *fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret*, Chriſti ad Superos aſcenſum ſubindicare. Ecquis enim credat, Pilatum ſuam illam de rebus à Chriſto præclarè geſtis, denique nova ab eo inducta Religione narrationem, in annum alterum diſtuliſſe? Cùm tanti Cæſaris intereſſet, iſta reſcire: ut ſi quos fortè motus exciret nova per Chriſtum inducta Religio, prudentia ſua ſedaret, atque compeſceret. Supereſt Epiſtolæ poſtrema periodus ſenſu vacua: *Sanguinem juſtum, totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate ini-*

què

quæ in eorum famen (ut Scriptura interpretantur) exitium pati, & verecundari. Quod tamen, non ipſi Epiſtolæ fabricatori, ſed antiquæ paginæ à Notatore deſcriptæ vitio tribuendum exiſtimo.

Rejiciendæ ſunt itaque, & ad quiſquilias amandandæ, quæ à Pilato Judææ Præſide ad Tiberium datæ feruntur Epiſtolæ: quamquam eum, ſubmiſſis ad Cæſarem Actis, & Inſtrumentis, patratorum à Chriſto prodigiorum fidem facientibus, litteras Actorum comites addidiſſe, veriſimillimum ſit, quæ vetuſtate temporis interierint.

EXER-

EXERCITATIO LXV.

De morte Deiparæ Virginis.

I. EXplicatis in hanc diem Chriſti Myſteriis, quibus humanæ ſalutis opus abſolvit, & conſummavit: illud unum ad ſuſcepti inſtituti coronidem nobis ſupereſt explicandum, quo Virginem Matrem ad cœleſtem gloriam evocavit. Et quidem, niſi velimus ariolari, & tabularum more fabulas ludere, nihil eſt aliud, quod de Virgine explicemus; cùm ab illapſu Spiritus Sancti, de quo diximus, cui præſentem adfuiſſe Jeſu Matrem, monet Lucas, Actorum 1. v. 14., nihil ultra geſtorum ejus Sacris in Litteris, Patrumque monumentis habeamus. Quia verò Filii ſui imitatrix Mater Sanctiſſima, nonniſi obita morte, immortalem gloriam eſt aſſecuta: (*oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, Luc. 24.) de ejus morte, quæ & immenſæ quæſtionis eſt, in præſentia dicemus; tum de ejus ad cœleſtem gloriam aſſumptione. Iſthæc porrò quæremus hodie, de quibus contentionis funem ab aliquibus duci video: Sitne re ipſa mortua? Ubinam, Epheſine, an Jeroſolimis? Quo anno, tùm vitæ ſuæ, tùm Chriſti? Quo genere mortis, martyrio ne, an placido tranſitu? A quibus, & quo apparatu curatum funus? Quæ priùs expedire neceſſe eſt, quàm ad eius in Cœlos aſſumptionem veniamus.

II. De morte Deiparæ primus omnium dubium movit Divus Epiphanius Hæreſi 78., non eam quidem perfractè negans, ſed ut negare, ita affirmare non audens, ob ſilencium videlicet Scripturarum. *Quærant*, inquit, *veſtigia Stripturarum*, (Ex verſione Jani Cornarii) *& invenient utique, neque mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua; neq; an ſepulta ſit, an non ſepulta* .... *Non omninò definio hoc, & non dico, quòd immortalis manſit; ſed neq; affirmo an mortua ſit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut nequis ad ſuſpicionem veniat carnalium de ipſa rerum. Sive igitur mortua eſt, non novimus; ſive ſepulta eſt, non copulata fuit carni, abſit.* Quàm elumbis ratio illa ſit, qua in eam dubitationem adductus eſt Epiphanius, nemo non videt. Quid enim neceſſe eſt, Deiparæ mortem Sacris in Litteris enarrari, ut hanc ipſi tandem aliquando contigiſſe, fateamur? Quaſi non hoc ſatis ad certam probationem eſſe debeat, quòd tam diſertè, tam luculenter Sacræ Litteræ conteſtentur: *Statutum eſt omnibus hominibus, ſemel mori*, ad Hebræos 9. v. 27. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Pſal. 88. v. 49. Quidve Deiparæ mors in Euangelio narranda erat, quod Chriſti dumtaxat Hiſtoriam continet ad ipſius in Cœlos aſcenſum? Quid in Actorum libro commemoranda, qui Apoſtolorum dumtaxat geſta complectitur; omnium quidem in commune ad diſperſionem uſque; tum ſpeciatim Petri, & Pauli ad annum circiter Neronis quartum, Chriſti verò 62.?

III. Non-

III. Nonnulli Epiphanio ſecutis temporibus audaciores, Deiparæ mortem non modò in dubium vertere, verùm etiam pertractè negare auſi ſunt, quos longo ordine percenſet Franciſcus Macedo Tom. 1. de Clavibus Petri lib. 4. part. 2. de Peccato Originali, Sect. 3., tametſi non omnes iiſdem rationibus adnitantur. Alii quippe, cùm mortem originalis peccati pœnam exiſtiment, quo titulo Virginem ab originali peccato liberam putant, eodem quoque à ſubeundæ mortis neceſſitate prorſus abſolvunt. Alii ab exemplis præſidium petunt, Enochi, Eliæ, ac ipſius etiam Joannis Euangeliſtæ; quos, quia ex hac luce morte non oppetita tranſlatos exiſtimant; ita Deiparam eodem privilegio donatam arbitrantur. Utri pejus argutati ſunt, haud ita facilè definierim. Ac de primis quidem, ut mittam illud Auguſtini Concione 2. in Pſalm. 34., quo vel uno tota illorum ratio in fumum abit: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Adam mortuus eſt propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata:* adhuc tamen, poſita illibata Virginis conceptione, ejuſdemque ab originali peccato immunitate etiam admiſſa, duæ prorſus explicandæ objectæ difficultatis apparent viæ, ab ipſis immaculatæ Conceptionis defenſoribus ultrò tentatæ. Prima eſt, dum ajunt, mortem duplici titulo ſpectari poſſe: primùm, ut eſt humanæ naturæ ex contrariis qualitatibus compactæ nativa conditio: ſecundò, ut eſt ejuſdem naturæ immortalitatis privilegio in ſui creatione donatæ, conſecuta deinde pœna, ex originali peccato: ac propterea Mariam mortem, ut originalis peccati pœna eſt, minimè ſubiiſſe; etſi eam, ut eſt nativa humanæ naturæ conditio paſſa ſit. Quandoquidem Chriſtus ipſe, quem ab originali peccato immunem Catholica Fides docet, nativæ hominis conditioni relictus, progreſſu temporis mutationes ætatum, & mortem ipſam ſeneſcendo ſubiiſſet, judice Auguſtino, lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione Cap. 29. *Quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur, etiam ſeneſcendo, illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus.* Altera ſolvendi nodi via eſt, dum inquiunt: Mortem humanæ naturæ pœnam eſſe ex Adami peccato conſecutam, ut ab ipſo actu admiſſum eſt, non ut eſt transfuſum in poſteros. Ex hoc enim unico actu Protoparentis tota natura immortalitatis privilegio exuta eſt: *In quacumque die comederitis, morte moriemini* Gen. 2., adeoque nihil mirum, ſi etiam morti obnoxia fuerit, in quam hæreditaria illa culpa carnali propagatione transfuſa non ſit.

Cæteri ab Henochi, Eliæ, adhuc etiam & Joannis Euangeliſtæ exemplis momentum petentes exorbitantiùs aberrant. Elias enim, & Henoch in Cæleſtem patriam vitæ, & ſenſuum integri tranſlati non ſunt, ſed in terreſtrem locum aliquem mortalibus impervium, quem ob ſui amœnitatem Paradiſum de more dicunt: ita tamen ut mortem tandem aliquandò ſint ſubituri, antequam ad beatam æternitatem, Antichriſto devicto, & ſuperato, perveniant. Nec alia Joannis Euangeliſtæ ſors erit, ſi (quod Hilario, Ephræmo Antiocheno, Gregorio Nazianzeno, Eliæ Cretenſi, Joanni Damaſceno, Andreæ, & Aretæ Cæſarienſibus, aliiſque nonnullis viſum eſt,) morte non oppetita tranſlatus alicubi vivit, adversùs Antichri-

Digitized by Google

chriſtum depugnaturus. Sed hanc falſam opinonem eſſe, ex præpoſtera Chriſti oraculi (Joan. 21. *ſic eum volo manere, donec veniam*) intelligentia derivatam, evincit antiquorum Patrum auctoritas, qui Joannem reipſa mortuum, & Epheſi ſepultum tradiderunt; ut Polycarpus Joannes ipſius diſcipulus, Polycrates Epheſius, Tertullianus, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chryſoſtomus, ipſaque Synodus OEcumenica Epheſina, cujus ſuffragium paulò poſt expendemus.

Nihil igitur eſt, quòd Virginem reipſa mortuam negemus; quam & mortuam profitetur Eccleſia in ſecreta incruenti Sacrificii Oratione, *pro conditione carnis migraſſe* inquiens: necnon in pia illa ſupplicatione ex S. Gregorii Magni Sacramentario petita, quæ in illius Aſſumptionis feſto die, à pleriſque recitatur: *Sancta Dei genitrix Virgo mortem ſubiit temporalem*: & mortuam certiſſimè ponunt illi ipſi mediæ ætatis Scriptores, ac Patres, qui eam corpore ſimul, & animo in Cœlos aſſumptam docuerunt; de quibus nobis prælectione altera ſermo erit.

IV. Illud ut ſummè quæſtioni eſſe poteſt, Epheſi ne, an Jeroſolymis mortua ſit? Ac vix ſcio, quam in partem dirimi poſſit: cùm ſpuria, & apocrypha ſint ea veteris memoriæ documenta, unde lucis aliquid peti poſſet. Apocryphus enim eſt, & à Gelaſio Summo Pontifice in Concilio Romano confixus *liber, qui appellatur tranſitus, id eſt, Aſſumptio B. Virginis*, Melitoni Sardenſi in Aſia Epiſcopo per ſummam fraudem à Græcis affictus ſæculo quinto. Apocryphus liber *de Divinis nominibus*, cæterique de Cœleſti, & Eccleſiaſtica Hierarchia, ac de Myſtica Theologia Dionyſio Areopagitæ pari audacia ſuppoſiti eodem vertente ſæculo. Apocryphus liber, ſeu *Sermo de Aſſumptione* ab aliquibus Hieronymo, in cujus appendicibus extat, ab aliis Sophronio illius amico, & familiari affictus; ſed poſt obortas hæreſes, Neſtorianam, & Eutychianam fabricatus. Apocryphi demum ejuſdem Argumenti Sermones Divo Athanaſio, & Divo Auguſtino tributi, & in apocryphorum claſſem ab eruditis quibuſque Criticis amandati. Quæ omnia à Baronio, & Poſſevino ſapienter ſunt obſervata. *Quæ dicuntur de morte, & vita Mariæ: è Nicephoro, & Damaſceno de dormitione ejus: ex Athanaſio de Aſſumptione: (ubi item agitur de Apoſtolis ad mortem illius convolantibus) ex Dionyſio de Divinis Nominibus: ex Hieronymo de tranſitu Mariæ, & de pleriſque hujuſmodi; ea probat Baronius Cardinalis, eſſe aut commenta, aut apocrypha mera: neque verò Athanaſii, neque Hieronymi unquam illa ſcripta fuiſſe*. Poſſevini verba ſunt, tomo 2. Apparatus ſacri in *Maria Virgine*. Ex quibus omnibus priſcæ memoriæ Documentis, pretioſæ mortis adjuncta diſcere licuiſſet, ſi aliqua apud eruditos ſtarent auctoritate, ac fide. Quare, iis nihil ſuffragantibus, aliò confugere neceſſe eſt ut oppetitæ mortis locum, aliaque adjuncta, ſi fieri quidem id poteſt, retegamus.

De Virginis itaque tumulo Jeroſolymis, ut jam communiter creditur, aſſervato nihil unquam auditum ante annum 451. Tunc, ſcilicet, Juvenalis Jeroſolymorum Epiſcopus mortalium primus Marciano, & Pulcheriæ de retegendo, ſicubi foret, Virginis corpore piè ſollicitis, reſpon-

Mmm diſſe

diſſe fertur, Marianum ſepulcrum Gethſemani juxta Jeroſolymam ſitum eſſe; inane tamen, ac vacuum. At fertur datum illud Juvenalis Reſponſum, non tamen certò liquet: cujus teſtis omnium primus producitur Euthymius Hiſtoricus ignoti nominis Scriptor, ac tota retrò antiquitate ignoratus; ex quo tamen uno Joannes Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Nicephorus Callixtus, aliique mediæ ætatis Scriptores narrationem hanc totam mutuati ſunt, atque ad poſteros tranſmiſerunt. Nec, ſi quid hujuſmodi Marciano reſpondit Juvenalis, integram illicò fidem facit; quem lubricæ fidei virum, turbarum in latrocinio Epheſino excitatum inceotorem, variorum criminum rerum, & falſatorem inſtrumentorum manifeſtum dicunt, S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Pontifex.

Et quidem D. Hieronymus, qui magnam vitæ partem Jeroſolymis egit, & D. Epiphanius non longo inde locorum ſpatio disjunctus; cùm ſacra Paleſtinæ loca, & diligenter, & curioſè deſcripſerint, nihil unquam de Virginis tumulo vel obiter inſinuarunt: uti nec Euſebius, Theodoretus, & Sozomenus. Quin etiam Leo Magnus, deſtinatis ad Juvenalem Epiſtolis, anno poſt datum, ut fingitur, Marciano reſponſum circiter tertio, nihil de Virginis ſepulcro omninò habet; quamquam de ſacris Jeroſolymorum locis Fidelium cultu, ac religione frequentatis, agat ex inſtituto. Adeò, ſcilicet, ſublestæ fidei eſt, quod vulgò jactatur datum a Juvenali Marciano, & Pulcheriæ, reſponſum de Virginis ſepulcro Jeroſolymis aſſervato. Aut, ſi ita reſpondit, falſa dedit, dum verba dedit.

V. Quare Epheſi mortuam Virginem, ac ſepultam, veriſimiliùs exiſtimaverim, ob luculentum Concilii OEcumenici, ibidem anno 431. celebrati, teſtimonium in Epiſtola Synodica ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, ubi Neſtorium in urbe Epheſi damnatum ſcribunt, *in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria.* Qua loquendi formula nihil aliud ſignificatum voluere, quam Joannem Theologum, & Virginem Deiparam illic eſſe; ſubintellecto, ſcilicet, verbo *eſt*; quod juxta Græcæ, & Latinæ Grammaticæ leges, non modò ſubintelligitur, commodè, verùm etiam eleganter: illic verò eſſe, utique inhumatos; cùm alio tunc modo illic eſſe non poſſent. Quod enim reponunt aliqui, mutilam eſſe Synodi phraſim, ſupplendumque, *aliquando habitarunt*; aut *ſacras ædes habent*; aut *magno in honore ſunt*; at alius planè reddatur ſenſus; frivolum eſt: cùm textus mutilationem, & depravationem nullis productis Codicibus probent: contra verò nulla fingenda ſit mutilatio, ut verbum *eſt*, pro Græci, & Latini idiomatis uſu ſubintelligatur.

Ad hæc: Idem de Deipara, ac de Joanne ea phraſi ſignificatum voluere Epheſini Patres: at liquet planè, ſignificare illos voluiſſe verbis illis, Joannem illic eſſe inhumatum, ac non tantùm illic *aliquando habitaſſe*, aut illic *ſacram Ædem, ſeu Templum habere*, aut *magno illic in honore eſſe*: cùm Joannem illic inhumatum eſſe, ſuumque ſepulcrum habere alia Sacræ Synodi monumenta conteſtentur. Cœleſtinus enim, data ad Epheſinos Patres Epiſtola, illos ipſos hortatur; ut Joannis documentis firmiter hæreant, *cujus reliquias præſentes venerantur*. Orientales etiam, qui eò convenerant,

nerant, Epiſcopi conqueruntur, factam ſibi moram; ne Martyrum ſepulcra, ac ipſius Joannis Euangeliſtæ deoſcularentur.

Præterea: Si Epheſi Deipara aliquando habitavit, Joannem utique ſecuta, qui eam in ſua officia & obſequia receperat: quod alii non ægrè concedunt: quid tam naturale eſt, quam ut illic quoque mortua ſit, ac ſepulta? Cùm & tunc ultimum vitæ cardinem premeret; nec niſi ægrè Jeroſolymam redire poſſet, extremum illic diem obitura. Quod enim ſcribit Epiphanius, Hæreſi 78. *Cùm Joannes in Aſiam inſtitueris profectionem, nuſquam dicit Scriptura, quòd abduxerit ſecum Sacram Virginem, ſed ſimpliciter ſiluit*: non eò tendit, ut factum neget, virginemque, quandiu vixit, Joanni dato ſibi filio adhæſiſſe inficietur: ſic enim cæteris plerisque Patribus repugnaret; qui Mariam individuam Joannis ſociam agnoſcunt: ſed id in Scripturis prudenti ſilentio preſſum eſſe, ſimpliciter monet Epiphanius, *propter miraculi excellentiam, ut ne ad ſtuporem produceret hominum mentes,........ac ne quis ad ſuſpicionem ventret carnalium de ipſa rerum*. Quæ tamen ſervati ea de re ſilentii ratio, bona Epiphanii pace dixerim, futilis eſt: quandoquidem alii plerique Apoſtoli pias ſecum, religioſaſque mulieres ſororum loco circumducebant, ut loquitur Paulus 1. ad Corinthios Cap. 9. v. 5., nullaque inde ſiniſtra ſuſpicio oriebatur. Multòque minor de Deipara Virgine, Joannis in conficiendis itineribus ſocia, poterat eſſe ſuſpicio, ob perſpectam ejus omnibus pietatem, religionem, caſtimoniam.

VI. Non eſt hic omittenda objectio, quæ à viro ævi noſtri ſummo, (Natal. Alerand.) ac mihi impensè colendo fit, adversùs Epheſinum Mariæ ſepulcrum. Polycrates, inquit ille, Epheſinorum Epiſcopus in Epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem, quam refert Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 24., ubi magna ſanctitatis lumina in Aſia extincta commemorat, & ſepulta, ac nominatim unam ex Phillppi Apoſtoli filiabus, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, Epheſi requieſcere, & Sanctum Joannem, qui in ſinu Domini recubuit, Epheſi extremum diem obiiſſe; non meminit Deiparæ Virginis: cujus certè meminiſſet eo loci ad Eccleſiæ ſuæ commendationem, ſi illam Epheſi obiiſſe, ac ſepultam fuiſſe noviſſet.

Pateor & ego Mariani ſepulchri meminiſſet Polycrates, ſi ad Eccleſiæ ſuæ commendationem extincta illic magna ſanctitatis lumina commemoraſſet. At non ad id ea dinumeratio, ac recenſio à Polycrate facta eſt; ſed ut illorum exemplo Victori Rom. Pont. palam faceret, Paſcha die 14. Martii celebrari oportere: id enim tunc agebatur: unde facta recenſione ſubjungit: *Iſti ergo omnes diem Paſchæ in die decima quarta Menſis obſervarunt ſecundùm Euangelium, nihil omninò extrinſecùs agentes, ſed Fidei regulam per omnia conſervantes*. Quare cùm breve duntaxat Epheſi tempus duxerit Virgo Deipara, recenſque illic advena ex hac mortali vita ſublata ſit; adeò ut nullius fortè celebrandi illic Paſchatis occaſio data fuerit, non erat, cur à Polycrate cum aliis Paſcha decimaquarta die celebrantibus laudaretur.

VII. Illud modò quærendum venit: quo anno vitæ ſuæ, tum etiam

Digitized by Google

Auctor eſt D. Epiphanius Hæreſi 50., Quartodecimani hæretici inſigniter abutebantur: nec ad ea ſummos, quos retulimus, viros digitum intendiſſe: ſed ad illa potiùs, quæ, curante Pilato, à publicis Notariis excepta, Romamque tranſmiſſa, in publicis Archivis ſumma cura, & integra fide ſervabantur. Unde & ad illorum Annales, ad illorum Commentarios, atque Archiva Tertullianus, Juſtinus, Lucianus liberè provocabant. Quis autem putet, illos, & famæ ſuæ, & Chriſtiani nominis gloriæ tam malè conſuluiſſe, ut ad ſpuria inſtrumenta, quæ in Romanorum manibus eſſent, tam fidenter, tam liberè provocarent; quorum falſitatem Romani ipſi tam facilè retexiſſent, nec ſinè Chriſtiani nominis deriſione, atque ludibrio ſuggillaſſent?

Sed nec ab omni veri ſpecie abhorret, utì Tanaquillus obtendit, Tiberium Chriſto, ejuſque Religioni minimè addictum, de illo adeò curaſſe, ut de ejus Apotheoſi retulerit ad Senatum. Quidni enim id eum tentaſſe veriſimillimum ſit; Chriſti quidem, quæ didiſcerat, operum admirabilitate permotum? Certè nec Chriſto, nec ejus Religioni addictus erat Adrianus Imperator: & is tamen, ut auctor eſt Ælius Lampridius Ethnicus ipſe in ejus vita: *Templa ſinè Simulacris juſſerat fieri; quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, in Chriſto Jeſu conſecraret, niſi Sacrorum conſultores deterruiſſent*: veriti nempè ne, ſi id egiſſet Adrianus, ad Chriſti partes relicto idolorum cultu, univerſi tranſirent. Nihilo magis Chriſto, ejuſque Religioni addictus erat Alexander Severus: & hunc tamen *Chriſto templum facere, eumque inter Deos recipere voluiſſe*, idem Lampridius memorat, tametſi nefariis conſiliis circumventus executioni non dederit. Quid ergo, ſimile quidpiam tentaſſe Tiberium, à veri ſpecie prorſus abhorreat?

Abhorret multò minùs a vero, (qui alter Tanaquilli cavillus eſt) Senatum Romanum reſpuiſſe, quod placuiſſet Tiberio. Ea quippe Tiberius erat animi moderatione, ut ſibi, ſuiſque conſiliis Senatum repugnare, ubi juſta ſubeſſet ratio, moleſtè non ferret. *Quædam*, inquit Svetonius, *adverſùs ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem eſt*. Imò, cùm vocem minùs idoneam, ſeu fortè barbaram inter ſcribendum uſurpaſſet aliquando, quam idcircò honoris gratia uſu impoſterum recipiendam, ac jure Latii donandam aliqui dicerent: Marcum Pomponium Marcellum moroſum verborum exactorem æquo animo tulit liberè pronunciantem: *Tu Cæſar, Civitatem dare potes hominibus, verbis non potes*: ut ſcribit Dio Caſſius Lib. 57. Et mirabimur, Senatum Romanum optatam à Cæſare Chriſti Domini Apotheoſim rejeciſſe, idque tuliſſe Tiberium?

IV. Mirabimur longè minùs, ſi quæ Senatum Romanum, ut repugnaret, rationes impulerint, perpendamus. Quod caput eſt ſuſceptæ diſputationis alterum.

Prima à Patribus paulò ante laudatis diligenter obſervata, iſta fuit: quòd antea Chriſto Domino Divini honores delati fuiſſent, quàm integra ad Senatum delata res eſſet. Quare præreptum ſibi Sacrorum honorum decernendorum auctoritatem cùm ferret ægerrimè, Apotheoſim à Tiberio licèt optatam decernere noluit. Altera, quòd, niſi cæteris Gentium Diis ſua ſede pulſis, Jeſus ſolemni Apotheoſi conſecrari non poſſet:

Digitized by Google

ſet: quippe qui ſolus coli vellet; neminemque Divinorum honorum conſortem pateretur. Tertia, quòd Chriſtum cernerent, paupertatis, humilitatis, patientiæ aſſertorem: quibus omnibus nil magis Romano Imperio, quod armis ſtabat & opibus, contrarium videbatur. Quarta; quòd externa Sacra recipi vetuiſſet non ita pridem Senatus Auguſtus, ut eſt apud Titum Livium lib. 39. Quinta, quòd infami ſupplicio Chriſtus fuiſſet affectus, Judæis quidem popularibus ſuis inſtantibus, atque urgentibus; at viro Romano Sententiam pronunciante. Quibus tamen omnibus, ut ad negandam Chriſto Domino Apotheoſim rationibus moverentur, Divini judicii ſapientia fecit: ne Chriſtus falſorum Numinum inſtar, Divinitatem ab hominibus precario videretur accipere: neve Chriſtiana Religio toto Orbe propè diem diffundenda Senatus Romani judicio, atque præſidio tuta, ejuſdemque auctoritate propagata cenſeretur.

V. Reſtat, ut de Epiſtolis videamus, quæ à Pilato ad Tiberium nunc temporis datæ referuntur: quas ſpurias, ac pro arbitrio à quibuſdam nebulonibus fictas nullus dubitat. Harum tria producuntur exempla, quorum falſitas, ſuppoſitio, notheia in ipſos incurrit oculos. Primum, illudque pervetuſtum, *Claudio* inſcriptum exhibet Hegeſippus in Anacephalæoſi librorum ſuorum, de Excidio Jeroſolymorum, quarto cadente Chriſtiani nominis ſæculo: ex quo illud tranſcripſit Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 34. Alterum in eumdem omninò ſenſum elegantioribus tamen verbis *Claudio Tiberio Neroni Imperatori* inſcriptum refert Sixtus Senenſis, lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ; *in vetuſtis*, ut præmonet, *Bibliotheca Vaticana monumentis repertum*. Tertium in lucem edidit Florentinus in Notis, & Exercitationibus ad Apoſtolorum indiculum: quod à *Notatore quodam*, ut ait, *in antiqua pagina cum aliis memoratu dignis circa annum* 1480. *ſcriptum* invenit à ſuperioribus exemplis, & verbis, & ſenſu longè diverſum. Quod, quia à viris hodie eruditis melioris aliquanto notæ judicatur, integrum ſubjicere non pigebit. Eſt igitur hujuſmodi apud Florentinum loco laudato pag. 113.

*Pilatus Tiberio Cæſari Salutem. De Jeſu Chriſto, quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Verum hercle ita pium, ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura eſt. Sed mirus extitit populi conatus, omniumq; Scribarum, & Seniorum populi conſenſus, ſuis Prophetis, & more noſtro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis Legatum crucifixere: ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus. Vigent illius Diſcipuli opere, & vita continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi. Niſi ego ſeditionem populi propè extuantem pertimuiſſem, fortaſſe adhuc nobis ille vir viveret. Etſi tua magis dignitatis fide compulſus, quàm voluntate mea adductus pro viribus non reſtiterim. * Sanguine juſtum totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate iniquè in eorum famen (ut Scripturæ interpretantur) exitium pati, & verecundari. Vale. Quarto nonas Aprilis.*

VI. In ſingulis tamen Epiſtolarum exemplis, ſeu Hegeſippi, ſeu Sixti, ſeu demum Florentinii aperta ſunt falſitatis, & ſuppoſitionis indicia. Vel enim iis ipſis Epiſtolis conſtant Acta integra a Pilato ad Tibe-

 rium

rium Cæſarem miſſa, ad quæ Juſtinus, Tertullianus, Lucianus Ethnicos provocabant; aut certè tranſmiſſis fuſioribus Actis comites Epiſtolæ datæ ſunt. Primum illud tam falſum eſt, quàm quòd maximè: cùm nonnulla iis Actis contenta notent laudati Patres, de quibus nihil extat citatis Epiſtolis. Alterum non eſt veriſimile: cùm ſubmiſſa ſimul Acta nequaquam appellent Epiſtolæ illæ; ſed paucula Chriſti prodigia compendio notent; nulloque interim verbo ſignificent, fuſiùs illa, atque prolixiùs adjunctis Actis contineri: quod Pilatum facere congruebat, ſi prolixiorum Actorum conjunctas Epiſtolas dediſſet Imperatori.

Quid etiam, quòd ejuſdem ſenſus, ejuſdemque ſententiæ ab Hegeſippo, & Sixto Senenſis producuntur Epiſtolæ, verbis dumtaxat inter ſeſe, ac loquendi formulis diſcrepantes: ut qui eas legerit, binas ejuſdem Autographi, Græci fortè, aut, ſi mavis, Hebræi interpretationes latinas putet? Pilatus porrò, ſi quas tunc Tiberio unà cum ſubmiſſis Actis dedit Epiſtolas, latinas profectò dedit; ut binas illarum verſiones latinas facere, neceſſe non eſſet. Niſi fortè quis dicat: Hegeſippum græcè ſcribentem, Pilati qualeſcumque Epiſtolas græcè reddidiſſe; unde variæ deinceps interpretationes latinæ prodierint, verbis dumtaxat, loquendique formulis aliquanto diverſæ. At nec id quidem conſtat; Hegeſippum Judæum genere græcè ſcripſiſſe: cujus potius operum nullum græcum extat exemplar. Quod Renatus Laurentius Barrenſis in Prænotatione ad libros de Excidio Jeroſolymitano ſapienter admonet.

VII. Inſuper priora exempla duo ab illius ætatis ſtilo non parùm abhorrent: maximè verò primum ab Hegeſippo publicatum. Nonnulla præterea continent ambo, quæ Pilatum virum Romanum, ac Cæſaris adminiſtrum litteris ad ipſum datis ſignificaſſe, non eſt veriſimile: ut quòd Jeſus *Judæorum jure, ac meritò diceretur*: cùm alium Judæis Regem conſtituiſſet Tiberius. Unumquodque etiam illorum complectitur aliquid, aut apertè falſum, aut Pilato minùs congruens. Falſa, inquam, eſt prioris Epigraphe: *Pontius Pilatus Claudio ſalutem.* Quamquàm enim ex Claudia ſtirpe natus Tiberius, *Claudius* quoque ſit dictus; nuſpiam tamen ita ſimpliciter eſt appellatus; ſed *Tiberius Claudius Nero*; unde & vulgatum ſcomma à Svetonio fertur, ut *pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero* ab æmulis diceretur. Pilato quoque minùs congruit periodus illa poſterioris Exempli: *Hoc expectabant Judæi, ut Deus illorum, per Virginem juvenculam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur: hunc me præſente miſit in Judæam.* Unde enim reſcire Pilatus potuit, Jeſum ex Virgine Matre in lucem fuiſſe editum? Non utique à Judæis a Chriſto averſis; qui eum uti Mariæ, ita & Joſephi habebant filium. Sed nec à Judæis ſectatoribus Chriſti: quorum perpauci illibatæ illius conceptionis Myſterium noverant; qui verò noverant; needum ante illapſum Spiritus Sancti, & publicam Euangelii prædicationem propalandum agnoſcebant.

VIII. Poſtremum tandem, quod deſcripſimus Epiſtolarum exemplar, tametſi notæ aliquanto melioris Eruditis hodie videatur, multis tamen capitibus peccat, quæ fraudem produnt patentiſſimam. Ipſo enim ſtatim initio ſignificat Pilatus, ſe de Chriſto, antequam morti addiceretur,

priores

priores ad Tiberium Epiſtolas deſtinaſſe: *De Chriſto Jeſu*, inquit, *quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Virumhercle ita pium, ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, aut habitura eſt.* Quod ſcripſiſſe Pilatum, nemo ſibi facilè in animum inducet. Si enim talem Jeſum Tiberio datis antea litteris declaraſſet, incredibile omninò eſt, eum tam citò, ac ne ſpectato quidem reſcripto, importunis Judæorum querelis, atque clamoribus ceſſurum fuiſſe, ut acerbum de illo Judæi ſupplicium ſumerent. Imò qui illum à morte liberare tantoperè cupiebat, eo præſertim obtentu expectandi reſcripti Cæſarei, cauſam ſaltem traxiſſet in longum; non hac ipſa die, qua cœpta eſt, lata ſuis in gratiis ſententia finiviſſet. Addit ſubinde Pilatus: *Judæos veritatis Legatum crucifixiſſe, ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & O bi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus.* At qui Philoſophi Jeroſolymis aderant, qui ea de re judicium ferrent? Attendit haud dubiè Epiſtolæ fabricator ad vulgatum Dionyſii verbum, qui Solem, quo tempore penderet Chriſtus, præter naturæ leges obſcur tum cernens exclamaſſe fertur, *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvitur.* At id, præterquam à recentioribus dumtaxat eſt traditum, vertiturque in dubium, Athenis tamen à Dionyſio dictum fertur, non Jeroſolymis: cujus idcircò notitiam Pilatus, dum ſcriberet, nullam habuit. Subjungit: *Vigent illius Diſcipuli opere, & vitæ continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi.* Nempe ad prodigia ab Apoſtolis in hominum beneficium patrata alludit: qualia tamen nulla ante illapſum Spiritus Sancti ſunt facta. Et tamen, ſi Superis placet, data notatur Epiſtola *quarto Nonas Aprilis*, diu antequam in Apoſtolos Spiritus Sanctus illaberetur. Proſequitur Epiſtolæ quiſquis eſt Auctor: *Niſi ego ſeditionem populi extuantem pertimuiſſem, fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret.* Certè de Chriſto extincto, ac nondum a mortuis excitato iſta dicuntur: de viro enim ad vitam reduce nemo ſic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epiſtola, ad vitam redierat Chriſtus; ſi, quod habet communis Eccleſiæ Traditio, die vigeſima quinta Martii in Crucem eſt actus: aut certè nondum ſecunda Aprilis die extinctus erat, ſi, quod nonnulli ætatis noſtræ Chronologi putant, die dumtaxat Aprilis quarta ſuffixus eſt. Quocumque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epiſtolæ fabricator. Nec eſt, quod quis nobis obtrudat, ſecundam illam Aprilis diem, qua data perſcribitur Epiſtola, ſequentis anni eſſe, non illius, quo paſſus eſt Chriſtus: eaque idcircò verba *fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret*, Chriſti ad Superos aſcenſum ſubindicare. Ecquis enim credat, Pilatum ſuam illam de rebus à Chriſto præclarè geſtis, denique nova ab eo inducta Religione narrationem, in annum alterum diſtuliſſe? Cùm tanti Cæſaris intereſſet, iſta reſcire: ut ſi quos fortè motus exciret nova per Chriſtum inducta Religio, prudentia ſua ſedaret, atque compeſceret. Supereſt Epiſtolæ poſtrema periodus ſenſu vacua: *Sanguinem juſtum, totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate ini-*

quæ in eorum famen (ut Scriptu-a interpretantur) exitium pati, & verecundari. Quod tamen, non ipſi Epiſtolæ fabricatori, ſed antiquæ paginæ à Notatore deſcriptæ vitio tribuendum exiſtimo.

Rejiciendæ ſunt itaque, & ad quiſquilias amandandæ, quæ à Pilato Judææ Præſide ad Tiberium datæ feruntur Epiſtolæ: quamquam eum, ſubmiſſis ad Cæſarem Actis, & Inſtrumentis, patratorum à Chriſto prodigiorum fidem facientibus, litteras Actorum comites addidiſſe, veriſimillimum ſit, quæ vetuſtate temporis interierint.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO LXV.

De morte Deiparæ Virginis.

I. EXplicatis in hanc diem Chriſti Myſteriis, quibus humanæ ſalutis opus abſolvit, & conſummavit: illud unum ad ſuſcepti inſtituti coronidem nobis ſupereſt explicandum, quo Virginem Matrem ad cœleſtem gloriam evocavit. Et quidem, niſi velimus ariolari, & tabularum more fabulas ludere, nihil eſt aliud, quod de Virgine explicemus; cùm ab illapſu Spiritus Sancti, de quo diximus, cui præſentem adfuiſſe Jeſu Matrem, monet Lucas, Actorum 1. v. 14., nihil ultra geſtorum ejus Sacris in Litteris, Patrumque monumentis habeamus. Quia verò Filii ſui imitatrix Mater Sanctiſſima, nonniſi obita morte, immortalem gloriam eſt aſſecuta: *(oportu it enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam,* Luc. 24.) de ejus morte, quæ & immenſæ quæſtionis eſt, in præſentia dicemus; tum de eius ad cœleſtem gloriam aſſumptione. Iſthæc porrò quæremus hodie, de quibus contentionis funem ab aliquibus duci video: Sit ne re ipſa mortua? Ubinam, Epheſine, an Jeroſolimis? Quo anno, tùm vitæ ſuæ, tùm Chriſti? Quo genere mortis, martyrio ne, an placido tranſitu? A quibus, & quo apparatu curatum funus? Quæ priùs expedire neceſſe eſt, quàm ad eius in Cœlos aſſumptionem veniamus.

II. De morte Deiparæ primus omnium dubium movit Divus Epiphanius Hæreſi 78., non eam quidem perfractè negans, ſed ut negare, ita affirmare non audens, ob ſilentium videlicet Scripturarum. *Quærant*, inquit, *veſtigia Stripturarum*, (Ex verſione Jani Cornarii) *& invenient utique, neque mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua; neq; an ſepulta ſit, an non ſepulta........ Non omninò definio hoc, & non dico, quòd immortalis manſit; ſed neq; affirmo an mortua ſit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut nequis ad ſuſpicionem veniat carnalium de ipſa rerum. Sive igitur mortua eſt, non novimus; ſive ſepulta eſt, non copulata fuit carni, abſit.* Quàm elumbis ratio illa ſit, qua in eam dubitationem adductus eſt Epiphanius, nemo non videt. Quid enim neceſſe eſt, Deiparæ mortem Sacris in Litteris enarrari, ut hanc ipſi tandem aliquando contigiſſe, fateamur? Quaſi non hoc ſatis ad certam probationem eſſe debeat, quòd tam disertè, tam luculenter Sacræ Litteræ conteſtentur: *Statutum eſt omnibus hominibus, ſemel mori,* ad Hebræos 9. v. 27. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Pſal. 88. v. 49. Quidve Deiparæ mors in Euangelio narranda erat, quod Chriſti duntaxat Hiſtoriam continet ad ipſius in Cœlos aſcenſum? Quid in Actorum libro commemoranda, qui Apoſtolorum duntaxat geſta complectitur; omnium quidem in commune ad diſperſionem uſque; tum ſpeciatim Petri, & Pauli ad annum circiter Neronis quartum, Chriſti verò 62.?

III. Non-

III. Nonnulli Epiphanio ſecutis temporibus audaciores, Deiparæ mortem non modò in dubium vertere, verùm etiam perfractè negare auſi ſunt, quos longo ordine percenſet Franciſcus Macedo Tom. 1. de Clavibus Petri lib. 4. part. 2. de Peccato Originali, Sect. 3., tametſi non omnes iiſdem rationibus adnitantur. Alii quippe, cùm mortem originalis peccati pœnam exiſtiment, quo titulo Virginem ab originali peccato liberam putant, eodem quoque à ſubeundæ mortis neceſſitate prorſus abſolvunt. Alii ab exemplis præſidium petunt, Enochi, Eliæ, ac ipſius etiam Joannis Euangeliſtæ; quos, quia ex hac luce morte non oppetita translatos exiſtimant; ita Deiparam eodem privilegio donatam arbitrantur. Utri pejus argutati ſunt, haud ita facilè definierim. Ac de primis quidem, ut mittam illud Auguſtini Concione 2. in Pſalm. 34., quo vel uno tota illorum ratio in fumum abit: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Adam mortuus eſt propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata:* adhuc tamen, poſita illibata Virginis conceptione, ejuſdemque ab originali peccato immunitate etiam admiſſa, duæ prorſus explicandæ objectæ difficultatis apparent viæ, ab ipſis immaculatæ Conceptionis defenſoribus ultrò tentatæ. Prima eſt, dum ajunt, mortem duplici titulo ſpectari poſſe: primùm, ut eſt humanæ naturæ ex contrariis qualitatibus compactæ nativa conditio: ſecundò, ut eſt ejuſdem naturæ immortalitatis privilegio in ſui creatione donatæ, conſecuta deinde pœna, ex originali peccato: ac propterea Mariam mortem, ut originalis peccati pœna eſt, minimè ſubiiſſe; etſi eam, ut eſt nativa humanæ naturæ conditio paſſa ſit. Quandoquidem Chriſtus ipſe, quem ab originali peccato immunem Catholica Fides docet, nativæ hominis conditioni relictus, progreſſu temporis mutationes ætatum, & mortem ipſam ſeneſcendo ſubiiſſet, judice Auguſtino, lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione Cap. 29. *Quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur, etiam ſeneſcendo, illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus.* Altera ſolvendi nodi via eſt, dum inquiunt: Mortem humanæ naturæ pœnam eſſe ex Adami peccato conſecutam, ut ab ipſo actu admiſſum eſt, non ut eſt transfuſum in poſteros. Ex hoc enim unico actu Protoparentis tota natura immortalitatis privilegio exuta eſt: *In quacumque die comederitis, morte moriemini* Gen. 2., adeoque nihil mirum, ſi etiam morti obnoxia fuerit, in quam hæreditaria illa culpa carnali propagatione transfuſa non ſit.

Cæteri ab Henochi, Eliæ, adhuc etiam & Joannis Euangeliſtæ exemplis momentum petentes exorbitantiùs aberrant. Elias enim, & Henoch in Cæleſtem patriam vitæ, & ſenſuum integri translati non ſunt, ſed in terreſtrem locum aliquem mortalibus impervium, quem ob ſui amœnitatem Paradiſum de more dicunt: ita tamen ut mortem tandem aliquando ſint ſubituri, antequam ad beatam æternitatem, Antichriſto devicto, & ſuperato, perveniant. Nec aliâ Joannis Euangeliſtæ ſors erit, ſi (quod Hilario, Ephræmo Antiocheno, Gregorio Nazianzeno, Eliæ Cretenſi, Joanni Damaſceno, Andreæ, & Aretæ Cæſarienſibus, aliiſque nonnullis viſum eſt,) morte non oppetita translatus alicubi vivit, adversùs Anti-

chri-

Chriſtum depugnaturus. Sed hanc falſam opinonem eſſe, ex præpoſtera Chriſti oraculi (Joan. 21. *ſic eum volo manere, donec veniam*) intelligentia derivatam, evincit antiquorum Patrum auctoritas, qui Joannem reipſa mortuum, & Epheſi ſepultum tradiderunt; ut Polycarpus Joannes ipſius diſcipulus, Polycrates Epheſius, Tertullianus, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chryſoſtomus, ipſaque Synodus OEcumenica Epheſina, cujus ſuffragium paulò poſt expendemus.

Nihil igitur eſt, quòd Virginem reipſa mortuam negemus; quam & mortuam profitetur Eccleſia in ſecreta incruenti Sacrificii Oratione, *pro conditione carnis migraſſe* inquiens: necnon in pia illa ſupplicatione ex S. Gregorii Magni Sacramentario petita, quæ in illius Aſſumptionis feſto die, à pleriſque recitatur: *Sancta Dei genitrix Virgo mortem ſubit temporalem*: & mortuam certiſſimè ponunt illi ipſi mediæ ætatis Scriptores, ac Patres, qui eam corpore ſimul, & animo in Cœlos aſſumptam docuerunt; de quibus nobis prælectione altera ſermo erit.

IV. Illud ut ſummè quæſtioni eſſe poteſt, Epheſi ne, an Jeroſolymis mortua ſit? Ac vix ſcio, quam in partem dirimi poſſit: cùm ſpuria, & apocrypha ſint ea veteris memoriæ documenta, unde lucis aliquid peti poſſet. Apocryphus enim eſt, & à Gelaſio Summo Pontifice in Concilio Romano confixus *liber, qui appellatur tranſitus, id eſt, Aſſumptio B. Virginis*, Melitoni Sardenſi in Aſia Epiſcopo per ſummam fraudem à Græcis affictus ſæculo quinto. Apocryphus liber *de Divinis nominibus*, cæterique de Cœleſti, & Eccleſiaſtica Hierarchia, ac de Myſtica Theologia Dionyſio Areopagitæ pari audacia ſuppoſiti eodem vertente ſæculo. Apocryphus liber, ſeu *Sermo de Aſſumptione* ab aliquibus Hieronymo, in cujus appendicibus extat, ab aliis Sophronio illius amico, & familiari affictus; ſed poſt obortas hæreſes, Neſtorianam, & Eutychianam fabricatus. Apocryphi demum ejuſdem Argumenti Sermones Divo Athanaſio, & Divo Auguſtino tributi, & in apocryphorum claſſem ab eruditis quibuſque Criticis amandati. Quæ omnia à Baronio, & Poſſevino ſapienter ſunt obſervata. *Quæ dicuntur de morte, & vita Mariæ: è Nicephoro, & Damaſceno de dormitione ejus: ex Athanaſio de Aſſumptione: (ubi item agitur de Apoſtolis ad mortem illius convolantibus) ex Dionyſio de Divinis Nominibus: ex Hieronymo de tranſitu Mariæ, & de pleriſque hujuſmodi; ea probat Baronius Cardinalis, eſſe aut commenta, aut apocrypha mera: neque verò Athanaſii, neque Hieronymi unquam illa ſcripta fuiſſe.* Poſſevini verba ſunt, tomo 2. Apparatus ſacri in *Maria Virgine*. Ex quibus omnibus priſcæ memoriæ Documentis, pretioſæ mortis adjuncta diſcere licuiſſet, ſi aliqua apud eruditos ſtarent auctoritate, ac fide. Quare, iis nihil ſuffragantibus, aliò confugere neceſſe eſt ut oppetitæ mortis locum, aliaque adjuncta, ſi fieri quidem id poteſt, retegamus.

De Virginis itaque tumulo Jeroſolymis, ut jam communiter creditur, aſſervato nihil unquam auditum ante annum 451. Tunc, ſcilicet, Juvenalis Jeroſolymorum Epiſcopus mortalium primus Marciano, & Pulcheriæ de retegendo, ſicubi foret, Virginis corpore piè ſollicitis, reſpon-

ro ſimul loqui, ut lubet, libetve. At in Diodoro Siculo fidem deſidero; nec id ipſum Apoſtolis iis in caſibus ſuffeciſſet. Ecquis etiam id Apoſtolis primitias ſpiritus habentibus negatum putet, ubi neceſſitas poſtulabat, quod poſtremis hiſce temporibus viris aliquibus Apoſtolicis datum eſt? Hinc Venerabilis Beda ad ea Actuum verba, *Audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus*, addit: *An quia linguis omnibus loquebantur, aut quia ſua lingua loquentes ab omnibus intelligebantur.*

VIII. De cætero, non ſolos Apoſtolos, ſed & reliquos omnes, in Cœnaculo ſedentes: in quos Spiritus S. effuſus eſt, eo perinde linguarum dono fuiſſe cumulatos æquè liquet. 1., quia de omnibus in Cœnaculo poſitis communiter ſcriptum eſt, Act. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu S., & cœperunt loqui variis linguis*. 2., quia aliis in occaſionibus, ubi per manus Apoſtolorum conferebatur Spiritus S., Fideles etiam privati, & ad miniſterium Apoſtolicum minimè deſtinati, quin & ipſi Gentiles ad Chriſtum converſi eo linguarum dono cumulabantur, ut legitur Actor. Cap. 10. *Obſtupuerunt ex Circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus S. effuſa eſt: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*. Quocirca D. Auguſtinus Serm. 186. de tempore Cap. 2. *Omnes, qui aderant* (in Cœnaculo) *unam linguam didicerant. Venit Spiritus S., impleti ſunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nec didicerant. Sed docebat ille, qui venerat, intravit, impleti ſunt, fudit. Et tunc hoc erat ſignum, quicumque accipiebat Spiritum Sanctum, ſubitò impletus Spiritus linguis omnium loquebatur, non illi ſolùm centum viginti. Docent nos Litteræ ipſæ, poſtea crediderunt homines, baptizati ſunt, acceperunt Spiritum Sanctum, linguis omnium gentium locuti ſunt.*

Cur itaque, inquis fortaſſe mihi, Judæi in tanti prodigii admirationem adducti ſucclamarunt: *Nonne omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram illos loquentes?* Soli agitur Apoſtoli variis linguis loquebantur: nam eo Galilæorum nomine deſignant r. Reſponſio in promptu eſt: Ita Judæos admirabundos ſucclamaſſe: quia quamquam Fideles omnes Cœnaculo concluſi, & Spiritu S. perfuſi linguarum donum accepiſſent, ſoli tamen Apoſtoli primo illo impetu foras erumpentes, accepti doni experimentum dedere; utpote verbi duces, ſuſceptæque gratiæ præcones à Chriſto Domino conſtituti. De reliquo tamen alios perinde variis linguis fuiſſe locutos, quæ protulimus teſtimonia, plus ſatis evincunt.

EXER.

EXERCITATIO LXIV.

De Chriſti virtutum, ac prodigiorum Narratione a Pilato ad Tiberium Cæſarem miſſa; deque ejuſdem Apotheoſi apud Senatum Romanum tentata.

I. Viſdum Chriſtus Cœlo redditus erat, ejuſque Divinus Spiritus in Diſcipulos effuſus, cùm virtutum ejus, ac prodigiorum fama longè latèque diffuſa Romam quoque ipſam occupavit. Pilatus Judææ Præſes res, quæ illic contigiſſent magni momenti, ad Cæſarem ſcribere ſolitus, patratorum à Chriſto prodigiorum, Divinarum virtutum, excitationis ipſius à mortuis, novæque ab eo conditæ Religionis narrationem ad Tiberium miſit. Is, perceptis Actis, reque, quantùm licuit, intellecta, retulit ad Senatum, ut & Chriſtus inter Deos, quos Roma coleret, referretur. Renuit Senatus Auguſtus. Cæſar tamen perſtitit in ſententia; Chriſtianoſque ob eam, quam de Chriſto conceperat opinionem, ſingulari benevolentia fovit.

Totum id tamen variis difficultatibus obſtructum eſt: & à nonnullis quidem ex parte, ab aliis ex integro vocatur in controverſiam. Quare, ut ſua dictis veritas conſtet, tria nobis quærenda ſunt: 1. Conſtet ne prorsùs, Pilatum de rebus à Chriſto præclarè geſtis Tiberium Cæſarem monuiſſe: Cæſaremque Chriſti apotheoſim tentaſſe apud Senatum Romanum? 2. Quæ cauſæ, ut renueret, Senatum impulerint? 3. Quid de Epiſtolis, quæ vulgò circumferuntur, à Pilato ea in occaſione ad Cæſarem datis ſentiendum veniat? Quibus ad liquidum perductis plana, expeditaque res erit.

II. Primum, illudque potiſſimum uſque adeò, meo quidem judicio, certum eſt, ut citra ſummam audaciam in dubium verti nequeat; utpote teſtium omni exceptione majorum ſuffragio communitum.

Tertullianus in Apologetico adversùs Gentes Cap. 5. *Apud vos*, inquit, *de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ illic veritatem ipſius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui: Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Et Cap. 21., præmiſſa brevi prodigialium Chriſti geſtorum analyſi, ita ſubdit. *Ea omnia ſupra Chriſto Pilatus & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nunciavit: ſed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi, aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.*

S. Ju-

S. Juſtinus Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, in hæc ipſa Acta à Pilato ad Tiberium miſſa digitum intendit, dum, nonnullis Chriſti prodigiis enarratis, ſubjungit: *Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta, poteſtis.* Tum aliis interjectis: *Et quod iſta fecerit Chriſtus, ex eis, quæ ſub Pilato conſcripta ſunt commentariis, cognoſcere poteſtis.*

S. Lucianus in Deciana perſecutione Nicomediæ Martyr ad eadem illa Pilati Acta videtur Præſidem provocaſſe, dum diceret: *Conſulite Annales veſtros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, media die fugatum Solem, & interruptum diem.* Veriſimile quippe eſt, Pilatum inter tam multa, de quibus ad Cæſarem ſcripſit, portenta, atque prodigia mirabilem illam Solis obſcurationem, quæ Chriſto patiente contigerat, minimè ſiluiſſe. Aliàs obſervari Romæ nequiviſſet; cùm portenta, Chriſto moriente, patrata non ultra Judæam, uti loco ſuo docuimus, patuiſſent, Longè minùs, tacente Pilato, ſciri Romæ potuiſſet, eam obſcurationem qua Chriſtus hora de Cruce pendebat, Jeroſolymis accidiſſe.

Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Cap. 2. Rem totam ſat fusè proſequitur. *Cum per omnem jam locum de Reſurrectione, & mirabilibus Domini Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione ejus ad Cælum ſolix fama loqueretur; ac per omnium aures, beati hujus rumoris volveretur opinio: quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, ſi quid fortè novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi, vel Senatui nunciarent; ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de Reſurrectione à mortuis, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus; & ut poſt mortem, cùm reſurrexiſſet, à quamplurimis jam Deus eſſe crederetur. Tiberius, quæ compererat, retulit ad Senatū. Senatus autem ſpreviſſe dicitur, pro eo quòd non ſibi priùs hujus rei judicium fuerit delatum: ſed auctoritatem ſuam prævenit vulgi ſententia; lex etenim erat antiquitus deſignata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, niſi Senatus decreto atque ſententia confirmatus. Porrò autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne Divina virtus humanis putaretur aſſertionibus indigere. Cùmque ſecundùm ea, quæ ſupra diximus, renuiſſet Senatus; Tiberius tamen tenuit ſententiam ſuam, ut ne quid adverſùs doctrinam Chriſti contrarium moliretur.*

S. Joannes Chryſoſtomus hujus perinde fidem facit Homilia 26. in Epiſtolam 2. ad Corinthios. *Romanorum Senatus hanc poteſtatem habebat, ut Deos crearet, atque conſcriberet. Quippe, cùm res omnes à Chriſto geſtæ nunciatæ ſunt, Romam miſit is, qui Judæorum nationi præerat, ſciſcitans ex ipſis, num eum quoque Deum creare placeret. Id verò illi facere recuſarunt, quòd iniquo, atque infenſo animo ferrent, ante decretum ſuum, atque ſententiam, Crucifixi potentiam affulgentem, univerſum Orbem ad ſui cultum, & venerationem attraxiſſe.*

Hegeſippus, non ille quidem, qui Aniceti, & Eleutherii Romanorum Pontificum temporibus floruit; ſed alter junior, qui, cadente ſæculo quarto, poſt Conſtantini tempora vixit, in Anacephalæoſi librorum ſuorum de excidio Urbis Jeroſolymorum. *Quamvis Pilatus* inquit, *manus laverit dicens: mundus ego ſum à ſanguine juſti hujus, vos videritis; nequaquam tamen minùs extitit reus, qui gloriam Dominicæ Reſurrectionis agnoſcens, prædicare invitus ſtuduit;*

Digitized by Google

duit ; ſed credere perfidus contempſit , ſicut teſtatur ejuſdem Epiſtola Cæſari in hunc modum directa : &c. Tum Epiſtolam ſubiicit, de qua nobis paulò poſt ſermo erit.

Paulus Oroſius lib.7. Hiſtor. Cap.4. *Poſtquam paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum miſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibus virtutibus, quæ, vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant; & de eo, quòd certatim, creſcente plurimorum fide, Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi priùs ſecundùm morem delatum eſſet; ut de ſuſcipiendo cultu priùs ipſe decerneret, cõſecrationẽ Chriſti recuſavit, edictoq; cõſtituit, exterminãdos eſſe urbe Chriſtianos; præcipuè cùm & Sejanus Præfectus Tiberii ſuſcipiendæ Religioni contradiceret, Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorũ mortẽ cõminatus eſt.*

S.Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtor. Cap. 25. factum paucis enarrat: *Pilatus Chriſti geſta ad Tiberium Cæſarem mittit; & ei tam de virtutibus Chriſti, quàm de Paſſione, & Reſurrectione ejus inſinuat. Quæ geſta hodie apud nos retinentur ſcripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recenſuit: quod Senatus cum ita reſpuit pro eo, quòd non ad eum primitus adveniſſet.* Rem poſteris pergratam feciſſet Gregorius, ſi quæ geſta apud ſe ſcripta retinere dixit, publicaſſet: cujus illa coloris ſint probaremus.

Extremum facto, quod hic unicè quærimus, ſigillum ponit Nicephorus Callixtus lib. 2. Hiſtor. Cap. 8. *Conſuetudo jam inde à plurimis annis obtinuerat, ut qui Præfecturas, ac Provincias ſortiti eſſent, res novas, quæ ſub eis accidiſſent, ſingulas ſummum imperium habenti Cæſari ſignificarent, ut illum nihil prorſus rerum lateret. Itaque de Reſurrectione ex mortuis, aliiſque prodigiis Jeſu Chriſti Tiberio Cæſari ſcribens Pilatus, cùm res ejus pleraſque; tum quòd ex mortuis redivivus, ſibique ipſi ſuperſtes, Deus jam à multis, & quidem præcipuus eſſe crederetur, renunciavit. Quamobrem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem non eſſe deliberandum de ea cenſuit, ſub illo quidem prætextu, quòd ille non priùs veteri more, ipſius Senatus ſententia in Deos eſſet relatus: re autem ipſa, quòd Divina doctrina diſciplina humano prorſus non indigeret auxilio. Sed enim etiamſi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejeciſſet, Cæſar tamen in ſententia ſua perſtitit, ſalutarique prædicationi impedimento non fuit.*

III. Sic ſanè ſummi viri per omnem ætatem, à ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo, ad decimum tertium ſummo conſenſu tradiderunt. Iis porrò refragari, ac repugnare velle, annon ſummæ temeritatis eſt, atque audaciæ? Repugnat tamen, ac refragatur hac ipſa ætate noſtra Tanaquillus Faber in Proteſtantium Schola Profeſſor Salmurienſis; Tertullianum ex Actis Pilati apocryphis fabellam hauſiſſe dictitans; quam cæteri deinceps ejus fide deſcripſerint imprudenter, tranſmiſerintque ad poſteros. Scilicet, non advertit imprudens ipſe, Acta Pilati de Chriſti virtutibus ad Tiberium miſſa, ad quæ deinceps Tertullianus, S. Juſtinus, & S. Lucianus, ambo Martyres, Romanos, cæteroſque Ethnicos provocabant, ab iis longè diverſa eſſe, quæ à Maximino Tyranno Chriſtianis infenſiſſimo conficta eſſe, narrat Euſebius lib. 9. Hiſtor. Eccleſ. Cap. 4. plena impietatis, atque blaſphemiæ. Ab iis quoque longè eſſe diſtincta, quibus, ut

Auctor eſt D. Epiphanius Hæreſi 50., Quartodecimani hæretici inſigniter abutebantur: nec ad ea ſummos, quos retulimus, viros digitum intendiſſe: ſed ad illa potiùs, quæ, curante Pilato, à publicis Notariis excepta, Romamque tranſmiſſa, in publicis Archivis ſumma cura, & integra fide ſervabantur. Unde & ad illorum Annales, ad illorum Commentarios, atque Archiva Tertullianus, Juſtinus, Lucianus liberè provocabant. Quis autem putet, illos, & famæ ſuæ, & Chriſtiani nominis gloriæ tam malè conſuluiſſe, ut ad ſpuria inſtrumenta, quæ in Romanorum manibus eſſent, tam fidenter, tam liberè provocarent; quorum falſitatem Romani ipſi tam facilè retexiſſent, nec ſinè Chriſtiani nominis deriſione, atque ludibrio ſuggillaſſent?

Sed nec ab omni veri ſpecie abhorret, uti Tanaquillus obtendit, Tiberium Chriſto, ejuſque Religioni minimè addictum, de illo adeò curaſſe, ut de ejus Apotheoſi retulerit ad Senatum. Quidni enim id eum tentaſſe veriſimillimum ſit; Chriſti quidem, quæ didiſcerat, operum admirabilitate permotum? Certè nec Chriſto, nec ejus Religioni addictus erat Adrianus Imperator: & is tamen, ut auctor eſt Ælius Lampridius Ethnicus ipſe in ejus vita: *Templa ſinè Simulacris juſſerat fieri; quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, in Chriſto Jeſu conſecraret, niſi Sacrorum conſultores deterruiſſent*: veriti nempè ne, ſi id egiſſet Adrianus, ad Chriſti partes relicto idolorum cultu, univerſi tranſirent. Nihilo magis Chriſto, ejuſque Religioni addictus erat Alexander Severus: & hunc tamen *Chriſto templum facere, eumque inter Deos recipere voluiſſe*, idem Lampridius memorat; tametſi nefariis conſiliis circumventus executioni non dederit. Quid ergo, ſimile quidpiam tentaſſe Tiberium, à veri ſpecie prorsùs abhorreat?

Abhorret multò minùs a vero, (qui alter Tanaquilli cavillus eſt) Senatum Romanum reſpuiſſe, quod placuiſſet Tiberio. Ea quippe Tiberius erat animi moderatione, ut ſibi, ſuiſque conſiliis Senatum repugnare, ubi juſta ſubeſſet ratio, moleſtè non ferret. *Quædam*, inquit Svetonius, *adverſùs ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem eſt*. Imò, cùm vocem minùs idoneam, ſeu fortè barbaram inter ſcribendum uſurpaſſet aliquando, quam idcircò honoris gratia uſu impoſterum recipiendam, ac jure Latii donandam aliqui dicerent: Marcum Pomponium Marcellum moroſum verborum exactorem æquo animo tulit liberè pronunciantem: *Tu Cæſar, Civitatem dare potes hominibus, verbis non potes*: ut ſcribit Dio Caſſius Lib. 57. Et mirabimur, Senatum Romanum optatam à Cæſare Chriſti Domini Apotheoſim rejeciſſe, idque tuliſſe Tiberium?

IV. Mirabimur longè minùs, ſi quæ Senatum Romanum, ut repugnaret, rationes impulerint, perpendamus. Quod caput eſt ſuſceptæ diſputationis alterum.

Prima à Patribus paulò ante laudatis diligenter obſervata, iſta fuit: quòd antea Chriſto Domino Divini honores delati fuiſſent, quàm integra ad Senatum delata res eſſet. Quare præreptum ſibi Sacrorum honorum decernendorum auctoritatem cùm ferret ægerrimè, Apotheoſim à Tiberio licèt optatam decernere noluit. Altera, quòd, niſi cæteris Gentium Diis ſua ſede pulſis, Jeſus ſolemni Apotheoſi conſecrari non poſſet:

ſet: quippe qui ſolus coli vellet; nemin:mque Divinorum honorum conſortem pateretur. Tertia, quòd Chriſtum cernerent, paupertatis, humilitatis, patientiæ aſſertorem: quibus omnibus nil magis Romano Imperio, quod armis ſtabat & opibus, contrarium videbatur. Quarta; quòd externa Sacra recipi vetuiſſet non ita pridem Senatus Auguſtus, ut eſt apud Titum Livium lib. 39. Quinta, quòd infami ſupplicio Chriſtus fuiſſet affectus, Judæis quidem popularibus ſuis inſtantibus, atque urgentibus; at viro Romano Sententiam pronunciante. Quibus tamen omnibus, ut ad negandam Chriſto Domino Apotheoſim rationibus moverentur, Divini judicii ſapientia fecit: ne Chriſtus falſorum Numinum inſtar, Divinitatem ab hominibus precario videretur accipere: neve Chriſtiana Religio toto Orbe propè diem diffundenda Senatus Romani judicio, atque præſidio tuta, ejuſdemque auctoritate propagata cenſeretur.

V. Reſtat, ut de Epiſtolis videamus, quæ à Pilato ad Tiberium nunc temporis datæ referuntur: quas ſpurias, ac pro arbitrio à quibuſdam nebulonibus fictas nullus dubitat. Harum tria producuntur exempla, quorum falſitas, ſuppoſitio, notheia in ipſos incurrit oculos. Primum, illudque pervetuſtum, *Claudio* inſcriptum exhibet Hegeſippus in Anacephalæoſi librorum ſuorum, de Excidio Jeroſolymorum, quarto cadente Chriſtiani nominis ſæculo: ex quo illud tranſcripſit Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 34. Alterum in eumdem omninò ſenſum elegantioribus tamen verbis *Claudio Tiberio Neroni Imperatori* inſcriptum refert Sixtus Senenſis, lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ; *in vetuſtis*, ut præmonet, *Bibliotheca Vaticana monumentis repertum*. Tertium in lucem edidit Florentinus in Notis, & Exercitationibus ad Apoſtolorum indiculum: quod à *Notatore quodam*, ut ait, *in antiqua pagina cum aliis memoratu dignis circa annum* 1480. *ſcriptum* invenit à ſuperioribus exemplis, & verbis, & ſenſu longè diverſum. Quod, quia à viris hodie eruditis melioris aliquanto notæ judicatur, integrum ſubjicere non pigebit. Eſt igitur hujuſmodi apud Florentinum loco laudato pag. 113.

Pilatus Tiberio Cæſari Salutem. De Jeſu Chriſto, quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Verum hercle ita pium, ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura eſt. Sed mirus extitit populi conatus, omniumq; Scribarum, & Seniorum populi conſenſus, ſuis Prophetis, & more noſtro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis Legatum crucifixere: ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus. Vigent illius Diſcipuli opere, & vita continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi. Niſi ego ſeditionem populi propè extuantem pertimuiſſem, fortaſſe adhuc nobis ille vir viveret. Etſi tua magis dignitatis fide compulſus, quàm voluntate mea adductus pro viribus non reſtiterim. Sanguinē juſtum totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate iniquè in eorum famem (ut Scriptura interpretantur) exitium pati, & verecundari. Vale. Quarto nonas Aprilis.*

VI. In ſingulis tamen Epiſtolarum exemplis, ſeu Hegeſippi, ſeu Sixti, ſeu demum Florentinii aperta ſunt falſitatis, & ſuppoſitionis indicia. Vel enim iis ipſis Epiſtolis conſtant Acta integra a Pilato ad Tiberium

priores ad Tiberium Epiſtolas deſtinaſſe: *De Chriſto* Jeſu, inquit, *quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt. Virumhercle ita pium, ac ſincerum ulla unquam ætas habuit, aut habitura eſt.* Quod ſcripſiſſe Pilatum, nemo ſibi facilè in animum inducet. Si enim talem Jeſum Tiberio datis antea litteris declaraſſet, incredibile omninò eſt, eum tam citò, ac ne ſpectato quidem reſcripto, importunis Judæorum querelis, atque clamoribus ceſſurum fuiſſe, ut acerbum de illo Judæi ſupplicium ſumerent. Imò qui illum à morte liberare tantoperè cupiebat, eo præſertim obtentu expectandi reſcripti Cæſarei, cauſam ſaltem traxiſſet in longum; non hac ipſa die, qua cœpta eſt, lata ſuis in gratiis ſententia finiviſſet. Addit ſubinde Pilatus: *Judæos veritatis Legatum crucifixiſſe, ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus.* At qui Philoſophi Jeroſolymis aderant, qui ea de re judicium ferrent? Attendit haud dubiè Epiſtolæ fabricator ad vulgatum Dionyſii verbum, qui Solem, quo tempore penderet Chriſtus, præter naturæ leges obſcuratum cernens exclamaſſe fertur, *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvitur.* At id, præterquam à recentioribus dumtaxat eſt traditum, vertiturque in dubium, Athenis tamen à Dionyſio dictum fertur, non Jeroſolymis: cujus idcircò notitiam Pilatus, dum ſcriberet, nullam habuit. Subjungit: *Vigent illius Diſcipuli opere, & vitæ continentia Magiſtrum non mentientes, imò in ejus nomine beneficentiſſimi.* Nempe ad prodigia ab Apoſtolis in hominum beneficium patrata alludit: qualia tamen nulla ante illapſum Spiritus Sancti ſunt facta. Et tamen, ſi Superis placet, data notatur Epiſtola *quarto Nonas Aprilis*, diu antequam in Apoſtolos Spiritus Sanctus illaberetur. Proſequitur Epiſtolæ quiſquis eſt Auctor: *Niſi ego ſeditionem populi extuantem pertimuiſſem, fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret.* Certè de Chriſto extincto, ac nondum a mortuis excitato iſta dicuntur: de viro enim ad vitam reduce nemo ſic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epiſtola, ad vitam redierat Chriſtus; ſi, quod habet communis Eccleſiæ Traditio, die vigeſima quinta Martii in Crucem eſt actus: aut certè nondum ſecunda Aprilis die extinctus erat, ſi, quod nonnulli ætatis noſtræ Chronologi putant, die dumtaxat Aprilis quarta ſuffixus eſt. Quocumque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epiſtolæ fabricator. Nec eſt, quod quis nobis obtrudat, ſecundam illam Aprilis diem, qua data perſcribitur Epiſtola, ſequentis anni eſſe, non illius, quo paſſus eſt Chriſtus: eaque idcircò verba *fortaſſis adhuc nobis ille vir viveret*, Chriſti ad Superos aſcenſum ſubindicare. Ecquis enim credat, Pilatum ſuam illam de rebus à Chriſto præclarè geſtis, denique nova ab eo inducta Religione narrationem, in annum alterum diſtuliſſe? Cùm tanti Cæſaris intereſſet, iſta reſcire: ut ſi quos fortè motus exciret nova per Chriſtum inducta Religio, prudentia ſua ſedaret, atque compeſceret. Supereſt Epiſtolæ poſtrema periodus ſenſu vacua: *Sanguinem juſtum, totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate mi-*

quì in eorum famen (ut Scriptura interpretantur) exitium pati, & verecundari. Quod tamen, non ipſi Epiſtolæ fabricatori, ſed antiquæ paginæ à Notatore deſcriptæ vitio tribuendum exiſtimo.

Rejiciendæ ſunt itaque, & ad quiſquilias amandandæ, quæ à Pilato Judææ Præſide ad Tiberium datæ feruntur Epiſtolæ: quamquam eum, ſubmiſſis ad Cæſarem Actis, & Inſtrumentis, patratorum à Chriſto prodigiorum fidem facientibus, litteras Actorum comites addidiſſe, veriſimillimum ſit, quæ vetuſtate temporis interierint.

EXER-

EXERCITATIO LXV.

De morte Deiparæ Virginis.

I. Explicatis in hanc diem Chriſti Myſteriis, quibus humanæ ſalutis opus abſolvit, & conſummavit: illud unum ad ſuſcepti inſtituti coronidem nobis ſupereſt explicandum, quo *Virginem* Matrem ad cœleſtem gloriam evocavit. Et quidem, niſi vel mus ariolari, & tabularum more fabulas ludere, nihil eſt aliud, quod de Virgine explicemus; cùm ab illapſu Spiritus Sancti, de quo diximus, cui præſentem adſuiſſe Jeſu Matrem, monet Lucas, Actorum 1. v. 14., nihil ultra geſtorum ejus Sacris in Litteris, Patrumque monumentis habeamus. Quia verò Filii ſui imitatrix Mater Sanctiſſima, nonniſi obita morte, immortalem gloriam eſt aſſecuta: (*oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, Luc. 24.) de ejus morte, quæ & immenſæ quæſtionis eſt, in præſentia dicemus; tum de ejus ad cœleſtem gloriam aſſumptione. Iſthæc porrò quæremus hodie, de quibus contentionis funem ab aliquibus duci video: Sit ne re ipſa mortua? Ubinam, Epheſine, an Jeroſolimis? Quo anno, tùm vitæ ſuæ, tùm Chriſti? Quo genere mortis, martyrio ne, an placido tranſitu? A quibus, & quo apparatu curatum funus? Quæ priùs expedire neceſſe eſt, quàm ad eius in Cœlos aſſumptionem veniamus.

II. De morte Deiparæ primus omnium dubium movit Divus Epiphanius Hæreſi 78., non eam quidem perfractè negans, ſed ut negare, ita affirmare non audens, ob ſilentium videlicet Scripturarum. *Quærant*, inquit, *veſtigia Stripturarum*, (Ex verſione Jani Cornarii) *& invenient utique, neque mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua; neq; an ſepulta ſit, an non ſepulta .... Non omninò definio hoc, & non dico, quòd immortalis manſit; ſed neq; affirmo an mortua ſit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut nequis ad ſuſpicionem veniat carnalium de ipſa rerum. Sive igitur mortua eſt, non novimus; ſive ſepulta eſt, non copulata fuit carni, abſit.* Quàm elumbis ratio illa ſit, qua in eam dubitationem adductus eſt Epiphanius, nemo non videt. Quid enim neceſſe eſt, Deiparæ mortem Sacris in Litteris enarrari, ut hanc ipſi tandem aliquando contigiſſe, fateamur? Quaſi non hoc ſatis ad certam probationem eſſe debeat, quòd tam diſertè, tam luculenter Sacræ Litteræ conteſtentur: *Statutum eſt omnibus hominibus, ſemel mori*, ad Hebræos 9. v. 27. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Pſal. 88. v. 49. Quidve Deiparæ mors in Euangelio narranda erat, quod Chriſti dumtaxat Hiſtoriam continet ad ipſius in Cœlos aſcenſum? Quid in Actorum libro commemoranda, qui Apoſtolorum dumtaxat geſta complectitur; omnium quidem in commune ad diſperſionem uſque; tum ſpeciatim Petri, & Pauli ad annum circiter Neronis quartum, Chriſti verò 62.?

III. Non-

III. Nonnulli Epiphanio ſecutis temporibus audaciores, Deiparæ mortem non modò in dubium vertere, verùm etiam pertractè negare auſi ſunt, quos longo ordine percenſet Franciſcus Macedo Tom. 1. de Clavibus Petri lib. 4. part. 2. de Peccato Originali, Sect. 3., tametſi non omnes iiſdem rationibus adnitantur. Alii quippe, cùm mortem originalis peccati pœnam exiſtiment, quo titulo Virginem ab originali peccato liberam putant, eodem quoque à ſubeundæ mortis neceſſitate prorſus abſolvunt. Alii ab exemplis præſidium petunt, Enochi, Eliæ, ac ipſius etiam Joannis Euangeliſtæ; quos, quia ex hac luce morte non oppetita translatos exiſtimant; ita Deiparam eodem privilegio donatam arbitrantur. Utri pejus argutati ſunt, haud ita facilè definierim. Ac de primis quidem, ut mittam illud Auguſtini Concione 2. in Pſalm. 34., quo vel uno tota illorum ratio in fumum abit: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Adam mortuus eſt propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata:* adhuc tamen, poſita illibata Virginis conceptione, ejuſdemque ab originali peccato immunitate etiam admiſſa, duæ prorſus explicandæ objectæ difficultatis apparent viæ, ab ipſis immaculatæ Conceptionis defenſoribus ultrò tentatæ. Prima eſt, dum ajunt, mortem duplici titulo ſpectari poſſe: primùm, ut eſt humanæ naturæ ex contrariis qualitatibus compactæ nativa conditio: ſecundò, ut eſt ejuſdem naturæ immortalitatis privilegio in ſui creatione donatæ, conſecuta deinde pœna, ex originali peccato: ac propterea Mariam mortem, ut originalis peccati pœna eſt, minimè ſubiiſſe; etſi eam, ut eſt nativa humanæ naturæ conditio paſſa ſit. Quandoquidem Chriſtus ipſe, quem ab originali peccato immunem Catholica Fides docet, nativæ hominis conditioni relictus, progreſſu temporis mutationes ætatum, & mortem ipſam ſeneſcendo ſubiiſſet, judice Auguſtino, lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione Cap. 29. *Quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur, etiam ſeneſcendo, illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus.* Altera ſolvendi nodi via eſt, dum inquiunt: Mortem humanæ naturæ pœnam eſſe ex Adami peccato conſecutam, ut ab ipſo actu admiſſum eſt, non ut eſt transfuſum in poſteros. Ex hoc enim unico actu Protoparentis tota natura immortalitatis privilegio exuta eſt: *In quacumque die comederitis, morte moriemini* Gen. 2., adeoque nihil mirum, ſi etiam morti obnoxia fuerit, in quam hæreditaria illa culpa carnali propagatione transfuſa non ſit.

Cæteri ab Henochi, Eliæ, adhuc etiam & Joannis Euangeliſtæ exemplis momentum petentes exorbitantiùs aberrant. Elias enim, & Henoch in Cæleſtem patriam vitæ, & ſenſuum integri translati non ſunt, ſed in terreſtrem locum aliquem mortalibus impervium, quem ob ſui amænitatem Paradiſum de more dicunt: ita tamen ut mortem tandem aliquando ſint ſubituri, antequam ad beatam æternitatem, Antichriſto devicto, & ſuperato, perveniant. Nec aliá Joannis Euangeliſtæ ſors erit, ſi (quod Hilario, Ephræmo Antiocheno, Gregorio Nazianzeno, Eliæ Cretenſi, Joanni Damaſceno, Andreæ, & Aretæ Cæſarienſibus, aliiſque nonnullis viſum eſt,) morte non oppetita translatus alicubi vivit, adversùs Anti-

chri-

Chriſtum depugnaturus. Sed hanc falſam opinonem eſſe, ex præpoſtera Chriſti oraculi (Joan. 21. *ſic eum volo manere, donec veniam*) intelligentia derivatam, evincit antiquorum Patrum auctoritas, qui Joannem reipſa mortuum, & Epheſi ſepultum tradiderunt; ut Polycarpus Joannes ipſius diſcipulus, Polycrates Epheſius, Tertullianus, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chryſoſtomus, ipſaque Synodus OEcumenica Epheſina, cujus ſuffragium paulò poſt expendemus.

Nihil igitur eſt, quòd Virginem reipſa mortuam negemus; quam & mortuam profitetur Eccleſia in ſecreta incruenti Sacrificii Oratione, *pro conditione carnis migraſſe* inquiens: necnon in pia illa ſupplicatione ex S. Gregorii Magni Sacramentario petita, quæ in illius Aſſumptionis feſto die, à pleriſque recitatur: *Sancta Dei genitrix Virgo mortem ſubiit temporalem*: & mortuam certiſſimè ponunt illi ipſi mediæ ætatis Scriptores, ac Patres, qui eam corpore ſimul, & animo in Cœlos aſſumptam docuerunt; de quibus nobis prælectione altera ſermo erit.

IV. Illud ut ſummè quæſtioni eſſe poteſt, Epheſi ne, an Jeroſolymis mortua ſit? Ac vix ſcio, quam in partem dirimi poſſit: cùm ſpuria, & apocrypha ſint ea veteris memoriæ documenta, unde lucis aliquid peti poſſet. Apocryphus enim eſt, & à Gelaſio Summo Pontifice in Concilio Romano confixus *liber, qui appellatur tranſitus, id eſt, Aſſumptio B. Virginis*, Melitoni Sardenſi in Aſia Epiſcopo per ſummam fraudem à Græcis affictus ſæculo quinto. Apocryphus liber *de Divinis nominibus*, cæterique de Cœleſti, & Eccleſiaſtica Hierarchia, ac de Myſtica Theologia Dionyſio Areopagitæ pari audacia ſuppoſiti eodem vertente ſæculo. Apocryphus liber, ſeu *Sermo de Aſſumptione* ab aliquibus Hieronymo, in cujus appendicibus extat, ab aliis Sophronio illius amico, & familiari affictus; ſed poſt obortas hæreſes, Neſtorianam, & Eutychianam fabricatus. Apocryphi demum ejuſdem Argumenti Sermones Divo Athanaſio, & Divo Auguſtino tributi, & in apocryphorum claſſem ab eruditis quibuſque Criticis amandati. Quæ omnia à Baronio, & Poſſevino ſapienter ſunt obſervata. *Quæ dicuntur de morte, & vita Mariæ: è Nicephoro, & Damaſceno de dormitione ejus: ex Athanaſio de Aſſumptione: (ubi item agitur de Apoſtolis ad mortem illius convolantibus) ex Dionyſio de Divinis Nominibus: ex Hieronymo de tranſitu Mariæ, & de pleriſque hujuſmodi; ea probat Baronius Cardinalis, eſſe aut commenta, aut apocrypha mera: neque verò Athanaſii, neque Hieronymi unquam illa ſcripta fuiſſe*. Poſſevini verba ſunt, tomo 2. Apparatus ſacri in *Maria Virgine*. Ex quibus omnibus priſcæ memoriæ Documentis, pretioſæ mortis adjuncta diſcere licuiſſet, ſi aliqua apud eruditos ſtarent auctoritate, ac fide. Quare, iis nihil ſuffragantibus, aliò confugere neceſſe eſt ut oppetitæ mortis locum, aliaque adjuncta, ſi fieri quidem id poteſt, retegamus.

De Virginis itaque tumulo Jeroſolymis, ut jam communiter creditur, aſſervato nihil unquam auditum ante annum 451. Tunc, ſcilicet, Juvenalis Jeroſolymorum Epiſcopus mortalium primus Marciano, & Pulcheriæ de retegendo, ſicubi foret, Virginis corpore piè ſollicitis, reſpon-

diſſe fertur, Marianum ſepulcrum Gethſemani juxta Jeroſolymam ſitum eſſe; inane tamen, ac vacuum. At fertur datum illud Juvenalis Reſponſum, non tamen certò liquet: cujus teſtis omnium primus producitur Euthymius Hiſtoricus ignoti nominis Scriptor, ac tota retrò antiquitate ignoratus; ex quo tamen uno Joannes Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Nicephorus Callixtus, aliique mediæ ætatis Scriptores narrationem hanc totam mutuati ſunt, atque ad poſteros tranſmiſerunt. Nec, ſi quid hujuſmodi Marciano reſpondit Juvenalis, integram illicò fidem facit; quem lubricæ fidei virum, turbarum in latrocinio Epheſino excitatum incentorem, variorum criminum rerum, & falſatorem inſtrumentorum manifeſtum dicunt, S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Pontifex.

Et quidem D. Hieronymus, qui magnam vitæ partem Jeroſolymis egit, & D. Epiphanius non longo inde locorum ſpatio disjunctus; cùm ſacra Paleſtinæ loca, & diligenter, & curioſè deſcripſerint, nihil unquam de Virginis tumulo vel obiter inſinuarunt: uti nec Euſebius, Theodoretus, & Sozomenus. Quin etiam Leo Magnus, deſtinatis ad Juvenalem Epiſtolis, anno poſt datum, ut fingitur, Marciano reſponſum circiter tertio, nihil de Virginis ſepulcro omninò habet; quamquam de ſacris Jeroſolymorum locis Fidelium cultu, ac religione frequentatis, agat ex inſtituto. Adeò, ſcilicet, ſubleſtæ fidei eſt, quod vulgò jactatur datum à Juvenali Marciano, & Pulcheriæ reſponſum de Virginis ſepulcro Jeroſolymis aſſervato. Aut, ſi ita reſpondit, falſa dedit, dum verba dedit.

V. Quare Epheſi mortuam Virginem, ac ſepultam, veriſimiliùs exiſtimaverim, ob luculentum Concilii OEcumenici, ibidem anno 431. celebrati, teſtimonium in Epiſtola Synodica ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, ubi Neſtorium in urbe Epheſi damnatum ſcribunt, *in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria.* Qua loquendi formula nihil aliud ſignificatum voluere, quàm Joannem Theologum, & Virginem Deiparam illic eſſe; ſubintellecto, ſcilicet, verbo *eſt*; quod juxta Græcæ, & Latinæ Grammaticæ leges, non modò ſubintelligitur, commodè, verùm etiam eleganter: illic verò eſſe, utique inhumatos; cùm alio tunc modo illic eſſe non poſſent. Quod enim reponunt aliqui, mutilam eſſe Synodi phraſim, ſupplendumque, *aliquando habitarunt*; aut *ſacras ædes habent*; aut *magno in honore ſunt*; at alius planè reddatur ſenſus; frivolum eſt: cùm textus mutilationem, & depravationem nullis productis Codicibus probent: contra verò nulla fingenda ſit mutilatio, ut verbum *eſt*, pro Græci, & Latini idiomatis uſu ſubintelligatur.

Ad hæc: Idem de Deipara, ac de Joanne ea phraſi ſignificatum voluere Epheſini Patres: at liquet planè, ſignificare illos voluiſſe verbis illis, Joannem illic eſſe inhumatum, ac non tantùm illic *aliquando habitaſſe*, aut illic *ſacram Ædem, ſeu Templum habere*, aut *magno illic in honore eſſe*: cùm Joannem illic inhumatum eſſe, ſuumque ſepulcrum habere alia Sacræ Synodi monumenta conteſtentur. Cœleſtinus enim, data ad Epheſinos Patres Epiſtola, illos ipſos hortatur; ut Joannis documentis firmiter hæreant, *cujus reliquias præſentes venerantur*. Orientales etiam, qui eò convenerant,

nerant, Epiſcopi conqueruntur, factam ſibi moram; ne Martyrum ſepulcra, ac ipſius Joannis Evangeliſtæ deoſcularentur.

Præterea: Si Epheſi Deipara aliquando habitavit, Joannem utique ſecuta, qui eam in ſua officia & obſequia receperat: quod alii non ægrè concedunt: quid tam naturale eſt, quam ut illic quoque mortua ſit, ac ſepulta? Cùm & tunc ultimum vitæ cardinem premeret; nec niſi ægrè Jeroſolymam redire poſſet, extremum illic diem obitura. Quod enim ſcribit Epiphanius, Hæreſi 78. *Cùm Joannes in Aſiam inſtituerit profectionem, nuſquam dicit Scriptura, quòd abduxerit ſecum Sacram Virginem, ſed ſimpliciter ſiluit*: non eò tendit, ut factum neget, virginemque, quandiu vixit, Joanni dato ſibi filio adhæſiſſe inficietur: ſic enim cæteris plerìſque Patribus repugnaret, qui Mariam individuam Joannis ſociam agnoſcunt: ſed id in Scripturis prudenti ſilentio preſſum eſſe, ſimpliciter monet Epiphanius, *propter miraculi excellentiam, ut ne ad ſtuporem produceret hominum mentes, ... ac ne quis ad ſuſpicionem veniret carnalium de ipſa rerum*. Quæ tamen ſervati ea de re ſilentii ratio, bona Epiphanii pace dixerim, futilis eſt: quandoquidem alii plerique Apoſtoli pias ſecum, religioſaſque mulieres ſororum loco circumducebant, ut loquitur Paulus 1. ad Corinthios Cap. 9. v. 5., nullaque inde ſiniſtra ſuſpicio oriebatur. Multòque minor de Deipara Virgine, Joannis in conficiendis itineribus ſocia, poterat eſſe ſuſpicio, ob perſpectam ejus omnibus pietatem, religionem, caſtimoniam.

VI. Non eſt hic omittenda objectio, quæ à viro ævi noſtri ſummo, (Natal. Alexand.) ac mihi impensè colendo fit, adversùs Epheſinum Mariæ ſepulcrum. Polycrates, inquit ille, Epheſinorum Epiſcopus in Epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem, quam refert Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 24., ubi magna ſanctitatis lumina in Aſia extincta commemorat, & ſepulta, ac nominatim unam ex Phillppi Apoſtoli filiabus, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, Epheſi requieſcere, & Sanctum Joannem, qui in ſinu Domini recubuit, Epheſi extremum diem obiiſſe; non meminit Deiparæ Virginis: cujus certè meminiſſet eo loci ad Eccleſiæ ſuæ commendationem, ſi illam Epheſi obiiſſe, ac ſepultam fuiſſe noviſſet.

Fateor & ego Mariani ſepulchri meminiſſet Polycrates, ſi ad Eccleſiæ ſuæ commendationem extincta illic magna ſanctitatis lumina commemoraſſet. At non ad id ea dinumeratio, ac recenſio à Polycrate facta eſt; ſed ut illorum exemplo Victori Rom. Pont. palam faceret, Paſcha die 14. Martii celebrari oportere: id enim tunc agebatur: unde facta recenſione ſubjungit: *Iſti ergo omnes diem Paſchæ in die decima quarta Menſis obſervarunt ſecundùm Evangelium, nihil omninò extrinſecùs agentes, ſed Fidei regulam per omnia conſervantes*. Quare cùm breve dumtaxat Epheſi tempus duxerit Virgo Deipara, recenſque illic advena ex hac mortali vita ſublata ſit; adeò ut nullius fortè celebrandi illic Paſchatis occaſio data fuerit, non erat, cur à Polycrate cum aliis Paſcha decimaquarta die celebrantibus laudaretur.

VII. Illud modò quærendum venit: quo anno vitæ ſuæ, tum etiam

Chriſti ſublata ſit: quamquam vereor maximè, ut aliquid certi ſtatui poſſit. Euſebius Cæſarienſis in Chronico, quem ſequitur Baronius in Annalibus, anno Chriſti 48. mortuam Virginem ponit. Nihil tamen hujuſmodi in Græco Scaligeri Textu, probatiſque editionibus legere eſt. Ut ſileam, nonniſi futiles, inaneſque revelationes in hujus epochæ definitionem obtrudi, in hac ipſa Euſebii male ſuta laſcinia; quæ nugivendum potiùs ſapiant, quàm Euſebium. Andreas Cretenſis, nullo diſtinctè anno definito, Virginem extrema jam ſenectute affectam ex hac luce ſublatam ſcribit, oratione 1. in Dormitione S. Mariæ: *Ferunt*, inquit, *ubi ad extremam deveniſſet ſenectutem, migraſſe ab humanis*. At jactatur ab eo fama ſinè capite. Aliunde verò in Scriptore cadentis ſæculi ſeptimi, nemo fidem in ea re ſtatuenda, ac definienda non deſideret. Deſiderabit multò magis, quiſquis ſapit, in D. Antonino poſtremæ ætatis Scriptore, mortuam Virginem aſſerente anno ipſo Chriſti in Cœlos recepti, 3. par. tit. 19. Cap. 11., nondum enim tunc temporis in varias Orbis regiones Apoſtoli diſperſi erant. Quotquot Pſeudo-Melitonis, & Pſeudo-Dionyſii lucubrationes genuinas habent, & Dionyſium Areopagitam unà cum Apoſtolis Deiparæ Virginis morti præſentem adfuiſſe contendunt, mortem differant neceſſe eſt diu poſt annum Chriſti 52., cùm eo dumtaxat anno, prædicante Athenis Paulo, Dionyſius Areopagita Chriſtianam Religionem amplexus ſit. At ut commentitia ruit hiſtoria, ita ruit, quæ illi ſuperſtruitur Epocha.

Quid nos ergo, qui, ablegatis commentis illis, atque fabellis, mortuam Epheſi Virginem diximus, dum illuc unà cum Joanne Evangeliſta viæ ſocia perveniſſet? Quantùm conjicere licet, anno circiter Chriſti 37. mortuam Virginem ponimus: dum, ſcilicet, diſperſis per Orbem Apoſtolis, Joannes primùm ad breve tempus in Aſiam venit, & Epheſinam fundavit Eccleſiam: quam paulò poſt, variis jactatus perſecutionibus, deſerere coactus eſt; donec ſecundò reverſus poſt annum Chriſti 65., ad extremam uſque ſenectutem univerſas Aſiæ Eccleſias fundavit, ac rexit. Hoc porrò Chriſti Domini anno 37. annum vitæ ſuæ 52. numerabat Virgo Deipara; ſi (quod vulgus putat) annos 15. Chriſtum peperit: annum verò 61. agebat; ſi (quod nos cum Cajetano poſuimus) anno ætatis ſuæ 24. Servatorem enixa eſt.

VIII. Jam de genere mortis, quo ſublata eſt, dicam fidentiùs, ac certiùs. Paucis enim mediæ ætatis Scriptoribus exceptis, qui Simeonis prophetico oraculo deluſi, Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Virginem gladio ictam, martyrioque ſublatam commenti ſunt, ut apud Iſidorum legere eſt lib. de vita, & morte Sanctorum Cap. 68., & apud Bedam in Cap. 2. Lucæ: cæteri planè omnes placida morte Virginem obiiſſe conſentiunt: & Simeonis dictum myſticè interpretantur de doloribus animi, quos, Chriſto patiente, Virgo perſenſit. Cujus & hoc luculentum argumentum eſt, quòd gladium, non corpus pertranſiturum dixerit Sanctiſſimus Senex, ſed animam, quæ materiali gladio transfigi nequit. Quotquot etiam Patres Virginem *Martyrum Reginam, ac pluſquam Martyrem* vocavere; ejuſdem dolores ſupra cæteros quoſque Martyres exaggerarunt; momento dumtaxat petito ex doloribus animi, Chriſto patien-

te,

te ac moriente, toleratis: nemo violentam illi mortem perſecutionis gladio illatam aſſeruit: quod utique feciſſent, ſi vetus aliqua mortis martyrio oppetitæ memoria extitiſſet. Quod ſapienter monet Ambroſius lib. 2. in Lucam ad Cap. 2. *Nec littera*, inquit, *nec Hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe*. Placida itaque morte citra dubium ſublata eſt.

IX. A quibus demum, & quo apparatu curatum ſit funus ejus, amplum dicendi argumentum eſſet; ſi Pſeudo-Melitonis, & Pſeudo-Dionyſii memoratos libros, Tractatuſve, atque ſermones *de Aſſumptione*, Athanaſio, Hieronymo, Auguſtino à nebulonibus affictos tranſcribere vellemus: quibus Apoſtoli ex univerſis, quas jam adierant, Mundi partibus ad decumbentis ſtratum acciti, & momento temporis in ſublime elati, & factæ viſionis Angelicæ, & Cœleſtes cantus ad totos tres dies auditi referuntur: idque, quod notandum magis, anno dumtaxat altero poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum; (ſic enim Pſeudo-Meliton ſcribit) quo necdum tempore egreſſos Jeroſolymis, perque varias Orbis partes diſperſos Apoſtolos ſcribit Lucas in Actis Cap. 8. At ut nemo jam eruditorum eſt, qui ſpuria illa, & apocrypha inſtrumenta, (quibus oſcitanter, & inconſideratè mediæ ætatis Scriptores tam multi deluſi ſunt) non rejiciat, & ad quiſquilias non amandet; ſilere de curato funere ſatius eſt, quam pias gerras, ac næniás, à Venerabili Bedâ data opera confutatas, credulis auditoribus occentare. Ac licèt veriſimillimum fateamur, Deum felicem Virginis tranſitum oſtentis, ac prodigiis omnium maximis celebraſſe: id enim illius dignitas poſtulabat, quæ ſolo minor eſt Deo: quæ tamen oſtenta illa fuerint: quæ prodigia, ſilentibus probatis hiſtoriis, ignorare nos ingenuè profitemur.

X. Unum tantùm (ad fabulas, quantum fieri poteſt, procul amovendas) addere non gravabimur: prodigialem illum Apoſtolorum ad Virginis exequias convolantium acceſſum, Pſeudo-Dionyſii ſuffragio, & auctoritate minimè niti: quamquam illius in eo referendo commento nomen oſtentent, Joannes Damaſcenus, & Simeon Metaphraſtes in Orationibus de *dormitione Deiparæ*, & Nicephorus Callixtus lib. 2. Hiſtoriæ Cap. 20. Quod enim Capite 3. *de Divinis nominibus* habet Pſeudo-Dionyſius, non de Virginis corpore, ad quod conſpiciendum acceſſerint, dictum eſt; ſed de Chriſti Domini ſepulcro. Indeque natus eſt error: quod *σώματος* pro *σήματος* in Græco Textu legerint laudati Scriptores, & corpus fecerint ex ſepulcro; corpus, ſcilicet, Virginis ex ſepulcro Chriſti Domini. Quæ virorum eruditorum, Claudii Joli, Jacobi Combefiſii, Ludovici Thomaſſini, Tillemontii obſervatio eſt; S. Maximi, & Hincmari Rhemenſium Archiepiſcopi auctoritate roborata, qui *ſepulcrum* diu olim legerunt, non *corpus*; *σῆμα* Græcè, non *σῶμα* En Pſeudo-Dionyſii conceptiſſima verba: *Apud ipſos etiam Pontifices noſtros, qui nomine Divino permoti erant; cùm & nos, ut ſcis & tu, & multi ex ſanctis fratribus noſtris ſepulcri*, (non Corporis) *quod Auctorē vitæ, Deumque recepiſſet, videndi cauſa conveniſſemus; (aderat autem, & Jacobus frater Domini, & Petens, maximum antiquiſſimūq; Theologorū columē) placuiſſetq; eo viſo ab omnibus Pontificibus, ut quiſq; idoneus*

erat,

Digitized by Google

erat, infinita potentia præditam bonitatem Divinæ imbecillitatis laudari. Quæ verba de viſo Chriſti ſepulcro, non de viſo Deiparæ corpore eſſe intelligenda ipſa etiam rei ratio poſtulat; quamquam nulla ſummorum virorum ſuffragaretur auctoritas. Quid enim eſt, quòd eo viſo laudaſſe dicuntur Apoſtoli *bonitatem Divinæ imbecillitatis*; niſi quòd aſſumptæ a Deo imbecillitatis fuit, quòd mortuus ſit Chriſtus, atque adeò ſepultus? *Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit in virtute.* 2. Cor. 13. v. 4.

Imò tametſi *corpus*, non *ſepulcrum*, σῶμα, non σῆμα, in ea Pſeuo-Dionyſii laſcinia legeremus; non illicò ad Deiparæ extremè decumbentis corpus neceſſariò trahendum eſſet; ad quod viſendum Apoſtoli toto jam Orbe diſperſi, ingenti portento convolarint: ſed ad ipſum Chriſti Domini corpus multò certiùs traheretur; ad quod poſt peractam Reſurrectionem contuendum, Apoſtoli cum aliis pleriſque Fidelibus acceſſerunt, ut de patrato miraculo proprio oculorum experimento certiores fierent; Hanc enim loci hujus expoſitionem, uti præ cæteris congruentem dedit Doctor Angelicus; qui pro ætatis ſuæ genio librum illum Magni Areopagitæ eſſe credidit, & commentariis illuſtravit. *Dico ergo primò, quòd ipſe Dionyſius ſimiliter cum Timotheo, & ipſo Jerotheo, & multis aliis ſanctis fratribus convenerunt apud Apoſtolos ad videndum Corpus ejus, qui eſt principium totius vitæ, & quod ſuſcepit Deum. Et poteſt intelligi de corporali viſione Chriſti, de qua facit mentionem Apoſtolus, 1. Corinth. 15. v. 6. Corpus enim Chriſti eſt Corpus Dei, qui eſt vitæ principium, & illud Corpus per unionem Deum ſuſcepit: unde & Templum dictum eſt, ſecundùm illud Joan. 2. v. 21. Hoc autem dicebat de Templo Corporis ſui.*

Reſtat, ut de Virginis reſurrectione poſt mortem, ejuſdemque ad cœleſtem patriam Aſſumptione dicamus: quod amplum futuræ Exercitationis argumentum erit.

Digitized by Google

EXERCITATIO LXVI.

De corporea Deiparæ Virginis in Cœlos Aſſumptione.

I. Virginem Dei facti hominis Genitricem placida morte terris ereptam in Cœlos ſtatim aſſumptam eſſe, quis neget, aut vertat in dubium, quam ipſo tranſitu ſuo ſuper Angelorum choros ad Cœleſtia Regna vocatam Catholica profitetur, & colit Eccleſia? In quod intendens D. Bernardus Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes: *Accepti, inquit, ab Eccleſia, illum diem cum ſumma veneratione eſſe colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, Cœlis quoque intulit celebritatem gaudiorum*. Non itaque illud eſt, quod hic vocamus in controverſiam; impii ſi negamus, otioſi ſi quærimus. Verùm quia ex priſco Eccleſiæ, ac Patrum uſu, non una *Aſſumptionis* vocabulo, ſi nihil aliud addideris, notio ſubeſt; iique perinde *in Cœlos aſſumpti* dicuntur, quorum Glorioſa in Cœlos elatio, & ad æternam fœlicitatem commigratio, animo tantùm, non item corpore facta eſt. Sic etenim D. Cyprianus Epiſt. 9. ad Martyres, inſtantem Apoſtoli mortem, ſeu reſolutionem, (de qua is ipſe Epiſt. 2. ad Timot. Cap. 4. *Tempus reſolutionis meæ inſtat*) *Aſſumptionem* interpretatur, & vertit. Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum Cap. 99. *Aſſumptionem S. Aviti* commemorat, qua nimirum in Cœlos aſſumptus eſt. S. Livinus Martyr Deum enixè precatur, ut illos gratiis, ac beneficii cumulet, qui *Aſſumptionis ſuæ diem* devota memoria recoluerint; ut eſt in ejus vita a Bonifacio Moguntino Epiſcopo deſcripta. Parique loquendi formula Conſtantinum Imperatorem ex hac luce ereptum, *ad Deum ſuum aſſumptum* ſcribit Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini Cap. 64. Gorgoniam ſororem *Aſſumptam in Cœlum* dicit Gregorius Nazianzenus in panegyrica illius Oratione. *Aſſumptum temporaliter* fratrem ſuum S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſtola ad Amandum. *Aſſumptum ab Angelis* S. Malachiam Epiſcopum Bernardus in ejus vita. *Aſſumptum omnimodis* D. Laurentium Maximus Taurinenſis in ejuſdem Hiſtoria. *Aſſumptum in requiem Apoſtolorum, & Martyrū* Divum Petrum ſcribit Auguſtinus lib. de Paſtoribus Cap. 11. Quin & ipſe Sanctiſſimus Pater, ac D. Martinus, *Aſſumpti cum Angelis* in ſacris precum Officiis ab Eccleſia prædicantur. Quamquam horum omnium nemo corporis ſimul, & animæ gloriam ſit adeptus. Idcirco quærere juvat, cujus conditionis, & gloriæ fuerit Deiparæ Virginis in Cœlos Aſſumptio: plena ne, integra, cumulata, corpore ſimul, & animo perfecta; an parte ſui altera, quod in Divis reliquis accidit, diminuta?

Cùm etenim ea ſit Juſtorum omnium ſors, atque conditio, ut relicto terris corpore, animis tantùm, cui nihil luendum ſupereſt, addatur Cœlo; nec plena, cumulataque corporis ſimul, & animæ gloria perfruantur, donec generali reſurrectione facta, tota, ut loquitur Apoſtolus,

Hebræ-

Hebræ. 12. v. 23., *Primitivorum Eccleſia* Chriſto jungatur; illud nec inſi- pienter, nec otiosè quæri poteſt: num Virgo Deipara, ſpeciali donata privilegio, è mortuos ſtatim ab obitu excitata, corpore ſimul, & animo in Cœlum aſſumpta ſit; conſummata jam tum fœlicitate potitura? Qua in re, ne tempus vanis proloquiis ludam, ita fidenter pronuncio: Virginem non animo tantùm, verùm etiam corpore in Cœlos fuiſſe aſſumptam; piè, ac religiosè tenendum eſt; nec niſi ingenti temeritate negari hodie poteſt.

II. Eccleſiæ imprimis auctoritate, atque ſuffragio aſſertio nititur: quæ, non modò aſſumptam in Cœlos Virginem celebrat die Auguſti quintadecima, aliiſque ſequentibus; verùm etiam illas D. Joannis Damaſceni, & D. Bernardi Homilias legendas Fidelibus tradit, quæ eamdem corpore ſimul, & animo aſſumptam affirmant verbis omnium diſertiſſimis paulò poſt referendis. In quod intendens Cardinalis Baronius, in Notis ad Maryrologium Romanum ita colligit: *Dei Eccleſia propenſior in eam partem videtur, ut unà cum corpore aſſumpta ſit in Cœlum. Nam in hujus diei celebritate illas Sanctorum Patrum Homilias legendas tradit, quibus ea de Aſſumptione firmantur.* Nititur perinde Sanctorum Patrum mediæ, ac poſtremæ ætatis, necnon inſignium Theologorum ſuffragatione: qui magna ex parte ſe ad eam ſententiam amplectendam, pietate, religione, rectaque ratione adductos diſertiſſimè profitentur.

S. Gregorius Turonenſis, qui primus aſſumptæ Virginis Solemnitatem in Eccleſiam Gallicanam creditur intuliſſe ſexto cadente ſæculo, ſic habet lib. de Miraculis Cap. 4. *Dominus ſuſceptum Virginis corpus ſacratiſſimum in Paradiſum deferri juſſit, ubi nunc, reſumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur.*

S. Andreas Jeroſolymitanus, Cretenſis Epiſcopus, qui eamdem Solemnitatem primus apud Græcos invexit ſæculo ſeptimo, Oratione 2. de Laudibus Aſſumptæ Virginis: *Erat*: inquit, *novum re ipſa ſpectaculum, animiq; rationibus inacceſsũ, Mulierem Cœlorũ naturã munditie ſupergreſſam, Cœleſtium adytorum Sancta corpore penetrare: Virginem Divini partus miraculo ipſa Sorapia ſuperantem, primæ illi naturæ, Deo univerſorũ Creatori propiùs accedere: Matrem vitæ ipſius partu claram, proli conſimilem vitæ exitum nactam eſſe. Quemadmodum enim parientis incorruptus uterus, ita nec morientis diſperdita caro. O res mira! partus incorruptionis expers, nec ſepulcri corruptionẽ admiſit.*

S. Gregorius cognomento Magnus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, in Sacramentario, quod ex Gelaſii codice dicitur collegiſſe, uti ſecutis inde temporibus variis additamentis auctum eſt, hanc pro aſſumptæ Virginis ſolemnitate Orationem recitandam præfigit, quam & Eccleſiæ privatæ nonnullæ in præſentia recitant: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamẽ mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuũ de ſe genuit incarnatũ.* His porro *mortis nexibus*, queis depreſſa non eſt Virgo Mater, quid verius, certiuſque, quàm corporis reſolutionem, corruptionemque intelligamus; quas ipſa triumphali in Cœlos aſcenſu devitavit? Quòd enim *mortis nexibus* peccata intelligi, dicunt aliqui, levitatis plenum eſt. Illos enim *mor-*

tis

Digitized by Google

tis nexus Gregorius intelligit, qui cæterorum Juſtorum mortem communi lege conſequuntur: quis verò peccata Juſtorum mortem conſequi ſibi fingat; cùm potiùs morte ipſa fœlicē quamdā impeccantiā Juſti quilibet ſortiantur?

S. Ildephonſus Toletanus Epiſcopus Serm. 6. de Aſſumptione: *Nec ſanè illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur; eam hodierna die ad Cœli palatia corporaliter fuiſſe ſublevatam.*

S. Joannes Damaſcenus Oratione 2. de Dormitione Deiparæ: *Cujus in partu*, inquit, *incolumis Virginitas manſit, eadem è vita migrante, corpus ita conſervatum eſt, ut non diſſolutum, ſed ad præſtantiorem, & diviniorem ſortem, quæque non jam morte interrumpatur, verùm in infinita ſæculorum ſæcula perduret, translatum ſit ...... Nec corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum eſt: verùm in Cœlo, ac regiis ſedibus tu, Regina Domina, hera, & verò Mater, & Genitrix translata es.* Et paulò ante: *Quomodò corruptio invaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? Huic recta, plana, & facilis ad Cœlum parata eſt via. Si enim ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, inquit via, & veritas Chriſtus; quomodo non potiùs Mater cum ipſo erit?*

S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Serm. 2. de Nativitate Virginis: *Credit Chriſtiana pietas, quia Chriſtus Deus, Dei Filius Matrem ſuam glorioſè reſuſcitaverit, & exaltaverit ſuper Cœlos: & quòd B. Joannes Virgo, & Euangeliſta gloriam ejus participare meretur in Cœlis.*

B. Petrus Damiani Serm. de Aſſumptione: *Hæc eſt illa dies, quæ Cœlorum officinas ſublimiori gaudio cumulavit; annua Mundo, Angelis continua, hominnes Angelis, & Angelos hominibus fœlici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filium aſcendentem, & Matrem aſſumptam; videbis aliquid excellentius in Aſcenſione Filii exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Salvator in Cœlum poteſtativæ virtutis imperio, ſicut Dominus, & Creator, Angelorū comitatus obſequio, non auxilio fultus: Aſſumpta eſt Maria in Cœlum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis; quam ſublevabat gratia, non natura...... Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam ſedentem à dextris Domini virtutum, in veſtitu deaurato, in corpore ſemper immaculato, circumdatam veritate, Virtutum multiplicate diſtinctam.*

Pius ac religioſus Auctor libelli de Aſſumptione B. Virginis, inter Apocrypha Auguſtini in Appendice Tomi 9. *Qui in vita præ cæteris illam gratia ſui conceptus honoravit, pium eſt credere, ſingulari ſalvatione eam in morte ſpeciali quoque gratia honoraſſe. Potuit enim à putredine, & pulvere alienum facere, qui ex ea naſcens potuit virginem relinquere.*

S. Bernardus Serm. 1. de Aſſumptione Virginis: *Si Joannis parvuli necdum nati anima liquefacta eſt, ut Maria locuta eſt; quid putamus, quanam fuerit Cœleſtium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata ejus frui preſētia meruerunt? Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie Mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum Cœleſtium legionū proceſſerit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quàm ſerena facie, quàm Divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnē exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Fœlicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo*

Mater applaudebat in gremio. Et Sermone 4. *Tempus loquendi eſt omni carni, cum aſſumitur incorrupti Verbi Mater in Cœlum: nec ceſſare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominibus ſola natura ſupra immortales Spiritus exaltatur in Virgine*. Quæ Bernardi verba, etſi de prima facie haud ita diſerta videantur, ut Virginem corpore ſimul, & animo aſſumptam evincant; evincunt tamen, ſi penitiùs perpendantur. Niſi enim ad violentam figuram totus Melliflui Patris ſermo flectatur; qui fieri potuit, ut in ipſo Cœlorum aditu, Mariæ vocem audirent Angeli, viderent faciem, beataque illius præſentia fruerentur; ipſeque Dei Filius Matris labiis oſcula figeret, Materque viciſſim virgineo gremio applauderet; ſi animo tantùm, non ita tamen corpore in Cœlos Virgo Mater aſſumpta eſt? Cur etiam *omni carni* loquendi, lætandique tempus tunc demum datum Bernardus diceret, niſi quòd Matris Domini carnem tunc demum in Cœlos aſſumptam exiſtimaret? Aut quid *ſolam* tunc *hominis naturam* corpore ſimul conſtantem, & animo, ſupra immortales Spiritus exaltatam in Virgine prædicaret, niſi quòd in Chriſto Domino cœleſtem gloriam aſſecuto, non ſola per ſeſe hominis natura, ſed ut Dei Verbo unita, ſupra omnes immortalium Spirituum choros evecta fuerat?

Hugo a S. Victore lib. 3. Eruditionis Theologicæ, ex Miſcellaneis ſecundi codicis Cap. 125. *Septimum Virginis privilegium eſt, quòd cum corpore ſuo, quantùm credimus, in Cœlo vivit, licèt enim B. Hieronymus* (in Sermone Apocrypho de Aſſumptione) *opiniones ponat, non tamen factum abnuit..... Non impoſſibile Deo fuit, ut illud Divinitatis habitaculum ſingulare corruptioni non ſubjaceat, vel vermibus. Qui enim trium puerorum veſtimenta in camino ignis illæſa ſervavit, corpus Matris propriæ incorruptum ſervare, & voluit, & potuit*.

Petrus Bleſſenſis Sermone 28. de Aſſumptione: *Hodie veriſimile eſt, quòd B. Virgo, & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta eſt, Quod ne alicui veniat prorſus in dubium, auctoritatibus adſtruimus, opinando tamen, non aſſerendo. Hodierna clamat Oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c. Eadem etiam admiratio Angelorum in Aſcenſione Domini dicentium: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, fuit & à Propheta pranunciata de Aſſumptione Virginis: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit velut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Non ſolet autem in Scriptura plenitudo Solis, & Lunæ, niſi corporibus propriè adaptari*. Quod idem *probabili inductione* confirmat integro fermè ſermone.

S. Thomas 3. par. quæſt. 27. art. 2. Virginem in utero ſanctificatam probaturus, argumentum petit a ſimili, ex corporea ejuſdem Virginis Aſſumptione: *Dicendum*, inquit, *quod de Sanctificatione B. Mariæ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica ponitur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sic tamen Auguſtinus in Sermone de Aſſumptione*, (qui tunc ſub ejus nomine ferebatur, etſi ejus re ipſa non ſit) *rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit aſſumpta in Cœlum; quod tamen Scriptura non tradit: ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero*. Quibus verbis corpoream Virginis Aſſumptionem probabili, ac veriſimili argumentatione deductam agnoſcit. Quæ, ut aliàs ad Virginis honorem, & gloriam cedit maximè, poteſt planè, ac etiam debet ex pietatis, ac religionis ſenſu defendi.

Et

Et in 4. Sent. Diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. cùm probandum ſibi ſumat Angelicus Doctor, perfectam Fidelium reſurrectionem ad finem Mundi protrahi debuiſſe; inter objiciendum, argumentum in oppoſitum petit, quòd *piè credatur de B. Virgine, & Joanne Euangeliſta, illorum reſurrectionem ad finem Mundi dilatam non eſſe.* Ad quod reſpondet loco ſecundo, factum id eſſe *ex ſpeciali privilegio, non ex debito conformitatis ad Chriſtum*: atq; ita partem non eſſe cæterorum Fidelium ſortem. Id itaque principii loco ponit Sanctiſſimus Doctor, factam jam Deiparæ reſurrectionem, ejuſdemque corporis in Cœlos Aſſumptionem, ex pietatis ſenſu a Fidelibus credi, *Piè creditur.* Ac demum Opuſculo 8. *Terra*, inquit, *maledictio fuit communis in mulieribus, ſcilicet, ut in pulverem reverterentur. Et ab hoc immunis fuit B. Virgo; quia cum corpore aſſumpta eſt in Cœlo. Credimus enim, quòd poſt mortem ſuſcitata fuerit, & portata in Cælum.*

Durandus Epiſcopus Mimatenſis lib. 7. de Divinis Officiis Cap. 24. *Piè credendum eſt, eam fuiſſe totaliter aſſumptam, animo nimirum, & corpore.*

Claudet Theologorum agmen Dominicus Soto Concilii Trident. Theologus celeberrimus in 4. Sent. Diſt. 43. quæſt. 2. Art. 1. *de Sacratiſſima Virgine*, inquit, *ſi reſurrexit, non eſt dubium, quin in vitam ſempiternam reſurrexerit, qua in Cœlis cum Filio fruitur. Hoc autem Hieronymus eodem Sermone* (ſpurio ſcilicet & apocripho) *ſub dubio reliquit. Jam vero temporum curriculo opinio hæc, ſeu credulitas: quod in corpore, & anima fuerit in Cælum aſſumpta, plurimùm inolevit. Nondum tamen inter Fidei articulos creditu neceſſarios relata eſt; quamvis ſit pientiſſimè credendum: nam in Collecta illius feſti ait Eccleſia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit.* Cui geminum eſt, quod habet Melchior Canus pari eruditionis, ac pietatis fama eodem in Concilio celebris, lib. 10. de Locis Theologicis Cap. 10. *Beatam Virginem non eſſe in Cœlos cum corpore aſſumptam, licèt Fidei minimè adverſum ſit, quia tamen communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.*

III. Piæ, ac religioſæ ſententiæ, de aſſumpto in Cœlos Virginis corpore, tot ſummorum Virorum teſtimonio, ipſiuſq; Eccleſiæ conſenſione, piaque credulitate firmatæ, rationes quoque Theologicæ ſuffragantur: quales tamen in eo argumenti genere ferri poſſunt; ex congruis, videlicet, ductæ. Ubi enim facti res agitur veriùs, quam dogmatis, quæque ex Dei nutu, atque arbitrio pendet unicè; rationes, ut ſchola loquitur, demonſtrantes fruſtra quæſieris.

Prima ex Dei Matris dignitate petitur, qua ſolo Deo minor facta eſt. Quid enim ſacro corpori, in quo, & ex quo Dei facti hominis formata eſt caro, congruat magis, quàm ut nulli pateat corruptioni, diſſolutioni omninò nulli? Quæ Joannis Damaſceni ſuperiùs inſinuata ratio eſt.

Altera ab excellenti virginitate ducitur, qua corpus ſinè corporis corruptione generavit. Quid enim ex communi morientium lege corruptionem carnis incurreret, quæ corruptionem ex communi parientium lege nequaquam incurrit?

Tertia ab excellenti ſupra homines omnes, & Angelos ſanctitate derivatur. Cui totum, & integrum præmium in corporis, & animæ gloria poſitum, ſtatim à morte rependi debuit: ne ſi pars illius altera, ad ex-

Nnn 2 tre-

tremum uſque Judicii diem debita gloria fraudaretur, Angelis Deo interim plena, & integra fœlicitate potiuntibus eſſet inferior.

Quarta ex intima cum Chriſto Filio conjunctione, & conſenſione. Quę etenim Chriſtum præ cæteris Cœlitibus imitata eſt, in hacce mortali vita dum degeret, eidemque intimiùs reliquis omnibus adhæſit corpore ſimul, & animo; nulla demum ſui parte poſt hanc vitam ab illo avelli debuit; ut ubi corpore ſimul, & animo regnat unus, corpore quoque, & animo regnet altera.

Quinta ex filii in Matrem digniſſimam affectu petenda eſt. Quam, cum is ſupra creaturas omnes ſummè dilexerit, nil dubitandum, quin eum illi honoris, & gloriæ gradum in Cœlis dederit, quo reliquos Cælites modis omnibus antecelleret.

Sextam plurique rationem adjiciunt, non ex congruis, ſed ex facto ipſo petitam: Virginiſque Deiparæ corpus elatum in Cœlos idcircò colligunt, quòd nuſpiam terrarum inveniatur. At nolim inde probationem accerſere, ne cauſam aliunde optimam prodere videar potiùs, quam defendere. Quid enim, quòd nuſpiam terrarum Virginis corpus inveniri contingat? Itane argumento id erit, fuiſſe illud in Cœlos elatum, beata illic æternitate ante conſummationem ſæculi potiturum? Quot enim Sanctorum, Juſtorumque corpora eamdem ſortem ſubiere; quæ tamen in Cœlos elata eſſe, nemo unquam affirmaverit? Sed & peculiaris ratio ſubeſſe poſſet; cur Deus ſacrum Virginis corpus, tametſi in terris fortaſſe reſiduum, ignotum mortalibus eſſe vellet. Qualis nimirum in veteri Teſtamento fuit, ut, Moyſe mortuo, *non cognoſceret homo Sepulcrum ejus*, Deuter. ult. ne tanti viri excellentia permoti Hebræi, totque beneficiorum, quibus ab illo affecti fuerant, benè memores, tanquam Divinum aliquod Numen colerent; aut certè majori, quam par eſſet, cultu, atque veneratione proſequerentur. Quæ ratio, ubi de Deipara Virgine agitur, eò graviùs urgeret; quòd infinitis titulis Maria Moyſem antecellat, Mater Dei ſervum, & famulum Dei. Quare, futili probatione relicta, quæ cauſam proderet veriùs, quam defenderet; cæteris unicè ſtandum arbitror: ac tum maximè Sanctorum Patrum, graviorumque Theologorum teſtificationi, ipſiuſque Eccleſiæ ſuffragationi; quæ Virginem Dei Matrem tanto a Chriſto Filio, privilegio auctam, cumulatamque veneratur.

IV. Diſpendium operæ faciam, ſi ſurda aure præteriero objectionem prolixam æquè, ac gravem; quæ adverſùs ſtatutam hactenus aſſertionem ſolet identidem fieri. Patres videlicet aliquot, ſummoſque mediæ ætatis Viros, pietate, ac religione præſtantes, illoſque numero multos, de corporea in Cœlos Aſſumptione dubitaſſe; illoſque certò affirmare non auſos, eo Virginem Matrem donatam fuiſſe privilegio.

Horum chorum ducit S. Epiphanius ſæculo quarto, Hæreſi 78. *Ego*, inquit, *non audeo dicere, ſed cogitans ſilentium mihi impero. Fortaſſis enim alicubi etiam veſtigia inveniremus ſancta illius, ac Beatæ Virginis; ſicut neque invenire datur mortem ipſius. Alicubi enim Simeon dicit de ipſa, & tuam ipſius animā pertranſibit gladius, quo revelentur ex multorum cordibus cogitationes. Alicubi Apoca-*

pocalypſis Joannes dicit, quòd Draco feſtinavit ad mulierem, quæ genuit maſculũ; & datæ ſunt ipſi alæ aquilæ, & Aſſumpta eſt in deſertum, ut ne ipſam acciperet Draco. Fortaſſis autem poteſt de ipſa accipi, & impleri. Non tamen omninò definio hoc. Et non dico, quod immortalis manſit, ſed neque affirmo, an mortua ſit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo relinquit propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut ne quis ad ſuſpici nẽ veniat carnaliũ ac ipſa rerũ. Sive igitur mortua eſt, nõ novimus; ſive ſepulta eſt, nõ copulata fuit carni: abſit.

Sequitur ſæculo ſeptimo S. Ildephonſus Toletanus Epiſcopus paulò ante laudatus, Serm. 6. de Aſſumptione: *Nec ſanè illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur, eã hodierna die à Filio ſuo Domino noſtro JeſuChriſto, ad Cœli corporaliter ſublevatam palatia. Quod licèt pium ſit credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur, dubia pro certis recipere. Verum enim hoc ſit, necne, nos tamen credere convenit, eam Filio ſuo in Cœleſtibus conregnare.*

Succedit ignotus Auctor Epiſtolæ, ſeu Sermonis de Aſſumptione B. Virginis, à multis D. Hieronymo, à quibuſdam Sophronio perperam adſcripti, eodem ſæculo ſeptimo: cujus tamen eò major, graviorque auctoritas habenda eſt, quòd olim in ſolemni precum Officio, die Aſſumptioni ſacro legeretur in Eccleſia Romana; quæ idcircò hoc idem orando profitebatur, quod illo ipſo Sermone continetur: incertam ſcilicet eſſe, dubiamque corpoream Virginis aſſumptionem. *Multi noſtrorum dubitant, utrùm aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimũ corpus ejus inde ablatũ fuerit, vel ubi tranſpoſitum, utrùmve reſurrexerit, neſcitur: quamvis nonnulli aſtruere velint, eam jam eſſe ſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in Cœleſtibus veſtiri. Quod & de B. Joanne Evangeliſta ejus miniſtro, cui Virgini à Chriſto Virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeverant. Quia in ejus ſepulcro, ut fertur, nonniſi manna invenitur, quod & ſcaturire cernitur. Utrùm tamen quid horum melius cenſeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quàm ut aliquid temerè definire velimus auctoritate noſtra, quod non probemus.*

Dubitationem ea de re ſuam palam ſignificavit Venerabilis Beda: qui non modò Pſeudo-Melitonis librum *de Tranſitu Virginis*, data opera confutavit, in Retractatione in Acta Apoſtolorum ad Caput 8. eoſque velut incautos, ac temerarios traduxit, qui illi fidem adjungunt: ſed & hanc brevem notam appinxit Virginis tumulo, qui nunc Jeroſolymis eſſe ferebatur: *In eadem valle Sanctæ Mariæ rotunda eſt Eccleſia, lapideo tabulatu diſcreta, cujus in ſuperioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in orientali plaga: & ad ejus dexteram monumentum vacuum, in quo B. Maria aliquando pauſaſſe dicitur; ſed à quo, & quomodo ſit ablata, neſcitur.* Lib. de locis ſanctis Cap. 6.

Dubius perinde hæſit eruditus, ac pius Scriptor Sermonis de Aſſumptione B. Virginis, qui inter Auguſtinianos extat 35. de Sanctis, cujus hæc verba ſunt: *Hodierna die ad Cœlos aſſumpta fuiſſe creditur Virgo Maria: ſed quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit regna, nulla catholica narrat Hiſtoria. Non ſolùm autem reſpuere apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hæc eadem Eccleſia. Siquidem ſunt nonnulla ſinè Auctoris nomine de ejus Aſſumptione cõſcripta, quæ ut*

dixi,

Chriſti ſublata ſit: quamquam vereor maximè, ut aliquid certi ſtatui poſſit. Euſebius Cæſarienſis in Chronico, quem ſequitur Baronius in Annalibus, anno Chriſti 48. mortuam Virginem ponit. Nihil tamen hujuſmodi in Græco Scaligeri Textu, probatiſque editionibus legere eſt. Ut ſileam, nonniſi futiles, inaneſque revelationes in hujus epochæ definitionem obtrudi, in hac ipſa Euſebii male ſuta laſcinia; quæ nugivendum potiùs ſapiant, quàm Euſebium. Andreas Cretenſis, nullo diſtinctè anno definito, Virginem extrema jam ſenectute affectam ex hac luce ſublatam ſcribit, oratione 1. in Dormitione S. Mariæ: *Ferunt*, inquit, *ubi ad extremam deveniſſet ſenectutem, migraſſe ab humanis*. At jactatur ab eo fama ſinè capite. Aliunde verò in Scriptore cadentis ſæculi ſeptimi, nemo fidem in ea re ſtatuenda, ac definienda non deſideret. Deſiderabit multò magis, quiſquis ſapit, in D. Antonino poſtremæ ætatis Scriptore, mortuam Virginem aſſerente anno ipſo Chriſti in Cœlos recepti, 3. par. tit. 19. Cap. 11., nondum enim tunc temporis in varias Orbis regiones Apoſtoli diſperſi erant. Quotquot Pſeudo-Melitonis, & Pſeudo-Dionyſii lucubrationes genuinas habent, & Dionyſium Areopagitam unà cum Apoſtolis Deiparæ Virginis morti præſentem adfuiſſe contendunt, mortem differant neceſſe eſt diu poſt annum Chriſti 52., cùm eo dumtaxat anno, prædicante Athenis Paulo, Dionyſius Areopagita Chriſtianam Religionem amplexus ſit. At ut commentitia ruit hiſtoria, ita ruit, quæ illi ſuperſtruitur Epocha.

Quid nos ergo, qui, ablegatis commentis illis, atque ſabellis, mortuam Epheſi Virginem diximus, dum illuc unà cum Joanne Evangeliſta viæ ſocia perveniſſet? Quantùm conjicere licet, anno circiter Chriſti 37. mortuam Virginem ponimus: dum, ſcilicet, diſperſis per Orbem Apoſtolis, Joannes primùm ad breve tempus in Aſiam venit, & Epheſinam fundavit Eccleſiam: quam paulò poſt, variis jactatus perſecutionibus, deſerere coactus eſt; donec ſecundò reverſus poſt annum Chriſti 65., ad extremam uſque ſenectutem univerſas Aſiæ Eccleſias fundavit, ac rexit. Hoc porrò Chriſti Domini anno 37. annum vitæ ſuæ 52. numerabat Virgo Deipara; ſi (quod vulgus putat) annos 15. Chriſtum peperit: annum verò 61. agebat; ſi (quod nos cum Cajetano poſuimus) anno ætatis ſuæ 24. Servatorem enixa eſt.

VIII. Jam de genere mortis, quo ſublata eſt, dicam fidentiùs, ac certiùs. Paucis enim mediæ ætatis Scriptoribus exceptis, qui Simeonis prophetico oraculo deluſi, Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Virginem gladio ictam, martyrioque ſublatam commenti ſunt, ut apud Iſidorum legere eſt lib. de vita, & morte Sanctorum Cap. 68., & apud Bedam in Cap. 2. Lucæ: cæteri planè omnes placida morte Virginem obiiſſe conſentiunt: & Simeonis dictum myſticè interpretantur de doloribus animi, quos, Chriſto patiente, Virgo perſenſit. Cujus & hoc luculentum argumentum eſt, quòd gladium, non corpus pertranſiturum dixerit Sanctiſſimus Senex, ſed animam, quæ materiali gladio transfigi nequit. Quotquot etiam Patres Virginem *Martyrium Reginam*, ac *pluſquam Martyrem* vocavere; ejuſdem dolores ſupra cæteros quoſque Martyres exaggerarunt, momento dumtaxat petito ex doloribus animi, Chriſto patien-

te ac moriente, toleratis: nemo violentam illi mortem perſecutionis gladio illatam aſſeruit: quod utique feciſſent, ſi vetus aliqua mortis martyrio oppetitæ memoria extitiſſet. Quod ſapienter monet Ambroſius lib. 2. in Lucam ad Cap. 2. *Nec littera*, inquit, *nec Hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe*. Placida itaque morte citra dubium ſublata eſt.

IX. A quibus demum, & quo apparatu curatum ſit funus ejus, amplum dicendi argumentum eſſet; ſi Pſeudo-Melitonis, & Pſeudo-Dionyſii memoratos libros, Tractatuſve, atque ſermones *de Aſſumptione*, Athanaſio, Hieronymo, Auguſtino à nebulonibus affictos tranſcribere vellemus: quibus Apoſtoli ex univerſis, quas jam adierant, Mundi partibus ad decumbentis ſtratum acciri, & momento temporis in ſublime elati, & factæ viſionis Angelicæ, & Cœleſtes cantus ad totos tres dies auditi referuntur: idque, quod notandum magis, anno dumtaxat altero poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum; (ſic enim Pſeudo-Meliton ſcribit) quo necdum tempore egreſſos Jeroſolymis, perque varias Orbis partes diſperſos Apoſtolos ſcribit Lucas in Actis Cap. 8. At ut nemo jam eruditorum eſt, qui ſpuria illa, & apocrypha inſtrumenta, (quibus oſcitanter, & inconſideratè mediæ ætatis Scriptores tam multi deluſi ſunt) non rejiciat, & ad quiſquilias non amandet; ſilere de curato funere ſatius eſt, quam pias gerras, ac nænias, à Venerabili Bedâ data opera confutatas, credulis auditoribus occentare. Ac licèt veriſimillimum fateamur, Deum felicem Virginis tranſitum oſtentis, ac prodigiis omnium maximis celebraſſe: id enim illius dignitas poſtulabat, quæ ſolo minor eſt Deo: quæ tamen oſtenta illa fuerint: quæ prodigia, ſilentibus probatis hiſtoriis, ignorare nos ingenuè profitemur.

X. Unum tantùm (ad fabulas, quantum fieri poteſt, procul amovendas) addere non gravabimur: prodigialem illum Apoſtolorum ad Virginis exequias convolantium acceſſum, Pſeudo-Dionyſii ſuffragio, & auctoritate minimè niti: quamquam illius in eo referendo commento nomen oſtentent, Joannes Damaſcenus, & Simeon Metaphraſtes in Orationibus de *dormitione Deiparæ*, & Nicephorus Callixtus lib. 2. Hiſtoriæ Cap. 20. Quod enim Capite 3. *de Divinis nominibus* habet Pſeudo-Dionyſius, non de Virginis corpore, ad quod conſpiciendum acceſſerint, dictum eſt; ſed de Chriſti Domini ſepulcro. Indeque natus eſt error: quod σώματος pro σήματος in Græco Textu legerint laudati Scriptores, & corpus fecerint ex ſepulcro; corpus, ſcilicet, Virginis ex ſepulcro Chriſti Domini. Quæ virorum eruditorum, Claudii Joli, Jacobi Combefiſii, Ludovici Thomaſſini, Tillemontii obſervatio eſt; S. Maximi, & Hincmari Rhemenſium Archiepiſcopi auctoritate roborata, qui *ſepulcrum* diu olim legerunt, non *corpus*; σῆμα Græcè, non σῶμα En Pſeudo-Dionyſii conceptiſſima verba: *Apud ipſos etiam Pontifices noſtros, qui nomine Divino permoti erant; cùm & nos, ut ſcis & tu, & multi ex ſanctis fratribus noſtris ſepulcri*, (non Corporis) *quod Auctorē vitæ, Deumque recepiſſet, videndi cauſa conveniſſemus; (aderat autem, & Jacobus frater Domini, & Petrus, maximum antiquiſſimumq; Theologorū columē) placuiſſetq; eo viſo ab omnibus Pontificibus, ut quiſq; idoneus*

erat,

erat, infinita potentia praditam bonitatem Divinæ imbecillitatis laudari. Quæ verba de viſo Chriſti ſepulcro, non de viſo Deiparæ corpore eſſe intelligenda ipſa etiam rei ratio poſtulat; quamquam nulla ſummorum virorum ſuffragaretur auctoritas. Quid enim eſt, quòd eo viſo laudaſſe dicuntur Apoſtoli *bonitatem Divinæ imbecillitatis*; niſi quòd aſſumptæ a Deo imbecillitatis fuit, quòd mortuus ſit Chriſtus, atque adeò ſepultus? *Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit in virtute*. 2. Cor. 13. v. 4.

Imò tametſi *corpus*, non *ſepulcrum*, σῶμα, non σῆμα, in ea Pſeuo-Dionyſii laſcinia legeremus; non illicò ad Deiparæ extremè decumbentis corpus neceſſariò trahendum eſſet; ad quod viſendum Apoſtoli toto jam Orbe diſperſi, ingenti portento convolarint: ſed ad ipſum Chriſti Domini corpus multò certiùs traheretur; ad quod poſt peractam Reſurrectionem contuendum, Apoſtoli cum aliis pleriſque Fidelibus acceſſerunt, ut de patrato miraculo proprio oculorum experimento certiores fierent; Hanc enim loci hujus expoſitionem, uti præ cæteris congruentem dedit Doctor Angelicus; qui pro ætatis ſuæ genio librum illum Magni Areopagitæ eſſe credidit, & commentariis illuſtravit. *Dico ergo primò, quòd ipſe Dionyſius ſimiliter cum Timotheo, & ipſo Jerotheo, & multis aliis ſanctis fratribus convenerunt apud Apoſtolos ad videndum Corpus ejus, qui eſt principium totius vitæ, & quod ſuſcepit Deum. Et poteſt intelligi de corporali viſione Chriſti, de qua facit mentionem Apoſtolus, 1. Corinth. 15. v. 6. Corpus enim Chriſti eſt Corpus Dei, qui eſt vitæ principium, & illud Corpus per unionem Deum ſuſcepit: unde & Templum dictum eſt, ſecundùm illud Joan. 2. v. 21. Hoc autem dicebat de Templo Corporis ſui.*

Reſtat, ut de Virginis reſurrectione poſt mortem, ejuſdemque ad cœleſtem patriam Aſſumptione dicamus: quod amplum futuræ Exercitationis argumentum erit.

EXER-

Google

EXERCITATIO LXVI.

De corporea Deiparæ Virginis in Cœlos Aſſumptione.

I. VIrginem Dei facti hominis Genitricem placida morte terris ereptam in Cœlos ſtatim aſſumptam eſſe, quis neget, aut vertat in dubium, quam ipſo tranſitu ſuo ſuper Angelorum choros ad Cœleſtia Regna vocatam Catholica profitetur, & colit Eccleſia? In quod intendens D. Bernardus Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes: *Accepi*, inquit, *ab Eccleſia, illum diem cum ſumma veneratione eſſe colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, Cœlis quoque intulit celebritatem gaudiorum*. Non itaque illud eſt, quod hic vocamus in controverſiam; impii ſi negamus, otioſi ſi quærimus. Verùm quia ex priſco Eccleſiæ, ac Patrum uſu, non una *Aſſumptionis* vocabulo, ſi nihil aliud addideris, notio ſubeſt; iique perinde *in Cœlos aſſumpti* dicuntur, quorum Glorioſa in Cœlos elatio, & ad æternam fœlicitatem commigratio, animo tantùm, non item corpore facta eſt. Sic etenim D. Cyprianus Epiſt. 9. ad Martyres, inſtantem Apoſtoli mortem, ſeu reſolutionem, (de qua is ipſe Epiſt. 2. ad Timot. Cap. 4. *Tempus reſolutionis meæ inſtat*) *Aſſumptionem* interpretatur, & vertit. Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum Cap. 99. *Aſſumptionem S. Aviti* commemorat, qua nimirum in Cœlos aſſumptus eſt. S. Livinus Martyr Deum enixè precatur, ut illos gratiis, ac beneficii cumulet, qui *Aſſumptionis ſuæ diem* devota memoria recoluerint; ut eſt in ejus vita a Bonifacio Moguntino Epiſcopo deſcripta. Parique loquendi formula Conſtantinum Imperatorem ex hac luce ereptum, *ad Deum ſuum aſſumptum* ſcribit Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini Cap. 64. Gorgoniam ſororem *Aſſumptam in Cœlum* dicit Gregorius Nazianzenus in panegyrica illius Oratione. *Aſſumptum temporaliter* fratrem ſuum S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Epiſtola ad Amandum. *Aſſumptum ab Angelis* S. Malachiam Epiſcopum Bernardus in ejus vita. *Aſſumptum omnimodis* D. Laurentium Maximus Taurinenſis in ejuſdem Hiſtoria. *Aſſumptum in requiem Apoſtolorum, & Martyrũ* Divum Petrum ſcribit Auguſtinus lib. de Paſtoribus Cap. 11. Quin & ipſe Sanctiſſimus Pater, ac D. Martinus, *Aſſumpti cum Angelis* in ſacris precum Officiis ab Eccleſia prædicantur. Quamquam horum omnium nemo corporis ſimul, & animæ gloriam ſit adeptus. Idcirco quærere juvat, cujus conditionis, & gloriæ fuerit Deiparæ Virginis in Cœlos Aſſumptio: plena ne, integra, cumulata, corpore ſimul, & animo perfecta; an parte ſui altera, quod in Divis reliquis accidit, diminuta?

Cùm etenim ea ſit Juſtorum omnium ſors, atque conditio, ut relicto terris corpore, animis tantùm, cui nihil luendum ſupereſt, addatur Cœlo; nec plena, cumulataque corporis ſimul, & animæ gloria perfruantur, donec generali reſurrectione facta, tota, ut loquitur Apoſtolus,

Hebræ-

Hebræ. 12. v. 23., *Primitivorum Eccleſia* Chriſto jungatur; illud nec inſipienter, nec otioſè quæri poteſt: num Virgo Deipara, ſpeciali donata privilegio, è mortuos ſtatim ab obitu excitata, corpore ſimul, & animo in Cœlum aſſumpta ſit; conſummata jam tum fœlicitate potitura? Qua in re, ne tempus vanis proloquiis ludam, ita fidenter pronuncio: Virginem non animo tantùm, verùm etiam corpore in Cœlos fuiſſe aſſumptam; piè, ac religiosè tenendum eſt; nec niſi ingenti temeritate negari hodie poteſt.

II. Eccleſiæ imprimis auctoritate, atque ſuffragio aſſertio nititur: quæ, non modò aſſumptam in Cœlos Virginem celebrat die Auguſti quintadecima, aliiſque ſequentibus; verùm etiam illas D. Joannis Damaſceni, & D. Bernardi Homilias legendas Fidelibus tradit, quæ eamdem corpore ſimul, & animo aſſumptam affirmant verbis omnium diſertiſſimis paulò poſt referendis. In quod intendens Cardinalis Baronius, in Notis ad Maryrologium Romanum ita colligit: *Dei Eccleſia propenſior in eam partem videtur, ut unà cum corpore aſſumpta ſit in Cœlum. Nam in hujus diei celebritate illas Sanctorum Patrum Homilias legendas tradit, quibus ea de Aſſumptione firmantur*. Nititur perinde Sanctorum Patrum mediæ, ac poſtremæ ætatis, necnon inſignium Theologorum ſuffragatione: qui magna ex parte ſe ad eam ſententiam amplectendam, pietate, religione, rectaque ratione adductos diſertiſſimè profitentur.

S. Gregorius Turonenſis, qui primus aſſumptæ Virginis Solemnitatem in Eccleſiam Gallicanam creditur intuliſſe ſexto cadente ſæculo, ſic habet lib. de Miraculis Cap. 4. *Dominus ſuſceptum Virginis corpus ſacratiſſimum in Paradiſum deferri juſſit, ubi nunc, reſumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur*.

S. Andreas Jeroſolymitanus, Cretenſis Epiſcopus, qui eamdem Solemnitatem primus apud Græcos invexit ſæculo ſeptimo, Oratione 2. de Laudibus Aſſumptæ Virginis: *Erat*: inquit, *novum re ipſa ſpectaculum, animiq; rationibus inacceſſū, Mulierem Cælorū naturā munditie ſupergreſſam, Cœleſtium adytorum Sancta corpore penetrare: Virginem Divini partus miraculo ipſa Sorapin ſuperantem, prima illi natura, Deo univerſorū Creatori propiùs accedere: Matrem vita ipſius partu claram, proli conſimilem vitæ exitum nactam eſſe. Quemadmodum enim parientis incorruptus uterus, ita nec morientis diſperdita caro. O res mira! partus incorruptionis expers, nec ſepulcri corruptionē admiſit*.

S. Gregorius cognomento Magnus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, in Sacramentario, quod ex Gelaſii codice dicitur collegiſſe, uti ſecutis inde temporibus variis additamentis auctum eſt, hanc pro aſſumptæ Virginis ſolemnitate Orationem recitandam præfigit, quam & Eccleſiæ privatæ nonnullæ in præſentia recitant: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamē mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuū de ſe genuit incarnatū*. His porro *mortis nexibus*, queis depreſſa non eſt Virgo Mater, quid verius, certiuſque, quàm corporis reſolutionem, corruptionemque intelligamus; quas ipſa triumphali in Cœlos aſcenſu devitavit? Quòd enim *mortis nexibus* peccata intelligi, dicunt aliqui, levitatis plenum eſt. Illos enim *mor-*

tis

tis nexus Gregorius intelligit, qui cæterorum Juſtorum mortem communi lege conſequuntur: quis verò peccata Juſtorum mortem conſequi ſibi fingat; cùm potiùs morte ipſa fœlicē quamdā impeccantiā Juſti quilibet ſortiantur?

S. Ildephonſus Toletanus Epiſcopus Serm. 6. de Aſſumptione: *Nec ſanè illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur; eam hodierna die ad Cæli palatia corporaliter fuiſſe ſublevatam.*

S. Joannes Damaſcenus Oratione 2. de Dormitione Deiparæ: *Cujus in partu*, inquit, *incolumis Virginitas manſit, eadem è vita migrante, corpus ita conſervatum eſt, ut non diſſolutum, ſed ad præſtantiorem, & diviniorem ſortem, quæque non jam morte interrumpatur, verùm in infinita ſæculorum ſæcula perduret, translatum ſit ...... Nec corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum eſt: verùm in Cælo, ac regiis ſedibus tu, Regina Domina, hera, & verò Mater, & Genitrix translata es.* Et paulò ante: *Quomodò corruptio invaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? Huic recta, plana, & facilis ad Cælum parata eſt via. Si enim ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, inquit via, & veritas Chriſtus; quomodo non potiùs Mater cum ipſo erit?*

S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Serm. 2. de Nativitate Virginis: *Credit Chriſtiana pietas, quia Chriſtus Deus, Dei Filius Matrem ſuam glorioſè reſuſcitaverit, & exaltaverit ſuper Cælos: & quòd B. Joannes Virgo, & Evangeliſta gloriam ejus participare meretur in Cælis.*

B. Petrus Damiani Serm. de Aſſumptione: *Hæc eſt illa dies, quæ Cælorum officinas ſublimiori gaudio cumulavit; annua Mundo, Angelis continua, homines Angelis, & Angelos hominibus fælici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filium aſcendentem, & Matrem aſſumptam; videbis aliquid excellentius in Aſcenſione Filii exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Salvator in Cælum poteſtativa virtutis imperio, ſicut Dominus, & Creator, Angelorū comitatus obſequio, non auxilio fultus: Aſſumpta eſt Maria in Cælum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis; quam ſublevabat gratia, non natura ...... Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam ſedentem à dextris Domini virtutum, in veſtitu deaurato, in corpore ſemper immaculato, circumdatam veritate, Virtutum multiplicate diſtinctam.*

Pius ac religioſus Auctor libelli de Aſſumptione B. Virginis, inter Apocrypha Auguſtini in Appendice Tomi 9. *Qui in vita præ cæteris illam gratia ſui conceptus honoravit, pium eſt credere, ſingulari ſalvatione eam in morte ſpeciali quoque gratia honoraſſe. Potuit enim à putredine, & pulvere alienum facere, qui ex ea naſcens potuit virginem relinquere.*

S. Bernardus Serm. 1. de Aſſumptione Virginis: *Si Joannis parvuli necdum nati anima liquefacta eſt, ut Maria locuta eſt; quid putamus, quænam fuerit Cæleſtium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata ejus frui præſētia meruerunt? Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie Mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum Cæleſtium legionū proceſſerit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quàm ſerena facie, quàm Divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnē exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo*

Mater applaudebat in gremio. Et Sermone 4. *Tempus loquendi eſt omni carni, cum aſſumitur incorrupti Verbi Mater in Cœlum: nec ceſſare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominibus ſola natura ſupra immortales Spiritus exaltatur in Virgine*. Quæ Bernardi verba, etſi de prima facie haud ita diſerta videantur, ut Virginem corpore ſimul, & animo aſſumptam evincant; evincunt tamen, ſi penitiùs perpendantur. Niſi enim ad violentam figuram totus Melliflui Patris ſermo flectatur; qui fieri potuit, ut in ipſo Cœlorum aditu, Mariæ vocem audirent Angeli, viderent faciem, beataque illius præſentia fruerentur; ipſeque Dei Filius Matris labiis oſcula figeret, Materque viciſſim virgineo gremio applauderet; ſi animo tantùm, non ita tamen corpore in Cœlos Virgo Mater aſſumpta eſt? Cur etiam *omni carni* loquendi, lætandique tempus tunc demum datum Bernardus diceret, niſi quòd Matris Domini carnem tunc demum in Cœlos aſſumptam exiſtimaret? Aut quid *ſolam* tunc *hominis naturam* corpore ſimul conſtantem, & animo, ſupra immortales Spiritus exaltatam in Virgine prædicaret; niſi quòd in Chriſto Domino cœleſtem gloriam aſſecuto, non ſola per ſeſe hominis natura, ſed ut Dei Verbo unita, ſupra omnes immortalium Spirituum choros evecta fuerat?

Hugo à S. Victore lib. 3. Eruditionis Theologicæ, ex Miſcellaneis ſecundi codicis Cap. 125. *Septimum Virginis privilegium eſt, quòd cum corpore ſuo, quantùm credimus, in Cœlo vivit, licèt enim B. Hieronymus* (in Sermone Apocrypho de Aſſumptione) *opiniones ponat, non tamen factum abnuit..... Non impoſſibile Deo fuit, ut illud Divinitatis habitaculum ſingulare corruptioni non ſubjaceat, vel vermibus. Qui enim trium puerorum veſtimenta in camino ignis illæſa ſervavit, corpus Matris propriæ incorruptum ſervare, & voluit, & potuit.*

Petrus Bleſſenſis Sermone 28. de Aſſumptione: *Hodie veriſimile eſt, quòd B. Virgo, & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta eſt, Quod ne alicui veniat prorſus in dubium, auctoritatibus adſtruimus, opinando tamen, non aſſerendo. Hodierna clamat Oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c. Eadem etiam admiratio Angelorum in Aſcenſione Domini dicentium: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, fuit & à Propheta prænunciata de Aſſumptione Virginis: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit velut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Non ſolet autem in Scriptura plenitudo Solis, & Lunæ, niſi corporibus propriè adaptari*. Quod idem *probabili inductione* confirmat integro fermè ſermone.

S. Thomas 3. par. quæſt. 27. art. 2. Virginem in utero ſanctificatam probaturus, argumentum petit a ſimili, ex corporea ejuſdem Virginis Aſſumptione: *Dicendum*, inquit, *quod de Sanctificatione B. Mariæ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica ponitur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sic tamen Auguſtinus in Sermone de Aſſumptione*, (qui tunc ſub ejus nomine ferebatur, etſi ejus re ipſa non ſit) *rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſis aſſumpta in Cœlum; quod tamen Scriptura non tradit: ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero*. Quibus verbis corpoream Virginis Aſſumptionem probabili, ac veriſimili argumentatione deductam agnoſcit. Quæ, ut aliàs ad Virginis honorem, & gloriam cedit maximè, poteſt planè, ac etiam debet ex pietatis, ac religionis ſenſu defendi.

Et

Digitized by Google

Et in 4. Sent. Diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. cùm probandum ſibi ſumat Angelicus Doctor, perfectam Fidelium reſurrectionem ad finem Mundi protrahi debuiſſe; inter objiciendum, argumentum in oppoſitum petit, quòd *piè credatur de B. Virgine, & Joanne Evangeliſta, illorum reſurrectionem ad finem Mundi dilatam non eſſe.* Ad quod reſpondet loco ſecundo, factum id eſſe *ex ſpeciali privilegio, non ex debito conformitatis ad Chriſtum*: atq; ita partem non eſſe cæterorum Fidelium ſortem. Id itaque principii loco ponit Sanctiſſimus Doctor, factam jam Deiparæ reſurrectionem, ejuſdemque corporis in Cœlos Aſſumptionem, ex pietatis ſenſu a Fidelibus credi, *Piè creditur.* Ac demum Opuſculo 8. *Terra*, inquit, *maledictio fuit communis in mulieribus, ſcilicet, ut in pulverem reverterentur. Et ab hoc immunis fuit B. Virgo; quia cum corpore aſſumpta eſt in Cœlo. Credimus enim, quòd poſt mortem ſuſcitata fuerit, & portata in Cœlum.*

Durandus Epiſcopus Mimatenſis lib. 7. de Divinis Officiis Cap. 24. *Piè credendum eſt, eam fuiſſe totaliter aſſumptam, animo nimirum, & corpore.*

Claudet Theologorum agmen Dominicus Soto Concilii Trident. Theologus celeberrimus in 4. Sent. Diſt. 43. quæſt. 2. Art. 1. *de Sacratiſſima Virgine*, inquit, *ſi reſurrexit, non eſt dubium, quin in vitam ſempiternam reſurrexerit, qua in Cœlis cum Filio fruitur. Hoc autem Hieronymus eodem Sermone,* (ſpurio ſcilicet & apocripho) *ſub dubio reliquit. Jam vero temporum curriculo opinio hæc, ſeu credulitas: quod in corpore, & anima fuerit in Cœlum aſſumpta, plurimùm inolevit. Nondum tamen inter Fidei articulos creditu neceſſarios relata eſt; quamvis ſit pientiſſimè credendum: nam in Collecta illius feſti ait Eccleſia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit.* Cui geminum eſt, quod habet Melchior Canus pari eruditionis, ac pietatis fama eodem in Concilio celebris, lib. 10. de Locis Theologicis Cap. 10. *Beatam Virginem non eſſe in Cœlos cum corpore aſſumptam, licèt Fidei minimè adverſum ſit, quia tamen communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.*

III. Piæ, ac religioſæ ſententiæ, de aſſumpto in Cœlos Virginis corpore, tot ſummorum Virorum teſtimonio, ipſiuſq; Eccleſiæ conſenſione, piaque credulitate firmatæ, rationes quoque Theologicæ ſuffragantur: quales tamen in eo argumenti genere ferri poſſunt; ex congruis, videlicet, ductæ. Ubi enim facti res agitur veriùs, quam dogmatis, quæque ex Dei nutu, atque arbitrio pendet unicè; rationes, ut ſchola loquitur, demonſtrantes fruſtra quæſieris.

Prima ex Dei Matris dignitate petitur, qua ſolo Deo minor facta eſt. Quid enim ſacro corpori, in quo, & ex quo Dei facti hominis formata eſt caro, congruat magis, quàm ut nulli pateat corruptioni, diſſolutioni omninò nulli? Quæ Joannis Damaſceni ſuperiùs inſinuata ratio eſt.

Altera ab excellenti virginitate ducitur, qua corpus ſinè corporis corruptione generavit. Quid enim ex communi morientium lege corruptionem carnis incurreret, quæ corruptionem ex communi parientium lege nequaquam incurrit?

Tertia ab excellenti ſupra homines omnes, & Angelos ſanctitate derivatur. Cui totum, & integrum præmium in corporis, & animæ gloria poſitum, ſtatim à morte rependi debuit: ne ſi pars illius altera, ad ex-

pocalypſis Joannes dicit, quòd Draco feſtinavit ad mulierem, quæ genuit maſculũ; & datæ ſunt ipſi alæ aquilæ, & Aſſumpta eſt in deſertum, ut ne ipſam acciperet Draco. Fortaſſis autem poteſt de ipſa accipi, & impleri. Non tamen omninò definio hoc. Et non dico, quod immortalis manſit, ſed neque affirmo, an mortua ſit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo relinquit propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut ne quis ad ſuſpici nẽ veniat carnalium ac ipſa rerũ. Sive igitur mortua eſt, nõ novimus; ſive ſepulta eſt, nõ copulata fuit carnali: abſit.

Sequitur ſæculo ſeptimo S. Ildephonſus Toletanus Epiſcopus paulò ante laudatus, Serm. 6. de Aſſumptione: *Nec ſanè illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur, eã hodierna die à Filio ſuo Domino noſtro JeſuChriſto, ad Cœli corporaliter ſublevatam palatia. Quod licèt pium ſit credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur, dubia pro certis recipere. Verum enim hoc ſit, nec ne, nos tamen credere convenit, eam Filio ſuo in Cœleſtibus conregnare.*

Succedit ignotus Auctor Epiſtolæ, ſeu Sermonis de Aſſumptione B. Virginis, à multis D. Hieronymo, à quibuſdam Sophronio perperam adſcripti, eodem ſæculo ſeptimo: cujus tamen eò major, graviorque auctoritas habenda eſt, quòd olim in ſolemni precum Officio, die Aſſumptioni ſacro legeretur in Eccleſia Romana; quæ idcircò hoc idem orando profitebatur, quod illo ipſo Sermone continetur: incertam ſcilicet eſſe, dubiamque corpoream Virginis aſſumptionem. *Multi noſtrorum dubitant, utrùm aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimũ corpus ejus inde ablatũ fuerit, vel ubi tranſpoſitum, utrùmve reſurrexerit, neſcitur: quamvis nonnulli aſtruere velint, eam jam eſſe ſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in Cœleſtibus veſtiri. Quod & de B. Joanne Evangeliſta ejus miniſtro, cui Virgini à Chriſto Virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeverant. Quia in ejus ſepulcro, ut fertur, nonniſi manna invenitur, quod & ſcaturire cernitur. Verùm tamen quid horum melius cenſeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quàm ut aliquid temerè definire velimus auctoritate noſtra, quod non probemus.*

Dubitationem ea de re ſuam palam ſignificavit Venerabilis Beda: qui non modò Pſeudo-Melitonis librum *de Tranſitu Virginis*, data opera confutavit, in Retractatione in Acta Apoſtolorum ad Caput 8. eoſque velut incautos, ac temerarios traduxit, qui illi fidem adjungunt: ſed & hanc brevem notam appinxit Virginis tumulo, qui nunc Jeroſolymis eſſe ferebatur: *In eadem valle Sanctæ Mariæ rotunda eſt Eccleſia, lapideo tabulatu diſcreta, cujus in ſuperioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in orientali plaga: & ad ejus dexteram monumentum vacuum, in quo B. Maria aliquando pauſaſſe dicitur; ſed à quo, & quomodo ſit ablata, neſcitur.* Lib. de locis ſanctis Cap. 6.

Dubius perinde hæſit eruditus, ac pius Scriptor Sermonis de Aſſumptione B. Virginis, qui inter Auguſtinianos extat 35. de Sanctis, cujus hæc verba ſunt: *Hodierna die ad Cœlos aſſumpta fuiſſe creditur Virgo Maria: ſed quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit regna, nulla catholica narrat Hiſtoria. Non ſolùm autem reſpuere apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hæc eadem Eccleſia. Siquidem ſunt nonnulla ſine Auctoris nomine de ejus Aſſumptione cõſcripta, quæ, ut*

dixi,

dixi; ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc ſanè pulſantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec aſſumptio ejus cum carne, ut in Apocrypha legitur, in catholica reperitur Hiſtoria. Quibus dicendum eſt, quia ſi Moyſes corpus non invenitur ab homine in terris, cum quo locutus eſt Deus facie ad faciem; illius quærere dementia eſt, per quam idem majeſtatis Deus incarnatus effulſit in terris .... Reſtat ergo, ut homo non mendaciter dicat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus Aſſumptione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundùm Apoſtolum, ſive in corpore, ſive extra corpus ignorantes, aſſumptam ſuper Angelos eam eſſe credamus.

Dubius non abſimiliter hæſit Odilo Cluniacenſis Abbas, Sermone de Aſſumptione, quem manu ſcriptum ſervat Bibliotheca domeſtica: *De ejus meritis, & glorioſiſſima ejus Aſſumptione, Divinæ Legis interpres S. Hieronymus,* (tunc vulgò creditus) *& alii egregii Doctores tanta, & talia potuerunt, & noluerunt dicere, quibus nos non debemus aliquid adjicere.*

Auctor demum Chronici manuſcripti Abbatiæ S. Victoris Pariſienſis, ad calcem Operum Hugonis Victorini: *Utrùm autem B. Virgo aſſumpta ſit cum corpore, an abjerit relicto corpore, multi, ut ait S. Hieronymus, noſtrorum dubitant.*

V. Nec modò privatos Scriptores, atque Doctores de hoc ipſo, quod religioſè defendimus, corporeæ Aſſumptionis privilegio dubitaſſe contendunt adverſæ partis Actores; verùm etiam Eccleſiam ipſam ea in re incertam, atque ancipitem pependiſſe diu, multis oſtendunt. Auctoritate imprimis Martyrologii ab Uſuardo conſcripti, quo pridem Eccleſia Romana, aliæque non paucæ ad multos annos uſæ ſunt, ad diem Auguſti decimam quintam: *Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus ſanctiſſimum corpus, etſi non inveniatur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quò autem venerabile illud Spiritus S. Templum natu, & conſilio Divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere.* Quotquot ergo Martyrologium illud uſurpabant Eccleſiæ, corpoream Virginis Aſſumptionem ignorare ſe ſolemniter profitebantur.

Tum S. Adonis Viennenſis Epiſcopi teſtimonio, lib. de Feſtivitatibus, ubi ſic habet: *Virginis dormitionem decimo octavo Calendas Septembris omnis celebrat Eccleſia; cujus & ſacrum corpus non invenitur in terra, Sed nec D. Moyſis ſepulcrum, quem Sacra Scriptura dicit à Domino ſepultum. Tamen pia mater Eccleſia, quæ ſuis obſervationibus integerrima fide fundata conſiſtit, ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Ubi tamen Venerabile Spiritus S. templum illud, id eſt, caro ipſius Beatiſſimæ Virginis Mariæ Divino natu, & conſilio occultatum ſit, magis elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad ſanctitatem, & vitam Virginis & Matris Domini, Evangeliſtarum teſtimonia; nec de ea quærere ultra, neceſſarium.*

Guiberti quoque Abbatis Novigentini lib. 1. de Pignoribus Sanctorum Cap. 4. *Tanta eſt in totius Eccleſiæ ore pudicitia, ut etiam Matris Domini corpus reſurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet, quòd neceſſariis argumentis*

mentis probari non poſſit . . . . . . Hic tamen, etſi ratio eam ad integrum corpore reſuſcitato glorificatam opportuniſſima undequaque comportet : quia evidentia probamenta non ſuppetunt ; credere quidem de ipſa quidquid glorioſum eſt , etſi facilè poſſumus , neutiquam verò approbare valemus.

Ac demum Notkeri Abbatis Monaſterii S. Galli, in Martyrologio ad diem 18. Calendas Septembris, Uſuardum pene ad verbum exſcribentis, ac tum ſubjicientis : *Hoc certiſſimè cum univerſa Eccleſia, & credimus, & confitemur, quia ſi reverendiſſimum illud corpus : ex quo Deus eſt incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique illius ad deſtructionem Antichriſti reſervatur.* Quibus verbis id ex Eccleſiæ ſententia relinquit incertum, num alicubi in terris ſacratiſſimum Deiparæ corpus.

VI. Abſit tamen à nobis, ut hujuſce argumenti difficultate deterriti terga vertamus. Imò firmiori ſtamus animo; qui laudatorum antea à nobis Patrum, ſummorumque Virorum aſſerrationem pluris facimus, quam productorum ab adverſa parte dubitationem, anxietatem, hæſitationem. Affirmantis enim judicium certum eſt, dubitantis conſilium omninò nullum. Ut ſileam, laudatos à nobis certos Mariani privilegii teſtes, auctoritate, numero, gravitate, dubios, & ancipites vincere : quos in eam maximè dubitationem adduxit ſpurius, & apocryphus D. Hieronymi Sermo *de Aſſumptione*, in ſacris precum Officiis olim legi ſolitus ; quo conceſſa Virginis corpori gloria dubia, & incerta relinquitur. Tantùm creditus Hieronymus apud mediæ ætatis Scriptores auctoritatis obtinuit! Nec melioris eſt notæ, quòd inter objiciendum adjicitur : Eccleſiam ipſam, cum crediti Hieronymi Sermonem inter precum Officia olim recitantem, hoc idem orando profeſſam eſſe, quod illo ipſo Sermone continetur : incertam ſcilicet eſſe, dubiamque corpoream Virginis Aſſumptionem. Sit ita porrò, ac de ipſa tunc temporis dubitarit Eccleſia : ex quo tamen novis à Deo acceptis luminibus, dubitationem excuſſit ; rejectoque ſpurio Sermone, eas Patrum Homilias legere cœpit, quibus corpoream Virginis Aſſumptionem publicè profitetur, & colit ; pietatem quoque noſtram, ac religionem, ut idem profiteamur, atque colamus, inducit. Nec penſanda modò priſtina Eccleſiæ, ſi qua olim fuerat, dubitatio ; ſed hodierna profeſſio, piaque credulitas æmulanda, tenendaque eſt.

VII. Meliori fortaſſe titulo eorum nobis Patrum opponeretur auctoritas, qui Chriſtum ſolum, numquam deinceps moriturum, hactenus ſurrexiſſe, apertiſſimè docent. Si enim Virgo Deipara à mortuis poſt tranſitum excitata, æternam corporis ſimul, & animæ fœlicitatem adepta eſt, ipſa quoque numquam deinceps moritura reſurrexit : cùm æterna ſemel fœlicitate donatum corpus, morti deinceps occumbere nequeat. Ita porrò ſcribit D. Ambroſius lib. 1. Interpretationum moralium in Job Cap. 6. *Ipſe eſt reſurrectio ; ipſe eſt primogenitus ex mortuis ; in quo omnes quidem prærogativā futuræ reſurrectionis accepimus. Solus tamen ipſe adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit.* Cui planè concinit Alcimus Avitus in fragmentis, in Sermone habito die prima Paſchatis : *Chriſtus hactenus ſolus eſt, qui non moriturus reſurrexit ; hoc etiam ſuis poſtmodum largiturus, cùm eos à morte perpetuò victuros*

cturos

ſturos ſuſcitabit. Quocirca illa jam ſecunda lætitia eſt, qua Fideles reſurgunt. Cæterùm primum reſurgendi gaudium primogenito ex mortuis jure debetur.

Sed nec quidquam boni ſucci ex iis Patrum dictis elicias, ad Marianum privilegium reſcindendum. Quid enim jure ſummo uni Chriſto Domino noſtrum omnium reſurrectionis auctori debeatur, ſimpliciter docent Ambroſius, & Avitus: quid verò Virgini Matri ex peculiari privilegio contingere potuerit, non attingunt: nec ut attingerent, quod illic tractant argumentum, poſtulabat. Imò ſi multorum judicio Patrum, Ignatii martyris, Origenis, Euſebii, Epiphanii, de quibus ſat multa diximus loco ſuo, quotquot Sanctorum corpora ſurgente Chriſto ſurrexere, non ultra morti occubuerunt; ſed ad vitam deinceps immortalem, aſcendente in Cœlos Domino, tranſierunt; non unus itaque Chriſtus *reſurrectione perpetua reſurrexit*; ſed & alij longè multi eo donati ſunt privilegio. Porrò ſi tot illi, quidni quoque, multoque meliori titulo Virgo Deipara? Patrum quidem illorum judicio, atque ſententia.

VIII. Nihil eſt itaque quòd eo donatam privilegio negemus Virginem: in quam quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid demum eſt gloriæ, cumulatiſſimè à Chriſto Domino profuſum eſt. Cæterùm quo pacto, qua ve ratione à mortuis excitata ſit Virgo, ut corpore ſimul, & animo tolleretur in Cœlum: num ſtatim atque è vivis exceſſit, num die poſt humationem circiter tertia, an potiùs quadrageſima, definire impoſſibile eſt. Nihil quippe certi ea de re probata narrat Hiſtoria: quidquid verò mediæ ætatis Scriptores, cùm latini, tum Græci ſcripto mandarunt, nonniſi ex Apocryphorum ſomniis ſumptum eſt: quodque dolendum magis; in referendis humationis, & excitationis adjunctis, ſecum invicem pugnant, nec ſatis ex rei dignitate hiſtoriam ſcribunt; ſed nugas identidem miſcent, vix dignas lucubrationibus anicularum. Quare ſilere de his ſatius eſt, quàm certi quidpiam ſtatuere velle; nullo veteris memoriæ, probatæque notæ ſuffragante documento.

IN-

INDEX MATERIARUM.

A

ABGARUS Edeſſæ Rex. Illius Hiſtoria, ejuſque ad Chriſtum datæ Epiſtolæ, & ab eodem reſcriptæ defenduntur. p. 308. & ſeq.
Quæ certa illarum Epiſtolarum epocha? pag. 309.
Cur numquam in Canonem ab Eccleſia relatæ? pag. 313.
Cur Abgarus Scriptoribus Eccleſiaſticis non adſcriptus? pag. 314.
ABRAHAM. Chriſtiani illius veri filii, verumque ſemen. pag. 30.
ADAM Maximus de quo Joſue Cap. 14. v. 15. non protoparens, ſed *Arbea* de gente gigantum. pag. 390
ADRIANUS Imperator Chriſto Jeſu templa conſecrare conſtituit. p. 450.
ÆGYPTUS. Illius idola ac Simulacra ne quaquam everſa, Chriſto illuc ingreſſo. p. 260. & ſeq.
Quandonam primum everſa fugataque illius idololatria, inductaque illùc eximia ſanctitas? p. 263 & ſeq.
ÆTERNUM non ſemper ſacris in litteris durationem ſonat omni fine carentem. p. 29. & 33.
Quibus regulis illius ſignificatum dignoſcatur? p. 29.
ÆTHMALOTARCHA Judæorum quis, quæve illius auctoritas ac poteſtas? p. 98
Perennet ne, ſceptrumque teneat, olimque tenuerit? ibidem.
AGNUS Paſchalis à Chriſto, ejuſque Diſcipulis re ipſa comeſtus, in ultima Cœna. p. 353 & ſeq.
An à ſtantibus comedendus eſſet, Chriſti ætate? p. 359
ALEXANDER Macedo cur à Theophraſto Philoſopho minimè cognitus, ac pro dignitate exceptus. p. 4
ALEXANDER Severus Chriſto templa ponere, eumdemque inter Deos recipere meditatur. p. 450.
ANASTASIA Virgo & Martyr, in Deiparæ puerperio, obſtetricis officio minimè functa. p. 200.
Cur illius memoria agatur in Miſſa ad Auroram die 25 Decemb. ibidem.
ANNA Propheteſſa, quo ſenſu dicta non receſſiſſe de Templo. p. 230.
ANNA mater Deiparæ Virginis incerto gaudet nomine proprio, ſed mixticè tantùm ſignificationis. p. 127 286.
ANTIPATER Herodis magni parens, Idumæus genere, aut certè Aſcalonita, Apollinis Æditius. p. 119. & ſeq.
ANTIPATER Herodis magni Filius, quo ſenſu dicatur occiſus à patre, inter pueros Bethleemitas. p. 286.
APOLLINIS Delphici oraculum; Chriſto nato, non ſiluit: ſed ejus identidem quæſita, dataque reſponſa, utque ad Julianum Apoſtatam. p. 213. & ſeq.
ARBORUM rami quales, & quomodo humi ſtrati, Chriſto Domino Jeroſolymam ingreſſo. p. 337.
ARCHELAUS quandonam à Tiberio Cæſare in exilium pulſus? p. 295.
ARPHAXAD, nullo medio Cainane, genuit Sale. p. 291.
ASCENSIO Chriſti in Cœlum, cur die poſt Reſurrectionem quadrageſimo facta ſit? p. 427.
Quo motu perfecta ſit? ibidem.
Quæ illius cauſa effectrix? p. 428.
Quinam illius fructus? p. 429.
Qua virtute facta? p. 428.
Qua die? p. 429.
An ſub meridiem, incertum. p. 430.
Quinam illius ſpectatores & teſtes? p. 431.
ASINUS & bos è Chriſti naſcentis ſpelunca abiguntur. p. 207 & ſeq.
De aſino & bove heros ſuos, ac dominos cognoſcentibus, Iſaiæ Prophetia explicatur. p. 209 & ſeq.
Aſino ſoli inſedit Chriſtus, non item aſinæ, Jeroſolymam ingreſſus. p. 335 & ſeq.
Vectatio in aſino haud ita ignobilis olim, ut eſt hodie. p. 337.
ASSAMOÆNI cur dicti Machabæi. p. 112.

Illi de Tribu Levi, non de Tribu Juda. p. 112. & ſeq.
Maternum genus ex Juda minimè ducebant. p. 113. 114.
Principatum obtinebant à tota Judaica gente, non à ſola Tribu Juda. p. 114.
De Aſſamonæis, ſeu Machabæis textus obſcurus emendatur, lib. 1. Machab. C. 5. v. 63. p. 113.
ASSUMPTIO vocabulum ſe ſolo ambiguum. p. 463
Virginem Deiparam corpore ſimul & animo in Cœlos aſſumptam eſſe, piè ac religiosè tenendum eſt. p. 464.
Idem adſtruunt rationes congruentes. p. 467.
Quinam de corporea Virginis Aſſumptione dubitarint, quive negarint? p. 468.
Paucorum de ea dubitatio, piæ ac religioſæ ſententiæ nil debet officere. p. 471.
Quomodo, & quanam poſt obitum die ſuſcitata ſit Virgo, & in Cœlum aſſumpta, prorsùs incertum. p. 472.
Liber qui appellatur *Tranſitus*, id eſt, *Aſſumptio B. Virginis*, Apocryphus. p. 457.
Liber de Aſſumptione Divo Hieronymo, vel Sophronio affictus, perindè Apocryphus. p. 457.
Sermones de Aſſumptione Auguſtino, & Athanaſio falſo ſuppoſiti. p. 457.
AUGUSTUS Cæſar ſublimem in aere Virginem non vidit, monente Sibilla. p. 220.
Auguſtus Jani templum ter clauſit. p. 221.
Quod clauſerit Chriſto naſcente, inter miracula minimè reputandum. p. 222.
Apollinem minimè conſuluit, quæ illius ſilentii cauſa eſſet. p. 222. 225.

B

BAPTISMA Joannis quibus de cauſis à Chriſto ſuſceptum. p. 300.
Quo ſæculi anno Chriſtus ſuſceperit, prorsùs incertum. p. 300. 301.
Quo vitæ ſuæ, anno, pariter incertum, ob repugnantes Patrum ſententias. p. 301. 302
Die ſexta Januarii ſuſcepiſſe, ex Eccleſiæ Traditione liquet. p. 302.
In Bethabarà ſuſcepit potiùs, quàm in Bethania. p. 303.
Miracula poſt Baptiſmum patrata, non in ipſo Baptiſmate. p. 303.
BARONIUS refellitur, p. 113. 129. 107. 167. 220. 260. 325. 391. 436.
BASILIDIS & Marcionis inſania, de Simone Cyrenæo Crucifixo, loco Chriſti Domini. p. 369
BENEDICTIO quomodo olim impertiri ſolita. p. 433.
Benedictiones propriæ quo ſenſu à Jacobo Filiis datæ. p. 115.
BRUTA animantia barbararum Gentium Simulacra. p. 43.
Bruta animantia è Chriſti naſcenti præſepio abigendi. p. 207.
BETHLEEM Juda natale Chriſti ſolum prænunciatum. p. 87.
Bethleem duplex diſtinguenda. p. 205.
Micheas & Matthæus de Bethleemo conciliantur. p. 205.
BRUTTIANI, ſeu Calabri cur olim à Romanis infamia notati. p. 391.
Bruttiani Chriſti lictores atque Carnifices, à Pilato adhibiti. p. 391.

C

CÆCILIA Virgo cur potuit, etiam præmiſſo voto Valeriano nubere. p. 176.
CAINAM ſecundæ ætatis prorsùs commentitius, & addititius, in Lucæ Evangelio. p. 291.
CALVINIANI quo ſenſu habere ſe ſacrificium, & Sacerdotium contendant, contra Judæos. p. 21. 22.
Illorùm, & Judæorum diſpar ratio. p. 22.
CANTICUM *Magnificat*, modulata voce & Carmine Virgo non cecinit. p. 196.
CANUS (Melchior) commendatur. p. 2.
CHANAAM quo ſenſu Abrahæ, ejuſque ſemini data, in poſſeſſionem æternam. p. 37.
CHRISTUS *Vide peculiares titulos rerum de Chriſto dictarum Maximè v. Meſſias.*
Chriſtus cur dictus *expectatio Gentium*, à quibus nequidem agnoſcebatur? p. 14.
Chriſtus quo ſenſu tota die flagellatus eſt dictus? p. 50.
Chriſtus quo ſenſu æternum Regnum dicitur poſſidere? p. 51.
Chriſtus non purus homo, ſed homo Deus, ex veteri Teſtamento probatur. p. 52. & ſeq.
Chriſtus frequenter à Prophetis Deus dictus, uſurpato nomine *Jehova*. p. 55. 56.
Chriſti venditio, quartum Iſraelis ſcelus nunquam condonandum p. 59. 105.
Chriſtus quo ſenſu ſimilis Moyſi, quo ſenſu major? p. 59.
Chriſtus quo ſenſu à Deo Cruce derelictus? p. 59.

Chri-

Chriſtus verum ſe Dei filium dixit, non ad optimum. p.60 61.
Chriſtus quo ſenſu extremi judicii diem ſe neſcire dixit, abſque æquivoco. p.64.
Chriſtus quo ſenſu minor Patre, etiam ſecundum Divinitatem? p.65.
Chriſti conceptus Virgini nunciatus ab Angelo. p.171. & ſeq.
Chriſtus nonniſi ad ſalutationis Angelicæ clauſulam conceptus. p.179.
Chriſtus in ipſo Virginis utero conceptus, non in corde. p.182.
Chriſtus quo menſe, qua die, qua hora conceptus? p.176. 216.
Chriſtus quomodo clauſo exivit Matris utero? p.198.
Chriſtus nec prorſus illimis corpore, nec abſque ſecundinis, ex utero natus. p.201
Chriſtus extra Bethleemum natus, in agro ſcilicet ſuburbano. p.206.
Chriſtus in ſpelunca diverſorio conjuncta, terra ſeu ſaxo excavata notus. p.206
Chriſtus natus quali præſepio reclinatus à matre. p.207.
Chriſtus inter bruta animantia minimè reclinatus. p.207. & ſeq.
Chriſtus quo mundi anno natus? p.213.
Quo anno Auguſti, & Herodis. p.214
Quo menſe, quave die menſis? p.215.
Qua hora noctis. p.217.
Num abſente Joſepho? p.217.
Chriſtus ſit ne re ipſa circumciſus? p.227.
Chriſtus qua ratione circumciſus? p.228.
Chriſtus nec in Templo, nec à ſummo Sacerdote circumciſus, ſed à Joſepho, in ſpelunca Bethleemitica. p.229
Chriſti præputium ubi extet in terris, incertum. p.230.
Chriſtus primogenitorum Deo offerendorum lege minimè ſolutus. p.248. & ſeq.
Chriſti quo ſenſu Matris vulvam aperuiſſe naſcendo dicitur, a ſanctis Patribus? p.249.
Chriſtus unde, & quare fugerit in Ægyptum? p.258. 259.
Chriſtus breviùs quàm vulgò creditur in Ægypto commoratus. p.260.
Chriſtus Ægyptum ingreſſus idola & ſimulacra minimè ſubvertit. p.260
Chriſtus quæ primum patrarit miracula? p.264
Chriſti fratres, & ſorores quinam in Euangelio dicti, & quo titulo? p.270
Chriſtus de Tribu Juda, ac de Domo David verè ortus. p.276. & ſeq.
Chriſtus ex Davide ortus, per lineam Salomonis. p.285.
Chriſti parentes anniverſariam peregrinationem, Jeroſolymam ſuſcipere, quomodo potuerint? p.294.
Chriſti reſponſum dolentibus parentibus datum, *quid eſt quod me quærebatis? &c.* exponitur. p.296.
Chriſtus puer puerorum fragilitates ex voluntate, non ex infirmitate paſſus. p.296.
Chriſti infantia quàm putidis fabulis, à ſcriptoribus deturpata. p.297.
Chriſtus ante ſuſceptum publicum miniſterium, artem fabrilem exercuit unà cum Parente Joſepho, & quidem lignariam, ſeu carrucariam. p.298.
Chriſtus quotidiana mendicatione non victitavit. p.298.
Chriſtus à Joanne cur, quando, ubi, & quomodo baptizatus? p.300. & ſeq.
Chriſti quæ oris, quæ corporis forma fuerit. p.316 & ſeq.
Chriſti formà diſtincta & individua prorſus ignota. p.317.
Chriſtus ex facie non inſigniter venuſtus, & elegans. p.317. & ſeq.
Chriſti ſpeciem & formam præ filiis hominum, qualem dixerit David, Patres exponunt. p.317. & ſeq.
Chriſtus ex facie nec turpis, nec deformis. p.320 & ſeq.
Chriſtus pulcher ad mediocritatem ſtatui ſuo, ac miniſterio convenientem. p.322.
Chriſtus quare, quomodo, ubi, & quibus præſentibus, transfiguratus? p.327 & ſeq.
Chriſtus triumphator ingreditur Jeroſolymam: quare, quando, & quomodo? p.333 & ſeq.
Chriſtus Cœnam ultimam quando, ubi, & quomodo celebrat? p.341. & ſeq.
Chriſtus Judaicam Cœnam antea celebrat, quàm Euchariſtiam inſtituat. p.353 & ſeq.
Chriſtus quibus demum ſuppliciis affectus, cui affixus cruci? p.360 & ſeq.
Chriſtus quanti venditus à Juda? p.362.
Chriſtus quo ætatis anno crucifixus? p.387.
Chriſtus die 25. Martii crucifixus, ex Eccleſiæ traditione? p.388.
Chriſtus qua hora crucifixus? p.389.
Chriſtus ſepultus ritu Judaico. p.403.
Chriſtus quomodo & ad quos inferos deſcendit. p.405.
Chriſtus Damnatorum pœnas in inferis non pertulit. p.406.
Chriſtus damnatis ſalutem non attulit. p.407.

Digitized by Google

Chriſtus quando, cur, & quomodo reſurrexit? p. 411. & ſeq.
Chriſtus quomodo tres dies jacuit in ſepulcro? p. 415.
Chriſtus Quando, cur, & quomodo in Cęlum aſcendit? p. 417 & ſeq
Chriſti corpus quomodo in cęlis, & ſupra Celos? p 432
Chriſti virtutum & miraculorum Narrationem Pilatus ad Tiberium mittit. p. 447. & ſeq.
Chriſti apotheoſis à Tiberio Cæſare tentatur apud Senatum Romanum: ſed fruſtra. p. 447 & ſeq
Vide V. *Aſſenſio, Baptiſmus, Corona, Crux, Flagella, Lictores, Meſſias, Pilatus, Reſurrectio, Sepultura, Tiberius, Transfiguratio.*
CIRCUMCISIO miniſterium laicale, non ſacerdotale, aut leviticum. p. 229
In privatis domibus à Patre familias, quandoque à Matre adminiſtrata. p. 229
Quo ſenſu perenne ſignum eſt dicta. p. 29.
COENA ultima qua die a Chriſto Domino non celebrata, quave ritu? p. 341. & ſeq
In ea celebranda, ſtatutum a lege tempus non antevertit Chriſtus. p. 342.
Cęnam Judaicam, ſeu Paſchalem Agnum, Chriſtum non comediſſe, quo anno mortuus eſt, falſum, erroneum, damnatumque ſyſtema eſt. p. 353. & ſeq.
Cęna ultima in cujus domo celebrata? p. 358.
CORONA Chriſti qualis, & quibus ſpinis contexta. p. 365.
CRUX, ſupplicium ex Romanorum formula fuit, non ex ſolemni Judæorum uſu. p. 367.
Crucium formæ longè multæ. p. 371.
Cruci commiſſæ potiùs, quàm immiſſæ Chriſtus affixus. p. 372.
Crux Chriſti an ad quindecim pedes aſcenderet? p. 369.
Crucis ſuppedaneum, & ſe ile à Patribus agnitum. p. 473
Crux Chriſti quibus conſtaret lignis: An non potiùs unica tantùm ligni ſpecie? p. 375.
Cruci erectæ, non ſtratæ humi affixus eſt Chriſtus. p. 376.
Cruci affixus quatuor clavis, non tribus. p. 377.
Cruci nudus omnino affixus & Chriſtus. p. 369.
Cruci affixæ manus ipſæ, non corpus. p. 378.
Crucis ſupplicium ad tempora uſque Conſtantini in uſu fuit. p. 374.

D

DAN Tribus Iſraelitica cur in Apocalypſi prætermiſſa, in recenſione ſignatorum? p. 288.
DANIEL Prophetis adnumerandus, contra Porphyrium. p 84.
Illius de ſeptuaginta hebdomadibus prophetia defunditur, explicatur. p 81. & ſeq.
DAVID à Jacob moriente minimè prænunciatus. p. 98.
Davidi promiſſus Chriſtus, per lineam Salomonis. p. 73. 286.
DIERUM partitio qualis apud Judæos. p. 344
DIONYSII Areopagita vulgatum verbum, de Deo naturæ auctore patiente, dum ſol obſcuratum eſt, commentitium. p. 453.
Illius nomine vulgati libri, & Epiſtolæ rejiciuntur. p. 457.
DONA Spiritus Sancti quæ, & quot? p. 441.
DORIS prior Herodis magni uxor, quo ſenſu popularis dicta? p. 123.
DOROTHÆUS Epiſcopus Tyri, Synopſis de vita & morte Prophetarum auctor non eſt. p. 200.

E

EGESIPPI duo diſtinguendi. p. 448.
Egeſippus junior nil Græcè ſcripſit. p 452.
Ejuſdem de Jacobo minore narratio expendi-tur. p 134.
EDESSA Syriæ Civitas non eſt inexpugnabilis facta à Chriſto D. p 315.
ELIÆ ſchola inter omnes apud Judæos celeberrima. p. 28.
ELISABETH Joannis Baptiſtæ mater quomodo de filiabus Aaron? p. 180.
Eadem à Virgine Deipara ſalutata, prophetiæ ſpiritu donata. p. 195.
EPIPHANIA ſeu Magorum adoratio non ea celebratur die, qua peracta eſt. p. 242.
Ea ſolemnitate Gentium omnium vocationem Eccleſia celebrat. p. 234.
EUDOXIA nullam Dei Matris imaginem ad Pulcheriam miſit. p. 325.

F

FACCIOLATUS (Jacobus) ſtudiorum Præfectus in Seminario Paravino com-

commendatur.
FLAGELLA Chriſto inflicta ex funiculis no doſis, non Virgis, non catenis. p. 364.
Quot illi data verbera? p. 364.
FOECUNDITAS Iſraelitis promiſſa, Exo di Cap. 23. v. 26. quæ ſit? p. 146.
FOEDUS novum quale, & quomodo à Deo cum populo Judaico ſanciendum? p. 24. & ſeq.
FONS aquæ an Chriſto naſcente ſcaturierit in ſp lunca? p. 221.
Fons olei num Romæ defluxerit, Chriſto naſcente? p. 221.
FLORENTINIUS ſputiam Pilati ad Tiberium Epiſtolam vulgat, Actorum tranſmiſſorum comitem. p. 451.
FRUCTUS Spiritus Sancti in Diſcipulos effuſi, quid, & quotuplex? p. 441.

G

GABRIEL Deiparæ Virginis paranymphus, quo ex ordine Angelorum fuerit? p. 173.
In humana ſpecie factus illi conſpicuus. p. 174.
Quando & quomodo ſibi corpus aptaverit? p. 175.
Quandonam facta Virgini Gabrielis ſalutatio? p. 176.
Quæ illius ſalutationis verba? p. 176.
Num ab illo ad Virginem allata ſit Dei Epiſtola p. 177.
Cur ad ejus ſalutationem turbata ſit Virgo? p. 177.
GENEALOGIÆ Chriſti Domini à Matthæo, & Luca deſcriptæ invicem conciliantur. p. 282. & ſeq.
Eædem cum Hiſtoria Veteris Teſtamenti conciliantur. p. 288. & ſeq.
Matthæi Genealogia Joſephi progenitores percenſet, Lucæ progenitores Mariæ. p. 282.
Cur Joſephi progenitores percenſeat Matthæus, qui nullas in Chriſti generatione partes habuit? p. 287.
Cur tres gradus genealogici à Matthæo prætermiſſi? p. 288.
GENTES ſeu Gentiles. Illorum ad fidem vocatio primus veri Meſſiæ character. p. 9. & ſeq.
Gentibus non minus, quàm Judæis ſalutem allaturus Meſſias. p. 10. 11.
Gentes præ cæteris idololatræ, ad fidem per Chriſtum vocandæ. p. 11.
Gentibus etiam Chriſtus Dominus prænunciatus. p. 13.
Evangelium Judæis repellentibus, aſſumpti Gentiles illiſque prælati. p. 13.
Gentiles aſſumendi in levitas & Sacerdotes. p. 18. & 19.
GERSONIUS (Joannes) Pariſienſis Academiæ Cancellarius commendatur. p. 167.
Idem perſtringitur. p. 170.
GOLGOTHA calvariæ locus cur dictus? p. 389.
An illic ſepultum Adami Caput? p. 390.
GRÆCI in fermentato celebrantes impugnantur. p. 341.
Iidem refelluntur, Chriſtum poſtremæ Cœnæ diem antevertiſſe effutientes. p. 341.
GRATIA gratis data quid & quotuplex? p. 442.
Gratiæ gratis datæ non omnes habitus ſunt permanentes. p. 445.
Vide v. *Lingua*.

H

HABACUC Prophetia de Deo cognoſcendo, *in medio Duorum animalium*, juxta ſeptuaginta Interpretes, explicatur. p. 210.
HEBDOMADA. Danielis Prophetia de Chriſto duce, intra ſeptuaginta hebdomades or turo, explicatur ac defenditur contra Judæos. p. 81. & ſeq.
Hebdomades dierum dumtaxat, & annorum adnotant Sacræ Litteræ, nullas decenniorum, Jubilæorum, & Sæculorum. p. 83. 84.
De ſeptuaginta Hebdomadum initio variæ Interpretum ſententiæ. p. 84.
HELI Filius Mathat, non Melchi. p. 290.
HEMORROISSA à Chriſto ſanata in Evangelio, eidem æneam ſtatuam ponit Peneade. p. 322.
HERODES magnus Judæorum comparatione alienigena. p. 119. & ſeq.
Dubium Aſcalonitane fuerit, an Idumæus? p. 119.
Utrumque quo ſenſu ſit verum? p. 121.
Quo ſenſu Judæorum Indigena dictus à Strabone? p. 123.
Quæ titulo Judæos contribules ſuos ipſemet diceret? p. 123.
Herodiani cur Herodem tametſi alienigenam, uti Meſſiam coluerint Jeroſolymis p. 122.
Herodiana puerorum cædes quandonam pri-

primum imperata? p. 265.
Cæſorum tunc puerorum numerus; vulgari opinione longè minor. p. 266.
Herodis Filiorum bimulus nullus illic occiſus. p. 267.
Auguſti de Herode dictum exponitur. p. 267.

I

JACOBUS Minor Apoſtolus in ſancta ſanctorum numquam admiſſus. p. 134.
IDOLOLATRIA abolenda, prima veri Meſſiæ nota. p. 9. & ſeq.
Idololatria, dato Apoſtolis Chriſti mandato, *Euntes docete omnes gentes*, deſtinatione ex tunc abolita. p. 12.
JECHONIAS quomodo ſterilis dictus p. 111
JEHOVA nomen Chriſto tributum à Prophetis. p. 55.
JEPHTE Filia veri nominis Virgo non eſt habenda. p. 141.
JEROBOAM à Jacob moriente minimè prænunciatus. p. 93.
JEROSOLYMA materialis in ſempiternum everſa. p. 32.
Jeroſolymæ ſpiritualis inſtauratio promiſſa. p. 34 35.
Vide v. *Templum*.
IMAGINES Chriſti olim ſeu pictæ, ſeu ære fuſæ, omnes intercciderunt. p. 322.
Imagines Deiparæ à D. Luca pictæ omnino nullæ. p. 323.
Imago Chriſti ab ipſomet ad Regem Abgarum miſſa, commentitia. p. 325.
Imaginem Chriſti de Cruce pendentis, tenui ad partes velo contectam pingere convenit. p. 368
Talarem illi veſtem addere, minùs congruit. p. 368
INNOCENTES pueri ab Herode occiſi, veri omnino Martyres, & quare. p. 268
An alii perinde pro Chriſto occiſi, Martyres ſint habendi, dubitant aliqui: veriùs tamen affirmatur. p. 269.
Innocentes minori quàm vulgo putetur, fuere numero. p. 266.
JOACHIN Annæ Maritus, incerti omnino nominis. p. 127. 286
Illius uti & Annæ incerta ſterilitas, quæ vulgo jactatur? p. 128.
JOACHINI Chriſti proavi in illius genealogia diſſinguendi. p. 289.
JOANNES Apoſtolus Paſcha cùm Judæis celebrabat. p. 436.
Superſtes adhuc & vivus à multis creditus. p. 416.
An à Chriſto miſſus, jumenta quæſiturus? p. 334
Num in ejus domo Celebrata ultima Cena? p. 358.
JOANNES BAPTISTA an Chriſtum noſcet ret ante Baptiſmum? p. 305.
Quæ, & qualis fuerit ejus exultatio in utero Matris? p. 189.
Num ex rationis uſu ortum habuerit exultatio illa? p. 191.
Num illi ſubinde continuatus rationis uſus? p. 192.
Quàm abundans & cumulatâ illius in utero ſanctificatio fuerit? p. 194.
Jam tunc ab originali peccato purgatus. p. 194.
JOANNES LE CLERC, ſub Joannis Phereponi larva deliteſcens impugnatur. p. 405.
JOANNES JEROSOLYMITANUS Auctor libri de Inſtitutione Monachi, non antiquus ille D. Hieronymi æmulus, ſed recentior Carmelita. p. 142.
JONATHAS à toto Judaico populo electus in Ducem. p. 114.
JOSEPH Virginis Sponſus cur eamdem dimittere cogitarit? p. 164.
Virginem in montana Judææ abeuntem non eſt comitatus. p. 163. 188.
Joſeph Mariam dum duxit uxorem, non vietus, & ſilicernius, ſed florenti ætate fuit. p. 165. & ſeq.
Joſeph adhuc ſuperſtes, Chriſto Domino prædicante: imo ut nonnullis Patribus viſum eſt, Chriſto moriente. p. 166. 167.
Joſeph Chriſti pater, non creditus tantùm, ſed & ſpeciali titulo, nempe jure Matrimonii. p. 169.
Novum de naturali Joſephi paternitate ſyſtema refellitur. p. 170.
Joſeph & Maria Judæ tribules, quomodo in Galilæa domum habuerint? p. 175.
Num domo, ſeu ſpelunca abeſſet, Virgine pariente? p. 217.
Chriſtum in eadem ſpelunca circumcidit. p. 230.
Mandatum fugiendi in Ægyptum excepit Nazarethi, non Bethleemi, non Jeroſolymis. p. 258.
Nullos unquam filios ex ſacratiſſima Sponſa ſuſtulit. p. 270.
JOSEPHUS (Flavius) Veſpaſianum Imperatorem uti Meſſiam agnovit. p. 121
Ejus de Chriſto dubium teſtimonium p. 414

JOSIAS quomodo genuerit Jechoniam, in tranſmigratione Babylonis? p. 288.
JUDAS filius Jacob. Judæ ſceptrum, de quo Jacob Geneſis c. 49. non peculiaris eſt Tribus, ſed totius Judaicæ Gentis. p. 109
Judæ Tribus ſceptri proprietatem amiſit in Jechonia. p. 111.
Judæ Tribus quas proprias benedictiones acceperit, quas toti Judaicæ Genti communes. p. 115
Judæ ſceptrum in ſpirituale commutatum, propria Judæ benedictio cenſenda eſt. p. 116.
Judæ ſceptrum ablatum Herode regnante, ex gratia Romanorum: p. 117. & ſeq.
Judæ nomine, à quo non erat auferendum ſceptrum, ſors ipſa, atque poſſeſſio Tribui illi aſſerta, intelligi nequit. p. 109.
Deſtinata toti Judaicæ genti benedictio, cur ſoli Judæ denunciata? p. 115
JUDAS proditor, cur dictus Iſcariotes? p. 391.
Quænam illi patria? p. 391.
Ab Euchariſtica Cœna & pedum lotione non excluſus. p. 357.
Quanti Chriſtum vendiderit? p. 360
JUDÆI. Cur illorum tam pauci ad Chriſtianam fidem traducantur? p. 3
Qualem ſibi promiſſum Meſſiam animo fingant. p. 3. 4.
Quàm præpoſterè mortiferam ſecuti litteram, Scripturarum de Chriſto Vaticinia interpretentur. p. 4.
Quæ doctrinæ capita ſtatuenda atque probanda, ad falſa illorum de Promiſſo Chriſto præjudicia refellenda? p. 5.
Judæorum perfidia, pertinacia, cæcitas, primariæ adversùs eoſdem demonſtrationis loco habenda. p. 6. 7.
Servari illos, toto orbe diſperſos, ac perennare, præſtat Eccleſiæ Catholicæ bono. p. 8
Judæis Euangelium primò prædicandum fuit: illis verò repellentibus, Gentilibus nunciandum. p. 13
Judæi amiſſo Templo, offerendi Sacrificii jus amiſerunt. p. 19
Nulla nunc apud illos vera Religio. p. 21
Calvinianorum exemplo, etſi aliunde peſſimo, cauſam ſuam tueri nequeunt. p. 22.
Illorum diſperſio ad finem mundi duratura. p. 39.
Quàm vana inſtaurandi Templi ſpe deludantur? p. 33.
Quinam Judæi per Chriſtum colligendi? p. 37.
Quænam, & ubi Regna ſua fingant? p. 96.
Præſens Judæorum diſperſio, ac miſera ſervitus, non aliunde quam ex morte Chriſto illata. p. 105.
Non ideo ſervitute & exilio damnari, quòd Chriſtus noſter Divinitatis titulos aſſerit. p. 106.
Non ideo caſtigati quia boni, & Deo dilecti. p. 107.
Judæorum Reſpublica ariſtocratiæ formam induit, poſt captivitatem Babylonicam. p. 112.
Vitæ ac necis poteſtatem renuere in ſuos, etiam regnantibus Herodis filiis ac nepotibus. p. 118.
Judæorum Duces non ſemper electione facti, poſt Captivitatem Babylonicam, p. 114.
Judæi Cæſareæ habitatores, Herodem genere Judæum obtendunt. p. 121.
Judææ ſceptrum quo diſtinctè tempore ſublatum ſit? p. 117.
Julianus Apoſtata Jeroſolymæ Templum inſtaurare aggreſſus, portento deterretur. p. 31.
Idem Apollinis reſponſa ultimus excipit. p. 218.

L.

LATRONES cum Chriſto Cruci affixi clavibus, non funibus alligati. p. 383.
Latro pœnitens ad dexteram Chriſti, impœnitens ad ſiniſtram poſiti. p. 383.
Horum varia nomina publicata, incerta omnia. p. 384.
Latro pœnitens genere Judæus, potiùs quàm Gentilis. p. 385.
Inepta de illo Hiſtoria refellitur. p. 385.
Falſæ de illius converſione rationis, ſeu occaſiones exſufflantur. p. 385.
Aqua de Chriſti latere ſaliente, baptizatus fingi non poteſt. p. 386.
LENTULI ad Senatum Romanum Epiſtola, de forma Chriſti apocrypha. p. 316.
LEX Moſaica à Chriſto promiſſo abroganda, novaque condenda. p. 23.
Sublato ſacerdotio, ultra ſtare non potuit. p. 23.
LEX & pactum idem in Scripturis ſonant. Cur ita? p. 25.
LEX vetus quo ſenſu bona, & tamen abolenda. p. 27.
quo

Quo ſenſu perennaiter duratura dicta eſt? p. 28.
Nullum in veteri lege præceptum, de pro creanda prole. p. 144
Lex leviratus quid ita dicta, & quod ad ſtringebat? p. 283.
LIBELLUS repudii cur & quibus dari ſoli tus ſ. p. 164
LICTORES Chriſtum cædentes quot? p. 363.
Quinam illi fuerint? p. 391.
LINGUÆ igneæ Apoſtolis viſæ, illabente in illos Spiritu Sancto quales fuerint? p. 439.
Linguis omnibus quomodo Apoſtoli loque rentur? p. 443
Non illi ſoli, ſed & alii linguis omnibus loquebantur. p. 446
LONGINUS falſum Militis nomen, Chri ſti latus lancea perforantis. p. 379
Is non eques, ſed pedes. p. 379
Longini nomen ex græci vocabuli deprava tione ortum. p. 379
Is non cœcus, ſed benè videns. p. 380.
Quodnam Chriſti latus à Milite confoſſum. p. 380.
Factus inde aquæ defluxus naturalis ne, an miraculoſus? p. 381.
LUCAS Euangeliſta Judæuſne an Gentilis origine, dubium. p. 314
Gentilem tamen illum fuiſſe probabilius. p. 314.
Is ex veteri traditione Medicus, non pictor. p. 315.
Pictæ ab illo Chriſti & Deiparæ imagines fa buloſæ. p. 315.

M

MACHABÆI Vide *Aſſamonai*.
MAGI Chriſti naſcentis adoratores non ſortilegi, magiciſque artibus addicti, ſed Philoſophi, & ſyderalis ſcientiæ pe riti. p. 233.
Non Reges, Principeſve, ſed privatę con ditionis homines. p. 233
Tres illos fuiſſe dumtaxat, incertum eſt p. 235.
Singuli ſingula munera non obtulere, ſed omnia ſinguli. p. 235.
Illorum incerta nomina, & à variis fœde corrupta. p. 235.
Fuiſſe illos Enochum, Eliam, & Melchiſe dechum ſtultæ recentioris cujuſpiam fa bella eſt. p. 335.
Illos ex Perſide veniſſe longè certius. p. 236.
Ex una eademque patria venerunt. p. 238.
Biennio poſt Chriſti natalem diem adventaſ ſe, impoſſibile eſt. p. 239
Non adventaſſe die 6. Januarii, veriſimili mum eſt. p. 240.
Sub Januarii finem adventaſſe veriſimilius. p. 241.
In ſpeluuca Bethlemitica Chriſtum D. ado rarunt. p. 243.
Navigio in regionem ſuam reverſos eſſe pro babilius. p. 244.
MARIA Chriſti D. Mater. Quàm multæ de illius ortu, primaque educatione vulgatæ fabellæ. p. 126 135.
Illius progenitorum incerta nomina. p. 127.
Eorumdem progenitorum incerta ſterilitas, voto depulſa. p. 128.
Mariam trimulam in Templo fuiſſe oblatam, incertum eſt. p. 128.
Ejus in ſancto ſanctorum per annos undecim commoratio fabuloſa. p. 133.
Quandonam primùm votum Virginitatis emiſerit? p. 137.
Ante exceptum nuncium Angelicum certò vovit. p. 138.
Cur emiſſum à ſe virginitatis votum Angelo nuncianti velut objecerit; cùm Meſſiam de Virgine naſciturum certò ſciret? p. 139.
Vovit antequam eſſet Joſepho deſponſata. p. 139.
Quò diſtinctè ætatis anno voverit, prorſus incertum. p. 140.
Virginitatem voviſſe omnium primam, li quet ex patribus. p. 140.
Votum illius, abſolutum, non conditione ſuſpenſum. p. 143.
Verum cum Joſepho iniit Matrimonium. p. 149.
Quæ illi rationes fuerint ducendi Matri monii. p. 150. 161.
Maria ante Matrimonium divinitùs admoni ta, Joſephum tradita ſibi poteſtate num quam uſurum. p. 156.
Quandonam Mariam inter & Joſephum initum ſit Matrimonium? p. 160.
Numquàm cum Joſepho carnaliter conve nit. p. 163.
Quoto vitæ ſuæ anno nupſerit cum Joſepho. p. 161.
Chriſti conceptus cur ante Virgini nunciatus, quàm peractus. p. 171.
Cur ab Angelo potius quàm à Marito ſuo Joſepho edocta. p. 172.
Qua die, & hora ab Angelo ſit ſalutata? p. 176.

Digitized by Google

Cur ad ſalutationem Angeli turbata ſit? p.178.
Virginitatis cuſtodiam num prætulerit Divino mandato. p.178
Quas in Chriſti conceptione partes habuerit? p.185.
Qua de cauſa peregrinationem in montana Judææ ſuſceperit? p.187.
Statimne poſt ſuſceptum nuncium Angelicum? p.187.
Abſque Joſepho comite. p.188.
Canticum *Magnificat* modulata voce, & carmine non cecinit. p.196
Num ad ortum uſque Joannis apud Elizabetham morata ſit prorſus incertum p.196.
Quo ſenſu vulvam ejus in partu apertam dixerint Patres? p.198.149.
Patris ejus abſque dolore. p.199.
Abſque obſtetricis miniſterio. p.200.
Cur & quomodo poſt dies quadraginta purificata. Vide v. *Purificatio*.
Maria poſt Chriſti D. partum, & ad obitum uſque virgo p.270.
De Tribu Juda, & familia David verè fuit. p.278.
Mariæ ac Joſepho nulla adſcribitur culpa, quòd Chriſtum infantem in reditu ab Jeroſolymis, amiſiſſent. p.296
Quam coluerit artem ignoratur. p.299.
Quæ illius oris, quæ corporis forma fuerit, prorſus incertum. p.323
Chriſto D. in Cruce patiente, non ejulans, non deliquio correpta. p.381.
A Chriſto Domino minimè baptizata. p.307.
Illi omnium primæ Chriſtus reſurgens non apparuit. p.424
Præſens in Cœnaculo fuit, dum in Apoſtolos illapſus eſt Spiritus S. p.455.
Mariæ mors certa, atque indubitata. p.456.
Epheſi veriùs mortua, quàm Jeroſolymis. p.457.
Mortua anno Chiſti 37. vitæ ſuæ 61. p.460
Non martyrio ſublata, ſed placida morte. p.460.461.
Funus ejus, ab Apoſtolis ex omnibus mundi partibus advolantibus, fuiſſe curatum, putida fabella eſt. p.461.
Pſeudo-Dionyſii locus ea de re produci ſolitus emendatur, exponitur. p.461.
Hanc Epheſi ſepultam, non Jeroſolymis, evincit Concilii Epheſini textus diſertiſſimus. p.458.
Juvenalis de Mariano Sepulcro teſtimonium, Marciano & Pulcheriæ datum, prorſus incertum. p.458.
Indignus Juvenalis, qui ea in re integram faceret fidem. p.458.
Num Maria virgo è tumulo ſuſcitata, & in Cœlos corpore, ſimul & animo ſit aſſumpta. Vide v. *Aſſumptio*.
MARIA CLEOPHÆ Virginis Deiparæ ſoror. p.178.272.
MARIÆ Magdalenæ Chriſtus reſurgens ſe primum oſtendit. p.424.
MARTYROLOGII Romani Computatio, de Anno Chriſti natalitio, unde a vulgata verſione diſſideat? p.214.
Martyrologii aberratio de Longino, a Baronio caſtigata. p.379.
Quæ Martyrologia Aſſumptionem Deiparæ Corpoream dubiam poſuerint? p.467.
MATRIMONIUM. Vide v. *Maria Chriſti Domini Mater*.
Matrimonium cum voto virginitatis initum anteceſſum emiſſo ſtare, abſolutè poteſt: & quomodo. p.155.
Tria in Matrimonio diſtinguenda. p.156.
Voto caſtitatis obſtrictis liceat ne Matrimonium contrahere? p.157.
Quæ conditiones Matrimonium irritum faciant? p.158.
Matrimonia Judæorum non ſemper intra ejuſdem Tribus perſonas contracta. p.277.
MATTHÆUS Euangeliſta cum Michæa conciliatur, de Bethleemo, ubi natus eſt Chriſtus. p.205.
MESSIAS. Vide V. *Chriſtus*.
Meſſias humilis & pacificus, non bellator & manu fortis. p.39.
Quàm ſtulta & futilia de Meſſia bellatore fingant Judæi. p.39.
Quo ſenſu bellicoſus Meſſias, quæve ille bella geret, armaque tractabit? p.40.
Meſſias moriturus, & quidem morte turpiſſima. p.45.
Mortis hujus circumſtantiæ omnes à Prophetis prænunciatæ. p.47.
Meſſias ſtante adhuc ſecundo Salomonis Templo, naſciturus oſtenditur. p.74.
Vetus Judæorum opinio, Meſſiam tunc temporis venturum fuiſſe, cum Chriſtus noſter mundo illuxit. p.77.
Peccatis finis futurus adoriente Meſſia; quo ſenſu. p.85.
Meſſias florente adhuc Romanorum Imperio mortalibus oriturus. p.85.
Item ſtante adhuc Bethleemo. p.87.
Meſſias ablato Judæ Sceptro, Judæis & Gentibus oriturus. p.89.
Meſſiæ adventus, ob Judæorum peccata mi-

minimè dilatus. p.103
Quàm multi Judæorum Meſſiæ titulum æmu li, tum multa conficta. p.78.
MIRACULA Chriſto naſcente patrata quam multa conficta. p.119
Miracula in morte Chriſti patrata, ſolis obſcuratio, petrarum ſciſſio, terræ motus, monumentorum apertio, non ultra Judæum pa[?]uerunt. p.398
Miracula alia quàm multa conficta, Chriſto Domino de Cruce pendente. p.399.
MULIERES excubantes in oſtio Tabernaculi, quales fuerint. p.126.
MUNDI duratio ſex annorum millibus definita, ab Eliæ Schola, apud Judæos celeberrima. p.78.

N

NABUCHODONOZOR quid in Joachimum tentarit p.78.
Nabuchodonozor à Jacobo moriente minime prænunciatus. p.93.
NATHAN in Chriſti genealogia notatus, Verus Davidis filius eſt, non Uriæ, à Davide dumtaxat adoptatus. p.280.
Is alius prorſus eſt à Nathane Propheta. p.282
NAZARETH. Falſa de illo Judæorum traditio refellitur. p.340.
NICEPHORUS CALLIXTUS de forma Chriſti refellitur. p.316.
Idem de forma Deiparæ. p.323.
Idem refellitur, de Apoſtolis ad Virginis corpus contuendum, ex variis mundi partibus confluentibus. p.461.
NICOLAUS Damaſcenus projectus Herodis adulator à Flavio Joſepho confutatus. p.120.
NUMISMA Chriſti imaginem referens, Romæ ſervatum, prorsùs incertum. p.322.
NUPTA unde dicta. p.153.
Quo ſenſu Virginem Joſepho nuptam negent Patrum aliqui. p.153.

O

OLIVETI mons ubi ſitus: & quantum Jeroſolymis diſtet p.431.
Hujus montis cacumini impreſſa veſtigia Chriſti in Cœlos aſcendentis. p.431.
Lucernas eo in monte quotannis accendi, fabula eſt. p.431.
ORACULORUM defectio num cœperit Chriſto naſcente. p.222.
Hæc ad tempora Juliani apoſtatæ perdurâſſe, ſuaque identidem reſponſa dediſſe, certiſſimum eſt. p.225.
OROSIUS tentatæ à Tyberio Cæſare Apotheoſis Chriſti Domini, teſtis locupletiſſimus. p.449.

P

PAN, cujus mors à malis geniis denunciata dicitur, Chriſto Dominus immeritò creditus eſt. p.401.
PACIS templum Chriſto naſcente, corruiſſe Romæ, commentum eſt. p.219.
Pacis templum cur à Romanis dictum æternum? p.220.
PASCHÆ, ſeu Phaſe nomen commune victimis quibuſque, per ſeptem Paſchales dies immolandis, & comedendis p.345.
Nulla ad Paſchalem ſolemnitatem inſtituta dies Paraſceves. p.348.
In ipſo Paſchatis feſto Judæis licet parare cibos. p.347.
Paſchatis ultimi celebrationem Chriſtus Dominus non antevertit. p.342.
Eamdem non diſtulere Judæi. p.351.
Paſchatis edendi ritus qualis, vivente Chriſto? p.359.
Vide v. *Cœna Judaica*.
PASTORES Chriſti naſcentis adoratores quoti fuerint, unde venerint, quibus inſigniti nominibus? p.217.
PENTECOSTE duplex; Judæorum & Chriſtianorum. p.435.
In Pentecoſte Judæorum, non Chriſtianorum, illapſus eſt Spiritus S. in Apoſtolos. p.435.
Pentecoſte quo anno Chriſtus eſt mortuus, non in Dominicam diem incidit, ſed in Sabbathum p.430.
Duplicis Pentecoſtes diſtinctio nondum inducta tempore Apoſtolorum. p.436
Pentecoſtem more Judaico celebrabat Paulus. p.436.
PETRUS & Paulus Paſcha cum Judæis minimè celebrabant Romæ. p.436.
Quibus interpretibus uterentur: & quare. p.444.
PETRI Lucenſis ſpiſſus error refellitur, de Chriſto non in utero Virginis, ſed in ejuſdem corde, concepto. p.282.
PHLEGON Adriani Imperatoris libertus, ad Solis obſcurationem, quæ Chriſto moriente contigit, non alluſit. p.394.
PICTORUM ignorantia, & audacia perſtrin[...]

ſtringuntur. p. 165. 188 200 207. 228 238. 252. 303. 317 359. 363. 369 372. 376. 378 381 383 426 432. 439.
PILATUS mortis ſententiam in Chriſtum vere tulit. p. 368.
Acta de Chriſti virtutibus & miraculis ad Tiberium miſit. p. 447.
Illius ad Tiberium data Epiſtola apocrypha p. 451.
Quænam Pilati acta genuina, quænam apocrypha? p. 449.
PLUTARCHI de Oraculorum defectu ſententia expenditur. p. 223.
POMPEJUS Judæos ſubegit, ſceptrum tamen illis non eripuit. p. 93.
POLYCRATES Epiſc. Epheſiorum cur Mariæ ſepulcri non meminerit? p. 459.
PORPHYRIUS Judæus refellitur. p. 84.
PRÆPUTIUM Chriſti Domini, num ad illius Corporis integritatem pertineat? p. 230.
Extet ne etiamnum in terris, & ubi? p. 230.
PRÆSENTATIONIS feſtum defenditur, & quid in eo celebretur exponitur. p. 136.
PROMISSIONES de Chriſto mittendo abſolutæ, non hypotheticæ. p. 102.
PUELLÆ ſub parentum cura violatæ, adulterarum judicio damnabantur. p. 151. 164.
PUERI etiam lactentes, Chriſto acclamantes Jeroſolymam ingreſſo. p. 338.
PULCHERIÆ cum Marciano Matrimonium, an validum? p. 159.
De quærendo Deiparæ Virginis ſepulcro piè ſolliciti. p. 457.
PURIFICATIONIS lex Exodi Capite 13. v. 2. & Cap. 12. Levitici à Moyſe lata, explicatur p. 73. 198. 246. 248. 252.
Cujus purificatio à Luca deſcribatur Cap. 2. an Chriſti, an Mariæ, an amborum? p. 245.
Purificationis lege ſoluta erat Virgo Deipara. p. 247.
Virginem Purificationis officium implentem, in loco ad orationem Virginibus deſtinato ſubſtitiſſe, fabella eſt. p. 251.
Duos tunc columbarum pullos obtulit Virgo mater, non ſtudio tantùm paupertatis, verùm etiam ex legis præſcripto. p. 256.

Q

QUARTODECIMANI ſpuriis Pilati Actis. de Chriſti virtutibus, turpiter abuſi, p. 450.

Quintus Ciceronis frater, Delphici oraculi obſcurationem, ætate ſua jam factam, dolet. p. 222.
Rationem factæ hujus obſcurationis futilem reddit, ab ipſo Cicerone fratre impugnatam. p. 223.

R

RELIGIO ſtare vera poteſt, varias inter ſectas, & hæreſes. p. 14.
Nulla nunc apud Judæos vera Religio. p. 21.
REGNUM Judææ quo ſenſu æternum eſt appellatum. p. 100.
Regnum Juda aliud temporale, aliud ſpirituale. p. 104.
Regna nunc Judæorum fabuloſa, ignota, impervia. p. 96. 97.
Regna nec facto obtinent, nec jure. p. 99.
Regna Damaſci & Samariæ quomodo devaſtata, Chriſto Domino naſcente? p 41. 72.
Regnum quartum à Daniele notatum, Romanorum eſt, non Lagidarum, & Seleucidarum. p. 86.
Romanorum Regno florente Chriſtus mortalibus oriturus erat. p. 85.
RESTRICTIONUM mentalium uſus, exemplo Chriſti impiè cohoneſtatur. p. 64.
RESURRECTIO Chriſti. Cur reſurrexerit. p. 411.
Qua die, & hora reſurrexit. p. 412.
Quomodo tertia poſt obitum die reſurrexit. p. 414.
Reſurrectionis Dominicæ veritas defenditur. p. 415.
Redivivi Corporis Chriſti dotes glorioſæ explicantur, defenduntur. p. 419.
Quinam cum Chriſto Juſti reſurrexerint? p. 421.
Qui ſurrexere cum Chriſto, ad ſua iterum ſepulcra redière, nec cum ipſo in Cœlum aſcenderunt. p. 422

S

SABBATI acceptiones variæ. p 412.
Sabbatum quomodo dicitur illuceſcere ſub veſperam Paraſceves. p. 405.
Sabbato licebat Judæis manipulum metere Deo offerendum. p. 436.
Sabbaticum Flumen unde dictum? p. 97.
SACERDOTIUM Leviticum per Chriſtum abolendum, novumque inducendum. p. 16.
Quibus maximè conſtet leviticum Sacerdotium? p. 16.

Digitized by Google

Sacerdotium Judæis in pœnam ſceleris interdictum. p. 18.
Quænam Sacerdotii levitici promiſſa perennitas? p. 19 20.
Sacerdotium quo ſenſu perenne apud Chriſtianos? p. 22.
Sublato Levitico Sacerdotio, Lex Moſaica ſtare ultra non potuit. p. 23.
SANCTUM SANCTORUM. In illud nemo unquam admiſſus præter ſummum ſacerdotem, ac ſemel tantùm in anno. p. 133.
Summa hujus loci religio continuata etiam poſt Chriſtum. p. 134.
SAUL Rex à Jacobo moriente minimè prænunciatus. p. 92.
SANGUIS Chriſti effuſus in triduo mortis, an manſerit Divino Verbo Unitus? p. 410.
SCEPTRUM Juda, illo ablato, Chriſtus mortalibus oriturus erat, juxta Jacobi prophetiam. p. 89.
SECUNDINÆ Chriſto minimè negandæ. p. 201.
Secundinarium Feſtum interdictum à Synodo Trullana. p. 201.
SEPULTURA. Varii ſepeliendi ritus apud Hebræos. p. 403.
Mulierum ad Chriſti ſepulcrum adventus exponitur: ac variæ de illo diſſonantiæ conciliantur. p. 412.
SIMEON Metaphraſtes, ſcriptor minus accuratus, & diligens. p. 326. 462.
S. Stephani junioris vita, Metaphraſtis lucubratio eſt, non Joannis Damaſceni. p. 325.
SIMEONIS Senis prophetia, de Virgine Filii ſui dolore conſigenda, explicatur. p. 460.
Simeon qui Chriſtum Dominum in ulnas excepit, non ſacerdos, non levita, ſed Laicus. p. 252.
Non illi reſtituta videndi facultas, Chriſto in ulnas excepto. p. 255.
SIMON CYRENÆUS quis? Crucem ne cum Chriſto tulerit ſociis humeris, an ſolus poſt Chriſtum? p. 368.
SIMON MACHABÆUS à tota Judæorum gente electus in Ducem. p. 114.
SINENSES de Solis eclipſi quid in ſuis Commentariis ſcriptum habeant? p. 395.
SOCINIANI Judæis fœdere juncti, in Chriſti Divinitate obneganda, refelluntur. p. 62. 154.
SOLIS eclipſis, Chriſto moriente, nulla, ſed prodigioſa obſcuratio, aliundè orta. p. 393.
Ea ſolis obſcuratio non ultra Judæam obſervata. p. 396.
SPELUNCA in qua natus eſt Chriſtus, ad diverſorium non videtur pertinuiſſe. p. 211.
Vide *Chriſtus*.
SPIRITUS SANCTI miſſio quid ſit, quibuſve perficiatur? p. 434.
Qua die facta ſit, Sabbatone, an Dominica? p. 434.
Qua hora diei? p. 437.
In qua domo? p. 438.
Spiritus Sanctus non in ſolos Apoſtolos effuſus eſt, ſed in centum ac Viginti. p. 438.
Quo ſe ſigno prodiderit? p. 439.
Quinam illius effectus. p. 441.
Quas in Chriſti Domini conceptione partes habuerit. p. 185.
Cur Chriſti pater non dicatur, etiam ſecundùm humanam naturam? p. 185.
SPONSALIA unde dicta? p. 154.
STELLA Magis conſpicua non vera fuit, nec firmamento affixa: ſed phænomenon ab Angelo efformatum, & motum. p. 243.
Hæc minimè fixa, ſed motu ſuo Magis ſignabat iter. p. 243.
STERILITAS à Virginitate diſtincta, hæc, non illa olim apud Judæos probro fuit. p. 146.
De ſterilitate dictum Exodi Capite 23. v. 26. explicatur. p. 145.
SYBILLÆ quo tempore vixerint. p. 220.
Nulla fuit ætate Auguſti, quæ poſſet Imperatorem monere. p. 220.

T

TABERNACULUM. Quas excubias in ejus oſtio agebant mulieres religioſæ? p. 130.
Cur Sacerdotes ipſi arcerentur à Tabernaculo, dum Pontifex Sanctuarium ingrediturʼ p. 134.
TANAQUILLUS Faber actorum Chriſti à Pilato ad Tiberium tranſmiſſorum impugnator refellitur. p. 449.
TEMPLUM Jeroſolymæ numquam inſtaurandum. p. 31.
Illius inſtaurationem tentantes Judæi ſæpè repreſſi. p. 31.
Quàm illius inſtaurationis ſpe deludantur Hebræi. p. 33.
Meſſias ſtante adhuc Salomonis Templo naſciturus oſtenditur. p. 74.

Nulla

Nulla huic Templo pax temporalis conſtitit, poſtquam à Zorobabele inſtauratum eſt. p. 76.
Templi prophanatores, expilatores, averſores. p. 76.
Cellæ nonaginta circa Templum ad quid extructæ? p. 129.
Ad Templi miniſterium ſoli maſculi Deo dicabantur. p. 132
Templi Velum duplex. p. 396.
Extimum Templi Velum ſciſſum Chriſto extincto, non intimum. p. 397.
Templi ſuperliminare corruiſſe moriente Chriſto, commentum eſt. p. 399
Audita in Templo terrifica vox *Tranſeamus ex his ſedibus*, ad Chriſti mortem incepte refertur. p. 400
Vide v. *Jeroſolyma*.
TERRÆ motu facto, Chriſto patiente, varias ædes corruiſſe, in Aſia, Thracia, & Bithinia, commentum eſt. p. 399
THADÆI Chriſti Diſcipuli, Regi Abgaro ſanitatem reſtituentis Hiſtoria defenditur. p. 308.
D. THOMAS Falſo ac ſuppoſititio D. Augustini teſtimonio deluſus, virginis Deiparæ votum conditionatum dixit, non ex certa ſententia. p. 147.
TIBERII Cæſaris anni quàm variè computentur? p. 301.
Chriſti mors Tiberio Cæſari minimè nunciata, nomine magni Panos demortui. p. 401.
Tiberius Chriſti apotheoſim poſtulat à Senatu Romano. p. 447.
Rejicitur ejus poſtulatio, variis de cauſis. p. 450.
Ejus in Chriſtianam Religionem benignitas commendatur. p. 448
Ejuſdem moderatio laudatur. p. 450.
Scomma de illo jactatum. p. 452.
TESTATUS (Alphonſus) malè habitus cum Rogerio Bachono, quòd Chriſtum mortuum negarent die 25. Martii. p. 388.
TRANSFIGURATIO Chriſti Domini quo in monte facta? p. 327.
Quomodo, ſeu quo ornatu facta. p. 327.
Vere ne, & quomodo illic Moyſes & Elias præſentes fuerint? p. 329.
Cur facta Transfiguratio? Cur præſentibus Moyſe & Elia, ac tribus Apoſtolis? p. 331.
TRINITATIS Myſterium ex Veteri Teſtamento probatum. p. 57.
TRULLANÆ Synodi Canon Septuageſimus nonus, de Chriſti ſecundinis, reſtituitur, explicatur. p. 101.

V

VATICINIA de Chriſto venturo abſoluta, non hypothetica. p. 103.
VECCHIETTUS (Hieronymus) damnatus ad carceres, ob recuſum ſyſtema de Paſchate Judaico, à Chriſto minimè obſervato, quo anno mortuus eſt. p. 536.
VERBUM Divinum num manſerit unitum Sanguini Chriſti Domini, in triduo mortis? p. 410.
VERONICÆ Hiſtoria recens, & dubia. p. 370.
VERONICA non Mulieris, ſed Chriſti quam geſtabat imaginis nomen. p. 370.
VERSIO Septuaginta Interpretum, quantùm ab Hebraico textu, & vulgata Verſione diſſideat, in Veteris Teſtamenti annis computandis. p. 214.
Verſio vulgata quo titulo, quave ratione authentica ſit? p. 292.
VESPASIANUS Imperator pro Meſſia habitus à Flavio Joſepho. p. 122.
VESTALES ex voto nequaquam Virgines. p. 141.
VESTES quomodo ſtratæ Chriſto Domino triumphante? p. 337.
VICTIMÆ antiquæ per Chriſtum abolendæ, & commutandæ. p. 17.
VIR diverſè & variè dictus. p. 154.
VIRGA tribulationis. Judæorum de illa commenta. p. 101
VIRGINIS pariturae portentum, certa pro miſſi Meſſiæ nota. p. 67.
Legendum omninò in Iſajæ oraculo Cap. 7. *Ecce Virgo concipiet*: non ecce Juvencula. p. 68.
Nec Achazi Regis Filii, nec ipſiuſmet Iſaiæ Filii ortus, eo vaticinio denunciatur, ſed unius Chriſti. p. 70.
Virginem aliquando parituram, alia probant Scripturarum Oracula. p. 72.
Virgo cur *Haalma* hebraice dicta? p. 68.
Virgines de quibus lib. 2. Machabæorum Cap. 3. an recluſæ in Templo? p. 130.
Virginitatem in Veteri Teſtamento coluere multi. p. 144.
Hanc tamen nemo ſervavit ex Voto, ante Deiparam. p. 140.
Virginitas nunquam, etiam in Veteri Teſtamento, probro fuit. p. 146.
VISIO Beatifica. Gaudium ex illa promanans, num fuerit animæ Chriſti ſubtractum,

Digitized by Google

ctum, in extrema paſſione? p. 409.
UNIO hypoſtatica in triduo mortis Chriſti, minimè ſoluta. p. 407.
UXOR unde dicta ſit? p. 153.

Z

ZACHARIAS Propheta. Illius Vaticinium, *Aſpicient in quem confixerunt*, defenditur, p. 57.
ZACHARIAS Joannis Baptiſtæ pater, ſurdus perinde, & mutus. p. 188.
Ubinam domum haberet? p. 189.
Prophetat ſpiritu filii. p. 193.
Quo mortis genere vitam finierit, Prorſus incertum. p. 256.
ZOROBABEL geminus diſtinguendus. p. 290.

FINIS.

2 . 4 . 21
Z

Digitized by Google

[illegible]ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005665259 Google

Digitized by Google